✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 293.

Estante 2 5
Núm. 1º
Vol. 14

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA



IN

PHYSIOGNOMICA ARISTOTELIS COMMENTARII

À CAMILLO BALDO

ORDINARIAM PHILOSOPHIAM

in Patrio Bononiensi Archigymnasio

profitente lucubrati.

Opus multiplici doctrina refertum; Physiologicis, Medicis, virisq; Politicis æquè vtile, ac iucundum.

HIERONYMI TAMBVRINI DILIGENTIA, & sumptibus nunc primum in lucem editum.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM

FERDINANDVM GONZAGAM

Mantuæ & Montisferrati Ducem.

BONONIAE *Apud Sebastianum Bonomium. Superiorum permissu.* MDCXXI.

IN

PHYSIOGNOMICA ARISTOTELIS

COMMENTARII

A CAMILLO BALDO

ORDINARIAM PHILOSOPHIAM

in Patrio Bononiensi Archigymnasio

profitente lucubrati.

Opus multiplici doctrina refertum, Physiologicis, Medicis

variq; Politicis atque vtile, ac iucundum.

HIERONYMI TIMPRINI DILIGENTIA

& sumptibus nunc primum in lucem editum.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM

FERDINANDVM

GONZAGAM

Mantuæ Ducem.

SERENISSIMO FERDINANDO GONZAGAE MANTVAE, ET MONFERRATI DVCI.

ADDICTVM ſapientiæ Principem, rebuſque ſtrenuè gerendis natum, nil magis decere arbitror, Auguſtiſsime Princeps, quàm ea nouiſſe, quæ ad colendam, confirmandam, & augendam rerũ notitiam conducere poſſunt: & quando nihil aliud eſt ſapere, quam ſibi, ſuiſque prodeſſe poſſe, & quibus præſtanda, quibus deneganda fides apte diſtinguere; inſtrumenta, profectò, quibus id conſequi liceat, perfecti, egregièque cordati Principis propria erunt ornamenta. Hanc dignoſcendorum hominum rationem (quam Phyſiognomiam vocant) multi, tum ex Græcis, tum ex Latinis præclari, & celebres viri excoluerunt; nemo tamen eorum (vt audio) aliquam ſuarum aſſertionum cauſam (ceu Philoſophi ſolent) in medium attulit; Vnus, tantum Ariſtoteles, dogmata quædam, non omni ſanè ratione ſpoliata, prodidit, quæ ab apparenti in Brutorum corporibus ſimilitudine, & per ſigna quædam confirmare eſt aggreſſus; ea tamen trunca, mutila, & longè magis, quam oporteret, obſcura caligine obducta, ad nos peruenere: quæ cum admodum ieiunè à Sueſſano videret expoſita Excellentiſſimus, Camillus Baldus, qui iam per annos XLV. in patrio Bononienſi Archigymnaſio, Philoſophiam pertractans conſenuit, operæ pretiùm ſe facturum putauit, ſi huic obſcuritati luminis quidpiam addere niteretur: cumque ad hoc peragendum, multi auditores, & amici illum anxiè hortarentur, hos condidit Commentarios, qui cum, fortè, ad manus meas deueniſſent, Typis mandare decreui, neminique potius quam tibi, Dux Sereniſſime, dicandos exiſtimaui; Quod idcircò mihi faciendum duxi, quando eorum, qui nunc viuunt Principum, nullus eſt, qui in diui-

narum, humanarumq; rerum cognitione te præcurrat, vel forsitan æquet; in quarum singulis, qualis, ac quantus sis, vel hoc vnum certissimum potest esse argumentum, quod tibi, tanquam propitio doctrinarum, atque politiorum litterarum Numini, omnes ferè huius ætatis scriptores sua Monimenta sacrent, tuumque iudicium (tanquam lapidem Lydium) superexcellens, ac pœnè Diuinum, suspiciant, & reuereantur. Hac igitur de causa, sapientissimè Princeps, Physiognomica hæc Aristotelis placita tibi debebantur, teque petebant. Hæc ego Augustissimo Nomini tuo offero, ac dico, vt summam ergate, reuerentiam, obsequiumque meum, hac vna saltem, qua possum via, tibi patefaciam, atque declarem; quæ, si à te benigna fronte accipiantur, maximum laboris mei præmium tulisse arbitrabor. Vale liberalium artium præsidium, ac decus, Dux optime: longumque Vale, magnum Italiæ columen, atque incrementum. Bononiæ die septima Ianuarij MDCXXI.

CELSITVDINI TVÆ

Cliens, & seruus Addictissimus

Hieronymus Tamburinus.

AD EVNDEM

SERENISSIMVM.

NON quia liligeris deducis Regibus ortum,
Et Bufone ſacro Regius Vmbo micat:

Nec quia ſub veſtris Prouincia faſcibus olim
Qua puras Matronæ Sequana miſcet aquas:

Nec tua quod Solimos tangat cognatio Reges,
Qui geſſere pia, tam ſacra bella manu:

Nec quia ſub veſtra nata eſt ditione Mathilda,
Forſitan, & claro ſanguine ſtemma trahit:

Nec quia, cùm Auſonium quateret Mars exterus Orbem,
Parthenope, & Latios cogeret ægra Duces:

FRANCISCVS ſocias duxit GONZAGA cohortes,
Scit Tarus, & poſitis clauſa Nouaria Aquilis:

Nec quia tot proceres longo videt ordine cingi,
Iuraque ab Auguſta reddere iuſta manu.

Hæc Tamburinus præclara volumina BALDI,
Et doctum Sophicæ dedicat artis opus.

Sed quia quam longinquo Europa extenditur Orbe,
Circumfert nomen candida Fama tuum:

Quod rarus Princeps ætate Illuſtrior iſta,
Ingenio Muſas, qui meliore colat:

Quod tua ſint cunctis recluſa ærania doctis
Per te quod nullam ſentit Apollo famem;

Communis quod Mecoenas tu diceris eſſe,
Nullaque non merito pondere facta cadunt.

MANTVA ab Andino fuit olim clara Marone,
Nunc doctos omnes MANTVA ſola fouet.

OPus hoc Physiognomicũ Excellentiſs. Camilli Baldi typis poſſe mandari cenſeo. Fr. Daniel Mallonius pro Archiepiſcopali Curia Bononiæ.

COMMENTARIVM in Phiſiognomiã Ariſtotelis, Excellentiſſimi D. D. Camilli Baldi Bononienſis diligenter perlegi, & quia nihil animaduerti catholicæ fidei diſſonum cõmuniuè Sanctorum Patrum doctrinæ contrarium, aut pijs fidelium moribus detrahens, ſiuè regulis indicis de impreſſione librorum prohibitorum; imò dignum vt à viris doctis, & præcipuè Philoſophis legatur, ipſum laudo, approbo, & vt imprimatur, & typis mandetur, facultatem concedo.

Fr. Io: Vincentius Regatia de Tabia Sacræ Theologiæ Magiſter, & Vicarius Generalis Sancti Offitij Bononiæ.

SVBTILISSIMA, ac doctiſſima ſcripta, Excellentiſſimi Doctoris Camilli Baldi in libros Ariſtotelicos Phiſiognomiæ, vidi, ac diligentius examinaui, & quia illa deprehendi ab omni prorſus erroris ſuſpicione libera, imò talia, vt indè mortales omnes poſſint cautiùs viuere, ad euitanda ſcilicet, quæ, ex ſignis quibuſdam apparere poſſent in illis procliuiora ad malum; ideò poteſtatem feci, vt typis mandarentur.

Imprimantur ergò.

Fr. Hieronymus Onuphrius Doctor Theologus Collegiatus Bononiæ, atq. ibidem lector publicus, ac Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor. Pro Reuerendiſs. P. Inquiſitore Bononiæ Magiſtro Paulo de Garrexio.

INDEX
CAPITVM, ET APOTELESMATVM
HVIVS VOLVMINIS.

PARS PRIMA COMMENT.

Inclinationum humanarum cognitionem dari. Cap. I. pag. 1.
Qua ratione in hac scientia physiognomica sit procedendum. Cap. II. 9.
Quorum sit physiognomia, & quibus procedat medijs. Cap. III. 20.
Quod colores in hominum corporibus aliquid indicant. Cap. IV. 23.
Qua ratione in iudicando procedatur, quibus signis maior quibus minor fides sit adhibenda. Cap. V. 41

PARS SECVNDA.

De characteribus, qui vt plurimum animi inclinationes, & dispositiones solent comitari. Cap. VI. 48.
Quæ sint hominis timidi passiones animi, & quæ corporis signa. Cap. VII. 66.
De ingenioso, de signis quibus ingeniosus cognoscitur. Cap. VIII. 74.
Insensati, & hebetis signa corporis, & animi passiones. Cap. IX. 100.
Inuerecundi, & impudentis, tum corporis, tum animi signa. Ca. X. 113.
Modesti, seu moderati passiones, & corporis signa. Cap. XI. 127.
De iucundo, siue benigno, eiusque animi qualitatibus, & signis. Cap. XII. 133.
De tristi, ac moroso. Cap. XIII. 144.
De cinædo, hoc est molli, dissoluto, & eneruato homine. Cap. XIV. 147.
De acerbo, & acerbi moribus, & corporis signis. Cap. XV. 153.
De iracundo, siue amaro, de qualitatibus quæ sint animi, & corporis. Cap. XVI. 161.
De signis mansueti. Cap. XVII. 172.
De simulatore, & dissimulatore, & quibus inditijs deprehendatur. Cap. XVIII. 176.
De pusillanimo, & qualitatibus corporis eiusdem, & animi. Cap. XIX. 181.
De aleatoribus, siue amatoribus talorum, & horum signa. Cap. XX. 183.
De amatoribus munerum. Cap. XXI. 184.
De amatoribus controuersiarum, & signis eorundem. Cap. XXII. 187.
De Misericordibus. Cap. XXIII. 189.
De Voracibus. Cap. XXIV. 195.
De luxuriosis, seu libidinosis, quales sint secundum animam, & corpus. Cap. XXV. 197.
De Amatoribus somni. Cap. XXVI. 201.
De his qui memoria valent, & quales existant. Cap. XXVII. 206.
An mores animi à temperamento nascantur corporis. Cap. XXVIII. 209.
Mox dictæ dubitationis resolutio, & ad contraria responsio. Cap. XXIX. 214.
De Methodo inueniendorum signorum quomodo distinguantur, & indicent. Cap. XXX. 228.

PARS

Index Capitum, & Apoteles.

PARS TERTIA.

Expositionis Aristotelicæ totius iteratio breuis. Cap. XXXI. 245.
Quod modus iudicandi ex apparentia sit optimus. Cap. XXXII. 248.
Præceptorum physiognomicorum Aristotelis Compendium. Cap. XXXIII. 251.
An corporis temperies, & inclinatio liberum arbitrium impediat. Cap. XXXIV. 254.
Passionum, habituumque in animalibus distinctio ex masculini, fœmininique generis inter se comparatione. Cap. XXXV. 256.
Attributorum tum fœminino, tum masculino generi causæ. Cap. XXXVI. 261.
Fœminei sexus attributa enumerata prius monstrantur. Cap. XXXVII. 266.
Masculini corporis passiones. Cap. XXXVIII. 270.
Animæ masculæ passiones. Cap. XXXIX. 296.
Fœminei corporis qualitates. Cap. XL. 292.
Dictorum epilogus. Cap. XLI. 301.
Fœminiles animi passiones. Cap. XLII. 305.

PARS QVARTA

APOTELESMATVM INDEX DE PEDIBVS.

Pedum magnorum, articulatorum, & neruosorum significationes Apotel. I. 312.
Pedum paruorum, strictorum, in articulatorum, & formosorum signific. Ap. II. 315.
Pedum digiti curui quid indicent. Apotel. III. 320.
Pedum digiti iuncti quid significent. Apot. IV. 324.
Tali neruosi, & articulati. Apot. V. 328.
Tali carnosi inarticulati molles. Apot. VI. 330.

DE CRVRIBVS.

Crura articulata neruosa, robusta quid demonstrent; Apot. VII. 330.
Crura gracilia, & neruosa. Apot. VIII. 331.
Crura superflua, & disrupta. Apot. IX. 334.

DE GENVBVS, ET COXIS.

Genua crassa, & flexibilia. Apot. X. 336.
Coxæ ossea, & neruosa. Apot. XI. 339.
Coxæ Carnosæ, & molles. Apot. XII. 340.

DE NATIBVS.

Nates acutæ ossea. Apot. XIII. 342.
Nates carnosæ, & pingues. Apot. XIV. 343.
Nates ex modica, & flaccida carne. Apot. XV. 344.

DE LVMBIS.

Lumbi, & latera robusta. Apot. XVI. 348.

DE VENTRE DORSO, ET COSTIS.

Ventres carnosi, & ampli. Apot. XVII. 350.
Ventres macri turpes. Apot. XVIII. 351.
Dorsum ingens, & robustum. Apot. XIX. 353.
Dorsum strictum, & imbelle. Apot. XX. 354.
Costæ robustæ. Apot. XXI. 356.
Costæ nec magnæ nec robustæ. Apot. XXII. 357.
Quorum costæ non apparent, sed tumidi, & inflati videntur circa ipsas, quales sint iudicandi. Apot. XXIII. 358.

Venter

Venter ab vmbilico ad extremum pectoris maior, quam sit pectus ad iugulũ vsque, quid portendat. Apot. XXIV. 361.

DE PECTORE METAPHRENO CERVICE, ET HVMERIS.

Pectus magnum, & dearticulatum, Apotelesma. XXV. 369.
Metaphrenum magnum, carnosum, & bene dearticulatum. Apot. XXVI. 371
Metaphrenum imbelle, macrum. Apot. XXVII. 372.
Metaphrenum curuum, & humeri coarctati ad pectus. Apot. XXVIII. 373.
Metaphrenum eminens, pinnatum, & in acutum uergens. Apot. XXIX. 376.
Humeri extantes, & ceruix dearticulata, & bene formata. Apot. XXX. 379.
Ceruix, & humeri imbelles, & inarticulati. Apot. XXXI. 381.
Humeri bene soluti. Apot XXXII. 382.
Humeri conuulsi, non soluti. Apot. XXXIII. 384.

DE COLLO, ET COLLI CLAVIBVS.

Colli claues bene solutæ ac formatæ. Apotelesma. XXXIV. 386.
Colli claues contractæ, & carne multa stipatæ. Apot. XXXV. 389.
Collum crassum. Apot. XXXVI. 390
Collum gracile. Apot. XXXVII. 392.
Collum crassum, & carnosum. Apot. XXXVIII. 395.
Collum crassum, non carnosum. Apot. XXXIX. 396.
Collum longum, & gracile. Apot. XL. 398.
Collum valde breue, & lupinum. Apot. XLI. 399.

DE LABIIS.

Labia subtilia laxata, & superius cooperiat inferius. Apotel. XLII. 401.
Labia gracilia, dura, & circa dentes caninos prominentia. Apot. XLIII. 403.
Labia crassa, & superius inferiore propendeat. Apotelesma. XLIV. 405.
Labium superius, & gingiuæ prominentes, ac dentes simul. Apot. XLV. 406.

DE NASO.

Nasus in extremitate crassus. Apot. XLVI. 408.
Nasus à medio vsque in finem crassus. Apot. XLVII. 411.
Nasus in extremo acutus. Apot. XLVIII. 413.
Nasus magnus, rotundus in fine. Apot XLIX. 415.
Nasus maximè subtilis, & gracilis. Apot. L. 416.
Nasus subtilis à fronte curuatus. Apot. LI. 417.
Nasus aquilinus, & articulatus, & recta vsque ad medium descendens. Apot. LII. 419.
Nasus in principio concauus, & circa frontem retundus galli referens rostrũ. Apo. LIII. 421.
Nasus simus. Apot. LIV. 422.
Nares apertæ. Apot. LV. 424

DE FACIE.

Facies Carnosa magna. Apot. LVI. 427.
Facies macilenta. Apot. LVII. 429.
Facies, vt asini carnosa. Apot. LVIII. 430.
Facies valde parua. Apot. LIX. 431.
Facies magna valde. Apot. LX. 433.
Facies mediocris. Apot. LXI. 434.
Facies humilis, & parum decora. Apot LXII. 435.

DE OCVLIS.

A B oculis pendulæ vesicæ. Apot. LXIII. 436.
Partes circa oculos inflatæ. Apot. LXIV. 438.

Oculi parui. Apoteſma LXV. 439.
Oculi Magni. Apot. LXVI. 440.
Oculi concaui. Apot. LXVII. 441.
Oculi foras eminentes. Apot. LXVIII. 441.
Oculi neque eminentes, neque caui. Apot. LXIX. 442.
Oculi parum eminentes. Apot. LXX. 442
Oculi plus iuſto eminẽtes hoc eſt vltra id, quod decet aliquãtiſper foras elati. Ap. LXXI. 444.

DE FRONTE.

Frons parua. Apot. LXXII. 444.
Frons magna. Apot. LXXIII. 447.
Frons rotunda. Apot. LXXIV. 450.
Frons minus plana, hoc eſt rotunda, ſiue conuexa. Apot. LXXV. 451.
Frons quadrangula, quam, & dicunt quadratam. Apot. LXXVI.
Frons collecta, hoc eſt exporrecta. Apot. LXXVII. 454.
Frons nebuloſa. Apot. LXXVIII. 455.
Frons media inter nebuloſam, & hilarem ſeu placidam. Apot. LXXIX. 457.
Frons triſtis. Apot. LXXX. 458.
Frons demiſſa. Apot. LXXXI. 459.

DE CAPITE, ET AVRIBVS.

Caput magnum quid ſignificet. Apot. LXXXII. 460.
Caput paruum. Apot. LXXXIII. 463.
Caput pineatum. Apot. LXXIV. 464.
Aures paruæ ſimijs ſimiles. Apot. LXXXV. 465.
Aures magnæ. Apot. LXXXVI. 466.
Aures moderatæ. Apot. LXXXVII. 467.

PARS QVINTA COM.

DE FACIEI CORPORISQVE COLORIBVS.

Valde nigri colores, quales ſint. Apot. LXXXVIII. 469.
Valde albi. Apot. LXXXIX. 475.
Color medius inter album, & nigrum, ad flauiciem declinans. Apot. XC. 475.
Rubei quales ſint. Apot. XCI. 477.
Pallidi, & perturbato colore præditi. Apot. XCII. 478.
Mellino colore. Apot. XCIII. 478.
Colore rubro purpuram imitante qui ſint præditi. Apot. XCIV. 479.
Flammeo colore infecti. Apot. XCV. 480.
Quibus flammeus color circa pectus eſt, quales ſint. Apot. XCVI. 481.
Venæ circa collum, & tempora diſtentæ, & craſſiores, quid notent. Apot. XCVII. 482.
Facies ſupereruheſcens. Apot. XCVIII. 483.
Genæ valde rubræ. Apot. XCIX. 485.
Oculi coloris rubri, Apot. C. 486.
Oculi valde nigri. Apot. CI. 487.
Oculi non valde nigri ad flauum declinantes colorem. Apot. CII. 488.
Oculi ſubglauci, aut albi. Apot. CIII. 488.
Oculi caropi, & fului. Apot. CIV. 490.
Oculi viño auratum colorem referenti ſimiles. Apot. CV. 491.
Oculi ignei. Apot. CVI. 492.

Oculi

Oculi discolorati, & turbati. Apotelesma CVII. 493.
Oculi lucentes. Apot. CVIII. 494.

DE PILIS, ET PILORVM COLORIBVS.

Tibiæ valde pilosæ. Apot. CIX. 495.
Pectus, & venter valde pilosus. Apot. CX. 498.
Pectus pilis valde nudum. Apot. *CXI.* 500.
Pectus neque valde pilosum, neque nudum. Apot. *CXII.* 501.
Humeri pilosi. Apot. *CXIII.* 501.
Dorsum pilosum. Apot. *CXIV.* 402.
Collum retro, siue ceruix pilosa. Apot. CXV. 503.

DE MENTO, ET SVPERCILIIS QVÆDAM INTERPOSITA.

Mentum acutum. Apot. CXVI. 504.
Supercilia coniuncta. Apot. CXVII. 505.
Supercilia ante nasum diuulsa. Apot. *CXVIII.* 506.

DE PILIS ITERVM.

Pili erecti in Capite. Apot. CXIX. 510.
Capilli multum crispi. Apot. CXX. 511.
Capilli, nec crispi, neque erecti. Apot. *CXXI.* 512.
Crines supra frontem parum eleuati, & quendam colliculum fronti imminentem referentes. Apot. CXXII. 513.
Pili ad frontem iuxta nasum. Apot. CXXIII. 514.

DE MOTV PROGRESSIVO.

Gressus longi, & tardi. Apot. CXXIV. 515
Gressus breues, & tardi. Apot. CXXV. 516.
Gressus longi, & celeres. Apot. *CXXVI.* 517.
Gressus breues, & celeres. Apot. *CXXVII.* 518.
Humeris rectis incedentes, & se contorquentes dum gradiuntur Apot. *CXXVIII.* 519
Qui scapulis incuruis, & se contorquentibus mouentur. Apot. *CXXIX.* 521.
Cruribus, & pedibus inuersis gradientes, vtrisque vel altero. Apot. *CXXX.* 522.
Corpore se contorquentes, & fricantes. Apot. *CXXXI.* 523.
Ad dextram inclinati dum ambulant. Apot. *CXXXII.* 524.
Oculi valde mobiles. Apot. *CXXXIII.* 525.
Palpebræ frequentius nictantes. Apot. *CXXXIV.* 526.
Demissus aspectus, & superioris palpebræ tarda eleuatio. Apot. *CXXXV.* 527.
Oculi frequenter se mouentes cum quadã fuscedine in albo oculi ppetua. Ap. *CXXXVI* .528

DE VOCE.

Vox valde magna, & grauis. Apot. *CXXXVII.* 531.
Vox grauis in principio, in fine acuta. Apot. *CXXXVIII.* 533.

Vox acuta mollis, & rupta. Apot. CXXXIX. 534.
Vox grauis, & perplexa. Apotelesma CXL. 535.
Vox mollis, & remissa. Apot. CXLI. 537.
Vox acuta, & intensa. Apot. CXLII. 537.

DE CORPORVM MAGNITVDINE.

Parui corpore sed proportionati. Apot. CXLIII. 539.
Valde Magni. Apot. CXLIV. 541.
Parui carne sicca, & dura prediti. Apot. CXLV. 542.
Magni carne molli, & humida. Apot. CXLVI. 543.
Parui carne molli, & humida. Apot. CXLVII. 544.
Magni carne dura, & sicca. Apot. CXLVIII. 545.
Magnitudinis mediocritas, & carnis in corpore. Apot. CXLIX. 548.
Corpore incommensurato, & improportionato prediti. Apot. CL. 549.
Commensuratio, & incommensuratio corporis quomodo cognoscatur Documentum. I. 535.
Signa omnia, quibus iudicamus, ad quæ sint referenda Docum. II. 455.
Quomodo signorum alia sint magis, alia minus firma, & clara Docum. III. 556.
Signorum in corpore humano loci, & ex his quinam sint maioris, vel minoris efficaciæ Docum. Tertium. 558.

Finis Index Capitum.

IN PHYSIOGNOMICA

Aristotelis Præfatio.

QVOD nonnulli Historici facere solent, vt regionum, fluminum, marium, montiumque quorum futura est in suis Historijs memoria; in tabella Typum lectorum oculis proponant; illud operæ pretium me facturum in præsentia putaui, si totius instituti laboris specimen quoddam edidero, quo ceù vno oculi ictu, quid in his cartis contineatur spectare possit lector, ut si quando dabitur otium legendi, facilius, quæ scribuntur intelligere valeat.

Sciendum est itaque laborem hunc in tres partes esse distinctum. Prima, quæ nunc se se offert, Physiognomica Aristotelis contemplatur dogmata, eorumque veritatem, & veritatis inquirit causas.

Secunda succedet quæ complexiones, priuatasq; ex his orientes dispositiones, inclinationes, moresque indagare docet, vnde conditionem, genusque vitę, cuiusque probabiliter cognoscere liceat, ad quas artes, aut scientias sit habilis, cum quibus conueniat, iungatur, & consentiat, quibus morborum generibus, magis obnoxius sit, vt nobis sine liberi arbitrij præiuditio, multo promptius, atque rationabilius, de futuris contingentibus singularibus ad nos spectantibus, aliquid conijcere liceat, quam Astrologis; Quod non negauerit lector, dummodo hanc coniectandi rationem, intellecta priusquam sit, contemptam non reliquerit.

Inclinationes istæ interioris animæ sunt illi domestici, qui nisi nobis dominati fuerint, immaculati erimus, & mundabimur à delictis maximis. Sunt illi hostes, cum quibus est continua nobis pugna, qui si non adessent, non pugnaremus, non pugnantes legitimè coronari non possemus.

Beatus igitur ille, qui paruulos istos allidit petræ rationis rectæ, sic enim secundum rationem agens fœlix efficitur.

Pars tertia continebit quo tandem modo, cognitum hominem, expiscari, & capere valeamus, captum tenere, eiusque volentis, & hilaris operas, actiones, consilia, ac demum quicquid, artis, opisue in ipso est, in nostrum commodum, atque vsum conuertere; quà re vti nulla venatio, nullaque inuestigatio reperitur difficilior, ita nulla vtilior existit; vel dicente Domino, venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.

Et cum vita humana, sit quasi candela accensa, sicuti ex flammæ, & cæræ, aut sæui quãtitate, qualitate, ac lychno quamdiu sit duratura, quę ardet lucerna cognosci potest; ita ex caloris, & humidi naturalis substantia, quãtitate, & qualitate secundũ certam rationem dispositа, nostræ vitæ naturalis præsagire longitudinẽ licet, neque enim possibile est, humorem naturalem, quo calor conseruatur, instaurari ita, vt vltra certum terminum vita protendi possit.

In Physiogn. Aristotelis

Scopus diuisio, vtilitas, & methodus huius libelli.

Scopus. Quid Physiognom.

SCopus Aristotelis est in hoc libro considerare signa quædam naturaliter in corpore humano apparentia, quibus humanæ animæ inclinationes, dispositionesque probabiliter cognoscendi possunt. Erit itaque Physiognomia, vt nomen sonat, naturæ cognitio. Priuatim autem ad hominem relatam dicamus esse cognitionem humanæ naturę, hoc est propensionum animæ hominis, (anima enim forma est, & forma natura) per signa externa & sensibus apparentia. Materia igitur, circa quam versatur hæc cognitio, sunt accidentia humani corporis naturalia, hoc est non ab externa causa, sed à virtute formatrice, & à principio interno inexistentia; finis huius negotiationis est, vt per hæc signa naturam, & propensiones animæ, vtcunque cognoscamus, ex quo manifestum est, quomodo hæc cognitio, non solum ad medicinam futura sit vtilis, sed etiam ad totam vitam actiuam, & Ciuilem, mirificè enim nobis profuturum est, si eos cognoscamus, cum quibus agendum est, ne pro pane saxum, aut scorpionem eligamus. Inscribitur libellus Physiognomica sicuti etiam Poetica, collectio scilicet præceptorum ad poeticam pertinentium, siuè vt poetica præcepta, sic & Physiognomica dicemus documenta, neq. enim videntur hęc esse digesta ita exacte, vt Aristotelicum illum ordinem inclitum sapiant. Vnde apud nonnullos dubitatum est, numquid liber sit Aristotelis genuinus, sed aliqui Loxo cuidam tribuerunt, quod sentiebat etiam Pendasius. Aristotelem quidem de his scripsisse constat ex Diogene Laertio; eũque apparet ex his, quæ habentur in libro de historia animalium, ab hac cognitione non abhorruisse, ibi enim obiter multa inserta, in libello hoc leguntur. Ad naturalem Philosophum hæc spectare, vel ex ipsa patet inscriptione, siquidem cognitio quędam est hęc naturæ humanę, nempe eius principij, à quo pendent humanæ operationes tanquam à prima causa efficienti, cum vero plures, sint partes huius scientiæ, quæ dicitur Physiologia, ad eam portionem præcipuè refertur, quæ de animalibus tractat, & quæ proprias animalium contemplatur passiones, & inter animalia ipsius hominis, & quamuis in hoc libello explicetur potius ipsum quod sit, quam propter quid, attamen cognitio non est simpliciter historica, sed à posteriori adducũtur argumenta, & loco à simili dicta confirmãtur, annectenda igitur erit hæc tractatio, post contemplationem eorum librorum, qui vulgo parua inscribuntur naturalia. Cum enim vniuersalia generis cognita sint accidẽtia, deinde ad propria cuiusque speciei descendere erat rationi consonum, ac præcipui animalis (qui homo est) naturam, passiones, & propensiones considerare, sicuti in libris de anima pars multa circa humanam animam, quæ mens est, insumpta fuit.

Sub. libri.

Causa scopi, et vtilitas.

Inscriptio. Quis auctor.

Ad quã partem Philosophiæ pertineat.

Quis locus ei debeatur.

Diuisio lib.

Diuiditur libellus hic in tres partes, vna continet capita quattuor, Primum docet, Physiognomiam esse rationabilem cognitionem. In secundo, Antiquos etiam, de ipsa locutos fuisse ait, verum imperfectè, quoniam, vt dicet, uiam à contrarijs, & uiam Syllogisticã, aut neglexerunt, aut non cognouerunt. In tertio explicat, quod sit Physiognomia, & quosdam ipsius locos communes per quos procedit, enumerat. Et quid significent, leuiter in quarto capite perstringit.

Pars 1.

Pars 2.

In secunda parte, quæ continetur quinto, & sexto capite, duo facit, in quinto exponit scientiam hanc non esse necessariam, neque fidem omnimodam uni signo tribuendã, quin etiam alia, alijs esse certiora, alia totius corporis, alia esse partium. In sexto capite, quas animi inclinationes soleant comitari, præcipuæ corporis qualitates, & accidentia dinumerat, ut possimus persuaderi, quod quibus inexistunt tales animi inclinationes, & mores, ijsdem, ut plurimum inexistant tales corporis qualitates, ut deinde liceat etiam conuertere eam propositionem, ac dicere, quibus insunt talia corporis signa, ijsdem de facili inerunt etiam tales animi qualitates; in quo potissima consistit ratio huius cognitionis.

Pars

Pars tertia Methodice prædictam conuerſam, quodammodo docet, nempe quibus in exiſtunt talia ſigna, illis etiam tales vt plurimum animi adſunt paſſiones: cuius antecedēs propoſitio in ſecunda parte declarata fuerat. Hæc pars continet capita quattuor. In ſeptimo, & octauo vniuerſalis ſpeculatio ſignorum ponitur, & quaſi theoretica quædam huius artis portio, quæ docet ſigna, & præcepta eruere, ad cognitionem intentam requiſita, in ſequentibus duobus capitibus, per omnia ferè genera ſignorum percurrens, ſiue illa ſint partis alicuius, ſiue ſint totius humani corporis accidentia, quid illa portendant, exponit. Genus verò docendi, eſt totum à poſteriori, à ſignis, & à ſimilitudine. Cumque duobus debilibus principijs innitatur, nihil neceſſarij colligere poterit hæc cognitio. Horum alterum eſt conuerſio propoſitionis vniuerſalis affirmatiuæ in terminis, neque enim ſequitur, ſi omnes timidi habuerint pilos molles, ergo omnes qui pilos molles habent, ſunt timidi; Alterum eſt, non minus debile principium, non enim ſequitur, hic habet faciem ſimilem boui, bos eſt tardus, ergo hic eſt tardus; paralogiſmus enim fit, & ſunt quattuor termini, ex quibus nihil colligitur, & ſi dixeris, omnis homo habens faciem ſimilem boui eſt tardus, cùm negabitur, non habebis ex huius artis principijs, qua ratione negatam cōprobes propoſitionem, niſi fortè ſumpſeris, naturam ſemper eodē modo operari, niſi quid impediat, Vtrum autem aliquid impedierit, nec ne, non facile perſpicies. Ex quo manifeſtum eſt, nullum libero arbitrio inijci ex his vinculum, neque eſſe neceſſarium, quod ſi hic pilos habuerit molles, omnino ſit futurus timidus. Quare totus hic libellus, mihi videtur tribus quodammodo contineri propoſitionibus, quarum vna eſt; Anima, & corpus ita cōiuncta ſunt, & connexa, vt vnum faciant per ſe, quare paſſiones animæ corporeis paſſionibus iunctæ ſunt, & ſingulæ ſingulis reſpondent, & harum vtræque ſunt affectiones compoſiti. Altera propoſitio eſt. Quorum tales ſunt animæ paſſiones, illis talia in corpore inſunt accidentia. Tertia, quibus talia inſunt corporis accidentia, illis tales ineſſe etiam animi paſſiones, & inclinationes ſolent.

Pars 3.

Doctr. ratio.

Arbitrij libertas.

Doctr. huius princ.

At apud quoſdam hoc Phyſiognomiæ nomen, peſſimè audit, putantque de genere earum eſſe maleficarū, & vetitarū à legibus artium, quæ de futuris contingentibus ſingularibus, aliquid certi aſſerere audent, vt inter ſortilegas recenſeant, non minus vanam, & falſam putantes, ac ſit Chyromātia, Geomātia, Metopoſcopia, aut ſi quę alia eſt huiuſmodi. Cū dicant eſſe impoſſibile, humani animi ſenſus intimos ſoli Deo cognitos, hominē ſcrutari, & ſcire; Cui dubitationi facilè eſt reſpondere. Nā Phyſiogn. hæc ab illis vetitis cognitionibus diſcrepat, lōgeq. differt. Et rationibus in cōtrariū adductis ſatisfiet, ſi ponemus, duo eſſe ſingularium contingentium futurorum genera, alterum, qnod dicitur in pluribus & habet aliquam cauſam, alterum quod eſt ad vtrumlibet, neque cauſam vllam habet, niſi per accidens; circa prius verſatur Phyſiognomia; ſecundum contingentium genus non tangit. Amplius eorum quæ ſunt in anima, vel ab ipſa fiunt, quædam habent ſignum in corpore, & de his agit Phyſiognomia; Quæ vero nullum habent ſignum, vt cogitationes, & acquiſiti habitus, à Phyſiognomo non cognoſcuntur. Amplius neque quidquam certi aſſerit de his, circa quæ verſatur, neque ſe ad tempus certū, aut locum adſtringit hæc cognitio, ſed vt plurimum ſic fieri ſolere, ait, in his, quæ talia habent ſigna, nihil tamen vetare, quin oppoſitum etiam ſequatur. Ad rationes itaque dicamus, duplex ex Phyſiognomia, altera, quæ per ſigna naturalia procedit, & de hominum inclinationibus, & paſſionibus corpori, & animæ communibus tractat, & hæc non eſt prohibita à legibus; Altera eſt, quam proprio nomine Metopoſcopiam vocant, quæ lineas frontis, & characteres faciei contemplatur, Sicuti Chyromantia lineas manus, vtræque duobus nominibus, eodem modo damnandæ; alterum eſt, quod ſuorum effatorum nullam cauſam neceſſariam aut probabilē afferunt, aut afferre poſſunt, alterum eſt, qd de his cōtingentib. ſingularibus quæ à voluntate Dei, aut hominum pendent, certi aliquid prædicere ſibi arrogant, quod

An Phyſiog. ſit cognitio realis.

Dub.

Sol.

ſcilicet,

scilicet, hic erit Cardinalis, quod hic de tali mense in carcerem conijcietur, quod pugione aut saxo vulnerabitur, de quibus alias dictum est, quod hæc quoniam nusquã sunt, priusquam eueniant scitu sunt impossibilia, & si aliquando diuinati fuerint, verumque dixerint homines isti, cum semel vna veritas prędictioni responderit, mille mendacia expectanda sunt. Physiognomicus neque ea spectat, quæ à Deo, aut ab hominum pendent voluntate neque hominum actiones inquirit, sed tautum ex signis in corpore apparentibus, qualiter dispositæ esse possint, animæ facultates coniectat. Sed addes, etiam Metoposcopia, & Chyromantia considerat signa corporis, & ex illis quid futurum sit ratiocinatur. Respõdeo, Physiognomica signa à principijs internis indiuiduum statuentibus, plerunque oriri, & demonstrari posse à priori, at signa Chyromantica sunt per accidens, neque à principijs indiuidui nascuntur, neque ratione vlla persuaderi possunt; cuius indicium est, quod mutabilia sunt, neque semper manent. Qua propter etiam in Physiognomia quæ non semper manent signa, reijciuntur, neque vlla ipsis fides adhibetur. Quæ vero sunt in manu, & in fronte signa mutari, ipsorum Chyromantium, & Metoposcoporum positio est. Quod autem nõ oriantur ex manuum constrictione, & cutis corrugatione, quæ sunt in manibus, lineæ, & quæ sunt in fronte à motu eiusdem proficiscantur, quæ sola cutis mobilis est in corpore nostro, nemo est, qui valeat dubitare.

Qua Physiognom. actio.

Obiect.

IN-

COMMENTARII IN PHYSIOGNOMICA ARISTOTELIS

Pars Prima.

INCLINATIONVM HVMANARVM cognitionem dari. Cap. I.

„ *Quod & animæ ſequantur corpora.*

PHYSIOGNOMONICA traditurus Ariſtoteles, hoc eſt contemplaturus ſigna quædam in corpore apparentia, quibus humanæ inclinationes, ac mores probabiliter cognoſci poſſunt. In hoc cap. docet Phyſiognomiam nempè naturæ (hoc eſt inclinationum humanarum) per ſigna externa cognitionem reperiri, & poſſibile eſſe, quod aliquis ex ſignis in corpore exiſtentibus, animæ corpus humanum conformantis inclinationes, ac diſpoſitiones cognoſcat. Hoc vt faciat, ſuſcipit tanquam principium; quod animæ ſequuntur corpora, hoc eſt affectiones animæ ſunt tales, qualia ſunt corpora, quæ ab anima informantur, ſiquidem affectiones corporis videmus animam mutare, & (vt dicitur) alterare. Quod etiam ex aliqua parte conſentire videtur ei, quod dicebat Gal. animi mores temperaturam corporis ſequi. Idemque etiam primo de anima ipſe Ariſtoteles ſentit; cauſa autem, quod anima, & corpus, cum ſimul iuncta ſunt, ad inuicem compatiantur, eſt, quoniam ſunt vt materia, & forma, quæ duo ſunt ad aliquid ſecundum eſſe, in his autem, quæ ſunt ad aliquid, facta mutatione in vno, neceſſe eſt, & alterum mutari vt dicitur, VIII. phyſ. Sunt igitur compoſiti affectiones, quacunque in animali apparent; quamuis aliæ magis ad corpus, aliæ ad animam ſpectare videantur. Affectiones, & paſſiones corporis dico accidentia totius corporis, vel partium ipſius, ſecundum quæ melius, vel peius obire poteſt munia & operationes, quarum natum eſt eſſe inſtrumentum. Animæ vero affectiones appello ea aecidentia, quibus anima ſic, vel aliter, ac determinato quodam modo vtitur corpore, vel corporeis partibus ad certam operationem peragendam. Sicuti igitur ad ſecandum, vel dolandum, requiritur ſector, & ſerra, & qualis ſector, & ſerra, talis eſt ſectio, & pro ratione bonitatis ſerræ ſęliciter, magis vel minus ſecat lignum ſector, ſic de anima, & corpore ſentiendum ex his, quæ dicta ſunt, videtur.

„ *Et ipsæ secundum seipsas non sunt impassibiles à motibus corporis, id manifestum fit valde in ebrietatibus, & ægritudinibus: multum namque animæ mutatæ uidentur à passionibus corporis.*

Quod dixerat Aristoteles, declarat, nempe animam sequi corpus. Hoc est animam alterari ab alterationibus corporis, & ut (sic dicam) simul pati. Probatque hoc suum dictum scilicet passiones corporis mutare, & alterare animam, à posteriori, quod solet facere in propositionibus, quæ ferè per se notæ sunt. Dicit igitur, ebrietates, & morbi, seu phrænesis, & lethargus, sunt passiones, & alterationes corporis, ebrietates autem & phreneses mutant animam, cum de prudente, & graui, in sanam, & imprudentem ac vanam faciant, ergo passiones corporis animam alterant, & immutant, quod fuerat probandum. Nulli autem dubium est ebrietatem, & phrenesim, vel lethargum esse passiones corporis, nam & corpora his affectibus laborantia, medicamentis malos humores ducentibus purgantur, & purgata melius se habent, hominesq; non solum secundum corpus, sed etiam secundum animam sanitatem acquirunt.

„ *Et è contrario quod corpus compatitur passionibus animæ, manifestum circa amores, & timores, & dolores, & uoluptates.*

Conuersam prædictæ propositionis siue oppositam docet, quæ est.
Passiones, & alterationes animæ, mutant etiam corpus. Hoc est qualis anima, tale corpus, quod de simia dicebat ille, ridiculam animam, ridiculum corpus sibi asciuisse, ratio, & causa huius dicti; eadem est, quæ superioris. Sunt enim materia, & forma, corpus & anima, hęcque secundum esse appellantur correlatiua, quare facta in vno mutatione fit etiã & in altero, vt 8. Phys. probatur, item à posteriori.

Amores, timores, dolores, siue tristitiæ, & voluptas, hoc est lætitia, sũt passiones animę, secundum animam enim timemus, & amamus, tanquam principium; in his autem corpus mutari, & pati uidemus, timentes enim pallent, & loco stare nequeunt, sed & tristes, demittunt vultum, suspirantque, ut etiam amantes, & læti, oppositio modo affici uidentur, patet igitur passiones animæ, etiam corpus mutare, & afficere, ut enim dicunt Medici, pauor, ira, & amor immodicus, febres, dolores capitis, stomachi subuersiones, & indigestiones, quinimo aliquando mortem causant, ut de Antiocho Stratonicen nouercam amante legitut apud Appianum.

„ *Amplius autem & in ijs, quæ natura fiunt, magis utique aliquis conspiciet, quod corpus & anima ita se habent connaturalia, ut fiant causæ plurimarum passionum adinnicem. Nunquam enim animal factum, uel generatum est tale, quod formam haberet alterius animalis, animam uero alterius: sed semper eiusdem corpus, & animam. quare necessarium est consequi tali corpori talem formam.*

Quod iam confirmatum est disiunctim animam sequi corpus, & corpus pati ad animæ passiones; nunc etiam simul vtrumque iunctum probat, nempè animam & corpus tanto nexu inter se vinctas esse, vt adinuicem patiantur, & quamplurimarum mutationum sibi inuicem sint causæ, quod & primo de anima dixerat, animæ passiones esse cum corpore, & non animæ, aut corporis solius, sed compositi; probat autem tali ratione.

Si certa aĩa, viuentis certũ, & propriũ non haberet corpus, et ècontra, certũ corpus viuens, non haberet naturaliter suam propriam animam, ergo possibile esset, aliquando fieri animal unum, aut factum fuisse quod animam haberet, u. gratia leonis, & corpus cerui. At hoc falsum est, & impossibile vt in libro de anima 2. semper enim videmus, quod ceruino corpori inest ceruina anima, & asinino anima asini, concludendum est ergo,

go, quod quale est corpus, talis sit etiam anima, & causa est, iam sapè dicta, quoniam materia, & forma relationem habent inter se, & si materia simpliciter, formam simpliciter respicit, & materia hæc requirit hanc formam, similiter animalis v. g. bouis, materia, solam recipere potest bouis formam, & si materia est corpus organicum, & corpus tale, talem animam poscit, & anima talis in tali corpore tantum reperietur, actus enim certus certis passiuis inest.

„ *Amplius autem & scientes circa unumquodque animalium ex forma possunt considerare equites, equos, & uenatores canes.*

Idem alio signo confirmatur, quod s. interse conueniant anima, & corpus: nam qui volunt cognoscere naturam, & passiones animæ canum, & equorum, considerant, & contemplantur corpora eorum, & ita considerantes eorundem animalium, quæ sunt in corpore passiones, etiam animæ inclinationes cognoscunt; patet igitur animam, & corpus, esse duo ita coniuncta, & cognata, vt ex corporis cognitione, & passionum, quæ circa ipsum contingunt, possibile sit cognoscere qualitates, propensiones, & dispositiones animæ, quæ tale corpus informat, quatenus illud informat, & eo vtitur ad proprias, vel communes operationes perficiendas.

„ *Si autem hæc uera fuerint (semper autem hæc uera sunt) erit sanè ars quæpiam Physiognomonicæ.*

Artem reperiri quæ ex signis cognoscat naturas, & inclinationes hominum, quam Physiognom. dicimus, in præsentia concludit, quod fuerat in hoc cap. propositum. Dicit ergo, si vera hæc sunt, quod corpus, & anima, sunt res inter se connaturales, & cognatæ, ita, ut certa anima habeat certum corpus, & è cõtra, & si verum est quod passiones animæ mutant plerunque corpus, & passiones corporis alterant (vt dictum est) animam, colligendum est dari quandam artem, quæ ex corporis affectionibus, & animæ motiones, atq; inclinationes docere poterit, & hæc dicetur Physiognomia; sic autem ex prædictis deduci potest, multæ passiones in anima existentes, in corpore sui vestigium faciunt, illudque alterant, quæ talia sunt, per eas, quæ in corpore existunt alterationes, & facta vestigia cognoscuntur; passiones igitur animæ per ea, quæ sunt in corpore cognosci possunt, at cognoscere passiones animæ per signa in corpore apparentia, est vti Physiognomia; Manifestum est igitur, quod si detur per signa corporis propensiones, & dispositiones animæ cognoscere, dabitur & Physiognomia, cognitio, s. quæ circa hæc præcipuè occupatur.

Ex his igitur colligo Physiognomiã esse artem ex signis in corpore apparentibus conijcientem naturales passiones, & inclinationes, quæ in anima vniuscuiusque existunt, secundum quas illum dicimus magis, vel minus aptum ad tales mores, habitus, & operationes exercendas, hoc aut illo modo determinato. Modus autem hic est forma, & habitus deinde, qui imponitur, atque ad actum deducit has propensiones naturales.

Amplius quale est corpus talis est anima, & qualis anima tale etiam corpus. Vnde si oratio est index passionum animæ, & cognitis passionibus animæ, cognosci etiam possit corpus, non est absurdum, si qui dixerint ex epistolæ scriptione licere coniectari non solũ animi passiones, sed etiam corporis affectus, & mores quamplures, quemadmodum alias ostensum fuit.

Noto Aristotelem hoc loco, cum dixit, nunquam animal factum, quod haberet formã alterius animalis, animam vero alterius, per hanc vocem non intellexisse formam substantialem, quæ est anima, sed tantum externam, accidentalemque animalis uisibilem figuram, per quam interior coniectatur; per sensibilia enim cognoscuntur insensibilia.

Absoluta hac primi cap. explicatione, dubitationes, ac notanda quædam restant.

An futurorũ ſit præagitũ.

Horum primum eſt. An futurorum ſit aliquod præſagium, & præcipuè ſingularium contingentium, videtur autem quod non, & auctoritate, & ratione. Habet Ariſtoteles primo de interpræt. de futuris contingentibus ſingularibus non eſſe determinatam ueritatem, id etiam ratio docet. Nam ſi res ita ſe habent ad cognoſci, prout ſe habent ad eſſe, cum futura ſingularia contingentia non ſint, ſed poſſint eſſe, & non eſſe, ergo antequã ſint non poterunt cognoſci, quod futura ſint, aut non futura.

Amplius quales cauſæ, tales effectus, vniuerſales, & neceſſariæ cauſant neceſſarios effectus, contingentes, & ſingulares, pariter cõtingentes, & ſingulares producunt. Quare ſi neceſſariæ cauſæ, non poſſunt non producere effectus ſuos neceſſarios, ergo nõ neceſſariæ poterunt nõ producere, & producere. Nulla igitur de ipſis cognitio certa haberi poteſt. Demum ſi contingentium futurorum aliquid certi, determinatique aſſeri poſſet, ergo contingentia non eſſent contingentia, & conſequentia patet, ex ipſamet contingentium definitione. Nam ea dicimus contingentia, quæ non ſunt, ſi tamen eſſe ponantur, nullum ſequetur abſurdum, poſſunt igitur eſſe, & non eſſe, & nihil in ipſis eſt neceſſarij, & determinati, niſi ex ſuppoſitione.

Ex aduerſo Aſtrologia eſt ſcientia, & de futuris contingentibus ſingularibus vera prædicit, ergo quædam ſcientia de futuris contingentibus ſingularibus aliquid aſſerere certi audet. Quin & hæc ars cum fuerit contemplata vniuerſale, circa ſingularia ſe exercet, quod omnis artis proprium eſt, non enim medicus hominem, ſed Calliam ſanat. Demum naturalis ſcientia vtique ſcientia eſt, & circa hæc inferiora verſatur, horumque cauſas ſcrutatur, non quatenus æterna ſunt, ſed quatenus contingentia, patet igitur contingentium ſcientiam, vel cognitionem eſſe. Pro ſolutione dubitationis, ex Ariſtotelis ſententia primo priorum, dicendum eſt futura contingentia, quædam eſſe apta nata, ſiuè ordinata, quę habent aliquam cauſam, propter quam eſſe poſſe dicantur; deficiunt autem à neceſſario; quoniam cauſa impediri poteſt; vt quod puer naſcatur cum. v. digitis in manu dextra, eſt contingens quiddam, quoniam cauſa efficiens poteſt impediri, ab vtero, à defectu materiæ, ab imaginatione, aut alia re, ut plurimum tamen ſic fieri ſolet.

Similiter cum dixerit ſocius ſe venturum cras, prædicam quod veniet, attamen non eſt neceſſarium, de hoc igitur contingenti apto nato, ſiuè ordinato cuius cauſa eſt natura, vel intellectus determinate aliquid certi aſſeri poteſt, non tamen neceſſarij; At de altero, quod inordinatum eſt, contingenti, q̃ vel caſu, uel fortuna fit, nullamque rationem habet propter quam ſit magis ſic quam oppoſitum, nulla eſt cognitio, quare de hoc, quod vocant inordinatum, nulla ſcientia tractat. Ex his facilis eſt reſponſio argumentis in contrarium adductis. Nam futura contingentia inordinata, nullam habent certam veritatem, neque magis hęc, quàm altera pars contradictionis vera eſt, aut uero ſimilis; quare de his nihil certi aſſeri, aut prædici licet; at in his quæ ordinata ſunt contingit magis ueram eſſe, & rationabilem alteram contradictionis partem, & de his aliquid poteſt affirmari veriſimiliter, non quod verum ſuſcipiat magis, & minus, ſed quod frequentius ſic, quam oppoſitum fieri ſolet; & ob hoc in ſecundo argumento bene dicebatur, qnod quales cauſæ, tales effectus, quæ igitur neceſſariæ ſunt neceſſarios faciunt effectus, quæ contingentes, & ut plurimum ſibi ſimiles etiam effectus producunt.

Veriſſimumque eſt de his affectibus contingentibus nos nullam certam ſcientiam, ſed tantum aliqualem opinionem concipere poſſe, omnia enim ſic ſe habent ad cognoſci, ut ad eſſe. Quod uerò dicitur de Aſtrologia, ſiuè ea à Ptolomęo, ſiuè ab Arabibus tradita fuerit, eam penitus inutilem falſam, & damnandam puto, & caſu diuinare, quàm ulla aliqua veriſimili coniectura, aut ratione aliquid enuntiare arbitror. Nam uniuerſalium, uniuerſales ſunt cauſæ, ſingularium, & contingentium ſingulares, & contingentes, ut ęqlũ eſſe cauſam uniuerſalem, & neceſſariã docuit Ariſtot. ergo non poteſt eſſe cauſa horũ contingen-

ingentium effectuum, quæ pendent à mea, vel illius mente, & à natura, & anima bouis huius, uel equi, & à concursu per accidens plurium causarum, qui concursus fit hic, & nunc casu, nullaque existente huius concursus uera, aut necessaria causa, ex quo colligendum est, hanc cognitionem esse etiam ipsam contingentem, & nihil necessarij habere, deficereque à necessario propter plurima, quę naturalem possunt inclinationem impedire, ut hic natus erit ad liberalitatem, at pauper, & mendicus cum sit, propẽsio ad actũ non ueniet. Ad quæsitum igitur an aliqua sit futurorum singularium contingentium cognitio, Dicimus, quod eorum quæ sunt, à Deo, à casu, vel à fortuna, aut ab hominum pendent arbitrio, & voluntate, nulla penitus est notitia; Ea fiunt à fortuna, vel à casu, quæ à casualibus, vel fortuitis oriuntur causis, hæ autem sunt, quæ constant ex concursu pluriũ causarum, ad alium finem secundum se directarum, & ad illum non peruenientium. Quare Astrologia, Geomantia, Hydromantia, Onomantia, Pyromantia, ac cæteræ huiusmodi sacrilegæ traditiones, omninò reijciendæ, ac risu dignæ iudicandæ sunt, vt in libro de diuinatione per somnium diximus, quo loci plurimas harum considerauimus, quid valeant, & quantum in se habeant rationis. Quod ergo sit hoc præsagij genus Physiognomicum, & quale sit ex his patet. Atque manifestum est, Physiognomiam esse quidem speciem, quandam cognitionis futurorum contingentium, non quidem in se necessitatem vllam habentem, attamen rationabilem, & naturalem. Nam causam assignare tentabimus naturalem quidem, attñ quoniam impediri potest, ideo dicimus non esse necessariã.

Quorũ futurorũ singulariũ non sit cognitio.

Quæ sit hæc cognitio dictum est, nunc autem, quæ cognoscantur, & quibus medijs carptim tangamus; Ea profectò, quæ cognoscere quærimus, sunt propensiones, & inclinationes naturales, quæ in cuiusq; anima existunt; ponendum enim est, ex Aristot. sentẽtia, Animam nostram esse quodãmodo omnia, hoc est, habere potentias ad oẽs habitus, & operationes, has autẽ potentias esse quidẽ animæ partes, & esse in corpore, quæ si ad habitus referantur, sunt tanquã materiæ, & inchoationes habituũ, ex his inchoationibus, & materijs, aliæ magis prõptæ, ac paratæ sunt ad habitus, siue actus primos suscipiẽdos, alię minus, & illa præparatio, & aptitudo, dicitur propensio, siuè naturalis inclinatio; vt sunt duo homines secundũ se dispositi naturaliter, ergo vterq; habet potẽtiã, secundũ quam, & pictor, & musicus fieri potest. Vtriq; vtrisq; dant operam facultatibus, sub ijsdem præceptoribus. At Zeusis mirificè proficit in pictura, nihil penè addiscit musicæ; ex aduerso Aristoxenus musicæ habitum facillimè acquirit, de pictura nihil. Huius diuersitatis causa est, quod potẽtia Zeusis secundum quam aptus est fieri pictor, est actui propinquior, & magis dispositа ad habitum picturæ, quàm potentia Aristoxeni, & hęc vocatur propensio Zeusis ad picturam; Alio etiam exemplo has propensionum differentias clarius agnoscemus. Combustibilis est res, sulphur, & puluis pyrius. Cõbustibile etiam est salignum, & abiegnum lignũ, omnibus his adhibeatur ignis, Sulphur, & pyrius puluis, prõptissime ignem vel sola tangente scintilla suscipiunt; non ita lignum, cur hoc? si vtrunq; habet potentiã cõbustibilem? causa est, qñ potentia sulphuris est propior actui cõbustionis, quam ea quæ est in ligno. Has igitur propensiones, atq; inclinationes cognoscere quærimus, & primũ ex Aristotele à posteriori; & quoniam eodem teste sequuntur aliquo modo materiam, & corpus in quo sunt, ideo has per corporis signa cognosci cõtingit. A forma igitur in materia habet homo potentias pingendi, canendi, sonandi, at quod in hoc homine sit habitui, ac perfectioni illa magis hæc minus propinqua, & apta, à materia proxima, hoc est à corpore informato, & corporeis pẽdet principijs; Circa quæ igitur, seu quorũ sit Physiogn. est manifestũ, & qd corporeis, & sẽsibilibus, vel nõ sine sẽsu cognitis vtatur signis, vt principijs ad cognoscẽdũ.

Quæ cognoscat Physiognom. & quomodo.

Qđ hominum mores cognoci possint

Contingit autem plerunque homines proprias sequi inclinationes, non quod ideo cogantur; sed quod fugientes laborem, nollunt contra obsistere, ac pugnare, Quare quales sunt, ut plurimum inclinationes, tales etiã existunt habitus, & mores, quoniam natura ad

hanc inclinante operationem, fit habitus, habitum talem sequuntur tales operationes, secundum quas accidit homines, & fieri, & esse, & dici tales, ut secundum operationes proprias contingit etiam homines mereri, & præmia, ac pœnas condignas accipere, & ita uitæ conditionem, & finem sortiri; quare datur Physiognomo quodamodo facultas, & modus prædicendi aliquid de studijs, & conditione vitæ, ac de fine, & sorte hominum. Quod si hic egerit secundum inclinationem, quam habet ad contumelias, & rapinas, neque diu neque fœliciter viuet; horum igitur, & de his est Physiognomia.

Ponamus itaque inter principia huius cognitionis organicum corpus naturale, esse materiam animæ, eiusdemque operationum instrumentum, quæ positio Aristotelica est, & ex definitione animæ manifesta, etenim anima actus est corporis naturalis organici, est igitur comparatum cũ anima, ut materia, quoniã anima est actus, actus autẽ forma est, & forma causa; & quoniam causa dicitur in triplici genere causæ, ergo etiam est causa efficiens earum, quæ in corpore apparent passionum; at quoniam omne efficiens aliquid efficit, & aliquò, necesse est corpus esse animæ instrumentum. Homo igitur pro vt est compositum constat ex anima, vt forma, & corpore, vt materia quatenus autem proprias facit operationes, habet animam tanquam principium quo, & corpus vt instrumentum.

Ab anima igitur, & per animam sunt in composito, quod dicitur Homo; omnes potentiæ, & principia suarum operationum, quarum anima etiam finis est; Quod autem peius, meliusue fiant, aut nullo modo exerceri possint, corpori, quatenus animæ organum est, tribuetur; Quid igitur valeant materialia organa, per signa, quæ illa concomitantur cognoscimus; per organorum dispositionem cognoscitur potentiarum habilitas, & propensio, hac habita, scitur etiam talem posse esse morem. Quare, & actiones tales, quas sequitur conditio, & sors talis vitæ. Per sensibilia igitur signa, cognoscitur natura eorum, quæ organa componunt, ex his dispositio, & inclinatio potentiarum. Quare modus hic cognoscendi est à posteriori, & per signa syllogismus, quem cum deduxerimus, eundem à priori, & per causam deducere tentabimus, & hæc erit nostra procedendi in Aristotelici tex. explicatione methodus, & via.

An mores, & actiones nostræ sint liberæ.

Rursus dubitabit aliquis, si anima talis est, quale est corpus, cum in nostro arbitrio positum non sit corpus, aut eius temperamentum, ergo neque animus, aut animi motiones, mores, & actiones erunt in potestate nostra; & si anima, & corpus inter se conuenire debent, & quodãmodo dicuntur similes, vt instrumentum, & ars, cum in nostra potestate non sit corpus, neque secundum substantiam, quantitatem, aut qualitatem ullã, moueri, alterariue pro libito nostro possit; ergo neque animus, aut animi motiones, habitus, & actiones in nostra potestate erunt. Quod si hoc est uerum, ergo neque erit electio, neque liberum arbitrium, non igitur erunt laudandi, qui bene agunt, neque qui malè, improbandi, quoniam hæc omnia coacti agunt à corpore, corporeisque potentijs, neque enim irasci, cupere, credere, sentire, nutriri uidetur esse in nostra positum manu; sed oportet obiecta adesse, & instrumenta sic esse disposita, aliter enim vt ictericis, quæ alijs dulcia, nobis amara uidebuntur. Primum ad quæstionem respondeo, potentias corpus, & corporis instrumenta, & animam esse à Deo, & à natura, nos autem his pro libito uti, quare quoad habitum, & possessionem nos nostraque sunt à natura, & quoad usum, & eorum fruitionem, eadem dicere possumus in nostra potestate, sic loqui, & linguam habere est à natura, hoc aut illo modo loqui est in nobis positum, & fit secundum placitum nostrum.

Sed etiam ad quæstionẽ respondere possem, æquiuoce dici, Quod anima sit talis, quale corpus. Nam propriè est impossibile animam, quæ incorporea est, & immobilis secundum se, cum corpore quod per se mobile est, & corporeum, comparari; fieri enim nequit ut quæ toto genere differunt, in passionibus illis conueniant, quæ dicuntur per se inesse separatim unicuique eorum.

Sed

Sed dicimus ſecundum proportionem, comparantes corpora cum corporibus, & animas cum animis, etiã animas cum corporibus conuenire, & quod anima eſt talis, quale eſt corpus. Hoc eſt aſininũ corpus, & equinum, animã etiam aſininam, atq; equinam hẽt, vt enim ſerram ſectoris, falcem meſſoris, penicillũ pictoris dicimus, ſic corpus tale quoddam, ad talem referimus animam, & ſi anima & inſtrumenta exeſa rubigine ſint, & male parata, ignauum, ac deſidem dicimus, qui illis utitur, artificem, ſic ſi corpus molle eſt, animam ingenioſam, ſi durum maleque formatum videmus, ineptam iudicamus.

Cæterum ſupradicto argumento reſpondeo, quod animi motiones, & impetus alij ſunt primi, alij ſecundi, primas has affectiones, & primos motus, qui ob obiectis harum potentiarum excitantur, non eſſe in noſtra poteſtate, verum eſt, ſecunda autem, quæ inde naſcitur affectio, à qua operari oritur, vel non operari ſecundum illas potentias, à noſtra pendere uoluntate, certum eſt. Videlicet quod ego habeam iraſcibilem potentiam, neque à me factum eſt, neque in me ſitum, quod illa ob præſentem, & apparentem contemptum non moueatur, intuſque exæſtuet. At bene deinde in me poſitum eſt, vel ſequi motum illum, & ſecundum eius ſuaſionem percutere Socratem, vel me cohibere, & motum illum retundere, quod, & quomodo fiat, exactè in tertio de anima dictum fuit. Temperamentum igitur corporis ad has, uel ad illas inclinat operationes hominem, attamen illum nõ cogit exercere.

Quas inclinationes, vel paſſiones Galenus dixit impropriè mores animi; Hæc autem interior inclinatio eſt, inimicus ille interior, qui peruincendus eſt, ut coronari poſſimus, & hi primi motus, de quibus nunc loquimur, ſunt illi paruuli, quos Propheta dicebat eſſe allidendos petræ, hoc eſt ratione iugulandos, ceu ſupra retulimus.

Differunt inter ſe potentia, affectus, & mos, quod potentia eſt qualitas animæ noſtræ inſita, ſecundum quam aliquid agere, uel pati poſſumus, potentiæ quam plures ſunt, vt iraſcibilis, concupiſcibilis, ſenſitiua, uegetatiua, &c. vnaquęque proprium obiectum reſpicit à quo mouetur ad actum, motio hæc affectus dicitur, hic autem ſecundum naturam, ac diſpoſitionem uariam potentiæ, & obiecti uariatur; potentia uero à materia, & corporeo temperamento pendet, quare & quod talis ſit, hoc eſt, uel aptior, uel ineptior ad motum, atque ad effectum hunc, uel illum magis, aut minus ſuſcipiendum à determinata ratione talis temperamenti efficitur. Vnde etiam affectus in noſtra poteſtate non eſt. Non enim ego uetare poſſum, quin iraſcar, & quin mihi talis muliercula placeat. Sed bene, & iræ impetum temperare, ac regere poſſum, & à placita muliercula oculos auertere; Quod ſi facere conſtituero, ac ſemel, bis, terque hoc egero, iramque temperauero, alio animum, aut ad literas græcas dinumerandas, ut Auguſtus, aut aliquod aliud, traduxero, habitus efficitur, qui propriè dicitur mos, qui ſi ſecundum regulam rectæ rationis fuerit introductus, ac cõfirmatus, iam dicetur uirtus, ut puta manſuetudo, eſt autem mos (de quo loquimur) inueterata diſpoſitio potentiæ naturalis à voluntate non prohibente, uel iubente facta per iteratos actus, ſecundum quam certo, ac determinato modo quodam, eodemque ſemper à præſentia proprij obiecti, ad agendum, uel patiendum homo excitatur, ex qua ſanè determinatione quomodo ſint, & ſecundum quam partem dicantur mores à uoluntate pendere, & quomodo non, manifeſtum eſt.

Secundo remanet etiam dubium, ſi quale corpus eſt, talis etiam eſt ſecundum proportionem quandã anima, ergo in pulchro corpore, pulchra erit anima, in turpi, turpis, uidetur autem hoc falſum, ſi quidem quis fuit Domitiano pulchrior, quis Commodo, quis Diadumeno Macrini filio, & hebræo Abſalone? qui omnes peſſimi, ac perditi fuere. Inter fœminas etiam rarò cum pulchritudine formæ iuncta eſt pudicitia, & caſtitas, pulchra Helena, pulchra Fauſtina, utræque tamen fuere adulteræ, procaces, iniquæ, qualis etiam fuit Medea, & Niſi filia. Ex altera parte turpiſſimus fuit Æſopus, & turpiſſimus

An in pulchro corp. ſit anima pulchra

Socra-

Socrates;quorum alter, acutissimus, alter sapientissimus, & omnium, qui tunc viuebant hominum optimus fuit iudicatus,persuadet etiam ratio pulchros,vt plurimum male moratos esse. lasciuiunt enim pulchri, & quodāmodo forma superbientes, à labore ad libidinem transeunt. Si cui enim pulchritudo in adolescentia effulget,atque efflorescit, laudatur & amatur, & amatores illi adulantur,cum igitur laudari, & amari se videat, tumidus, & plenus fastu superbit adolescens. Sed omnium malorum causa est superbia, cum ignorantia præsertim, & inexperientia coniuncta, quæ illius ætatis propria est; à pulchritudine igitur ad superbiam,ab hac ad lasciuiam,arrogantiamque, ab his demum ad malos mores, & ad omne genus peccatorum est facilis transitus; superbia enim & amor sui immoderatus, omnium est scelerum principium, & radix. At è contra turpis despicitur & neglectus,vt se immerito negligi doceat ad laborem,ad virtutem, ad benefaciendum, & placendum excitatur, & cum corpus pro libitio fingere nequeat,animum saltem ornare, & in melius reformare studet; ex habitu igitur, si non naturaliter, & per electionem, vel saltem volens, turpis fit bonus, pulcher ad malum est propensior;At ex altera parte neque vllum pulchriorem Tito,neq; eodem facile meliorem reperies: Aeneam ait Virg. habuisse os, humerosque Deo similes, & Homerus Agamemnonem Ioui fulminanti cōparabat. In quibus pauca sunt,quæ possis culpare. Demetrius pulcherrimus fuit, Scipio maior(vt ait Liuius)amplius & Iosephus Iacobi filius inter omnes sui temporis formosissimus idemque optimus fuit, quibus adde Xersem, Iasonem, Alcibiadem, Agidem, optimos,fortissimos,ac præstantissimos viros. Quare neque omnes formosi mali,neque omnes deformes, boni. Quis enim Thersite turpior, eodemque ignauior, & Sceleſtior reperiri potuit? Quis Epitecto melior,& modestior? cum tamen omnes deformitate superaret, ac pueros solo aspectu terreret.

Quod si harum nulla vera est propositio, nempe ea, quæ ait,omnes formosos esse bonos, & quæ ponit omnes formosos esse malos, & falsæ sunt similiter,quæ dicunt omnes turpes,vel nullos turpes esse bonos,restat, vt quidam boni sint,quidam mali tum formosi, tū deformes. Quod si rationibus hinc inde adductis aliquid respondendū est;dico pulchritudinem esse duplicem, & duplicem esse virtutem, & bonitatem, pulchritudo vna est, quæ dicitur venustas, & oris decor, quidam in coloris flore consistens,fœmineum quendam corporis habitum, & dispositionem ostendens, & hic cum in maribus apparet, plerunque improbitatis cuiusdam naturalis est inditium,causa vna est supradicta, eaque externa,altera interna,si quidem cui inest talis fœmineus decor, & rotunda facies, & mollis caro, & lęuis, ille præter naturam virilem dispositus est, omne autem præter naturam malum, & hanc esse præter naturalem dispositionem,hinc colligitur,quoniam talem corporis habitudinem causat multus sanguis biliosus, ac subtilis cum mediocri mixtus pituita;eaque tenui;at cui tale inest temperamentum,ille leuis est, iracundus & ratione pituitæ timidus,quare secum cogitat,sæpe, quæ bilis suadet, vt dolose ad actum perducat. Hac ergo de causa venusti non boni sunt,sed improbi,& crudeles, Nam timidi,quod de Maximini filio,& de Galieno,& Domitiano legitur. At quicunque oris dignitatem obtinent,& non formosi,vt Absalon, sed virili facie præditi, nec venusti, sed pulchri, & bene proportionati sunt, illi nullam habent causam propter quam sint improbi,quod in Pōpeio,in Alcibiade etiam aliqua ex parte,in Alexandro, in Scipione, & Xerse apparuit, quamuis Alcibiades(quoniam insolentes,ex laudata, & amata pulchritudine contraxerat mores in adolescentia)vir factus,dux penè intolerabilis,vehemens,& audax esset.

Cur q-dā pulchri mali, & q sint.

Qui pulchri boni, & cur.

Rursus duplex est virtutis nomen vel enim significat naturalem quandam dispositionem ad bonum,quam bonam indolem vocant;& hęc plerumq; ea est,quæ naturalem illam corporis sequitur dignitatem,& proportionatam membrorum compagem.

Altera,quæ vocatur acquisita virtus,habitus est suadente recta ratione, per operationē

lauda-

laudabilem ſæpius iteratam, adeptus, quæ tum cognitione tum vſu, & exercitatione naſcitur. Cæterum hac ratione num diſtinctione patet, quomodo verum ſit aliquos pulchros eſſe bonos, & aliquos improbos, & quomodo formoſi ſint improbi, pulchri verò boni, non tamen bonitate acquiſita, ſed tantum naturali, quam indolem bonam diximus. Sic ergo verũ eſt, quod quale corpus eſt, talis etiam eſt anima, hoc eſt recte proportionatum corpus, & ſecundum naturam laudabiliter diſpoſitum, plerunque etiam animam habet maxime vtentem ratione, quare ſimilem corpori, ſi vero corpus eſt improportionatum, & præter naturam virilem affectum, quamuis decorum ſit viſu, attamen quoniam eſt inſtrumentum animæ virili improportionatum, actiones etiam improportionatas, plerunque, hoc eſt improbas faciet, atque deſciſcentes à recta ratione.

10 Tertio dignum eſt quæſtione quomodo humana anima ſit in corpore naturali, quo vtitur ad ſuas operationes, illius enim ſi forma eſt in materia, iam eſt actus, quare ab eo cuius eſt, actus ſeparata reperiri nequibit, igitur anima ſeparata non reperietur. An dicẽdum eſt quod anima poteſt capi, vel vt eſt forma, vel vt eſt ſubſtantia, pro vt forma eſt, ſine certa materia eſſe non poteſt, ſed pro vt eſt ſubſtantia ſeparari ſanè poteſt, ſic artifex pro vt ſector eſt, ſine ſerra eſſe non poteſt, & propriam ſecandi operationem ex ratione ſerræ facit, & ſine ſerra non eſt ſector. Ita anima ſine corpore animato non eſt anima, & per corpus animalis, corporeaque organa facit operationes, & ſine animalis corpore non ſentit, neque appetit. At quoniam accidit artifici aliam quandam operationem habere præter ſectionem, quæ v.g. eſt loqui, vel reſpirare, ideo & hanc ſine ſerra facit, & à ſerra ſeparatus reperitur, pari modo quoniã accidit animæ humanæ habere operationem propriam ſine corporis ope ab ipſa natam fieri, & exerceri, quæ dicitur intelligere, ideo ſequi-
20 tur, quod anima intellectiua à corpore ſeparata reperiri poſſit, & ſicuti ſectoris futurã operationẽ, ex ſerræ ratione, ſic & animæ humanæ actiones, & mores futuros ex corporis diſpoſitione, quod corpus animæ inſtrumentum eſt, conijcere poſſumus. Et ſicuti, neque illam ipſam animam cogit corpus ad ſic agendum, nec ſerra ſectorem pellit ad ſecandum, ſed tantum inducit, inclinat, & aptum, atque habilem facit, & indicat minorem laborem in hoc agendo poſiturum, quam in illo. Quare ſicuti ex ſerræ qualitatibus vir in ſecando expertus cognoſcit, qualis futura ſit actio, quam molitur ſector, ſic etiam ex corporis accidentibus, quale nam futurũ ſit, quod meditaris opus, poteſt cognoſci; ſuppeditat ergo materiale corpus diſpoſitiones potentiarum, his deinde anima pro arbitrio utitur, & cum de-
30 liberarit his vti, operatur. Hicque eſt mos, ſi inueterauit, & ſecundum hunc morem tales dicimur; qui inueteratus, quodammodo poſtea non videtur in noſtra manu poſitus omninò, ſic ergo anima, quatenus aĩa eſt corpori iuncta reperitur, & cũ ipſo mirificè cõſentit, & quæ in corpore ſunt animam afficiunt. Non tamen eodem modo; ſed ut morbus filij angit patrem; nã in filio eſt febris, & capitis dolor, in patre verò eſt animi ægritudo, ac timor. In vtroque igitur dolor eſt, ſed genere tamen differens, quod enim in corpore eſt intẽperies, uel ſolutio continui, in anima eſt triſtitia & modeſtia, & dolor in corpore eſt, vt in ſubiecto in quo, in anima vero ut in principio à quo iudicatur.

Quo anima corpore vtatur.

40 QVA RATIONE IN HAC COGNITIONE ſit procedendum. Cap. II.

„ *Priores itaque Phyſiognomones iuxta tres modos aggreſſi ſunt hanc diſciplinam, quiſque iuxta unum.*

PHyſiognomiam eſſe, ac reperiri iam patet, quin etiam licere ex corporis ſignis, animi diſpoſitiones, & naturales inclinationes coniectari. Nunc qua ratione id fieri contingat, ſpeculandũ proponit, & ſuperiores inſufficientes ait, & horum modos quoſdam cognoſcendę naturę, ac diſpoſitionis animarum commemorat. „ *Aly*

„ *Alij quidem ex generibus animalium physiognomizant, ponentes secundum unumquodque genus figuram quandam animalis, & speciei animam.*

Antiquorũ Physiogn. regulas non oĩquaq; sufficere.

Primi sunt, qui natura, & figura, & passionibus brutorum vtuntur, ad inclinationem hominis cognoscendam, & ponunt hoc principium. Vnumquodque animal habet propriam figuram proprium corpus, & animam propriam, ut bos habet figuram bouis, quæ in solo bouis corpore naturaliter inuenitur, & habet proprium corpus, in quo non equi, vel asini reperitur anima, sed tantum bouis, quare ex hoc principio inferebant, cui adest similitudo, atque figura bouis, & illi aderit quod ãmodo corpus bouis, & anima etiam eiusdem, nempe similitudo cũ passionibus animæ eiusdem, quod si ex anima bouis operationes, & motus sunt tardi, & graues, tardum, & grauem hominem illum etiam conijciebant. Videtur autem modus hic tribui Platoni, qui dupliciter procedebat, nam stante prædicto principio, quod vnum quodque animal proprium corpus, & animam habeat, dicebat etiam propriam animam proprijs moribus esse affectã, vt animam leonis esse fortem, & superbam, hoc est facile incitari, & incitatam, facilè mouere corpus ad operationes fortes, & superbas, quare cui inest corpus, quod figuram (hoc est signum) aliquod eorum habeat, quæ in leonis corpore naturaliter reperiuntur, illi inest fortitudo, & superbia. Hoc ergo modo quidam ex corporis notis arguebant, ex signis repertis in bruto tali anima prædito, & certos mores habente, etiam tales inesse homini mores, ac dispositiones putabant.

„ *Alij autem in talibus corpori similem habenti corpus, & animam similem putabant.*

Primus igitur modus, qui Platoni tribuitur ille erat, qui ex signo in corpore bruti existente, & eodem in homine reperto, eam bruti proprietatem, aut similem in homine esse, decernebat, quæ in anima bruti reperitur.

Alter modus Platonis, hoc loco exponitur, qui ferè est idem cum priori, in hoc tantum ab illo distinctus, quod ille corporis qualitates, hic posterior corporis partes accipit, est igitur secundum hunc modum talis regula; Cui inest corpus, vel pars corporis bruti alicuius. v. g. leonis, uel bouis, illi inest in anima, mos leonis, uel bouis, quare si Leo est fortis, & bos piger. Hominem vel fortem, vel pigrum ducebant, cui partem corporis ad esse videbant leoni nam, aut bouinæ similem, sic ergo Platonici de natura hominum conijciebant, loco à brutis petito, qui locus duplex secundum illos est. Prioris maxima est, Cui homini inest vestigium, aliquod in corpore leonis existens, illi in anima inest leonis aliqua passio, idem vestigium comitans, (vestigium dico signum naturale inseparabile) sequens leonem, vt extremitates magnæ. Posterioris maxima est, Cui inest corpus referens tale animal, vel particulam corporis talis animalis (v. g. leonis) illi inest secundum totũ, vel secundum partem; natura mos & operatio talis, quæ animam illius animalis, vt leonis solet comitari secundum totum, aut secundum certã partem, & potentiam quæ solet exerceri, per illud membrũ leonis, cui simile est hominis membrum, vt magnum os habet leo, & vorax est, ergo cui homini magnum os, ac firmi dentes, voraxerit.

Regula.

„ *Alij autem quidam hoc quidem faciebant, non ex omnibus autem animalibus experiebantur, sed distinguebant ex ipso genere hominum secundum gentes, quæcunque differunt secundum vsus & mores: ut Aegyptij, & Thraces, & Scythæ, similiter electionem signorum faciebant.*

Iste est secundus modus. Nam primus in duas partes est sectus, & hic ab animalibus, etiam ipse deductus, non tantum à toto genere animalium, sed à sola specie humana.

Cum

Cũ itaq; viderent rẽ ita ſe habere, vt diuerſę regiones diuerſis moribus præditos haberẽt homines, qui etiam diuerſis ſignis, corpora diſtincta poſſiderent, ceu Æthiopes eſſe nigros, & candidos germanos, ſubcinericios, & oliuę maturæ colorem imitantes. Aegyptios, & horum ſingulos, proprijs eſſe moribus, & propenſionibus inſiguitos, quibus igitur ſimpliciter ſigna in germanorum corporibus ſolita reperiri, adeſſe videbant, eos moribus talis regionis, nempè germanorum præditos eſſe pronuntiabant. Et cum nigri parui, & macri, & ſimi, criſpis, ac nigris capillis ſint Aethiopes, ijdemeque ſuperſtitioſi, fallaces, timidi, & auari, quibus Italis, aut Græcis talem, aut fermè talem videbant adeſſe figuram, & colorem; eos etiam talibus moribus præditos dicebant, & quibus Aegyptiorum color, aut facies, ijſdem etiam leuitatem, dicacitatem, & cæteras Ægyptiorũ paſſiones tribuebant. Quare horum regula erat.

Cui inſunt ſigna in corporibus hominũ talis regionis, ſolita naturaliter reperiri, eidem etiam inſunt mores, qui illius regionis proprij ſunt, quare ſi quis rubros, caninos, & paruos habebit oculos lata facie, & de preſſo naſo ceu Tartari aſiatici, illum tartaro conſimilem moribus putabant. Reg.

„ *Quidam autem ex moribus apparentibus, quales mores diſpoſitionem ſequantur: ſequitur autem unicuique mos, iracundo, timido, coeunti, & in unaquaque aliarum paſsionum.*

Tertius antiquorum modus prædicendi mores animi hic eſt, qui depromitur ab apparentia, quæ in facie, ſe ſe offert, hoc eſt ab illa figura, & effigie, ſiue oris diſpoſitione, quam in vno quoque tuemur, dum aliquo affectu agitatur. Quare cum aſpiciamus irati faciem, ita affici, vt furere videatur, & rubore vultum perfundi eius, quem pudet, ac palleſcere timentem, pariter cui naturaliter talis in facie color, ac diſpoſitio apparebit, cum iudicabimus, ex ſententia horum aut pudibundum eſſe, aut iracundum, aut timidũ; Qua propter erit regula.

Quibus hoĩbus quietis, & affectu carẽtibus ineſt facies ſimilis ijs, qui affectu tali tenentur, eos ad tales affectus propenſos eſſe, & mores ſecundũ illos affectus habere dicendũ eſt, ſic cum turbidus, ſeuerus, & iratus videretur ſemper Tyberius, ſecundum faciem, illi etiã tales in anima mores adeſſe probabile erat, Veſpaſiano facies, & rictus erat veluti hominis nitentis, ac cum difficultate ventrem exonerare quærentis, idẽ auarior erat, ac vix aliquid pecuniæ ab ipſo abradere poteras, quamuis deberetur: Titi facies hominis miſericordia affecti, & placide tuentis referebat imaginem, ille etiam verè talis erat; placidus, benignus, & miſericors, merito igitur quem videbimus habentem talem faciẽ, qualem ſolent habere, qui certo affectu premuntur, eos ad illum affectum propenſos vel iam habitum ſecundum illum affectum contraxiſſe dicemus coeuntium oculi diſtorquentur, & hirqui efficiuntur, quorum tales oculi naturaliter apparebunt, illos luxurioſos & mulieroſos viros, ex horum placitis dicemus. Reg.

„ *Eſt autem ſecundum omnes modos hos phyſiognomonizare, & adhuc ſecundum alios, & electionem ſignorum diſsimiliter fieri.*

Hos redarguens inſufficientiæ Ariſtoteles ait, non ſolum tres prædictos modos, ſeparatim captos, ſed omnes coniunctim, & præter hos etiam alios plures reperiri, & primus (exempli gratia) eſt locus à contrario prædictorum ſignorum, & hoc indicat, cum ait, electionem ſignorum fieri diſſimiliter. Hoc eſt non ſolum potes eligere propoſita ſigna, ad inferendum propoſitum morem, ſed etiam oppoſito ſigno, licet oppoſitam inferre animi paſſionem, nam ſi timor, & audacia, ſunt contrariæ paſſiones, & cũ pallor, & contractio, quę-

dam

dam ineſt frontis, & vultus deiectus, illi ineſt pauor, & animi abiectio, ergo & à contrario, cui inerit rubor in facie, plana, & aperta frons, & vultus ſublatus, hominum ora intuens, illum dicemus eſſe audacem, & magnanimum. Eſt demum alius modus, qui fit per ſyllogiſmum, omnium optimus, quoniam ſi paſſiones, & mores plures à coniuncta cauſa pendent, & iuncti ſunt ſimul, factum eſt, vt ex vno, alios, & alios mores poſſimus inferre, ſi quis enim timidus eſt, illum etiam auarum eſſe probabile eſt, & ſi auarus parcit rebus, quare ſi talis eſt, ergo pānis obſoletis, & ſordeſcentibus amicietur, ergo non, erit magnificus, quare neq; verax, ſed ſubdolus, & in ſermone blandus, ꝑꝑ timorē ſolitarius item, & qui alijs parū cōfidat, qua ꝑꝑ & incredulus, & amicis non gratus, & cætera huiuſmodi.

Hi quidem igitur iuxta mores ſolum phyſiognomonizant. Primum quidem quòd quidam non ijdem cùm ſint, mores qui ſunt in facie, eodem habent: ut fortis & inuerecundus eoſdem habent, animabus uel intellectibus multum ſeparantur. 10

Hos ſupra dictos tres primos modos, vt inſufficientes, & non omnino veros nunc refellit. Videtur autem primo redarguere illos, qui tertio loco poſiti ſunt, qui ex apparentibus in facie ſignis, & vnumquemque affectum ſequentibus ſolebant iudicare; Dicit ergo.

Hi, qui ſolum exercent Phyſiognomiam, iuxta apparentiam, (quam nunc morem appellat) errant, & probatur, quoniam contingit, diuerſas omnino paſſiones animæ eandē in facie apparentiam facere, ergo mos vnus in facie; certam animi paſſionem non indicat, quod patet exemplo; Nam fortis, & inuerecundus eaſdem in facie habet apparentias, & hi magnopere differunt ſecundum paſſiones animæ, ergo non omni cui adeſt in facie apparentia conſequens fortitudinem, illi etiam ineſt fortitudo; Quod fortis, & inuerecundus eandem habeat in facie apparentiam Ariſtoteles non probat; videtur autem veriſimile, nam ſicuti timido, ab extra intro recurrit ſanguis, & calor, ita in forti, è contrario à partibus interioribus, ad exteriores ferri ſanguinem, & ſpiritus dicendum eſt, quo factum eſt, vt facies rubeſcat, & fortis oculos attollat, & quæ ſentiat promptè dicat, quæ in homine impudenti, & perfrictæ frontis etiam contingere poſſunt, vt in Domitiano viro impudentiſſimo rubor aderat in vultu, neque oculos facile deijciebat, dum loqueretur, ſi ergo impudentis, & fortis, eadem in facie apparent ſigna, non uidetur dicendum ſolam apparentiam frontis eſſe certam methodum ad Phyſiognomizandum. 20 30

An rubor in facie ſit impudentiæ ſignū.

Sed occurrit dubitatio, an uerè rubor in facie impudentiæ ſignum ſit; nam ſi fortis ideo dicitur rubeus, quoniā timidus eſt pallidus, ſic etiam licebit arguere dicendo. Si verecundus, & modeſtus erubeſcit, cum impudens ſit immodeſtus, & inuerecundus, non ergo erubeſcet uerum potius, contrario pallore afficietur, contrariorum enim ſunt contrariæ paſſiones, & hoc uidetur eò magis verum, quò experientia comprobatur, omnes eos, qui nauiter impudentes, & immodeſti ſunt pallidos, ac quadam facie cuteque ſub lurida, & ſubſplendenti præditos eſſe, & verè perfrictę (vt dicitur) frontis apparere, utpote qui omnem ruborem perfricuerint, atque abſterſerint. Impudentiſſimus Caligula, impudentiſſimus Nero, quorum prior pallidior fuit, poſterior maculoſus. At oppoſitum ſentit Ariſtoteles, qui impudentes, rubeos, & facie colorata præditos ait. & Domitianus impudentiſſimus colore roſeo præditam habebat faciem; At ſanè Ariſtotelis dicta nullam, ſi pro ut decet, intelligantur, dubitationem habent. 40

Primum enim id, quod aſſeritur, totum exempli gratia dicitur, vt doceat argumento ab apparentia deducto nos poſſe, contrarias arguere diſpoſitiones animi, nec modos ſupradictos ſolos ſufficere, & perfectum faciāt Phyſiognomum, ſed ſic dicit, ſi timidum uidemus eſſe pallidum, & deiectos oculos tenentem, illum quē oppoſito modo uidebimus diſpoſitum, non ſubito non timidum, aut non abiecto animo præditum probabiliter vocabi-

cabimus,quoniam non ſemper oppoſitorum oppoſitæ ſunt differentiæ, & operationes. Exemplo caloris,& frigoris,quæ vtraque congregant,quamuis diuerſo modo; Amplius argumentũ peccat,in forma minore negatiua in prima figura,neq; ideo conuertes maiorem in terminis,nã falſa erit,ſiquidẽ ſi modeſtus erubeſcit,nõ ideo omnis qui rubeſcit modeſtus eſt;ſed vt cumq.rem intimius perſcrutari ſi placet,dicemus propoſitionẽ verã eſſe, ſed ex ſuppoſitione,ſi ſupponemus propriã eſſe paſſionẽ pauoris,pallorem in facie,& oculorum deiectionem,& non communem generis vtraq; contraria continentis,qm̃ pauens palleſcit,& terram ſpectat,ſequitur quod qui audax eſt ſecundum naturam probabiliter non ſit pallidus. An hæc præter rem?quoniam dubitatio eſt,an rubor in facie ſit impudentiæ ſignum,viſum eſt quod non,quoniam qui pudentes, & modeſti ſunt, erubeſcunt. At è contra impudens Domitianus,impudentiſſimus Heliogabalus rubore ſuffuſas genas habebant. Dico igitur pro ſolutione,quod rubor in facie ſecundum ſe,& ſimpliciter non eſt impudentiæ,neque modeſtiæ ſignum,atque hac ratione tollit Ariſtoteles modũ vnum Phyſiogn. antiquorum,qui exiſtimabãt,vnam corpoream paſſionem vni earũ,quę in anima ſunt reſpondere,rurſus ſciendum,quod duplex eſt rubor. Hic exſaturatus, & ad colorem corticis mali punici accedens,cum fronte rubra,& lucenti; oculiſque eleuatis, & confidenter homines ignotos,& ſuperiores,eorumque vultum,& ora ſecure intuentibus, neq; curantibus reprehenſionem, aut infamiam verentibus.

Quæ ſunt animi impudentis, & immodeſti ſigna? An promptitudo ad ruborem clarum,roſas referentem,quem oculi deiecti comitantur,modeſtiam arguit;ſic Virgilius inducit Andromachen reſpondentem Aeneæ, qui illam interrogauerat, nunquid Pyrrhi ſeruaret connubia; Illa enim deiecit vultum, & demiſſa voce loquuta eſt. Sic etiam Dido vultum demiſſa profatur. Non ergo verum eſt(neque id ſentit Ariſtoteles) quod ſi cui inuerecundo inexiſtit talis paſſio aut faciei figura,& oris rictus;quod cui omni ineſt talis vultus,illi inſit inuerecundia,quinimo potius oppoſitum aſſerit; quoniam idem ſignum ſequi poteſt duas paſſiones animi inter ſe differẽtes ſpecie,vt patet de fortitudine, & impudentia,quas vtraſque affectiones aliquando ſequitur eadem corporis affectio, cũ tamen interſe ſecundum ſpeciem different,diuerſaſque in humana anima producant diſpoſitiones,hoc eſt,quod aliud cogitat fortis,aliud impudens, neque eadem animo agitant ambo.

„ *Secundo autem,quòd ſecundùm quædam tempora mores non eoſdem,ſed aliorum habent.triſtibus enim exiſtentibus,quandoque contingit diem delectabiliter ducere,& morem accipere,qui eſt hilaris:& è contrario hilarem contriſtari, vt mos qui erat in facie permutetur.*

Altera ratio eſt idem probans,quod ex ſola vultus apparentia non liceat naturam, & paſſionem hominis naturalem cognoſcere.

Videtur autem ſic argumentari,ſigna per quæ natura hominis cognoſcenda eſt, debẽt eſſe firma,& immutabilia,ſed apparentias vultus paulo momento,& eodem die contingit mutari ſæpius,ergo non ſufficit vultus apparentia ad dignoſcendos hominis mores. Maior nullam videtur habere dubitationem;ſcientię,& artis omnis principia, & præcepta,vel circa neceſſaria,vel ea,quæ vt plurimum ſunt,verſantur; Minor exemplo manifeſta eſt;Poteſt enim idem homo natura triſtis,quandoque hilaris,ac lętus eſſe, tunc igitur in facie indoles hilaris apparebit,& ſi illum natura lætum ex ea apparentia iudicaueris,vtique errabis. Simili modo,qui natura lætus eſt, ex accidenti aliquo dolens, contractam frontem habebit,& faciem totam in mærorem conuerſam,tunc ſi ex faciei apparentia iudicare uolueris, neceſſario falleris,triſtem enim dices,qui tñ natura eſt lætus.

„ *Adhuc cum his, de paucis vtique ſemper apparentibus coniecturam quis accipiat.*

Tertia ratio eſt contra prædictos, quæ præcipuè illos arguit inſufficientiæ, & dicit. Amplius quoniam mores, qui apparerent in facie, ſunt pauci admodum, neque ſimpliciter omnis animæ affectio etiam faciem afficit, qui vtetur ad phyſiognomizandum ſolis apparentijs vultus, ille ſanè paucarum paſſionum notitiam habebit. Nam crudelitas, impietas, & alij affectus, vel paſſiones, quæ ex alijs moribus ſyllogiſmo deducuntur, ferè nullam faciunt in facie apparentiam, vt videbitur infra; Et ideſt, quod ait.

Et adhuc cum his rationibus; ſ. ſupradictis adde, quod ille, qui vtitur aſpectus contemplatione tantum, pauca habebit media ad phyſiognomizandum, quoniam ſigna, quæ in facie permaneant ſemper, ac ſemper appareant morem, & affectū iudicantia, pauca ſunt admodum, nam ſicuti mutabilis animus eſt, quæ illum ſequitur facies, ſiue vultus mutari facile conuenit, at mutabilia ſigna nihil indicant certi.

„ *Qui autem ex feris phyſiognomizant non rectè electionem ſignorum faciunt. non enim eſt vtique dicere percurrentem formam uniuſcuiuſque animalium, quod quicunque uni ſimilis huic corpore erit, & anima ſimilis erit. Primum enim, ut ſimpliciter dicam, nullus utique uidebit hominem ita ſimilem beſtiæ, ſed aſsimilantem in aliquo.*

Platonis opinio redarguitur.

Contra Platonem, eiuſque opinionem primo loco narratam obijcit Ariſtoteles fundamentum illud, quo vtebatur, deſtruens (nempe. Quicunque homo habet corpus ſimile alicui bruto. v. g. Leoni, ille idem, etiam eidem animali. v. g. Leoni ſimilem habebit animam.) Et rationem afferens, ait, eſſe impoſſibile hoc dictum, non enim aliquis facile reperiet hominem omnino leoni ſimilem, ſed tantum illum aliqua corporis particula referentem, neque ſimpliciter, ſed quodāmodo, vt in magnitudine extremitatum, vel latitudine oris. Verum neque fortè id Plato volebat, quod illi imponit Ariſtoteles, ſed tantum dari quandoque in homine partes corporis, quæ bruti cuiuſdam certi membrorum accidentia aliqua in memoriam reuocarent, vt latitudo oris, vel magnitudo extremitatum, hoc autem vulgo quotidie fit, vt dicamus talem hominem habere aures aſini, uel oculos canis, hoc eſt, talis viri aures, aſininas nobis in memoriam redigunt.

„ *Adhuc autē cum his, animalia pauca quædam propria habent ſigna, multa uero communia: quare ſi quis ſimilis fuerit non ſecundū propriū, ſed ſecundum commune aliquid, quo pacto magis iſte leoni, quam ceruo ſimilior dicetur. decens enim propria ſigna proprium quid ſignificare, communia autem commune.*

Contra eundem Platonem nectit aliam rationem, ſupponit autem, quod eſt veriſſimum. In vnoquoque animalis corpore eſſe duo genera ſignorum, quorum alia ſunt ſuperioris generis, quare, & alijs etiam conueniūt; Alia vero propria, quæ illi ſpeciei ſoli tm̄ cōpetunt. Quare & affectiones alias eſſe cōes, & alias proprias animaliū. Secundo ſupponit cōfuſa eſſe cōia, & propria ſigna ſimul in eodē ſubiecto ita, vt nō ſit facile diſtinguere quænam ſint propria, & quænam communia, quam tm̄ diſtinctionem, et ā ſi fieri poſſet, non docuit Plato, prout debebat. His ita poſitis ſic arguere videtur; Quicūq; ex ferarum apparentibus ſignis naturas hominū cognoſcere tentant, illi tam cōia cū alijs feris ſigna, quam propria illius ſpeciei, v. g. Leonis indiſtinctè capere poſſunt. Sed quicunq; tam propria ſpeciei, quam cōmunia generis indiſtinctè, & ſine delectu capere poſſuut, illi non valēt dicere cū veritate, q̄ homo magis referat leonē, quā taurū, moloſſumq; qui oēs habēt, v. g. magnas extremitates, manifeſtū igitur eſt, q̄ ex inſpectione ſignorum in brutis apparen-

rentium, non magis dices hominem esse leoni similem, quam alij animali, quare si erro r contingit in medijs, quibus vtuntur, contingit etiam conclusiones esse falsas, non enim est scire per medium corruptibile, & contingens, aut falsum, conclusionem certæ, & sempiternæ veritatis, vt primo posteriorum ostensum est; Decet igitur (ait Aristoteles) primũ distinguere signa propria à cõmunibus, deinde secundum propria licebit iudicare, quod cui homini inerunt aliqua ex signis proprijs leonis, ille secundum ea signa poterit dici similis leoni; At si communia acceperis non magis leoni, quam asino comparare poteris eundem.

„ *Communia ergo signa nihil utique manifestabunt physiognomonizanti.*

Non est intelligendum, quod communia signa nihil manifestent simpliciter, iam enim dictum est, quod propria signa proprias affectiones, & communia communes docent. Sed ait Aristoteles, si suppones, quod quicunque habet corpus, vel signum talis feræ, ille etiam habeat animam, vel animi mores, siue propensiones eidem feræ similes, cum signũ secundum quod homo alicui feræ potest dici similis, debeat esse proprium illius feræ, non autem alicui alij feræ commune, manifestum est, quod communia signa non ita Physiognomizantem iuuabunt, vt intelligat proprias passiones, & non decipiatur, qioniam per communia, non minus leoni, quam tauro potest homo dici similis, nanque communia signa proprias non docent affectiones.

„ *Si autem aliquis propria uniuscuiusque ferarum elegerit, non utique habebit assignare cuius sunt hæc signa. merito enim proprij proprium.*

Sed quoniam poterat aliquis dicere, Platonem electurum propria signa cuiusque feræ, & ita cessaturum incommodum superius dictum.

Hanc responsionem nunc tollit dicens, etiam si propria tantum assumpseris signa, tamen etiam dubium erit, cuius affectionis sint propria signa, si quidem in vna quaque anima feræ sunt plures affectiones, & etiam in corpore plura propria signa, vnde difficile potes conijcere nunquid hoc signum illi proprietati, quæ in anima est potius, aut huic respondeat, vt fortissima & crudelissima est Tigris, neque mansuefieri, vllo obsequio potest, eadem habet os magnum, pellem variam breues aures, quæ quamuis Tigris sint propria corporis signa, nescio tamen cui proprietati animæ respondeant, & quam affectionem indicent.

„ *Nihil autem proprium animalium physiognomonizatorum in anima habebit utique aliquis accipere. neque enim forte solum leo, sed alia multa: neque timidum lepus, sed & alia infinita. Si ergo neque communia eligenti manifestum aliquid fit, neque secundum propria, non utique erit unumquodque animalium aspicere.*

Est alia ratio talis (vt videtur non nullis) si vtemur signis quarto modo dictis, quæ soli, & omni, & semper insunt, cum quæ soli insunt, alijs adesse non possint, (sic enim non essent propria quarto modo dicta) ergo signa, quæ propria sunt vnius feræ, neque homini, neque alij animali inerunt, quare neque hominem per signa propria alicui feræ similem dicemus, si ergo neque per signa propria, neque per communia licet dicere, quod homo simile habet corpus tali feræ, v.g. leoni, ergo neque licebit dicere quod animam, aut animæ inclinationes naturales similes leoni habeat, ergo modus hic Physiognomizandi penitus est inutilis, quod si non omni quaque; ita tamen est, vt solus non possit esse, qui hominum naturas doceat, & vt præter hunc nullus alius existat.

„ *Sed ex hominibus electionem facere opertet patientibus eandem passionem. ut si fortis inspiciat aliquis signat, fortia animalium in unum accipientem oportet perscrutari, quæ passiones his quidem omnibus insunt, aliorum autem ãalium nulli accidant.*

Qua ratione vtendum sit signis, quæ in animalibus reperiuntur, & quomodo communia à proprijs seiungi possint, docet, exponens methodum, & viam obseruandam, vt per propria signa, passionum in anima existentium, præsentiam cognoscamus. Est igitur tex. sententia hæc.

Qui vult propria signa alicuius passionis in anima existentis cognoscere, v.g. fortitudinis. Ille primo considerabit tres, vel quattuor homines, in quibus scit reperiri fortitudinem, atque in quonam signo particulari corporis conueniant, scrutabitur. Et cum viderit hos tres, vel quattuor fortes homines, habere os latum, & extremitates magnas, deinde ad ferarum genera inspicienda transibit, in quibus scit esse fortitudinẽ, vt ad Leones, Tauros, Aquilas, Tygres. Et cum in his omnibus & latum os, & extremitates magnas reperierit, probabile iam ipsi effectum est, quod cuicunque ineſt latum os, & extremitates magnæ illi etiam animali insit fortitudo. Sed neque hic consistendum est. Verum tertio videndum est, numquid reperiatur aliquod genus animalis, cui adsit fortitudo, & idem non habeat magnas extremitates, atque os latum simul, & si nullum reperiri continget, iam pronuntiabis, quod eius fortitudinis, quæ in anima est, proprium signum in corpore appareat, extremorum membrorum magnitudo, & oris latitudo, sic enim conuertentur inter se animæ fortitudo, & oris latitudo, ac extremorum magnitudo. Cum igitur hæ passiones corporeæ nempe oris latitudo, & extremorum magnitudo ineſſe apparebunt omni forti, & nulli non forti, ea fortitudinis esse propria signa dicemus, & sic in alijs etiam procedemus animi passionibus.

„ *Si enim ita quis elegerit, quòd eadem sunt signa fortitudinis prædictis animalibus, non solum fortitudinis communem ineſſe passionem eorum, quæ sunt in intellectu, sed & alia quædam, sic utique dubitabit, utrum fortitudinis, aut alterius signa sint.*

Suam modo dictam methodum, ac viam confirmat dicens, Qui aliter faciunt, nequeũt cognoscere distinctè quænam passio sit in anima eius, cuius naturam inspectant.

Si itaque aliquis sic non processerit, vt dictum est, sed elegerit signa in his quidem animalibus existentia, ea tamen quæ etiam in non fortibus reperiantur, sed v.g. in impudentibus, tunc dubitabit, & nescict nunquid in anima eius, cuius naturam quærit, reperiatur fortitudo, aut impudentia, & an vtraque, aut altera tantum harum passionum inexistat.

„ *Sed oportet ex pluribus eligi animalibus, & non habentibus ullam passionem cõmunem manifestam, cuius utique signa respicias.*

Quomodo itaque id sit distinguendum docet, & ait: Si volemus discere rationem, qua possimus impudentiam à fortitudine distinguere, speculemur, quam plures animalium species, & eas seorsim contemplemur, in quibus sit impudentia, non autem fortitudo, item & capiamus eas in quibus sit fortitudo, & non impudentia, & quodnam corporeum signum insit omni impudenti, quod in forti nullo reperiatur, animaduertamus. Datis igitur duobus animalium generibus, quorum vnum sit forte, vt leo, alterum impudẽs, vt canis, quando altera passio animæ in altero animalium genere inerit, & altera in altero, tunc animaduertendum, si extremitatum magnitudo non insit impudentibus, insit autem omnibus fortibus, & tunc illud proprium fortitudinis signum habebimus;

Musca

Muſca etiam, & Elephas ſunt animalia nullam communem in anima paſſionem habentia; quorum Elephas fortis eſt, muſca vero impudens, & muſca non habet extremitates magnas, Elephas autem habet; neque ſolum inter Elephantem, & muſcam, ſed inter alia quam plura animalia, idem eſt diſcrimen, quorum animalium, quædam fortia ſunt, quędam impudentia; cum ergo apparere videbimus in aliquo homine extremitatum magnitudinē iure fortem poterimus dicere. Omnino autem videtur ſupponere Ariſtoteles, quod etiam in primo poſteriorum dicebat, vnum quodque genus habere propriam paſſionem, quæ illi per ſe, & ſecundum quod ipſum ineſt, & cui tale ineſt genus, vel de quo prædicatur; illi etiam paſſio generis inexiſtit, vel prædicabitur, quod eſt ac ſi diceremus, In vno quoque indiuiduo ſiue ſubiecto, & ſubſtantia ſingulari compoſita, quot ſunt differentiæ, ſeu prædicata illam conſtituentia, tot etiam ſunt potentiæ ſiuè impotentiæ naturales agendi vel patiendi, & tot etiam accidentia ſenſibilia in eo apparent. Singula enim differentia proprij cuiuſdam operis principium eſt, & proprium quoddam ſignum in ſubiecto imprimit, in quo eſt, vt animam talē eſſe doceat, exempli gratia cum ad leonem conſtituendum, & ad faciendum ipſum aptum, & idoneum ad fortiter, & generoſe pugnandum requiratur calor tantus in tali gradu, cum ſiccitate coniunctus, calorque hic ſic diſpoſitus in corpore eiuſdem faciat magnas extremitates, etiam in anima addit potentiam, & vim ad repellenda quæ inſtant pericula confidenter, ſimiliter equo, aſino, & mulo ineſt in corpore vngula ſolida, ijs omnibus ineſt etiam vis quædam calcibus petendi offendentes, & repellendi quæcunquæ nocent, neceſſe eſt etiam eorum formam, & eſſentiam habere communem quandam differentiam ſecundum quam, & dicuntur ſub eodem genere eſſe, & ſingulis competere ſolidam vngulam, & calcibus repellere noxas.

„ *Quæcunque itaque ſignorum ſtabilia ſunt, aliquid ſtabile ſignificant. quæ autem aduenium, atque diſcedunt & deficiunt, quomodo utiq; ſignum uerū erit non manentis, in intellectu? Siquidē enim ſtabile aduenies, & deficiens ſignū quis ſuſcipiet, contigeret utique ipſum quidē uerum eſſe, non tamen conueniens erit, non perpetuo conſequens rem.*

Ex ſignis q̄ ſint ad ſignifi. cādum apta.

Qua ratione inuenienda ſint ſigna, & quomodo propria à communibus, diſtinguenda ſint, dictum eſt hactenus. Nunc ex inuentis quænam ad uſum recipienda ſint, & quę non, docet. Dicit ergo ſignorum, quæ in corpore apparent, quædam ab externa cauſa, quædam ab interna oriuntur, ab externa dico, vt nigredo ex ſole, rubor ex multo motu, calor ex defatigatione, vel ex longa mora ad ignem, pallor ex multo timore, vel longo carcere, horum quædam breui, quædam diu permanent, breui manet calor ex motu; nigredo ex inſolatione diu perdurat, ſed ſigna ab externa cauſa nihil eorum, quę ſunt in anima, niſi per accidens ſignificant. Quæ vero ſunt à cauſa interna, ea etiam vel mutabilia ſunt, vel immutabilia, mutabilia dico, quæ ad mutationem ætatis, etiam à cauſa interna variātur, vt balbuties in pueris, aut multa manuum iactatio, nam prius ſignum procedente ętate, ac poſterius refrigerata caloris vehementia remittitur. Immutabilia ſunt, quæ cum à natura facta ſint, tota ætate vitæ permanent, vt oris latitudo, extremitatum magnitudo, & huiuſmodi. Horum ſignorum, quæ ſunt ab interna cauſa. Hæc eſt regula. ſigna ſtabilia, & permanētia permanētes, & ſtabiles in anima denotent affectiones. Mutabilia verò mutabiles, quale igitur ſignum, tale erit ſignatum; ſi ergo ſignum fuerit obſcurum neceſſe eſt etiam obſcuram, & parum eſſe efficacem illam paſſionem, quæ ab hoc ſigno determinatur.

Reg.

Quod ergo ſignum inſtabile, & natum deficere non ſit capiendum Ariſtoteles probat dicens. Si quis igno inſtabili utitur ad Phyſiognomizandum aliquando erit uerus, aliquando falſus, at quicunque talis eſt, ille neſcit (oportet enim ſcientem eſſe impermutabilem

bilem à ſua ſcientia, ergo qui vtetur mutabili ſigno aliquando ſciet, ac verum dicet, aliquando non; quod ſi hoc fugiendum eſt, patet quod mutabili ſigno non eſt phyſiognomizandum, aut prædicendum quid quam ſtabile, ſed tantum mutabiles paſſiones mutabilibus ſignis prædicemus. Quam ferè ſententiam proſequutus eſt primo poſteriorum, cum demonſtrationem eſſe ex neceſſarijs medijs oſtenderet.

Quæcunque autem paſsiones factæ in anima non in aliquo permutant ſigna quæ ſunt in corpore, quibus utitur Phyſiognomon, non erunt huiuſmodi, cognitiones arti: ut quæ ſunt circa opiniones, & ſcientias Medicum, aut Citharædum non contingit cognoſcere. nam addiſcens aliquam diſciplinam, nullum permutauit ſignorum, quibus utitur Phyſiognomon. 1

Et quoniam poſſet iure dubitare aliquis, nunquid omnes paſſiones, & habitus, & qualitates animæ cognoſci poſſint, ceu opiniones, cogitationes, & conſilia, nihilque animus ſecum ipſe comminiſcatur, cuius inditium non det corpus, vel in vultu, vel in corpore, reliquo, ideo huic dubitationi reſpondes hoc loco ait.

Non omnes paſſiones, & habilitãtes animæ poſſe prædici à Phyſiognomo, & quenam ille ſint in hac parte declarat.

Nõ oẽs animæ paſſiones nouit phyſiogn.

Repetentes igitur ſignorum diuiſionem ſupradictam dicamus, ſignorum alia exiſtũt à cauſa externa, alia ab interna, ſic etiam paſſionum, quæ in anima hominis ſunt; aliæ ſunt à natura, aliæ verò ſunt ſtudio, & doctrina acquiſitæ, aliæ alia ratione. Vtcunque autem ſunt, aliæ immutant corpus, aliæ nihil mutationis in corpus inferunt. 2

Quæ igitur nullam faciũt mutationem in corpore nullo modo deſeruient phyſiognomo, nam per corporea ſigna, cognoſcit animæ paſſiones, quare cum quædam paſſiones in corpore veſtigium ſui non imprimant, eædem cognoſci non poterunt per corporis inſpectionem. Paſſiones autem animæ, quæ non poſſunt cognoſci illæ ſunt, quæ circa partem cognitricem, ac præcipuè intellectum contingunt, cauſa eſt, quoniam cum intellectus nõ ſit virtus in materia, neque etiam mutationes, quæ circa ipſum contingunt, materiã mouere poſſunt, & corpus afficere, niſi id per accidens contingat, quatenus ſ. cum cognitione ſit iuncta paſſio animæ ſenſitiuæ, quæ phantaſia dicitur, immerſa materiæ. Paſſiones igitur animæ, quas non contingit phyſiognom. ex corporeis ſignis cognoſcere (quoniam in corpore ſignum non imprimunt) ſunt doctrinæ, & opiniones rerum ab omni affectu corporeo remotæ, atq; ſeiunctæ, quæ potius quietes quædam ſunt, quam motus, quod igitur aliquis ſit medicus, aut citharædus non cognoſces, hoc eſt quod talem fuerit aſſecutus habitum; quod autem ad talem magis, quam ad aliam cognitionem homo ſit diſpoſitus bene cognoſci poteſt, potentiam igitur perfectiorem, aut imperfectiorem, & inclinationem ad ſcientias, & virtutes magis, uel minus promptam in adoleſcente reperiri iudicabit quidem Phyſiognom. aſt quod didicerit muſicam, bene, vel male, non poteſt cognoſcere, habitus enim per doctrinam acquiſiti, cum ſignum in corpore non faciant, cognoſci nequeunt per ſigna corporea, niſi per accidens. 3

Ex hoc itaque cap. cuius ſententiam explicauimus, hæc præcepta ſeligi poſſunt, ad artem phyſiognomicam vtilia, & primum eſt. 4

Præcepta quæ dã huic arti conferentia

1 Cui homini ineſt figura corporis, aut pars referens partem corporis animalis bruti, illi eidem ineſſe aliquam particularem paſſionem, vel inclinationem ad aliquam earum propenſionum; ſiuè potentiarum accedentem, quæ in anima ſunt illius bruti, credendum eſt.

2 Amplius & cui ineſt effigies, & corporis diſpoſitio, qualis ineſt Germanis, vel Aegyptijs, vel Aethiopibus eidem priuatos mores talium populorum, vel propenſionem ad illorum mores, & habitus ineſſe, probabile eſt.

3 Tertium eſt cui in facie apparet ſpecies quædam hominis lachrimabundi, aut ridentis,

tis,aut dolentis, aut rixantis;eidem in anima credendum eſt, talem morem illi apparentiæ reſpondentem,adeſſe,maximāque propenſionem ad illas operationes,& affectus hīe.

4 Cui inſunt tales mores naturales, eidem etiam probabiliter inerunt omnes, qui ab eadem cauſa oriuntur,& qui his cognitis ſunt cognati.

5 Et ſi cui habenti in facie talem apparentiam, vel talia ſigna in corpore, inerunt tales in anima paſſiones, pariter & quibus in corpore vel in facie inerunt oppoſita ſigna, illis etiam in anima oppoſitas paſſiones, & diſpoſitiones adeſſe,putandum eſt.

6 Communia ſigna nihil certum, & peculiare docent.

7 Particularium paſſionum propria, & priuata ſunt ſigna, quibus deſignantur; ſicuti communes communibus ſignis mōſtrantur Propria paſſionis alicuius ſigna eſſe dicūtur, quæ vbi eſt paſſio,illa ipſa ſunt,& vbi non adeſt,neque ipſa reperiuntur, & è contrario.

8 Stabilium paſſionum,ſtabilia ſunt ſigna,mutabilium, mutabilia, obſcurarum obſcura, & è contra.

9 Quæcunquè in anima exiſtentia, corpus non mutant, à Phyſiogniomo cognoſci non poſſunt.

Expedita ſecundi cap. explicatione, antequam ad vlteriora procedamus quędam ex his,quæ hactenus dicta ſunt,colligere licet. Quorum vnum eſt.

Quinq; eſſe locos nobis ſuppeditantes modum, ac viam cognoſcendi naturales hominum inclinationes,qui ſinguli ſingillatim capti inſufficientes ſunt,at omnes ſimul aliquid docere poſſunt.

4 Horum primum eſt à ſimilitudine,quæ intercedit inter qualitates,& partes brutorum,cum partibus,& qualitatibus hoīum,cuius loci maxima ſupra fuit explicata.quæ eſt.

Cui homini ineſt qualitas,vel pars corporis quæ in certo animalis corpore reperitur, eidem ineſt etiam diſpoſitio in anima ſimilis illi, quæ in eo bruto ponitur.

Secundus eſt à certis moribus regionum. Cui enim inſunt ſecundum corpus qualitates, quæ in corporibus hominum talis regionis, vt plurimum exiſtunt, illi inſunt etiam mores, & habitus, ac inclinationes animæ, illarum regionum propriæ.

Tertius eſt ab apparentia, & ſpecie vultus. Cui enim ineſt ſpecies, & apparentia in vultu,quam talis affectus animi ſolet mouere; illi eidem ineſt & ad talem affectum multa propenſio.

Quartus locus eſt à cōtrarijs.Nam ſi cui ineſt talis corporis qualitas,illi ineſt talis aīæ diſpoſitio,ergo & cui inerit oppoſita corporis qualitas, eidem inerit oppoſita diſpoſitio.

Quintus omnium maximè probabilis locus eſt à ratione,qui vtitur ſyllogiſmo. Maxima eſt,cui inſunt tales mores,& diſpoſitiones eidem etiam cognati, & conſequentes talium morum,& ijs annexi,omnes probabiliter inſunt,vt ſupra dictum fuit.

Alterum quod hoc caput nobis inſinuat,continet diuiſionem,ac diſtinctionem paſſionum,& accidentium,quę homini inſunt,ſecundum quod eſt homo, hoc eſt animalis certa ſpecies,alijs perfectior,& quodammodo animal omne.

Affectiones dico, proprietates,paſſiones potentias, & habitus, & diſpoſitiones, ac demum qualitates,ſecundum quas hæc facit, aut patitur,facere,aut pati poteſt.

Cum autem homo ſit quoddam compoſitum,quod conſtat ex propria forma,quę anima eſt humana, & corpore organico,quod illius eſt materia,factum quidem eſt,vt pene omnes ſint affectiones compoſiti, attamē,quædam ſunt, quæ videntur eſſe animæ tantū, vt intelligere, & velle,eas autem voco proprias animę functiones, quarum vſus, & actio nullam penitus in corpore mutationem,quæ ſenſibus percipi poſſit,natæ ſunt facere. Quędam rurſus videntur eſſe tantum corporis humani affectiones, vt claudum eſſe, aut gibboſum,aut tali temperamēto præditum;at neque hæ ſunt ſine anima, neque illæ ſine corpore penitus exiſtunt. Plurimæ verò ſunt compoſiti, quarum aliæ ab anima principium

capien-

capientes in corpus desinunt, aliæ à corpore in animam perueniunt, vt docet Aristoteles, irasci, misereri, odisse, amare sunt animæ, & ab hac in corpus deriuantur; item timere, sperare confidere, gaudere, tristari, & huius modi. Aliæ vero à corpore vsque ad animã perueniunt, tales sunt febres hecticæ, & hypochondriacæ passiones, & quam plurima morborum genera, quę cum corpus male afficiant, animam etiam pertentant, & mouent. Aliæ demum sunt, quæ quamuis compositi existant, in animam tamen sensitiuam non perueniunt, vt illam moueant, ni si excessus sint, vel defectus valde præter naturam, tales sunt affectiones animæ vegetatiuæ, ut ali, augeri, cibum coquere, corporique applicare. Similiter quædam etiam sunt animæ affectiones, quæ secundum se corpus non mutãt, ceu sunt scientiæ; & morales habitus, & artes etiam, quæ nisi ad energiam venerint, non cognoscuntur, & vt cunque sint, aliæ sunt generis, aliæ speciei, aliæ indiuidui tantum, ira scitur enim, & mouetur Socrates vel vt est animal, vel vt homo, vel tandem, vt est hoc aliquid, & singulare.

Hæc igitur est distinctio affectionum secundum genera, quæ in homine reperiuntur.

An fiat materia mutatio cuius non appareat signũ

At dubitabit aliquis, si anima & corpus sunt vt materia & formæ, quare; & ad aliquid secundum esse, hæc autem talia sunt, vt si fiat mutatio in vno necesse sit etiam fieri in altero, Quomodo igitur diximus quod fiunt multæ affectiones, & mutationes in anima, quarum nullum vestigium apparet in corpore, vt de scientijs, & habitibus ab externo factis. An respondendum est verum esse quod nulla fit mutatio in anima, nullaque noua introducitur affectio, in qua particula aliqua corporis non mutetur, & afficiatur; sed affectiones illæ corporis, vel non remanent, vel, ad externa vsque non perueniunt. Vt qui discit canere, vel sonare, vel logicam, aut Geometriam, ille sane patitur, & mutatur secundum aliquas interiores particulas, sed vt diximus, mutationis internę, uestigium in corpore non apparet, quod autem habitus scientiarum, & artium sint in materia, exemplo Orbilij patet, qui saxo percussus in capite omniũ quæ sciebat, disciplinarũ est oblitus, aliiter enim dispositа corporis particula, atque esset prius, quando habebat hunc scientiæ habitum, mutata est passio animę, sed corporis mutatio cum facta sit tantum secundum partes internas, neque ad externa peruenerit, sensui non apparet.

QVORVM SIT PHYSIOGNOM. & quibus procedat & medijs. Cap. III.

Oportet ergo determinare circa qualia quædam est Physiognomonia (quoniam nõ circa omnia) & ex quibus singula signa accipiantur. deinde consequenter de manifestissimis circa unumquodque declarare.

QVod per signa liceat, humanę animæ affectus, & passiones siue dispositiones cognoscere, & ꝙ qui hactenus hanc artem tractarunt locuti fuerint imperfecte, & qua ratione processerint, ex supradictis est manifestum. Nunc autem quorum, & ex quibus sit ars Physiognomica ex professo docebit. Hoc est circa quas passiones uersetur, & ex quibusnam signis propositum inquirat. Dicit igitur, quoniam Physiognom. non uersatur circa omnes passiones animæ humanæ, neque de omnibus potest rationabiliter iudicare, sicuti dictum est. Oportet nos primum nouisse, distinguere cognoscibiles à non cognoscibilibus. Deinde est determinandum, quænam signa sint capienda, & quæ non; si quidem quę sunt mutabilia, aut communia admitti non debent. Amplius distinguendum est, quod signorum immutabilium, quædam sunt manifestiora, & efficaciora, quædam uero minus certa.

„ *Physiognomonia ergo est, sicut & nomen ipsius dicit, circa naturales passiones eorum quæ sunt in intellectu, & eorum quæ superacquiruntur, quæcunque aduenientia transmutant signa eorum quæ physiognomonizantur.*

Cum ergo hæc sint peragenda, primam definitionem huius artis colligit, & eandem à nominis interpretatione confirmat. *Qd sit Physiognom.*

Est Physinom. ars cognoscendi humanæ animæ inclinationes, naturales que affectus, qui in nobis fiunt, & insunt, per signa propria, & stabilia, vnam quamque passionem naturaliter consequentia; huc referenda est passionum animę distinctio de qua supra quod s. aliæ dicuntur innatæ, aliæ super acquisitæ, siue illæ doctrina, educatione aut aliqua alia ratione adipiscantur. Et vt cunque sint, aliæ non afficiunt corpus, neque in corpore mutationem faciunt, aliæ penitus secundum se, aut sensibiliter ipsum mutant. Hæ cognosci possunt, priores, nequaquam, vt iam sæpius fuit dictum.

„ *Qualia autem hæc sint posterius declarabitur.*

Hæc ergo Physiognomia sic dicta prout nomen sonat; quod nihil aliud sibi vult nisi naturæ cognitio, quæ forma est, & omnis motus, ac mutationis principium, qualia itaque sint hæc accidentia, quæ corpore mutato in anima fiunt, & qualia non, infra sedicturum recipit.

„ *Nunc autem dicam ex quibus generibus signa accipiuntur, & sint omnia. Ex motibus enim physiognomonizant, & ex figuris, & ex coloribus, & ex moribus in facie apparentibus, & ex lenitate, & ex uoce, & ex carne, & ex partibus, & ex figura totius corporis. In uniuersum igitur huiusmodi sunt, quæ dicunt Physiognomones de omnibus generibus, signa.*

Quarum rerum sit Physiognom. secundum genus fuit expositum. Nunc genera rerum ex quibus signa colliguntur enumerat, quænam, & quot sint. Hæc autem nouem esse videntur.

Vnde nam capiantur iudicandi signa

Primo signa capiuntur ex motibus, nunquid sint naturales, aut præter naturales, tardi, aut veloces vniformes, aut difformes, continui, aut interrupti, decentes, aut indecentes, aut aliquo alio modo affecti.

2 Secundo ex figuris partium, & membrorum corporis, nunquid pulchra, aut turpis naturalis, aut præter naturam recta ne, aut distorta sit corporis figura, qualis pumilionum, gibbosorum, aut claudorum.

3 Tertio loco colores, qui in cute in pilis, tum capitis, tum partium corporis cæterarū, in oculis, in vnguibus, in dentibus, in labijs, in lingua se se offerunt.

4 Quarto docet considerandam esse faciem, siue morem, qui in facie apparet. Qui enim faciem in figuram timidi, aut irati, aut aliquo alio affectu perturbati hominis naturaliter constitutam habet (quod signi genus Aristoteles uocat apparentiam vultus, & morem) eum etiam timidum, aut ad alium affectum propensum esse iudicare oportet.

5 Quinto ex cutis qualitate, an sit lenis, aut aspera glabra, vel pilosa, vel aliter dispositа, lenis dicitur cutis, quæ æqualis est, nullamque habet asperitatem, quæ tactu est delicata; huic opponitur asperitas, & scabrities.

6 Sexto ex uoce eiusque qualitatibus, nunquid sit grauis, vel acuta, aspera, uel suauis, æqualis, aut inæqualis, vox enim cum sit vel animi inditium, vel in ipsa sit, quod animum indicat, in eadem etiam elucescere vestigia passionum animi probabile est.

7 Septimo ex carne; nunquid caro, sit tactu mollis, an dura; calida, aut frigida; multa, aut pauca; molles enim carne apti mente fuerunt dicti; quiuero aliter affecti sunt, aliter etiam sese habere credendum est.

Octa-

8 Octauo ex partibus, hoc est membrorum numero, & quantitate; quales nam sint corporis partes, & quantæ magnæ ne, aut paruæ loco suo positæ, aut non, aptæ, aut ad vsum ineptæ.

9 Nono, ex totius corporis figura, & forma, qui enim plus iusto parui sunt, aut penitus turpi, & distorto corpore affecti, turpes etiam & male dispositas animi affectiones habere probabile est. Differt autem locus nonus à secundo, quod in secundo consideratur tantum figura partis, nunc autem agitur de forma totius corporis, & octauus considerat situm, substantiã, & quantitatẽ partium, secundus solam partium figuram speculatur. Tot igitur sunt ex Aristotele fontes, & capita, vnde Physiognomica ars deducit sua signa.

Mihi autem videtur omnes hos locos nouem posse commode ad quattuor tantum cõtrahi, nempe ad Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & Motum; dando substantiæ, quintum, & septimum locum in quibus considerandæ proponitur, & curis, & caro, quatenus est tactilis. Ad quantitatem reducemus octauum, & nonum, in quibus membrorum magnitudo, numerus, & situs spectatur, & totius corporis figura, proportio, & vsus. Ad qualitatem tres locos referemus secundum, tertium, & quartum, qui formas, & dispositiones singulorum membrorum, colores, & mores, quos vocat apparentias in facie præsertim sese offerentes contemplantur. Ad motum reducitur primus, & sextus. In primo considerantur corporis motus locales, tum secundum totum, tum secundum partes, vt oculorum, manuum, labiorũ, & capitis, in sexto vox contemplatur, ea enim sonus est, at sonus non est sine motu.

Videtur autẽ inter hos Aristotelicos modos, & eos, qui antiquorum dicti sunt, hoc esse discriminis, quod illi erant potius rationes, & methodi procedendi, & veniendi in cognitionem affectionum animi, Hi verò Aristotelici loci, videntur, non methodi, sed illarum principia esse.

„ *Si igitur immanifesta, aut non recte designans esset talis explicatio, sufficiant quæ dicta sunt.*

Diuerso modo apud diuersos interpretes legitur, hæc particula mihi autem videtur Aristotelem prætexere excusationem quandam, & talem esse eius sententiam: Quod si videatur supradicta signorum explicatio, aut non satis clara, aut non perfectè significans animi humani proprietates, id Aristoteles non negat, neque affirmat, sed dicit, quod signa, quæ supra in genere fuerunt explicata, iam possunt sufficere ad ostendendum, quod proprietates animi humani per externa corporis signa cognosci valent.

„ *Nunc autem fortasse melius est singillatim de omnibus, quæcunque manifesta sunt ab his quæ physiognomonizamus, exactius explanare, dicentem cuiusmodi signa referantur ad singula, quæcunquæ in prædictis declarata non fuere.*

Et quoniam artis omnis actio versatur circa singularia (medicus enim non hominem, sed Calliam sanat) si quidem actiones, & operationes sunt singularium, & circa singularia, dicit, quod manifestum erit ex longa, quam faciet inductione, quomodo prædicta signorum genera nata sint designare naturam animæ humanæ, cum singula signa referantur ad proprietates singulas, quæ per ipsa signa exponuntur.

QVOD COLORES IN HOMINVM corporibus indicant. Cap. IIII.

Colores ergo ſignificant, acuti quidem calidum, & ſanguineum: albi cum rubore bonam indolem, quando in leui corpore accidit hic color.

SCopus eſt, id agere, quod in fine prioris capitis promiſſum fuerat, declarare nempe quid prædicta ſignorũ genera denotent, atque à coloribus incipit, vel quoniam nobis notiores ſunt, & antequam figura appareat diſtincta, cognoſcuntur, vel quod per ipſos figura manifeſtatur; De coloribus igitur acturi, operæ pretium facturum arbitror, ſi dicã quid ſit color in homine, & vnde nam oriatur, & quotuplex. Item quomodo alij virorum ſint, alij fœminarum proprij, amplius quinam ſint vnius cuiuſque regionis peculiares, & qui ſint mores regionum, qui tales colores comitantur; demum quot eſſe ſolent Italorũ, Gallorum, aut Hiſpanorum colores, cur tales, taliaque animi accidentia ſignificent, quibus expeditis ad Ariſtotelicum tex. exponendum deuenio.

Ariſtoteles appellauit colorem eſſe extremum corporis diaphani actu exiſtentis in corpore determinato, & colorata dicitur ſuperficies in qua reperitur terminatum perſpicuũ, & videtur, cum ab externo lumine receperit actum;

Vnum quodque enim compoſitum, vel diaphanum eſt, vel ex diaphano conflatum, ſi quidem ex quattuor elementis conſtat, quorum tria ſunt diaphana, cum ergo in ſuperficie actuatur à lumine externo id diaphanum, quod ibi adeſt, talis dicitur color, & ſuperficies huiuſmodi colorata appellatur. Cum ergo colores ſint extremitates compoſiti corporis, & corpus ſit vario modo compoſitum, inde varij etiam oriuntur colores, cum autẽ nos de coloribus hominum agamus, qui ex quattuor humoribus conſtant, varijs coloribus prædictis, neceſſe eſt pro eorum mixtura, varios etiam in cute hominis à cauſa interna colores reperiri; qualis ergo eſt naturalis quattuor humorum mixtio à principio formante in utero matris facta, talem etiam eſſe hominis colorem eſt putandum.

Qui in homine ſecundum naturam ſimpliciter reperiuntur colores ſunt tres, duo extremi, albus, & ater, medius vnus qui quodãmodo ad roſam accedit, & roſam refert; Horum vnum quemque deinde habere latitudinem credendum eſt, nam & ad album referri poteſt pallidus, ſub flauus, & ſqualidus, & ad atrum fuſcus & luridus.

Ad roſeum vero, & puniceus & ruber, & purpureus. In regionibus in quibus homines naturaliter ſunt albi, vel roſei candidior vt plurimum eſt fœmina viro, vbi autem atri sũt homines, lucidior eſt nigredo mulieris, quam viri, naturaliter enim plus humoris aquei, & minus melancholici in fœmina quam in viro ſolet reperiri, quare vir fœmina etiam eſt robuſtior, & ad agendum promptior.

Cœterum, vt regionum proprij reddantur exacte colores non expectandum eſt, ſed breuiter, & typo quodam colorum differentias contractas ad Europæ præſertim populos, percurremus.

Ex Petri Appiani ac geographorum quorundã neotericorum ſentẽtia nouem ſunt climata; quibus ſi addas partem, quæ eſt ſub æquinoctiali comprehenſa, iam decem plagas terræ feceris, neque ſolum hæ plagæ, ac climata colores, & hominum mores natæ ſunt variare, ſed præter has addi poſſunt, & aliæ cauſæ, nempe regionum quidam particulares ſitus, & exercitia. Sunt enim.

Parentes, qui partem morum, & qualitatum in filijs exiſtentium ſibi vendicant; Cibi etiam communes, & qui ſunt in vſu continuo, quibus tamen cibis præponendum eſt temperamentum, & ſexus, nam quamuis natus ſit cibus temperamentum naturale aliquo pacto

cto tandem alterare, magis tamen temperamentum agere in cibum dici potest, quam cibus in sexū, aut temperamentum, educatio succedit, per educationemque intelligo illam primam puerorum nutritionem, & assuefactionem, ad hoc potius quam ad illud studiū, siue artificium, vel ministerium; Amicitia, & consuetudo, mores quam plures latenter inducit, sic vitia, & virtutes ex amicitijs sensim assuescendo in nobis pullulant, & crescunt, nec fortasse alio modo magis, quam disciplina, & assuetudine homines tales fiunt, assuescimus autem facillimè ex necessitudinibus, & amicitijs, cum enim alios videamus tales esse, & sic operari, tales & nos facile efficimur sic operantes. Quare non vltimam partem sibi vendicant disciplinæ, & studium cui homo se applicat.

His demum addenda etiam est electio propria, nam homo in manu arbitrij sui positus est, & sponte fit bonus, vel malus, & suarum operationum, & habituum p quos talis dicitur præcipuè secundum animam, ipse principium est, ac causa, vnde iure propter bonitatem laudatur, & propter malitiam vituperatur, prædictæque causæ pleræque nihil in homine agent, nisi aut consenserit voluntas, & electio, aut saltem non dissenserit, neque contradixerit, aut non curans, aut non animaduertens. Tot igitur sunt colores, & causę, secundum quas homines tales dici solent. Sed ad propositum accedentes.

Dicebamus vniuersalissimas terræ plagas, in quibus hominum corpora secundum colorem, & magnitudinem maximè differentia sunt, esse decem.

Ex varietate climatū varijs hominū mores.

Harum itaque plagarum prima diuiditur ab æquinoctiali, & vsque ad principium eius climatis, quod Diamæroes dicitur extenditur duratque quo vsque horologium variatur sensibiliter saltē per dimidium horæ; secundā plagam Diamæroen vocant. Tertiam Diasenen, quartam Dialexandrian, Quintam Diarhodon, sextam Diarhomen, septimam Diaponton, Octauam Diaboristæneon, nonam Diariphæon, Decimam Diadanian, quæ plaga vsque ad arcticum circulum pertingit, quinimò, & per tres circiter gradus vltra illū prodedit; Qui ergo sub æquinoctiali habitant, diuersi admodum sunt, si quidem qui in montibus altissimis, & ijsdem frigidissimis degunt, ferèque continua niue opertis, plerūque cæci sunt, parui corpore, colore liuido, crudeles, feri, ingenio immiti, ad seruiendum inepto. Qui verò prope mare in locis fabulosis viuunt, parui etiam sunt; sed fusci, macri, & exsiccati, quoniam illis in locis præter paucum cœlestem rorem, non descendit aqua pluuialis, omnes enim vapores, aut absumuntur, aut ad altissima montium iuga feruntur, ibique persistunt, quo loci continuam aiunt esse nebulam, niuemque frequentem. Viri huiusmodi latrones sunt, inhospitales, plerunque crudeles, sanguinarij, carentes omni sēsu iustitiæ, loci enim siccitatem, & squalorem, in quo nati sunt referunt, qui verò mediterranea, & campestria colunt, oliuæ colorem habent, & fuscedinem, cum quodam splēdore, ac luce referunt, mediocres corpore sunt barba, & pilis tere oībus naturaliter carent, præterquam in capite, carnosi, & pingues; tota enim regio ad calidum, & humidum magnopere inclinat, & ferè quotidie descendunt illa in loca imbres; his animus ineſt tū mulieroſus, tum etiam muliebris, crudelis, rixosus, inſtabilis, iracundus, audax, impius, à doctrinis abhorrens, parere nescius, in imperando insolens, arrogans, & superbus, in aduersa fortuna humilis, abiectus, & vilis. Cum enim aeris temperies, eodem in loco quotidie varietur, eadem tamen ad calidum, & humidum semper magnopere inclinat; etiam vltra quam humana natura requireret, cumque in hac plaga sit aer maxime inæqualis in ea, quam diximus latitudine factum est, vt habitantium corpora, & facie, & temperamento, sint interse similia, animi autem magnopere discordes, Caloris enim excessus (vt ait Hippocr. in lib. de aere, aquis, & locis) animi peruersiones, & feritatem inducit, humiditas inſtabilitatem, & abiectionem, à calore igitur audacia, ab humiditate præsentanea nascitur mutatio, & in aduersa fortuna abiectio, & fuga, ab vtraque simul qualitate superbia, & iniustitia; quod autem tales sint qui in noua Hispania, & in Mexicano, & Peruano tractu habitant, ex historia patet.

Mores eorum, qui sub æquinoctiali manent

Sub

Sub climate Diameroes positi ficciorem,& calidiorem multo sortiti sunt regionem; quia diminuta humiditate vehementior efficitur calor;ficcior autem illa plaga est, vel qa minus abundat fluminibus,minus enim montuosa est, vel forte quia solis mora est maior supra orizontem,vel quia terræ tractus,& natura illorum locorum ferè arenosa, quales etiam sunt campi,& Lybiæ,& Arabiæ,tum petreæ,tum desertæ,vbi abundat arena,& ferè nunquam pluit;his igitur in terris tractus Aethiopici multo est nigrior hominum color,quā sub æquinoctiali,& nigroré quendam habet,qualem videmus in tabulis ex ligno nucis veteri confectis,optime perpolitis, & oleo inunctis,horum corpora ficciora sunt, & ferè ossea, sine pinguedine vlla, & præcipuè viri, qui sub dio degunt, vehementissimus enim solis ardor hęc loca torret,pili nigri,& admodum crispi sunt,& breues,barba itidem perpauca subtilisque,tales(ainnt)esse Aethiopes,qui campestria habitant. Isti igitur sunt timidi,furaces astutissimi, admodum perfidi,& quibus nullus amor, nulla adsit iustitia, pessimi,superstitiosi,instabiles,natura potius ad seruiendum,quàm ad imperandum parati,at longe secus dispositi sunt,qui montes habitant,humaniores namq; sunt, & mitiores, quoniam temperata magis est regio illorum.

2. *Quales sint habitatores clim. Diameroes.*

Sequitur plaga,quæ Diasenes climate continetur,cuius gentes, vt plurimum sunt atrę vt carbones,paruo corpore,pilis nigerrimis,eisdemque crispis,labris crassis, oculis crassioribus,animo timido,infideli,mendaci,astuto,ad mutandam religionem parato,ad capescendas scientias non inepto,maior autem est siccitas sub hoc climate,quam in precedenti,quoniam plerunque toto anno imbribus carent,quare parum, vel nihil frugum colligunt. Vnde factum est,vt & magnis furtis inseruiant, & iniustiores forte existant, quam eorum etiam natura postularet.

3. *Dehabitator. clim. Diasenes.*

Paralellus Dialexandrias per vrbem Aegypti transit Alexandriam citra Tropicū cancri positam;ea gens est,quæ altioré Aegypti partem habitat,subcinericio, & fusco prędita colore,quæ vero propinquior est mari mediterraneo,ea magis ad albedinem accedit. Horum corpus est satis amplū,pingue,& robustum,caro succi plena,cutis lenis,& mollior,regio abundantissima,& secundū plurimas eius partes propter Nilū magnopere humida. Homines leuissimi sunt,vt testatur Herodianus,rixosi, turbulēti,lusibus,ac iocis mordacibus dediti,scurrules,laborum impatientes,admodum audaces;atque insuperabiles, dum se vincere posse credunt,abiectissimi,viles,ac pusillanimes,dum timent,liberales, veneri, ac ventri indulgentes,curiosi,faceti,mendaces,placidi,& satis naturaliter politici,ad scientias & artes apti,quas antiqui Sacerdotes exercebant. Non enim adeo calore, aut siccitate premuntur,sicuti qui supradicti fuere.

4. *De clima. Dialexandrias.*

Diarhodos per Insulam Rhodū Asiæ transiens,Asiaticos ferè populos comprehendit, & eos præcipuè qui Asiam minorem incolunt. Horum color plerunque subflauus est,cum quodam splendore,& nonnulla fuscedine ad albedinem declinante, talem ferè colorem in castanearum cortice nondum probè maturarum licet tueri,his corpus magnum est,succi plenum,ac valde humidum,animus mollis,effœminatus, quietis amator, ambitiosus tamen; gens garrula, vana,superba,seruilis tamen,non admodum iniurijs,rixis,aut contumelijs dedita.

5. *Clim. Diarhodos.*

Qui clima Diarhomes habitāt,quales sunt,qui insulas maris Aegei, & in faucibus Ionij positas,quique vltra Appenini portionem sunt, & vsque ad mare procedentes,Siciliā, Sardiniam, & loca Italiæ maritima versus meridiem incolunt, colorem valde differentē habent, nec non & corpus secundum quantitatem, & animum secundum mores,primum enim,vt ait Hipp. omnibus Europeis naturaliter adest,vt sint feroces,male sociabiles, & animosi,ijs autem,qui in climate Diarhomes habitant feritas quidem minuitur, ast superbia non deficit; est autem plerunque cutis colore florido, & roseo, ad fuscum tamen aliquantisper tendente, quandoque etiam flauo, & mellino, corpore carnoso

6. *Clim. Diarhomes.*

noso, statura procera, potius, quam parua, aut saltem mediocri, capillo nigro viribus firmis, facie ad asperitatem tendente, quare & moribus etiam superbis præditi sunt, magnanimi, ac liberales videri volunt, & cum sumptibus, quos superbia dictat, & ambitio, non possint sufficere, aliena quandoque affectant magis autem videri quam esse quærunt, honorum cupidi, ac dominationis; neque gulæ, neq; somno admodũ dediti, audaces, animosi, impatientes contumeliæ, victoriæ appetentissimi, vnde sæpe acutissimi existunt aleatores, tractus hic propter magnam differentiam locorum, maris, montium, vallium diuersas admodum gentium sortitus est differentias.

7. *Plaga Diapontu.* Diapontu plagam habitant, quæ loca citra Appeninum in Italia colũt gentes, & quæcunque in eodem paralello reperiuntur, vt quę Istriam, Dalmatiam, Croatiam, Galliam Narbonensem tenent, hæ sunt colore albicante ad roseum tendente, vel ad subflauum pallorem verum & earundem color multiplex est, cum enim in medio ferè 90. graduum positæ sint huiusmodi gentes, particularibus regionum dispositionibus facillimè afficiuntur, horum animus prudens est liberalis, ad disciplinas aptus, iustitiæ amator, & non immansuetus, sed ciuilis, & natus obedire legibus. Verũ vt dixi, multiplex, & varia est harũ gentium natura, facies, & mos, & animus in pluribus versutus, sui amator, adulator, superbus, contumax, in lasciuiam, & luxuriam promptus, omnis commoditatis amator.

8. *Clima Diaboristeneos.* Diaboristeneos clima post prædictum sequitur, horum hominum color albus est, & floridus, barba subrubra, & capilli fului, corpus amplũ, robustum, valens, carnosum, durum, frigoris, & laborum patiens, vino, & venationibus gaudens, animus planus, apertus, simplex, sed suspicios⁹us, & in suspicionibus atrox.

9. *De his qui sub climate Diaripheos.* Omnes ferè inter se similes sunt eiusdemque coloris, ac corporis Gentes, quæ sub clima te Diaripheos, dicto, degunt, colore enim præditi sunt cãdido, florido, & ad rosam acceden te, aurea illis barba, & coma promissa oculi glauci, corpus procerum, amplum, robustum, animus suspicios⁹us, tumidus, iracundus, crudelis, vino, & ventri deditus, laboris, & algoris patiens, ad artes manuales exercendas apprime aptus, sæuus, contumax, irrisor, cruentus, pacis inimicus, bellicæ laudis amator.

10. *De his qui habitant Clima Diadanias.* Clima quod Diadanias appellatur, eo quod per Daniam transeat mediam, Moscouitas, & Tartaros continens. His quidem color adest subfuscus, & liuidus, alijs vero cum flauo rubore mixtus, & ad Germanorum colorem accedens, priores, qui magis sunt septẽtrionales habent corpus mediocre, latum, neque carnosum, neque pingue, sed potius ossiũ capilli subnigri, plani, barba corticem nucis referens rara, sed crassa, plana, oculi subraui parui canini, de his autem, ac de similibus supradictis veritas sit penes auctores, in hoc climate alias repertos fuisse gigantas Olaus magnus refert, acerrimos pugiles, & robustissimos, gentes sunt ferociss⁹imæ, & belli cosiss⁹imæ, crudeles, & duriss⁹imæ, quæque continua bella tumultus, & contentiones præ manibus habeant, eædem tamen suis hospitaliss⁹imæ sunt, & quam minimum veneri deditæ, amicis liberales, & placidæ, inimicis inexorabiles, & si tumultuentur violentia, sola possunt peruinci, & cohiberi, nimius enim propter antiparistasim plerunque fit interior calor, vnde hæc agitatio mentis, & impotentia nascitur; quibus itaque Italis, aut Hispanis, aut alijs hominibus in temperatis plagis natis, & habitantibus aderunt colores, & corpora viros huius modi referentia; ijsdem etiam tales animorum propensiones adesse probabile est; Cum supposuerimus vnam quamque propensionem animi non acquisitam, sed ingenitam in corpore suæ præsentiæ vestigium aliquod relinquere; si quidem, vt dictum est, animi, & corporis sit consensus vnus, & conspiratio una.

Quales sint in vniuersum Europæ populi. In Europa diuersæ ad modum sunt hominum figuræ, diuersaque corpora quidam colorem habent candidum & roseum, pilos fuluos, aut rutilos, procera corpora, & carnosa, & robusta, aios feroces suspicios⁹os, frigoris, & laborum patientes; Alij eodem colore ple

run-

runque præditi, ſed capillo ſub fuluo membris mobilibus; & his adeſt animus inquietus, vehemens, litibus deditus, iracundus, irriſor, ludibundus. Quidam alij, cum magis ad atræ bilis temperamẽtum accedant ſunt colore fuſci, pilo nigro, corpore mediocri, robuſto, animo cõſtanti, audaci, ſuperbo in fortuna proſpera toleratu difficiles, in aduerſa humiles.

Reperiuntur quidam alij qui quoniam circa 45. gradum habitant quaſi in mediocritate poſiti ad vtranque partem facilè inclinant, quare alij ex his nigros capillos habent, alij ruffos, quoſdam pingues, quoſdam alios macros videbis; non vultus, non color vnus, vnde factum eſt, vt magnopere etiam inter ſe moribus differant, alijque ciuiles ſint, & humani, alij ex aduerſo feroces, & crudeles, ita vt nuſquam videantur in eadem regione nati, atq; educati. Diſcriminis, ac diuerſitatis huius Hipp. doctiſſime vt cætera omnia, cauſam refert in libro de aere aquis, & locis in magnas, & frequentes temporum anni mutationes, & ad modum diuerſas horum locorum inter ſe conſtitutiones terrarum, fontium, fluminum, & ventorum habitudines, cuius enim regionis facies diuerſa eſt, & ab anni tempeſtatibus diuerſimodè affecta, diuerſamq; habet ad ſolem cœliq; plagas rationẽ, illa poteſt diuerſas parere aeris temperies, ac diſpoſitiones. Vnde diuerſi fructus, & cibi, quare & diuerſæ corporum conſtructiones, & colores, ex quibus & diuerſas in animis oriri propenſiones probabile eſt; non quod non ſit poſſibile (vt ait ille.)

Veruecum in patria craſſoque ſub aere naſci; ſummos uiros, & magna exempla daturos, id enim non negatur vnquam, ſed illud fit doctrina, & aſſuetudine ex rationiſq; præcepto naturalem inclinationem peruincente.

An cognitio phyſiogn. materiæ innitatur

Quidam hæc audiens dubitabit nunquid doctrina, quæ hic traditur tota materię innitatur, & nullam aliam cauſam præter materialem agnoſcat? quare in eundem errorem nos labi dixerit, in quem notat Ariſtoteles antiquos incidiſſe, qui omnia tribuentes materiæ, vix vllam aliam agnouerunt, aut tetigerunt vnquam cauſam. At poſſem primo reſpõdere, quod materia, & forma ſunt ad aliquid, neque alterius cognitio ſine altera haberi poteſt, dicente Ariſtotele relatiuorum quantum vnius determinatè cognoſcitur, tantum etiam alterius cognoſci, quare ſi cognoſcemus materiam etiam cognoſcemus formam, cuius eſt materia. Secundo dico, formam apprimè conſideratam fuiſſe, cum rationem, & proportionem conſideraremus, quam inter ſe habent quattuor humores, corporis humani principia, & qui ex his eleuantur ſpiritus, quæ proportio ratio eſt, & ratio eſt forma. Quod ergo hic foret iracundus, & inſtabilis cum cauſa afferebatur; ratio, & formalis cauſa aſſignabatur, quoniam. ſ. bilis, & ſanguis dominabantur alijs duobus humoribus ſecundum virtutem in proportione, exempli gratia dupla, quamuis moles paſſiuorum poſſet eſſe maior; Tertio notandum eſt nos non de habitibus loqui, ſed de potentijs tantum, & impotentijs, quæ ſunt ſecundi generis qualitates, quas in 2. de generatione dixit paſſiones, & habilitates materiæ, ſi non primæ ſaltẽ ſecundæ, pro vt magis, vel minus apta eſt, & elaborata ad talẽ, vel talẽ formã ſuſcipienda, quod ſi abuſi ſumus nomine habituũ ad ſignificandas potentias, id factum eſt, ideo quoniã potentiæ carent proprijs noĩbus.

Quinq; colores, à quib. fiãt humorib.

Homines ex quattuor humoribus fabricatos eſſe omnes affirmant, ſanguine, pituita, bile flaua, & melancholia.

Illi in quibus ſanguis prædominatur, colorẽ album, roſeum & floridum habent; horum animus ad luſus, iocoſq; natus eſt, mitis, placidus, & ciuilis ſcientijs tamen ineptus. Qui bilioſi ſunt, & ad ignis naturam accedunt corpus mediocre habent, molle, non robuſtum, capillos ruffos, cutẽ ſubflauã, & ad colorẽ mellinũ accedentẽ, pituitoſo tẽperamẽto prędi ti, cutẽ admodũ habent albã, pilos planos, & ſubcinericium quendam colorem æmulantes, corpus carnoſum, & humore plenum aquę naturam referunt. At quicunque bilis atræ, ſiuè melancholiæ naturalis ſortiti ſunt temperamentum, terrã imitantis, horum corpus naturaliter durũ, & tangẽtibus frigidũ eſt, color ſubniger, ſeu liuidus, capilli ſubfuſci, & inter

nigrum, & fuluum positi, castaneæ maturæ colorem imitantes, has omnes temperaturas in Italis licet conspicere, & præter has, quæ ex istis componuntur; Plerunq. autem nouem colores in Italis solent conspici, fuscus quem in cortice surculi iuglandis viridis aspicere solemus. Huic succedit cinericius, vel plumbeus qualis est saligneus cinis malè coctus puniceus color similis epati à corpore animalis recenter extracti. Ruber vti pruna, & flammeus vti nomen docet, videntur differre secundum magis, & minus, Roseus à rosæ colore, mellinus à melle dicitur, liuidus magis ad albedinem accedit, vibicis iam abeuntis color. Pallidum colorem nulli non cognoscunt, præcipuus in his, qui timent, Albus est, quem in frõte, & in manu bene valentis, & pulchræ fœminæ spectabis; refert ebur, & rosæ partẽ quam vnguem appellant; tot igitur fere sunt colores nostratium, qui si naturales sint, & stabiles, certas passiones portendere solent, de quibus aliquid dicamus.

Morũ ex colorib. prænotiones.

Quibus itaque inest fuscus color, hi melancholia adusta prædi ti sunt, frigidi, & sicci, quare etiam timidi, & auari, & propter hoc inuidi, ideo maledici, implacidi igitur, & quia frigidi sunt, non bene sperantes, & animo abiecti, eãdem etiam ratione voraces, & crudi, frigidi enim est appetere, plusquam concoquere possit, & vt plurimum epar calidũ habent, quod facit stomachi calorem debiliorem eius naturalem humorem caloris pabulum absumens: & propter multos flatus ab impotente calore, ac debili generatos, ijdẽ erunt libidinosi, & garruli, cum dicere incipiunt, quamuis prius Harpocrate viderentur magis taciti, & elingues, habent etiam graciles suras, & pilos longos, subtiles tamen, & nigros in cruribus. Et quoniam frigidum, & siccum terram refert, hæc autem stabilis est, igitur obstinati erunt, ac duræ ceruicis, queruli, morosi, cæterum acri ingenio prædi ti, ad scientias nati, ac speculationes præcipuè. stabiles enim sunt, scientia vero potius, ait Aristoteles, quietem quam motum significat; quales igitur sunt, & secundum irascibilem, & concupiscibilem potentiam dictum est, quæ tamen omnia loco proprio in contemplatione complexionum diligentius exponuntur.

Fuscus

Color cinereꝰ

Cinericius color nascitur ex pituita pauca, quæ melancholiæ adiuncta est, vt aqua terræ mixta fuscedinem facere solet, humidiores igitur hi sunt, quam prædicti, quare magis apti ad credendum, facilius igitur persuaderi se sinunt, & aptiores sunt, qui decipiantur; Honorum igitur non ad modum sunt appetentes, sed ad parendum parati, siquidem facile credunt, & alijs deferunt; ex aqua autem ac terra cum sint compositi, quæ duo elementa nata sunt alijs subsistere, magis, vt dictum est, parere, quam imperare sciunt. Quod si in potestate sint constituti, intolerabiles, duri, crudeles, ac feri existunt, principiorum enim suorum naturam referunt; grauia enim elementa in sublimi eleuata stare nequeunt, & violenter inferna pellunt, & vrgent, & molesta sunt illis à quibus sustinentur; & quia tales sunt, lente iram concipiunt, cum autem conceperint, diu retinent. Idem auari etiam sunt, alienorum raptores, nisi timore impediantur, quæ non habent, cupiunt, quæ habent, reijciunt, hoc enim proprium aquæ est, vt in mari aspicitur, marinisque agitationibus, viles, & abiecti, paruo lucro dediti, mendaces, rusticani, odiosi, obliuiosi præcipuè cum ætas fuerit grandior, rarò autem his confidere poteris, quoniam maximè proprij sunt, & præ suis commodis nihil aliena curant.

Puniceus.

Puniceum colorem, siuè epaticum, qui in facie habuerit, illum dixeris furiosum, dolosũ, iracundum maxime, qualem Domitianum, & Maximinum fuisse ferunt; denotat enim à multo calore assari sanguinem crassum, & melancholicum, horum quosdam vidimus apud nos, audaciſſimos, crudeles, nulli non infensos, ex ignea enim ac terrea natura conflata est horum temperies, ignis, & calor audaciam ministrat, obstinationem, & perseuerantiam terra, quare cum superiores sunt, ferri non possunt propter multam insolentiam, cum vero aduersa premuntur fortuna, desperati, inconsolabiles, animo fracti sunt, eadem de causa libidine multa laborant, & quoniam calidi sunt bibaces admodum existunt.

Aca-

A calore autem habent terræ coniuncto, quæ ſtabilis eſt, vt maxime ſint perſpicaces, callidi, & ingenioſi; & qui in artibus, & ſcientijs poſſint magni euadere, ſi laborum eſſent patientiores: Qui prunarum referunt colorem, neque prædictis meliores ſunt, inſtabiliores tamen, quoniam magis ad igneam naturam accedunt, quoniam igitur calidi, ideo ſunt audaces, & propter id etiam rixoſi, & quoniam ignis eſt ſuperemi-nere, ideo ſuperbi, contumelioſi, & contentioſi exiſtunt; placidi tamen, & qui co-mitatem prima facie monſtrent, & affectent, quamuis faciles in iram ferantur, & & leuiſſima de cauſa amicitijs renuntient; at qui flammei, prædictis, in omnibus ſimi-les ſunt, niſi quod magis ſunt inſtabiles, & magis iracundi, quique & manibus, & pe-dibus ſtare loco nequeant; creduli, irriſores, ambitioſi, & curioſi, ſemet laudantes, & extollentes, inconſiderati, & admodum mutabiles, qui leui de cauſa affirmant, quod negarant prius; videntur autem præcipuè iuuenum mores referre; Roſeus color, ca-lidam, & humidam denotat complexionem, ſanguineam igitur, ad aeriſque accedit na-turam. Qui tales ſunt bona indole, prædiți exiſtunt, placidi igitur, ac ciuiles admodum, dociles etiam, veraces, vrbani, læti, & quamuis bonum habeant ingenium, non tamen adeo ſubtile eſt, ac exactum, quale eſt eorum, qui naturalem melancholiam in ſui com-plexione prædominantem nacti ſunt, de quibus meminit Ariſtoteles primo trigeſima-prima problematum. Quoniã autem vt dictum eſt aer omnes facile recipit impreſſiones, ac formas, homines tales ideo facile diſciplinas recipiunt, eas tamen difficile retinent, & quoniam aer omnibus adhæret, & omnia replet, propter hoc omnino ſunt ſociabiles, eademque de cauſa facile alterantur, turbanturque, ſubito tamen redeunt, verſatile enim, ac varium nacti ſunt ingenium: Mellino colore prædiți, bilem cum ſanguine mix-tam accedente tamen aliqua parte pituitæ ſortiti ſunt, quare & horum mores, hos om-nes humores, atque elementa referunt; caloris igitur erunt paulo pluſquam temperati, & facile mobiles, aut ad iram, aut ad deſiderium; neque adeo tardi, vt videtur Portæ.

Igneus

Flam-meus.

Roſeus.

Melli-nus.

Quare neque etiam valde iracundi, vt Polemoni; quoniam autem melancholia na-turalis non abundat, non admodum ſcientijs apti dicentur, & propter bilem, & ſangui-nem nugaces erunt, & cum ſuis nugis non adhibetur mens, iraſcuntur, prompti erunt igitur ad dicteria, & libenter alijs obloquentur, rident, atque irrident libenter, ac tota die ocioſi modo his, modo illis, amicis etiam, & propinquis detrahunt, ventri, ac veneri dediti, liberales tamen, potius quam auari, & propter bilem qui laudari cupiant, & propter ſanguinem libenter cum alijs maneant, & ſodalitia colant, quamuis plerunq; ſodalibus detrahant, his committenda non ſunt ſecreta, neque enim tacere nouerunt, quod accidit omnibus garrulis, & nugacibus, tales autem ſunt inſtabiles, etiam exi-ſtunt, & paruorum honorum cupidi, qui ſcilicet volunt credi, quod res omnes ſciant, & quod illis multa fides haberi debeat, ex his nonnulli ſunt adulatores, ſanguine, & pituita, illos inclinante, vt facile alienos induant, aut ſimulent mores.

Quod ſi Mellinus color magis ad flauitiem, quam ad candorem, aut ruborem declina-rit, eos homines probabiliter iracundiores dixeris, calidiores, & ambitioſiores; ſi vero ma-gis ruborem participabunt, ad ſanguinemq. magis accedent, loquaciores erunt benignio-res tamen, & magis placidi, & ad ſodalitates parati. Qui liuidum habent cutis, & faciei colorem, pituita, & melancholia temperati exiſtunt, timidam, inuidam, & malignam naturam, hic color deſignat.

Quos peruerſos, & improbos ait ex Ariſtotele Porta, ego hos crederem multum vale-re memoria, pituita enim recipit impreſſiones, retinet autem ater humor, & propter hoc etiam non ineptos ſpeculationibus, oporter enim intelligentem phantaſmata ſpeculari; quæ ſuggerit memoria; viros tamen doloſos, & ſibi tantum vtiles, & minime omnium ad amorem, aut ad ambitionem propenſos exiſtimarem.

Pallidi. Qui pallido sunt ore, ex pituita & flaua bile cũ melancholia coniuncta suam sortiti sũt corporis temperiem, timidiq; erunt, & cogitabundi, timentes enim pallescunt, & quoniã tales, multa animo agitant, neque vnquam in eadem persistunt determinatione, & pauca perficiunt, acerbi etiam, ac morosi, auari, vel alienorum auidi, & fures potius, quam raptores, aut latrones. Nam meticulosa illorum natura non patitur, vt latrocinium, & violentiã exerceant, cum autem ad liuorem illorum color magis accesserit, vberiorque fuerit ater humor, tunc dolosi erunt, voluptatibus immoderatè dediti, ventris, & veneris serui, maligni, ingrati, inuidi, acerbi, qui iram, & stomachum nunquam deponant, & cũ his, quos semel oderunt, nunquam perfectè in gratiam redeant; Simulatores, ac dissimulatores pro vt sibi ratio postulare videtur, talem dicunt fuisse Vatinium, & Salustium, & vnum ex interfectoribus Cæsaris Cassium, amplius & Catilinam, quem ingenio malo fuisse aiunt, intestinarum discordiarum, ciuilisque cædis appetentem, rerum alienarum auidum, suarum profusum, neque Attilam, quem flagellum Dei dixere, neque Actiolinum maxime impium, ac crudelem Tyrannum ab hoc colore abhorruisse ferunt, non quod naturaliter talis esset, nam pulchra, & liberali facie fuisse in iuuentute scribunt, sed ex habitu fero, crudeli, & tyrannico in anima contracto conuersa est in pallorem fœdum facies, & in terribilem, ac minacem quendam rictum, sic ergo qui pallenti naturaliter sunt facie, macra insuper, & liuida; & continue terram tuentur, rarò, ac vix loquuntur, dolosoanimo præditi erunt, inuido, & maligno. At si à causa externa, vt propter studia, aut ægritudinem talis contracta fuerit facies, hoc casu non adeo male erit sentiendum. *Albus.* At si color valde albus fuerit in facie secundum naturam, & non ex morbo, aut externa causa, & cũ hoc colore non desit succus, & caro, hos ad fœminas referas; timidi igitur erunt, & maximè fœminis similes, & cum tales sint, dices multo humore non probo abundare, ingenio igitur crasso præditos, & rudi, aptos ad concubitus, non quod ualde stimulentur, sed quod facile ferant, neque valde à multa lædantur venere, admodumque molles etiam, si quidem fœminam referunt, & quoniam molles, ideo misericordes, & propter eandem causam inertes, & ignauos, simplices, & qui facile decipi possint, parcos, mansuetos, viles appellabis, nulli scientiæ, artiue naturaliter deditos. Tales igitur ex coloribus poterimus probabiliter dicere homines, horum omnium rationes, & causas exactius infra expediemus. Notandum tamen est, quod color omnium signorum, quæ stabilia, & firma putantur, minime certus est, nam colores, quamuis naturales sint, facile alterantur ab oppositis quæ etiam causis possunt ijdem prouenire; uidemus enim frigore digitos, & carnẽ nigrescere, ac luridam fieri, calore solis etiam eandem suscipere passionem intuemur, & eadem causa oppositos quoque parere solet, uam lintea uidemus sole candescere, hominum uero faciem nigrescere. *Coloribus parum credẽdum* Quare non admodum coloribus propter has causas fidendum est; amplius neque colores solos oportet spectare, sed etiam alia signa, si quidem color quandoque ostendet hominem esse talis temperaturæ, uel timidum, & malignum, sed parte altera os amplum, frons quadrata, & nasus magnus, obtusus, & rotundus, eundem magnanimum, fortem, liberalem, significabunt. Vt autem dictum est signa hæc solã quandam inclinationem denotant, nullam tamen necessitatem inferunt, in nostra enim manu positum est has uocationes, siuè inclinationes sequi, aut nosmet ipsos ad oppositas traducere operationes, unde oppositi nobis mores efficiantur ac naturalia signa demonstrent. Cœterum, cum longam hanc digressionem tandem absoluerimus, ad Aristotelis textum exponendum redeamus.

Colores ex Arist. aliquid indicare.

„ *Colores ergo significant, &c.*

Quod colores significent, & cur, & quid nam ex supradictis patet. Nunc idem Aristoteles probat duobus tantum assumptis, quasi diceret, Acutus, & albus colores sunt in humano

mano corpore nati fieri, & hi ſignificant aliquid ; ergo qui in corpore fiunt colores aliquid ſignificant, probatque maiorem, quoniam albus color cum rubore, & cutis lenitate, ſignificat bonam indolem; Acutus vero hominem calidum, & ſanguinea temperatura præditum, nempe in quo ſanguis ſubtilis, & floridus prædominatur; qui ad naturalem accedit bilem ſuauem, & ſaporem ſaccharati cinnamomi referẽtem; cui ſicut ſaccharo, ſi accidat exuri à nimio calore, efficitur amara. Videtur autẽ Ariſtoteles hos duos accepiſſe colores tanquã eos, qui frequẽter in hominibus quinti & ſexti climatis reperiuntur, (ſi in ſeptem climata diuidamus partem terræ habitatam, vt olim fiebat) albus color temperiem magis ad frigiditatem, acutus, hoc eſt rubeus, aut purpureus magis ad caliditatẽ inclinare indicat. Albus pituitam dominari, purpureus ſubtilem, floridum, & vegetũ sãguinem ſuperare docet, qui duo humores in nobis ſunt præcipui, alij vero duo potius quodammodo excrementa, & ex neceſſitate materiæ adeſſe in corpore videntur, quam quod per ſe intendantur, accidit tamen vt ijſdem humoribus bile. ſ. & melancholia, etiam calor naturalis, & anima ad quam plurima vtatur, non tamen primo, neque enim ex bile, aut melancholia primo, & ſimpliciter quo ad partes ſimilares nutritur homo, ſed magis ex ſanguine, & pituita. Quod igitur albus color perſe non ſignificet bonam indolem ſupradictum eſt, ſed ſi cum rubore iunctus fuerit, ita vt roſeus quidam fiat color, & caro, ſiue cutis ſit lenis, & mollis, tunc illum hominem bona indole præditum dicemus; eſt autẽ indoles hominis naturalis quædam propenſio, ſiue inſtinctus, potentia, & habilitas commoda ad functiones, & humanas operationes certo modo obeundas. Bona vero indoles, quæ eſt ad laudabiles actiones, virtuteſque. Mala quæ ad damnabiles deſtinata apparet. Triplex eſt bona indoles ad ſcientias, ad virtutes, & ad artes, & quæ ſimpliciter bona eſt, ad omnes hos laudabiles habitus æque ſe habet, ſimiliter triplex mala ad peruerſas opiniones, & cognitiones, atque ad ipſam ignorantiam, ſed eam, quam dicunt prauæ diſpoſitionis, ad vitia, & ad inertiam, ſiue ad malas, & turpes artes hominem inclinat; Item tũ bonæ, tum malæ indolis tres gradus, primus quem ratione, ac conſuetudine vincas, ſecundus, qui vix & cum multo labore ſuperatur, tertium aiunt inſuperabilem eſſe; qui quamuis expellas furca tamen vſque recurrit; & mala perrumpit tandem faſtidia victrix. Sed ad Ariſtotelem.

Quid ſit indoles.

Qui acuto præditi ſunt colore, hoc eſt flammeo, vel rubro illis multus adeſt ſanguis, & ſubtilis; ergo & calidi erunt, & temperaturæ ſanguineæ, cum bile ſubdominante. His per ſyllogiſmum annectamus, quæ ſequuntur; Erunt celeres igitur, & vehementes in operationibus ſuis, etiam iracundi exiſtent, placabiles tamen cito, propter ſanguinis benignitatem. Qui ſi lenem, & delicatam habeant cutim, & adoleſcentes ſint, bona indole præditi erunt ad ſcientias, virtutes, arteſue percipiendas apti. Quod igitur colores nati ſint in humano corpore ſignificare aliquid ex his eſt manifeſtum.

„ *Pili uero molles quidem timidum, duri autem fortem. Hoc autem ſignum ſumptum eſt ex omnibus animalibus. timidiſſimus enim eſt ceruus, lepus, ouis, & pilum molliſſimum habent; fortiſſimus autem leo, aper, & pilum duriſſimum habent. Eſt autem & in auibus hoc idem uidere. uniuerſaliter enim quæcunque quidem habent duram pennam, fortes: quæcunque autem mollem, timidæ: & particulariter eſt hoc quidem uidere in coturnicibus, & in gallis.*

Pilorũ differẽtias aliquid ſignificare.

Quod per pilos non minus, quam per colores liceat Phyſiognomizare, nunc docet, videtur autem pilus aliquomodo inter partes corporis poſſe cenſeri, & licet non ſentiant pili ornamentum tamen, & vtilitatem corpori afferunt, vt in ſuper cilijs, & palpebris manifeſtum apparet, quod ſi pili aliquid portendunt, tanto magis

magis partes sentientes, & præsertim necessarię ad vitam, erunt significatrices passionum animæ nostræ.

Est pilus corpus tenue, & siccum ex halitu fumido fabricatum, proprer internũ calorẽ illum exsiccantem, per poros cutis extrusum & in longum extensum. Effectus igitur est caloris naturalis, quare & eius vires potest referre, & quoniam eleuatur ab humore viscoso, quo nutriri corpus contingit, eiusque propago est, aliquando etiam eius, quo nutrimur qualitates indicabit, quare & temperiem, nutrimentum enim concoctum, & assimilatum est idem actu cum eo, quod debet nutriri, ergo tum ratione causæ materialis, tum ratione causæ efficientis potest significare aliquid de corporis qualitatibus, in quo reperitur, rotunditatem habet pilus, à poris cutis, à cute, vel à materia ex qua colorẽ, duritiẽ, & mollitiẽ, qualis enim in brutis, ferè est cutis, talis etiam pilorũ color: ergo à cute, à calore, & materia, quod sit longus, breuis, multus, paucus, planus, vel crispus, rectus mollis, aut contrarie dispositus, aut omnino nullus habet, propter enim cutem crassiorem in volamanuum, & pedum non fiunt pili, propter eandem latiorem, & rariorem non fiunt in mento, & labris mulierum. Cum autem multæ sint pilorum differentiæ, quattuor solas nunc accipit Aristoteles, duritiem, mollitiem, multitudinem, & paucitatem, sic ergo argumentatur, pili sunt particulæ vel additamenta corporis, sed pili aliquid de moribus animæ indicant, ergo particulæ corporis sunt aptæ ad Physiognomiam, ergo & ex partibus licet Physiognomizare. Probatur maior inductione, si quidem pili molles significãt timidum, duri robustum, & audacem, quæ sunt animi, & animalis qualitates, compositi scilicet ex anima, & corpore, pilos igitur indicare qualitates hominis ex his est manifestum; Quod autẽ pili molles timiditatem indicent, docet Aristoteles. Supposita hac propositione vniuersali, cui omni adest signum, quod reperitur in omnibus fortibus, & in nullis non fortibus, illi etiam inest fortitudo; sed pilorum mollities est signum tale, quod inest omnibus non fortibus, & nullis fortibus, durities vero omnibus fortibus, & nullis nõ fortibus, ergo durities pilorum significat fortitudinem, & mollities timiditatem; quare quo molliores pili eo dicemus timidius animal, & quo duriores, eo fortius, & audacius. Id à posteriori confirmatur, Ceruus, lepus, & ouis sũt animalia timidissima, hæc pilos habent molles, ergo quorum pili sunt molles, illa sunt timida animalia; fortissimus leo, & Aper, & vterque durissimum habet pilum. Neque solum à quadrupedum natura minorem probat, sed etiam auium; nam Aquilæ, & accipitres, & indici galli fortes sunt, & hęaues pennas habent duras (pennæ enim pilis respondent) ergo quorum pili duri, ea sunt animalia fortia, Anseres vero, & auiculæ quarum pennæ sunt molles, eædem etiam sunt timidissimæ, ergo pili molles timiditatem, duri audaciam indicant. Causa autem propter quam fortes, & audaces sint illi homines, & animalia quibus inest pilorum durities, & crassities in promptu est, si quidem robustum, & forte animal dicimus, quod multo calore abundat, & cuius partes, membra, corpus, & nutrimentum est durum, solidum, ac robustum, & sanguis crassus, & fibrosus; Cum ergo pili, ac pennæ prædictæ multum calorẽ arguant, & nutrimentum esse lentum, & viscosum, sanguinemque, vt dicebat Aristoteles, fibrosum, & terreum, & multus calor, & huiusmodi sanguis animalia constituat robusta, & audaciora, vt idem testatur, exmplo Taurorum, consequens est dicere, quod pilorum durities, audaciam indicet, atque ex opposito pilorum mollities frigiditatem sanguinis, & aquositatem monstret, frigiditas in animo timorẽ inducit, & in corpore torporem, ac debilitatem, quare quorum pili sunt molles, illi sunt debiles, ac timidi, frigoris enim præsentia, cum caloris paucitate iuncta est, frigidi autem est cõstringere, pili igitur tenues à poris exeunt, quare cum subtiles sint, hac de causa molles etiam sunt, amplius paucitas caloris non probe excoquit alimentum, existit igitur ferè aquosum, quare molle, mollis enim est aqua, quod ergo molles pili indicent debilitatem corporis, & timorem animi, & propter quid ex his manifestum est.

Quid sit pil⁹.

Pili molles timiditatẽ, durifortitudinem indicant.

Simi-

„ *Similiter autem & in generibus hominum hoc idem accidit. quicunque enim apud ſeptemtrionem habitant, fortes ſunt, & durorum pilorum: qui autem apud meridiem, timidi, & mollem pilum habent.*

Quod dixit ſupra vniuerſaliter, id ſigno ab hominibus deſumpto vult confirmare, & methodo vtitur, quam ſupra docuit in ſecundo capite, quæ eſt vt primum reperiamus homines, in quibus clare adſit ſignum, quod paſſionem animi indicare credimus, deinde ad animalia conuerſi, videamus, in quibus eadm ambo ineſſent, animi, ſcilicet paſſio, & corporis ſignum, & in quibus non ambo, ſed vtraque abſint, item & an reperiatur in quo adſit alterum & non alterum, vt ſi animal ſit, quod habeat magnas extremitates; neque ſit forte, & pariter e contra reperiatur aliquod forte, cuius magna non ſint extrema; ſic igitur hoc loco facit, & cum demonſtrauerit in animalibus brutis ſimul eſſe pilorum, duritiem, & audaciam, mollitiem, & timorem, & cui non ineſt timor, illi neque pilorum mollitiem adeſſe, Nunc etiam ex hominum differentijs idem docet; Homines ſeptemtrionales ſunt fortes, & durorum pilorum, meridionales timidi, & mollium pilorũ, ergo quibus ineſt pilorum durities, illis ineſt audacia, quibus mollities illi adeſt timor. Septẽtrionales autem robuſtos eſſe, non eos qui ſub polo habitant, ſed Germanos, Gothos, Sarmatas, clarum eſt, Cauſa eſt quoniam per antipariſtaſim, propter externum frigus, & craſſiorem aerem, calor in partibus internis concentratus, & vnitus magis exiſtit, quare valentior, & maior eſt. Alimentum præterea excoctum magis lentorem, ac craſſitiem acquirit, quod enim excoquitur, incraſſatur vt plurimum, & coctio fit incraſſando. vt. 4. Meteor. quare potenter per cutis poros educitur halitus, & cum illius propter externum frigus craſſitiem perterebrauerit, craſſus, durus, ac robuſtus remanet pilus, In Aethiopibus autem, quoniam propter externi caloris magnitudinem internus euocatur, & interiora frigeſcunt, pauca fuligo eleuatur, quare & pili pauci, quos cum exterior calor torreat, criſpi exeunt, & nigri plerunque, & pauci, & molles, & ſubtiles; pauci quoniam materia pauca, ſubtiles quoniam non valde excocta, & ad aqueum, vel aereum accedens, molles quoniam ſubtiles, & fortè ſubtiles, quoniam cutis pori calore externo aliquantum torrẽtur, ac conſtipantur in quibuſdam partibus, & in alijs dilatantur, & ſic intorquentur, vt tortos & criſpos faciant pilos; vt in his accidat, quod in pellibus ad ignem appoſitis licet conſpicere; In his autem locis, in quibus multus eſt humor, & calor, vt ſub æquinoctiali nullum fere eſt corporis membrum, præter capitis partem ſuperiorem, in qua ſint pili, nimis enim propter calorem aperti ſunt pori, & propter multum aqueum vaporem minima fuligo quæ cum ſit non concocta, quare neque viſcoſa & continuari non poſſit, ac propriũ terminum capere, non fit pilus.

In hominib. pilos eſſe ſpectãdos.

Pilorũ qualitatem mores indicare.

„ *Piloſitas autem quæ eſt circa ventrem, loquacitatem ſignificat. hoc autem refertur ad genus auium. proprium enim auis eſt eorum, quæ ſunt circa corpus, piloſitas, quæ circa ventrem eſt: eorum autem quæ ſunt circa intellectum, loquacitas.*

Quod pili ſecundum qualitatem aliquid ſignificant, docuit, nunc etiam ſecundum quantitatem idem facere docet; agens de multitndine pilorum, & ex conſequenti patebit etiam quid eorum paucitas portẽdat. Dicit igitur quorum multi ſunt pili circa ventrem, illi ſunt garruli, & loquaces; probatur, quoniam qui tales ſunt referunt aues, quarum vẽter piloſus eſt, & hæ ſunt garrulæ, ergo quorum venter piloſus eſt, illi ſunt loquaces, & garruli, ex auium ſimilitudine igitur inferimus in homine garrulitatem, cauſa vero propter quam piloſitas ventris garrulitatem indicet in auibus minoribus præſertim, hæc forte eſt, quoniam vbi multa piloſitas efficitur, ibi eſt mediocris calor, & multus humor tenuis, ex quo multus vapor eleuatur; multaq. fuligo, ſed tenuis, vnde multus, ſed mollis pilus exiſtit,

Et quãtitatem etiam idẽ facere.

ſit, timidi enim ſunt omnes garruli, & inſtabiles maximè, quod in auiculis clare apparet.

Quare multum agitatis humoribus tenuibus, aſcendunt etiam multi ſpiritus ad caput, & arteriam aſperam, ad os, & linguam inde promptiſſime partes illæ mouentur, quare vox efficitur, & garrulitas. Qua propter ſi quis quærat vnde eſt, quod aues, vt luſciniæ & hyrundines, & quam plures aliæ ante coitum adeo continenter cantent, cum vero ouis incubant, non canant. Hanc crederem cauſam poſſe aſſignari, dum auis, cuius humidum naturale eſt tenuius, quam quadrupedum, amore coitus accenditur, quod fit accedente ad nos ſole, calor in ea augetur, & tunc contingit humidum agitari, quare ſpiritus plures, & vapores, quàm prius generantur, & in ſpiritus mutati ad caput, ac principium motus, & ſenſus feruntur, vnde fit continens motus ille, quem cantum appellant. Adaucto autem calore, ac partibus tenuibus iam reſolutis, fixoque in partibus ſolidis eodem, tunc ouis incubant, neque amplius canunt auiculæ, probe referentes eos, qui calida febri iam laborãt, & tunc moroſiores, ac ferociores fiunt, quã prius, ex aucto calore, ex ſiccitate, in quibus audaciæ, & moroſitatis conſiſtit ratio, præcipuè autem piloſitas circa ventrem exiſtens id arguere videtur, quoniam vẽter eſt humorum incoctorum ſedes, hi autem cum à calore agitantur, ſi aquei fuerint, nati ſunt multos mouere flatus, & inæquales, naturaliter ad ſuperiora tendentes. At quamuis vera foret hæc propoſitio, non tamen ideo vera eſt oppoſita, nempe ſi piloſi circa ventrem ſunt garruli, ergo non piloſi, non garruli, nam ſublato antecedente non neceſſario tollitur conſequens; videmus tamen quod tacere ijſdem auibus accidit, quæ partem illam naturaliter, vel certo tempore pilis vacuam habent, vt gallinæ cũ ouis incubant, partem eam pennis nudam habent, ſimiliter luſciniæ, hyrundines, & fortè quam plurimæ aliæ aues, quæ tunc temporis ſilent, quod etiam coruo accidit, igitur quibus ineſt venter piloſus, illi ſunt garruli, & qui non ſunt garruli, ſed taciti glabrum habebunt ventrem, quare & aliqui glabrum habentes erunt taciturni. Mihi autem videtur totam rationem Ariſtotelis, & plurimas huius ſcientiæ inniti huic principio: Quod natura in ijſdem, vel ſimilibus ſemper eodem modo, vel proportionato, vel ſimili operatur.

An piloſitas ſit garruli tatis ſignum.

Aſt id ſimpliciter verum non eſt, nam fœminæ plerunque piloſum ventrem non habẽt, attamen ſunt garrulæ. At fœminis, quam plura alia inſunt garrulitatis, præter hoc ſigna, aut ſane fœminis ineſt venter piloſus, & pilis pluribus abundant, quæ loquaciores ſunt alijs. Habent enim loquaciores, & calidiores cæteris fœminæ à pube ad vmbelicum vſq; lineam pilorum, qui vel ſunt flaui, vel nigri, vel plani, vel criſpi; quæ nigros, & criſpos habent cœteris & loquaciores, & in venerem proniores exiſtunt. Sed rurſus pueri, ac puellæ natura garruli ſunt, attamen pilis omnino carent, ſimpliciter enim glabras habent partes illas, imo impuberes, multo loquaciores ſunt, quam cum iam pubeſcunt, ac pilos emiſerint.

An pueris nondum adeſt ſignum, ſed cauſa ſigni cum iam adſit, ideo garruli ſunt, multo enim humore abundant, & multo calore, vnde nequè tacere, neque ſtare loco poſſunt. Procedente vero tempore, & calore iam incipiente ſuperare humidum aqueum, & eleuare quid fuliginoſum, & terreſtre, pili tunc apparere incipiunt. Fœminas vero, quæ circa ventrem inferiorem partes, calidiores viris habere teſtatur, Hipp. & ratio ſuadet, nam & oſſa Ilium latiora, & magis, quam viri patula habent, calidi enim eſt dilatare, quatenus igitur pili calorem ventris inferioris, ubi humidum ſedem habet, ſignificant, eatenus loquacitatem etiam mõſtrant, quare dummodo calor adſit, & humor tenuis, etiam ſi pili propter aliquam aliam cauſam non aderunt, cui id eueniet, & illum garrulum dicemus ſemper. Pueris autem pili circa pubem non adſunt, quoniam, vt dictum eſt, eorum humidum multum quidem eſt, aſt nimis aqueum, ac ſubtile, & cutis laxa, & aperta nimis; An tandem dicemus piloſum ventrem loquacitatem quidem portendere; non tamẽ ideo ſequitur, quod omnis loquax ventrem piloſum habeat; non enim loquacitas, piloſitatis cauſa,

cauſa, vel è contra, ſed à qua cauſa garrulitas ab eadem plerunque piloſitas circa ventrem ſequitur.

„ *Caro autem: dura quidem, & boni habitus natura inſenſibilem ſignificat.*

Ex illis nouem fontibus, vnde Phyſiognomica ſigna deducebantur, caro vna erat, & locus hic ſeptimus fuerat. Quod autem caro inter. *Carnis Differẽtias aĩ paſsiones mõſtrare.*

Phyſiognom. fontes, & locos ſit ponenda, probatur. Quoniam caro ſiue dura ſit, ſiue mollis, ſignificat certas animi paſſiones. Caro igitur inter fontes Phyſiognom. dinumeranda fuit, & carnem ſignificare patet, quoniam ſi caro dura fuerit, hoc eſt, tactui reſiſtens, non flacida, neque fluxa, ſed muſculoſa, & torroſa, etiam ſignificat bonum habitũ dicemus, nempe naturalem corporis aptitudinem, ad operationes, hoc eſt corporis robur, & ſanitatem inculpatam, ſed tales videntur inſenſibiles, hoc eſt inſenſitiui, & inepti ad exquiſitè cognoſcendum differentias ſenſibilium paruas, cauſa eſt, quoniam cum ſint paratiſſimi ad agendum, duram nacti ſubſtantiam, difficile ab externis patiuntur, & quoniã ſenſitiui eſt pati, difficile igitur patiuntur à ſenſibilibus, & præcipuè tactiuis parum mouentur, iure igitur quorum caro eſt dura, illorum corpus robuſtum quidem eſt, ſed ad exacte ſentiendum, & de ſenſibilibus iudicandum ijdem ſunt inepti; horum igitur animus rudis eſt, ad rerumque cognitiones, ad ſpeculationem, & prudentiam ineptus. Caro igitur dura duas qualitates deſignat, vnam animi, & alteram corporis, vt ex his eſt manifeſtum.

„ *Lenis autem & ingenioſum, & inſtabilem:*

Actum eſt de carne dura, nunc de leni dicendum. Caro eſt ſubſtantia ſimilaris, mollior in animali proprio termino terminata ab initio generationis, ex ſanguine menſtruo matris à ſeminis virtute fabricata, & poſtea continue ex ſanguine inſtaurata, in homine, inter oſsa, & cutem naturaliter conſtituta, ex qua muſculi, motus localis inſtrumenta fabricati ſunt, hæc autem de qua loquimur muſculorum caro eſt, & non viſcerum; Durior efficitur, quando ſanguis multum participat terræ, fibroſuſque eſt, & ſanus, & aptus concreſcere, quare duram facit carnem. *Quid ſit caro*

Lenis autem ſiue flaccida, languidaq; fit, & tactui cedens, quando ſanguis multũ participat aquæ, vnde ſimilis eſt lacti aſinino, in quo eſt pauca portio caſeoſæ ſubſtantiæ, vt in columbino ſanguine. Hunc morboſum vocat Ariſtoteles, quare ſi caro lenis, flaccida, & tactui cedens, aquæ dominium docet, aqueum autem omne humidum eſt, & omne humidum facile in omnes ſpecies vertitur, & quod tale eſt non ſeruat diu ſuſceptas.

Quare inſtabile dicitur, ergo cuius caro eſt mollis, & flaccida, illũ iure dixeris inſtabilẽ. Amplius, & ingenioſum, quoniam ingenioſum dicimus, qui facile rerum formas, ac differentias apprehendit, & ſubtiliter diſcernit, & diſcurrit. Hoc autem eſt intelligere, ideſt pati, pati autem omne à principio humido, in naturalibus exiſtit, proprium enim humidi eſt, vt facile alieno termino terminetur, quare cuius caro mollis eſt, ac nata facillime pati, hic etiam aptus ad intelligendum, & ingenioſus eſt; dubitandum tamen eſt, an maior ſit inſtabilitas, aut ingenium, & quod tales doctiſſimi non euadant, præcipuè inſtabilitati tribuendum eſt, nihil enim, aut parum eorum quæ infunduntur retinent, quare ſemper vacuus eorum eſt intellectus, non ergo ſcientes, & prudentes admodum fiunt. *An oĩs ingenioſus ſit leuis, et idẽ poſſit eſſe ingenioſus, & robuſtus*

„ *Niſi in forti corpore, & habenti extremitates potentes hoc acciderit.*

Poterat credere aliquis, omnes ingenioſos eſſe leues, cui dubitationi, reſpondens, quod ſcilicet, omnes carne molles, & ingenioſi non ſint leues, declarat, excipiendo eos, qui robuſtum habent corpus, & extremitates validas: Hoc eſt manus, & pedes robuſtos.

Hi enim si ingenioſi plane fuerint, attamen non etiam inſtabiles. Sed dices ſi mollis caro fit à ſanguine aqueo, & flaccido, quomodo poſſunt eſſe in eodem extremitates magnę, & fortes? ex ijſdem enim nutriuntur media, & extrema; Vnde non erit in medio corpore caro mollis, & in extremitatibus robuſta, & dura. An ſanè id experientia falſum eſſe appareret. Quorumdem enim inferiores partes duræ ſunt, & piloſæ, ſuperiores autem molliſſimæ & glabræ; Dicendum eſt igitur forſan ſanguinem mẽſtruum, ex quo prius animalis, ſiuè hominis partes in vtero matris cõſtitutæ ſunt, eſſe heterogeneum, ſiue diuerſarum partiũ, & potuiſſe fieri, quod partes quædam craſſiori ſanguine, quædam aliæ ex tenuiori fuerint conſtitutæ, deinde quoniam, & ſanguinis maſſa, quæ in venis eſt, illa etiam diuerſarum eſt partium, & ita natura comparatum eſt, vt ſingulæ partes ſibi proprium, & magis ſimile attrahant alimentum, attractumque in ſe ipſas, ſuamque vertant naturam, contingit ergo, cum à principio partes extremæ factæ fuerint ex parte craſſiore, & meliori ſanguinis menſtrui, conſequenter etiam in lucem edito homine, quæ pars ſanguinis craſſior eſt in venis pariter ad partes, quæ à principio craſſiorem ſuſceperunt exiſtentiam confluat, & ita ſanguine tenuiori nutriatur pars carnis ſuperior, craſſiori vero inferior, & idem ſanus ſit, & probè ſecundum naturam diſpoſitus, vt compoſitum quoddam diſſimilare, & ſic poſſibile ſit, quod homo ſit carne mollis ſecundum quam plures medias corporis partes, deinde extremæ ſint etiam robuſtæ, & duræ. vel etiam extremorum fortitudo, & robur fit à Spirituum multitudine in ea loca propter magnitudinem vaſorum, & multum calorem naturalẽ confluente, vnde ligamenta etiã ſicciora effecta robuſtiores illas partes efficiunt.

Qui autem tales ſunt, non ideo inſtabiles, vt priores dixeris, quoniam temperatur eorum humiditas ſiccitate, quam multus calor inuehit.

Quare in his quatenus adeſt humiditas naturalis in partibus, vbi eſt ptincipium ſenſus, eatenus adeſt mentis aptitudo; quatenus autem ſiccitas etiam partes alias obtinet, eatenus robuſti ſunt, & ſtabiles etiam mente, & quod ſemel placuit, diu arridere ſolet, nam quod recepit humiditas, illud retinet ſiccitas.

An oẽs carnes molles ſint apti mẽte

Sed ſi molles carne apti mente ſunt, cur mulieres, quæ molliſſimam habent carnem aptiſſimæ non ſunt mente? Nam dicit Ariſtoteles primo Politicorum eas habere arbitrium deliberandi inualidum, reſpondet Sueſſ. quod duplex eſt mollities, altera à prædominio aquæ prouenies, quam ille morboſam, laxam, & facientem corpus debile, & laboribus ineptum vocat, talemque humiditatem ab aqua prouenientem, & facientem inferiores partes carnoſiores, craſſiores, & corpus debile, ac morboſũ attribuit mulieribus, quare cum tales ſint à prædominio aquæ, & aqua ad pituitam referatur, qnæ obtuſos facit, ideo mulieres carne quidem molles eſſe ait, at carentes ingenio. Quidam ex præceptoribus dicebant, mollem eſſe muliebrem carnem, quoniam in illa erat multũ excremẽtitij humoris, qui à diminuto illarum calore, neque concoqui, neq; expelli poterat; vnde & glabrę erãt, & facile defatigabantur, cuius indicium erat, quod ſingulis menſibus, quæ ſanæ erant, hoc eſt magis ſecundum earum naturam diſpoſitæ, ſanguinem per inferiora egerebant, quoniam in illis extabat maior alimenti, ſiue humidi copia, quam concoqui, aut in ſubſtantiã ſuam conuerti poſſet.

Hinc accidebat propter humorem habere illas quidem mollem carnem, ſed quoniam humor erat maxime excrementitius, & aqueus, quare & frigidus impediebatur tum propter hoc, tum propter paucitatem ſpirituum earum ingenium. An vero etiam dicemus mulieres, quarum corpus eſt molliſſimũ, in ſuo genere, eas eſſe ingenioſiſſimas, verumẽt inſtabiliſſimas, & natas momento temporis, idem velle, & nolle, quæ pulchriorum, & delicatiorum propterea paſſio eſt. Vnde Virgilius.

Varium, & mutabile ſemper fœmina. Et alibi.
Illa dolos, dirumque nefas in pectore ſeruat.

Er

Et dixit Ariſtoteles non quidē carere ingenio, aſt intellectum habere imperfectum, quod de pueris, & adoleſcentibus dixit, ſed illas habere ingenium inualidum, quoniam earum tum diſcurſus, tum concluſiones propter nimiam mollitiem, & inſtabilitatem ab humore nimio factam, ſunt præproperi, & confuſi, & inordinati, vnde etiam credulæ exiſtunt mulieres, vanæ, & decipi faciles ex ſe, vel propter inexperientiam, at eędem obſtinatæ, ſuperbæ, & iracundæ, quoniam ſibi nimium confidunt, & arrogant, cum ſapere ſibi ipſis videãtur, ſuam in diſcurrendo ſubtilitatem, & malitiam, ſiuè aſtutiam, quam prudentiam, & ingenium vocant, agnoſcentes, quod formoſioribus eſt peculiare; quæ volunt uiris imperare, & omnibus dominari humidum enim terreo ſicco leuius eſt, illique naturaliter ſupereminet. Hoc in terra prima ſiccorum optime apparet; non igitur ad duplex humidū confugerem, vt dicerem viros eſſe molles humido aereo, fœminas autem aqueo, ſic enim cum aer ſit multo leuior aqua, & ſupra illam poſitus naturaliter, & omnium ferè elementorum inſtabiliſſimus, & aptiſſimus alterari, & mutari continue, efficeretur, quod vir eſſet multo inſtabilior, & multo magis obliuioſus, & ſuperbus, & mutabilis, quam fœmina; quare magis aſſignarem cauſam ſuperiorem.

Earum etiam paſſiones reſpondent Ariſtotelicis dictis, habent enim extremitates paruas, & imbecilles, quare ijſdem quidem remanet ingenium, ſed inſtabilitas maior, & mutabilitas etiam, quæ ingenium perturbans, operationes ſuas inualidas efficit, & ſi vafras, & callidas magis, attamen minus prudētes. At an ingenium virtus quædam naturalis eſt? quare medietas quædam? illi igitur exceſſus, & defectus opponitur; plus iuſto durus deficit, plus iuſto mollis excedit, quare & ingenium læditur, in muliere excedit mollities, quare minus eſt ingenioſa viro, in robuſtis viris deficit, & ideo ruſtici rudes, & duri iudicantur.

Motus autem tardi quidem mollem intellectum: acuti uero calidum.

Vnus etiam, & inter alios primus fons Phyſiognomicus, erat motus, ideſt inceſſus, niſi uelimus per motum ſimpliciter omnem localem hominis intelligere mutationem, eam nimirum, quæ manibus etiam fit, & digitis. De locali igitur Ariſtotelem loqui ſimpliciter dicendum eſt. Hic ergo motus & ipſe ſignificat aliquid, natura enim principium eſt motus, igitur iure motus inter ſigna Phyſiognomica reponendus eſt; nam cum motus localis, uel ſit celer, uel tardus, amplius uel partes corporis frequenter, uel rato agitentur, & moueantur, ſat eſt Ariſtoteli, (ad docendum hoc, quod motus localis in homine aliquid ſignificet) accipere has duas differentias, nempe tardum, & celerem, quem ipſe uocat acutum. Tardus igitur motus debilitatem uirtutis motricis indicat, aut remiſſionem; quare cui tardus eſt motus, illi moderata paucitas eſt ſpirituum mouentium aut multus humor, multaque grauitas corporis, & conſequenter pauci per comparationem ſpiritus ad mouēdum uelociter, qui autem ſecundum corpus talis eſt, ille ad fœminam accedit, fœmina mollis eſt, & in corpore molli habet etiam mollem animam, cui igitur ineſt motus tardus, illi ineſt etiam mollis animus. Mollem dico animum, imbellem, miſericordem, dubioſum, mutabilem. Homoque erit piger in ſuis actionibus, & negligens, quique magis alijs, quã ſibi ipſi uelit conſulere. At uerſa uice cui motus ineſt acutus, hoc eſt celer, & uelox, illum probabile eſt, multo calore abundare, & multos ſpiritus habere, qui uero calidus eſt, iracundus eſt etiam, & audax, & impiger, & animum uehementem, & ad actiones paratum habet, quem uocat calidum, deſumpta ſimilitudine ab igne, qui calidus eſt, & maxime inter omnia elementa ad agendum paratus. Quales autem ſint, qui loco ſtare nequeunt, quomodo in his non ſit motus acutus, de quo loquitur Ariſtoteles, & quomodo puerilem animum adepti fuerint, qui manibus continue ludunt, eaſque, ac digitos continenter iactant, infra uidebimus.

Varias motuũ ſpecies aliquid ſignificare.

An magnanimus sit tardi motus,

Dictum est tardum motum significare fœmineam naturam, mollemque animum. s. imbellem, & pusillum. At contra contingit dubitare, si magnanimus est tardi motus, vt dicitur quarto Ethicorum, & tardus motus significat imbellem, & mollem intellectum, magnanimus igitur erit mollis; at magnanimus non solum non est mollis, aut pusillus, sed infractum, & grandem animum habet. Secundo videmus item celeres gressus, & motus veloces, ac præcipites puerorum, & puellarum esse, præcipueque amentium, & qui manus, pedesque loco tenere nequeunt, illi nusquam animum habent grandem, sed leuem, & mobilem, & maximè mollem, ergo tardus motus non significat mollem animum, sed potius oppositus motus mollitiem arguit.

Quare si hoc verum, profecto aliter intelligenda sunt Aristotelis dicta, ac primo aspectu sonant. Primum igitur credo mollem animum ab Aristotele illis tribui, qui facile credunt, quos leues, & futiles vulgo vocant, neque leues dices, quod scilicet sint prompti ad mouendum, & ad negotia magna fœliciter, & maturè peragenda, sed leues puto, qui facilè moueri, & pati possunt, aeri similes, qui leuis est, qui mihi videntur habere mollem intellectum, qui bardi sunt, qui stupidi, qui creduli, qui eodem temporis momento, & flere, & ridere, qui in vtranque partem facile torqueri possunt, & quorum intellectus naturam refert aeris, vel aquæ, quales sunt plebeij, & vulgares homines, & inter hos præcipuè hydropici, diuturno morbo laborantes, valetudinarij, & simile genus hominum, mulierculas superstitiosas, garrulas, & futiles referens. Hoc genus inquã hominum (dicit Aristoteles), habere tardos motus, & intellectus molles. Quare pro solu-

Motus tardus duplex

tione notandum est ex Galeno in libro de pulsuum differentijs, tardum motum posse esse duplicem, alter enim est tardus, magnus, fortis, alter vero tardus, paruus, languidus, prior tarditas motionis sequitur viros graues, & magnanimos, qui sedato quodam motu, & voce graui, & placida, sed magna res suas agunt, & loquũtur, sic Virgilius de Turno agẽs, media in vrbe Troiana clauso, minitantibus undique Troianis inquit, ille sedato pectore,

Incipe si qua animo virtus, & consere dextram.

Sic Turno multa ira æstuanti, Respondit, sedato corde Latinus, hoc est quiete. Quare non celeriter, nec præcipiti quadã, ac feruida dicendi ratione, sed placida, tarda, & quieta vtuntur magnanimi, sic Iuppiter paucis agit in principio decimi in concilio Deorum, sic quietissime alloquitur iratam Iunonem, & vltima Troianis minitantem.

Es germana Iouis, Saturnique altera proles,
Irarum & tantos voluis sub pectore fluctus?

Vbi notandum est Virgilij artificium, qui stabiles nouem spondeos, tribus tantum interrexuit dactilis, ut tarditatem magnanimi Iouis exprimeret; Alter reperitur tardus motus, cum quo iuncta est paruitas, & languor virtutis mouentis, hic sequitur homines debiles, pusillanimos, & nullius pensi.

Tarditas prior non prouenit ex defectu uirium, & caloris, sed quoniam alio totus calor, spirituſque omnes nempe circa caput ad maiora intenti occupantur. Quare cogitabundi, & speculãtes tardo, ac lento incedunt gradu, & sæpius subsistunt, hac igitur de causa in his quasi semper magna considerantibus, motus est tardus, sed robustus, & æqualis. In alijs tardus quidem est, sed paruus, & propter defectum uirium, & spirituum, aut propter improportionatam magnitudinem cum mouente uirtute, inæqualis.

Ad argumentum igitur dico, tardum, magnum, & robustum, sequi magnanimum uirum; Qui uero tardus est paruus, & inordinatus pertinet ad mollem, & debilem intellectum, hoc est, indicat hominem pusillanimem, uilem, rudem, & hæbetem.

Huic autem tardo motui, de quo nunc loquitur, opponit acutum, ideſt celerem, & promptum, & referentem flammas, quæ stare nesciunt, quem motũ ait, significare calidũ intellectum hoc, est, promptitudinẽ, &, ut sic dicã, idoneitatẽ ad actiones, & sciẽtias, sicuti

bardum

bardum, ſtupidum, & hæbetem vocabat ſupra mollem, ceu naturam aquæ referentem, ita nunc vocat ex oppoſito intellectum calidum illum, qui promptus eſt, velox, feruidus, & perſpicax ad ea peragenda, quæ ſunt ex vſu prout res ipſa poſtulat.

Quid ſignificet Ariſt. per vocem intellect.

Noto autem hoc loco, vt etiam toto hoc libello vocem intellectus non ſignificare rationem, aut partem animæ, quam mentem dicimus, in quo præcipua conſiſtit ratio, & forma, & perfectio hominis, quam diuidunt in agentem, & poſſibilem, de quibus vtriſque tertio de anima agit Ariſtoteles, ſed per intellectum nunc ſignificat habilitatem quãdam humanæ animæ, ſiuè hominis potentiam, & paſſionem, ſecundum quam homo magis, vel minus dicitur aptus ad actiones magnas, vel paruas obeũdas, & idoneus ad artes, ac ſcientias magis, aut minus, has, aut illas capeſſendas, ſunt enim hæ compoſiti paſſiones, quare, & per quæ inſunt compoſito accidentia ſenſibilia cognoſci poſſunt, quæ vero, vt dictũ eſt, ſunt intellectus (quatenus intellectus eſt) operationes nullo egentes organo, neque in corpore ſignum imprimunt, neque humano conſilio præſagiri poſſunt, hocque eſt quod dicunt Theologi, ſolum Deum hominum corda, & voluntates cognoſcere, ac ſcrutari; at Phyſiognomia eſt pars naturalis Philoſophiæ, aut ſub illa continetur, ſolas igitur paſſiones, quæ ſunt in materia contemplatur, quæ vero, neque educuntur de ſinu materiæ virtutes, neque ſunt à natura, ad ipſum non pertinent, neque à Phyſico, niſi ſub ratione negationis, cognoſci poſſunt.

Ad ſecundum argumentum quod eſt, motus celeres eſſe in pueris, & in aliquibus fœminis, at in pueris eſſe intellectum mollem, non autem callidum, & ſagacem, ergo motus acutus, & celer non ſignificat ingenij acumen, & calliditatem, vt videtur Ariſtoteli.

Poſſumus reſpondere tripliciter quod motus celer, & acutus duplex eſt alter quidem ordinatus, alter inordinatus, poſterior proprius eſt puerorum, vt ait Horatius.

Sume catelle negat, ſi non des, optat, & cum hoc poſteriori non eſt poſitum ingenium callidum, & verſatile, & velox, ſed cum priori tantum motus celeritate, quam præcipuè in Gallis uidebis, qui quaſi ignem flammamque in ſe habeant, impetu magno, & uehementi concitatione, ordinata tamen, & continenti agunt, quæ ſibi ipſis ſunt agenda. Secundo modo reſpondemus pueros habere intellectum acutum, ſed imperfectum, quare quamuis puer velox ſit, & promptus ad dicendum, & agendum, propter inexperientiam tamen imperfectè agit, & propter organorum deſeruientium imbecillitatem, non tollitur tamen quin intellectus ſit velox, & promptus, vt etiam in fœminis, in quibus eſt motus acutus, ſed vel propter eaſdem cauſas contingit error. Tertio non eſt putandum quod intellectus, hoc eſt animus ſimul atque mollis eſt, ſubito ſit malus, & ſi igneus, ſit bonus, ſed virtus animi noſtri à natura eſt, & omnis noſtra perfectio in mediocritate conſiſtit, quare ab extremis corrumpitur, & à medio conſeruatur.

„ *In Voce autem, grauis quidem & intenſa fortem: acuta autẽ, & remiſſa timidũ.*

Vocis indicia

Vox etiam ſignificat animi mores, & ſignum eſt corporeum, ac ſenſibile, de qua voce quattuor memorat qualitates, quod ſit grauis, acuta, intenſa, & remiſſa. Vox, & ſonus dicitur grauis, quando multum aeris mouet tarde, qualis eſt vox taurorum, acuta, quæ parum mouet aeris celeriter, acuta autem vox multum penetrat, & mouet auditũ in pauco tempore, vt ſonus, quem facit lima cum ferram ferream acuit, intenſa, quæ multum aerem velociter mouet, vt tubarum, vel bellicorum inſtrumentorum, vel tormentorum æneorum ſonitus. Hæc enim ſoni ſpecies grauis eſt, & intenſa. At grauis, & remiſſa eſt, quæ multum quidem aerem, ſed tarde mouet. Remiſſa igitur ſimpliciter, quę aerem tarde mouet, quare acuta vox, quæ eadem remiſſa exiſtat paucum aerem, & tarde mouebit, qualem in ęgrotantibus licet audire.

Quid significet vox grauis, & intẽsa.

Cum ergo multus calor laxa faciat, & aperta instrumenta, & multum aerem moueat, cui vox grauis, & intensa est, illum calidum esse circa præcordia dicendum est, quare audacem, & ferocem, taurum enim, vel leonem refert, cuius autem vox remissa, & acuta adest, illi paucus calor circa præcordia viget, ac pectus angustum, & aspera arteria parua, cui autem interna, quæ sunt circa cor frigent, illi adest timor, ergo cui talis vox illi naturaliter inest timiditas, & tunc vox faucibus hæret, aut vox exilis admodum redditur, & exigua, vt Virgilius ait, græcis accidisse, qui Aeneam videbant armatum, tollebant enim vocem exiguam & clamor frustrabatur hiantes, cum metu ingenti trepidarent, sic etiam senes, qui timidi sunt, & nonnullæ mulieres natura talem vocem habent.

Quid acuta, et remissa.

„ *Figuræ autem, & Passiones, quæ apparent in facie, secundum similitudines accipiuntur passionis: quando enim patitur aliquid, fit vt si hoc habet, quando aliquis irascitur, irascibile signum eiusdem generis.*

De apparẽtijs passionum.

Duos mihi videtur fontes signorum Physiognomicos simul hoc loco nectere, nempè faciei apparentiam, & totius corporis figuram, vt doceat ex vtroque nos posse animi mores coniectari; passiones autem appellat apparentias faciei, aliàs dixit mores, quæ sunt naturales quidem, similes tamen illis dispositionibus, quas solent in hominum vultibus, & facie imprimere passiones animi, quos affectus dicunt, vt iram, verecundiam, timorem, odium, amorem, lætitiam, tristitiam, & huiusmodi.

Figuram autem, quam post apparentias explicat, intelligit formam corporis accidentalem, secundum quam dicimus Platonem cani, vel equo esse similem in facie, aut motibus. Videtur itaque circa apparentias talis Aristotelis sententia. Apparentiæ faciei significant hominem esse propensum ad illum affectum, qui solet talem apparentiam sua præsentia in facie producere, sic enim quando aliquis irascitur, contrahit supercilia, & toruis tuetur oculis. Cui igitur naturaliter, quamuis non irato, talem videbimus adesse faciem, siuè oris rictum, talem virum natura ad iram propensum dicemus; cum illi adsit facies, quam ira efferuescens solet excitare, ac promere; est itaque propositio, aut regula, cui adest à natura facies referens irati, vel dolentis vultum, illum hominem iracundum, vel querulum dicemus. Natura enim in ijsdem secundum speciem eodem modo semper operatur, nisi quid impediuerit, sic igitur ab apparentia licet Physiognomizare.

Reg.

„ *Mas autem fœmina maior est, & fortior, & extrema corporis fortiora, & crassiora, & habitus melioris, & potiore secundum omnes uirtutes.*

De figura.

Vltimo loco ponit figuram totius corporis, quæ vna erat ex locis, vnde licet Physiognomizare, ait ergo, Mas est maior fœmina in eadem specie, & fortior, & extrema corporis crassiora, & fortiora habet, & exquisitius fabricata, & simpliciter est melius dispositus secundum omnia, quam fœmina.

Qui igitur formam mulieris æmulabitur, secundum corpus illi etiam animum muliebrem adesse probabile est, & in qua muliere species quædam virilis apparebit, in eadem reperiri virilem animam, est verisimile, sic etiam qui quodammodo formam equi, aut bouis æmulatur, nescio quid equinum, aut bouillum in eiusdem anima reperiri credibile est, quod ergo supradicta signa sint apta indicare mores animi, ex his patet.

QVA

QVA RATIONE PROCEDENDVM SIT IN IVDICANDO, & quibus ſignis maior fides, quibus minor ſit adhibenda. Cap. V.

„ *Signorum autem quæ ſunt in partibus fortiora ſunt, & quæ accipiuntur in moribus, & ſecundum motus, & figuras.*

QVod modi, & ſignorum genera ab ipſo enumerata poſſint oſtendere naturam, & diſpoſitiones ſubiecti in quo ſunt, & quales ſint animæ propenſiones iam ſupra dictum eſt. Quoniam autem capita, & fontes ſunt plures, rationabiliter poterat quærere aliquis; nunquid omnes æqualiter oſtendant, an aliqui certiores ſint alijs. Huic quæſtioni reſpondere ſe nunc parat Ariſtoteles, & ait, ſigna quæ ſumuntur ab apparentia, quam uocant morem, & à motibus, & à figura corporis, omnino alijs ſunt efficaciora, uel quoniam minus à uoluntate pendent, uel quoniam magis ab ea animæ parte, quæ uirtus eſt in corpore, & immediatius naſcuntur, faciei enim apparentiam prolibito non mutabis, neque corporis formam, aut ſaltem maxima cum difficultate, quare non immerito Terentianus Chremes admirabatur, quod uultum pro libito fingeret Syrus ſeruus; motus quoque immediatè pendet ab anima, eius enim illa eſt principium. Secundum quod eſt natura.

Signa à more, motu, et figura capta a. lijs certiora

„ *Omnino autem uni quidem ſignorum credere ſtultum eſt: quando autem plura conueniunt, quæ ſunt in uno, magis utiq; conueniet, ut quis accipiat uera eſſe ſigna.*

Aliam etiam tollit dubitationem, numquid uni ſigno ſit credendum, ut ſi quem uidero extremitates magnas habentem, quamuis deinde ſtrictum & glabrum habuerit pectus, & carnem mollem, & os paruum an debeam illum eſſe fortem, audacemque dicere? Huic reſpondens ait, eſſe ſtultum, uni tantum ſigno penitus credere, nulla cœterorum habita conſideratione, ſed tunc iudicandum eſt, quando plura in uno conuenerint ſignificando affectu; Nam quod à pluribus affimatur paſſim, uero ſimilius putamus. Noto autem, ut aliquid certi dicere poſſimus, duo requiri, unum eſt, ut plura ſigna ſint, quæ idem teſtentur, alterum eſt, ut nullum quod deſignet contrarium affectum, uel conſequens ad contrariũ, adſit, ut dico fortem hunc eſſe, primum quoniam habet magnas extremitates, latum pectus, piloſumque, os grande, carnem duram, deinde quoniam in eodem non apparet quid quam eorum ſignorum, quod uel timorem arguat, uel animi mollitiem, uel auaritiam, quæ duo per ſe quidem non opponuntur fortitudini, at comitari ſolent tamen timiditatem.

Vni tãtũ ſigno non confidendũ

Not.

„ *Eſt autem alius etiam modus ſecundum quem aliquis phyſiognomonizet: nullus tamen aggreſſus eſt. Vt ſi neceſſe ſit iracundum, & triſtem, & paruum, ſecundum morem, inuidum eſſe, etſi non ſint inuidi ſigna: ex illis tamen prioribus contingat utique Phyſiognomoni, & inuidum inuenire, maxime quidem, quando talis proprius modus fuerit eius, qui philoſophatus fuerit. poſſe enim quibuſdam exiſtentibus neceſſarium eſſe proprium putamus Philoſophiæ.*

Quod dictum fuit, animaduertendum eſſe in iudicando, non ſolum non adſint ſigna, quæ contrariam affectionem indicent, verum etiam neque ea, quę ſub contrariam doceãt; dat occaſionem nouæ quæſtioni, quæ eſt. Numquid aliquis alius ſit modus phyſiognomizandi, & iudicandi præter prædictos, quoniam diximus quaſdam paſſiones eſſe aliarũ conſequentes, & comites, videtur enim, etiam nos ex vna cognita paſſione, in alius cuiuſdam notitiam poſſe venire: Huic dubitationi, ſiue interrogationi ſatisfaciens ait, præter prædictos reperitur etiam alius phyſiognomizandi modus, quem hactenus nullus

Eſſe aliũ Phyſiognomizandi modũ pter dictos ſupra

petractauit, qui est, vt ex vna passione, iam clare in anima existente, ad aliam transeamus per syllogismum; vt si aliquis sit iracundus, & tristis, & hunc, quamuis nulla in eius corpore signa apparuerint inuidiæ, tamen ex syllogismo poterimus dicere inuidum, & rationabiliter, & hic modus est maximè proprius physiologi, nempe à notis nobis ad ignota procedere, quod est, ex quibusdam positis aliud quoddam ab his consequens inferre, & hoc est, vti syllogismo, hæc enim syllogismi ratio est.

„ *Quod est, quando cõtraria sunt huic iuxta passiones, physiognomizare etiã mala.*

Neque solum ex antecedente possumus consequens inferre syllogismo, verum etiam ex opposito oppositum, vt quoniam videmus huic inesse contraria signa illis, quæ bonum significant, dicemus cui contraria adsunt signa bonitatis, adesse etiam passiones bonis cõtrarias, quæ sunt malæ, si enim liberalem videmus, frontem latam habere, & cui inest frons non lata, non liberalem vocabimus, similiter si liberalem inferimus esse iustum, neque alienorum rapacem. Auarum, etiam si nulla signa iniustitiæ, aut rapacitatis habuerit, & iniustum, & rapacem dicemus, sed hęc à contrarijs signis contraria affectionum animę illatio suspecta est, nisi signa fuerint propriã, & necessaria, & conuertibilia, nam si respiratio est signum vitæ, non sequitur, quod non respirans sit mortuum; nam non respirant pisces multi, & tamen viuunt.

„ *De voce secundum passionem intendens quispiam, acutam putarit, duplicem ob causam iracundi vocem ponendam esse. Indignatus enim & iratus intendere consueuit vocem, & acute loqui: segniter autem dispositus remittit uocem, & grauiter loquitur. Rursus autem animalium, fortia quidem grauis uocis sunt, timida autem acutæ uocis. Leo quidem, & taurus, & canis latrabilis, & gallorum qui sunt animosi, grauiter uocifrantur: ceruus autem, & lepus acutæ uocis sunt.*

Dubiũ. Nunquid ue re aliquid uox portendat.

Vox erat vnum ex septem capitibus, siuè fontibus, ex quibus contingebat fluere signa Physiognomica. Circa hanc vocis naturam mouet dubitationem, qua queritur numquid vox vere aliquid possit portendere, & ait quod non, nam si quis respexerit ad vocem, & per eam voluerit iudicare, poterit fortasse decipi. Quoniam exempli gratia capiens vocẽ acutam, illam putabit aliqua ratione significare iracundum, & audacem eandem autem alia quadam ratione dicet esse mansueti, & timidi indicem, attamen vt eodem in subiecto contrarias simul esse qualitates, est impossibile, ita eodem signo oppositas indicari affectiones, videtur irrationabile. Et quod vox acuta significet audacem, & iracundum poterit ostendi, (vt dictum est) dupliciter vno modo ab apparentia, quæ est secundum morẽ; quoniam omnis iratus, & indignatus consuetus est intendere vocem, & acutè loqui; quare cui adest vox intensa, & acuta, illum iure dicemus esse iracundum, & fortem, est enim

Regula regula, de qua dictum est supra, quod cui inest apparentia consequens actum talis passionis, illi inest propensio ad talem actum, & operationem secundum illam passionem, & dispositionem. Secundo si ad locum Physiognomizandi ex oppositis animum applicuerimus, similiter vocem acutam iracundi signum esse dicemus. Si enim mansuetus vocem remittit, hãc voce submissa, & graui loquitur, ergo si propositum signum, proposita passio concomitatur, & oppositum opposita sequetur, sic igitur cum mansuetus grauiter loquatur, & è conuerso, qui acutè loquitur, ille iracundus erit. Quare acuta vox signum dabit audacis, & iracundi. Ex opposito quod vox acuta, non sit signum iracundi, sed potius timidi, imbellis, & mansueti, id confirmare licet, loco à figura, & similitudine brutorum. Dictum enim est in vltimo capite, siue loco, qui à figura totius corporis appellatur.

Regula Quod quorum hominum corpora, vel actiones aliquod certum animal referent, illorũ

etiam

etiam animi propenſiones, & mores eiuſdem animalis imitantur.

Quo ſtante, cum animalia fortia habeãt grauem vocem, & timida, & imbecilla acutam, grauitas fortis, & iracundi dicetur eſſe ſignum, acumen vero timidi, & manſueti; ex hoc ergo loco qui à figura ſeù ſimilitudine animalis dicitur, inferemus, quod cui ineſt vox acuta, illi inſit timor, & manſuetudo, at cui inſunt hæ duæ paſſiones, illi non ineſt iracundia, & audacia, ergo vox acuta iracundum, & audacem non ſignificat.

Sic igitur ex diuerſo ſignorum capite in oppoſita diſtrahetur iudicantis animus. Quod autem vox grauis inſit fortibus, & acuta timidis probat pluribus exemplis. Taurus enim, & Leo, & gallus generoſus, & canis moloſſus, quales, qui ex Corſica ſolent aduehi grauẽ pro ſuo quiſque genere habent vocem; horum animalium ſingula ſunt iracunda, & fortia, ergo cui grauis vox ineſt, illi etiam fortitudo adeſſe reperitur, & iracundia. Ex aduerſo ceruus, & lepus, & hædus, & agnus acutam vocem habent, hæc animalia ſunt timida, ergo cui vox acuta illi timor adeſt, & manſuetudo. Patet igitur quod vox eadem oppoſitas deſignabit paſſiones.

„ *Sed forte & in his melius eſt, non eo quod ipſorum uox eſt acuta, & grauis, fortem aut timidum ponere: ſed arbitrandum eſt, fortem quidem fortis, remiſſam autem & imbecillem timidi.*

Videtur moliri ſolutionem, ac dicere Ariſtoteles, quod vox acuta, & grauis poteſt capi dupliciter, vno modo ſimpliciter, & in genere, altero modo ſecundum vnam quamque animalis ſpeciem; ſimpliciter igitur, & in genere non eſt verum, quod vox acuta ſignificat iracundiam, & fortitudinem, & grauis manſuetudinem, & timorem quoniam multa ſunt animalia, quę grauem vocem habent, vt leo, & taurus, quę nunquam ſunt timida, & abiecta, niſi ægrotent, aut ſenio ſint confecta, ſecundum autem vnam quamque ſpeciem eſt verum. In vna enim, & eadem ſpecie animalis, illud ſingulare quod habet vocem grauiorem fortius eſt, naturaliterque iracundius, quam id quod remiſſiorem habet, vt in genere gallorum, qui grauius ſonat animoſior eſt illo, qui vocem habet acutiorem, cuius rei indicium eſt, etiam in genere canum, & hominum; mulieres enim acutiorem habent vocem, & eædem timidiores viris ſunt ſi ſecundũ naturam fuerint diſpoſitæ, & nullo teneãtur affectu, ergo eiuſdẽ ſpeciei individua, quæ grauius ſonant, ijs audaciora ſunt, quę acutiorem vocem habent. Hoc igitur videtur ſibi velle Ariſtoteles, quamuis difficulter admodum id notent verba textus, ſicque. *Solutio dubit.*

Fortaſſe reſpondendum eſt prædictæ dubitationi, quod non dicitur animal forte, aut timidum, eo quod illius ſit vox ſimpliciter acuta, vel grauis, ſed putandum in eadem ſpecie illud animal particulare, quod audax eſt, habere grauem vocem, & id quod timidum eſt, in eadem ſpecie habere acutam, ſi comparetur igitur vox hominis fortis cum voce hominis timidi, patebit, quod vox uiri fortis erit grauior uoce uiri timidi, & imbellis; quod uidemus clarè, nam uox uiri ægroti acutior eſt uoce uiri ſani, & pueri uox item acutior eſt uiri; atque id merito, ubi enim maior calor, & robuſtius organum, maior aeris mouetur portio, unde uox grauior exiſtit. Sed uidetur dubitandum nunquid abſolute in eadem ſpecie ſit uerum, quod grauiorem habens uocem, ſit robuſtius animal, quam quod acutiorem etenim uaccas eſſe minus robuſtas tauris certum eſt, attamen uaccæ dicuntur grauiorem habere mugitum, quam tauri. An ſanè dicemus uaccarum uocem uideri grauiorem, quoniam in fine acuitur, oppoſita uero iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: ſit enim A. B. uox uaccæ, cuius A eſt pars grauis, & B. pars acuta, hæc extremitas B. facit quod A. uidea tur ſenſui grauior, quam forte eſſet, taurorum autem ſimpliciter tota grauis eſt, quare cũ nullam faciat ſenſus comparationem non iudicat etiam, neque adeo mouetur à grauitate Taurinę uocis ſicut mouetur à uoce uaccina, ſic ergo uox uaccæ propter acuitatem magis mouet *Dubitũ* *Vbi nõ fit cõparat. ibi nec iudicitũ.*

mouet auditum, & propter hoc magis etiam uidetur agere, & grauior iudicatur, at re uera taurus grauius mugit; quoniam nihil acuitatis eius uox habet. Vel tandem dicemus non comparari uoces inter se animalium, etiam solo sexu, uel ætate diuersorum, ut est uacca, & taurus, sed dicendum est, quod inter tauros ille fortior est, & robustior, qui grauiorem vocem emittit, minus qui remissius boat. Similiter, & inter uaccas, uitulosq; idem iudicandum est. Vnum quodque igitur animal comparatum cum indiuiduo alio suæ speciei, & sibi propinquo, ac simili, quanto habet acutiorem uocem, tanto etiam est debilius, & timidius eo, cum quo comparatur.

An fortis sit iracundior debili,

Secundo uidetur dubitandum nunquid fortior, & robustior sit iracundior debili, & timido. 10

Videmus enim plerunque fœminas uiris esse iracundiores, & similiter ait Aristoteles ægrotos esse iracundiores sanis. Hi autem sunt minus robusti, & fortes, quam sani, & fœminæ quã uiri, non igitur uerum, quod fortius, & robustius, & audacius animal, sit etiam iracundius. Parte altera uidetur quod robustius etiam iracundius existat, quoniam fortitudo à calore cordis ualido, & exuperanti uenit, audax enim animal calidi cordis est, ira autem nihil est præter accensionem sanguinis circa cor, quare cui inest robur, illi necessario etiam inest propensio ad iram, quoniam circa cor multus adest calor, facile igitur accendi potest, atque adaugeri, nam in habentibus symbolum facilis est transitus; An possumus respondere, quod iracundia, & iracundus potest dupliciter considerari, uel quod sit duræ difficilis, & grauis iræ, & ut sic loquar, uehementis, & terribilis, cuius proprium 20 est difficile moueri, motum difficile quiescere, & talem extensiuè iracundum dixeris, terribilis enim est, & diutissimè durat, quoniam in materia crassiori, & magis ad atram bilem accedente sedem habet, & talis ira est uirorum fortium, sic Achilles Hectorem mortuum etiam raptauit circa muros Ilij, neque eius morte etiam ira viri deferbuerat. Altero modo iracundus dici potest, qui promptus, ac celer est ad iram, impetuosus, & minima de causa accensibilis, & talem intensiue dices esse iracundum; qua ira laborant fœminę, & homines senes, miseri, & ægroti, qui cum facile irascantur, facile etiam iram deponunt, & leniri possunt, de priori igitur genere iræ videtur loqui Aristoteles, vt eos dicat iracundos, qui sunt audaces, & fortes, ac calidi, & robusti. Horum enim ira est quasi ignis in quercus lignis accensus, mulierum vero ira, & ægrotorum ignem in paleis accensum refert, ira- 30 scuntur autem facile, quoniam dolent, at sine dolore nulla est ira.

„ *Est autem potissimum, quando signa non sunt in confesso, sed sub contrariantia, nihil ponere, nisi sint discrepantium inter se, quædam quibusdam credibiliora.*

In hac parte documentum dat, quo vtamur ad iudicandum, tale autem est, Nihil est affirmandum, quando signa non sunt certa, & habent contrarietatem aliquam inter se, vt cum videam ego ex pilis hominẽ posse iudicari timidum, ex partium autem magnitudine eundem fortem, tali casu suspendendum est iudicium, nisi alterum signum, altero præualeat, vt si à pilis sumptum signum, quoniam sub obscurum est, cesserit ei, quod capitur à magnitudine extremitatum, secundum illud iudicabo, & dicam eum esse fortem, qui ma- 40 gnas habuerit extremitates, quamuis pili tenues, & leporini apparere videantur. Duo igitur in hac parte habemus documenta, quorum prius est. In quo corpore apparuerint duo signa æque potentia, & contrarias passiones indicantia, in hoc sustinendus est assensus, neque erit vllo modo iudicandum.

Reg. 2. Alterum est, cum duo apparebunt signa contraria, quorum vnum altero sit manifestius, & robustius, secundum id, quod est fortius, ac robustius est iudicandum, vt si ex voce aliquis, quoniam acutior est, appareat timidus, at ex altera parte latum habeat pectus, & magnas manus, ac pedes, illum dices esse fortem, nulla ferè habita vocis ratione.

Et

„ *Et maxime quidem in ſpeciem, ſed non in tota genera referre decet: ſimiliora enim ſunt quæſito. non enim totum genus hominum phyſiognomizamus, ſed quædam eorum quæ ſunt in genere.*

Aliud documẽtum in iudicijs ſeruandum.

Aliud eſt documẽtum, quod ad locum, ſiue regionem, & tempus, & ætatem nos reſpicere iubet, & ſic quam fieri poteſt maximè accuratè accedere ad propoſitum quæſitum iudicandum. Nam circa ſingularia verſatur omnis ars, & de ſingularibus fit iudicium per applicationem regularum vniuerſalium, quæ quo magis ad particularia accommodãtur, eo magis videntur veræ; dicit ergo debemus noſtra præcepta accommodare ſpeciei, & nõ generi, hoc eſt illi vniuerſali, quod quam minime fieri poteſt, generis naturam referat, ſed ſit conſtrictum, & determinatum, ad certa loca, & regiones, & tempora, & ad ſexus, & homines. Cauſamque affert dicens: quod hæc vniuerſalia ſic coarctata, & conſtricta ſunt magis propria, & magis ſimilia quæſito, quod ſupponitur fieri de ſingulari ſignato, cuius naturã, & mores quærimus, non enim nos de toto genere humano iudicium ferre tentamus, neque de omnibus humani generis paſſionibus, ſed de quibuſdam & de certis hominibus tantum, certo in loco habitantibus, & certas quaſdam habentibus conditiones, quę quam pluribus alijs conueniunt, eadem loca colentibus, ijſdemque cibis veſcentibus, & conſimiliter corpus exercentibus, ac demum de ipſis indiuiduis ſimiliter, & non omnes animi paſſiones iudicamus, ſed eas tantum quibus accidit mutare corpus, illudque ipſum afficere, & alterare, ita vt aliquid ſenſibile in ipſo relinquatur, quod ſit ſenſibus aptum cognoſci.

Quæritur cũ plura ſint ſignorũ genera quæ nã alijs p̃ſtent.

Hoc loco dubitare contingit, cum ſeptem ſint ſignorum genera ſupra declarata, quænam ſint alia alijs certiora, & præſtantiora, namque vidimus, quod vox minus videtur ſignificare, quam pilus, & fortè pilus apparentiæ cedit; apparentia autem omnino minus ſignificat, quam corporis figura tale animal, vel talis regionis hominem referens; videndum eſt igitur quodnam genus ſignorum ſit certius, & aptius ad veritatem iudicandam, & quale non, & quomodo plura ſigna vnum aliquando indicent, & quomodo non, ſic enim facilius cum hæc ſciemus, iudicare poterimus, quid decernendum, & minus continget erroris.

Quale ſit propriũ ac præcipuum iudicandi ſignum.

Primum igitur illud ſignum ſciemus magnopere eſſe, & ſignificatiuum, & maxime aptum ad iudicium faciendum, quod eſt proprium illius moris quem indicat, illudque dicitur proprium, quod ex ratione illius moris, vel affectus naſcitur, vt carnis mollities dicitur propria paſſio hominis magnopere ſenſitiui, & ingenioſi, cauſa eſt, quoniam qui dicit ſenſitiuum ualde, dicit hominem paſſibilem maxime, paſſione perfectiua, cuius autem caro paſſibilis eſt, hunc neceſſe eſt ſecundum ſubſtantiam humiditate naturali abundare. Quę cauſa eſt quod homo ſit maxime aptus ad ſentiendum, quare, & ad intelligendum; nam etiam intelligere eſt pati quoddam. Nec ſolum oportet proprium eſſe ſignum, uerum etiã ſtabile, nam proprium ſignum eſt timoris, color pallidus, pili imbecilles, & molles, & oculi conniuentes, ſed color non ſemper manet, oculos etiam poteſt, qui uolet obfirmare, & pilos decidere continget, & duriores naſci.

Cui partes ſectæ ſint dãdæ.

Alterum ſignum eſt corporis propria conſtitutio, & forma, ſiue conformatio, quã pro cuiuſque natura unicuique non ſolum ſecundum ſpeciem, ſed etiam ſecundum numerum adeſſe uidemus.

Cui tertia.

Tertium locum in ſignificando ſibi uendicant communia ſigna, illa autem ſunt, quæ ex principijs proprijs & formalibus alicuius paſſionis non proueniunt, & non minus hanc, quam alteram paſſionem poſſunt indicare, ut frons aperta, & eleuata, & oculi firmi, & immobiles, impudentiæ, & fortitudinis communia ſunt ſigna, non tamen ſat eſt illa eſſe communia, ſed etiam ſint immobilia oportet, & non habeant contrarium, ſed habeant quo determinentur, ut oculorum immobilitas, & rigor ſignum commune impudentię, & forti-

fortitudinis, ferè nihil indicaueritcerti, nisi ad sit signũ aliud propriũ, quod fortitudinem indicet, non autem impudentiam, ex quibus duobus simul iunctis tanquam genere, & differentia commune determinatur, & vt sic loquar, specificatur, vt cum dico hominem esse animal bipes respirans, tales differentiæ cum auibus communes sunt, at si addidero sine pennis, determino priores, & simul conuertibilem faciam prædicationem. Quæ vero neque propria sunt, neq; stabilia, neq; à principijs internis orientia, & nimis communia sunt, & contrarietate non carent, & parum, aut vix apparent, illis nihil omnino, aut admodum parum in iudicando confidere poteris.

Quibus nihil tribuendum.

Figuræ igitur, & apparentiæ secundum morem, & proprijs signis multum tribues in iudicando, nisi sub contrarium appareat, aut repugnans aliquod in eo, quod iudicandum est, nisi etiam ætas, regio, educatio, studium oppositum morem introduxerint. Cum vero oppositasigna apparebunt, aut non apparebunt, pro eorum absentia, aut præsentia, atque pro eorum magnitudine, ac firmitate iudicium, vel firmabunt, vel labefactabunt. Quartum locum dabis incessui, hic enim cum animæ motricis sit opus immediatum, qualis illa sit, facile exprimit; nam ex motiua irascibilis, & concupiscibilis potentiæ vires colligere licet; non enim est motus localis propriè dictus in animalibus, nisi per appetitum, & voluntatem. Quintum locum darem carni, & cuti, & partibus similaribus. Hæc enim est propria materia constituens animal rationale, qualis autem est materia, talem esse formã iam dictum est supra; Cui carni, & cuti inhæret color pilusque, plerunque naturam carnis hinc habebis, deinde ex carne tanquam propria materia, qualis debeat esse informans actus ex membris, quasi ex instrumentis qualitates, & operationes artificis iudicabis, mẽbra autem partes corporis dissimilares sunt, quæ immediatè deseruiunt operationibus animæ, ex figura igitur carne pilis, & partibus hæc dissimilaria membra componentibus, & comitantibus, quid censendum, aut sperandum sit videbis, nisi aliquod in contrarium appareat signum persuadens oppositum. Colori deinde, & voci vltimum tribues locum, nam facile variatur color, si quidem, & regio, & ætas & alimentum, & exercitium, & quamplura alia colorem mutare possunt, vnde cum difficile stabilis sit, difficile etiam illi confidere poteris, & eo magis cum (ut dixi) eosdem ab oppositis causis fieri colores, nihil uetet, quod in Asiaticis, Tartaris, & Aegyptijs eundem ferè colorem habentibus, & tota pene diametro inter se dissidentibus licet animaduertere; uox autem maxime omnium uaria bilis est, atque inter omnia signa differentias habet maxime mutabiles, & ipsa omnino instabilis existit, nam & per ætatem mutatur, & per affectus, etenim ira, amore, odio, timore, tristitia, lætitia subeunte uaria efficitur uox, quam etiam maxime afficiunt destillationes, raucedines, ægritudines, & alia ferè sexcenta, unde ponendum est, quod uocis differentiæ minimam inter omnia signa uim habeant. Quis ergo sit in iudicando signorum ordo, & quæ certiora, uehementioraque sint, quæque debiliora ex his manifestum est. Ita autem natura comparatum est, ut priora derogent posterioribus. Posteriora uero tantum imminuant priorum significationem. Vt caro, & pili duri significant fortitudinem, si cui igitur adest signum illud, eidemque aderit etiam uox acuta, quæ docet timiditatem, tunc iudicabo fortem, & non timidum uirum, quoniam caro in iudicando locum potiorem obtinet, quam uox; quæ cum sit acuta tantum imminuit, & fortitudinem remittit, ut non penitus sit tanta, quanta uidetur significari à pilis, & carne dura, & firma. Non tamen omnino eã tollit, & obliterat, unde si duo signa æqualia, & æqualiter apparentia, & oppositas passiones designantia in eodem subiecto reperientur aliquando, quorum unum sit prioris ordinis, & alterum posterioris secundum indicationem signi, quod est prioris ordinis iudicabimus.

Cui 4. *Cui 5.* *Cui 6.* *Not.* *Duo signa eiusdẽ ordinis oppositæ in eodẽ sub. esse nequeũt*

Quod autem duo signa æque significantia duas oppositas passiones sint eiusdem ordinis, fieri non posse, testatur Suess. non enim (ait ille) possibile est in homine esse duo signa

æqualis

æqualis ordinis, & æqualiter clara, & ſtabilia oppoſitas paſſiones deſignantia, vt caro dura, & mollis circa faciem, collum, & humeros, quoniam in eodem vigore, & in ſuo eſſe ſummo impoſſibile eſt in eodem homine timorem ſimul, & audaciam reperiri, hoc eſt oppoſita eſſe ſimul actu in eodem ſubiecto, ſecundum eandem partem corporis, & potentiã animæ in eodem tempore.

Aduertendum eſt etiam, quod plura ſecundi ordinis certa, ſtabilia, & ſimul conuenientia, ac conſentientia ſuperant illud, quod quamuis ſit primi ordinis, tamen ſolitarium eſt, & eo magis cum incertum erit, & non probe apparens, & manifeſtum. Quoniam plura paucioribus ſemper, & apparentia magis, ijs, quæ minus apparent, & certiora, ac pollentiora, incertioribus, & debilioribus præcellunt, & ad iudicium ferendum magis idonea exiſtunt. *Documen.*

De ſignis igitur vniuerſaliter in humano corpore natis reperiri, & ſignificantibus paſſiones animę, tot dicta ſunt.

Finis Primæ Partis.

COMMENTARII IN PHYSIOGNOMICA ARISTOTELIS

Pars Secunda.

DE CHARACTERIBVS, QVI VT PLVRIMVM animi diſpoſitiones, & inclinationes comitari ſolent. Cap. VI.

Fortis corporis ſigna. Pili duri: figura corporis erecta: oſſa, & coſtæ, & extrema corporis fortia & magna: & uenter amplus, & contractus ad ſe: armi lati & diſtantes, nec ualde colligati, nec omnino diſſoluti: collum forte, non uehementer carnoſum: pectus carnoſum, & latum: coxa contracta: ſuræ deorſum contractæ: oculus charopus, nec ualde expanſus, nec omnino clauſus: ſqualidior color in corpore: acuta frons, recta, non magna: natis neque lenis, neque omnino rugoſa.

HÆC ſecunda eſt pars libelli, in qua duo facit, in primis deſcribit, ſiue enumerat characteres, & ſigna, quæ naturas, & ſpecies vnam & viginti hominum comitari ſolent; deinde methodum affert, qua obſeruata liceat cuiuſcunque priuatæ naturæ indiuiduum hominem ſtatuentis quo ad fieri poteſt, veſtigia, & characteres venari. Prior igitur particula quaſi quædam eſt particularium inſpectio, vt inde methodus vniuerſalis conflari poſſit. Iure autem id videtur fieri ab Ariſtotele, quoniam, cum ſupra Phyſiognomicam artem eſſe oſtenſum ſit, & eam certis ſignis vti; Quæ ſecundum genera enumerauit, & per ordinem digeſſit, vt quæ nam potiora forent, quæque minus valerent, cognoſceremus, conſequens erat (quoniam omnis ars ad particularia deſcendit) ad dictorum praxim quandam accedere, & prius oſtendere, quod qui tales ſunt talia habent ſigna, primum enim ſic patebat, hoc poſito, quod anima & corpus maximam habebant connexionem, paſſioneſque, & affectiones animæ ſignum in corpore faciunt, ex quo facilius conuerſam cognoſcere licebat. Quod quibus talia aderunt ſigna, illi talibus moribus præditi erant, quod poſtea in tertia huius libelli parte fiet.

Mihi autem nunc Ariſtotelis ſententia declaranda eſt, & confirmanda ijs, quas potero rationibus, & quoſdam characteres, præter Ariſtotelicos, ab alijs animaduerſos depromam, quos vel confirmabo, vel reijciam, prout recta ratio poſtulare videbitur. Crederem autem

autem hos tantum 21. attuliſſe, tamquam ſatis ſuperque ſufficientes ad conſtituendam idoneam inductionem, ex qua conſtet vniuerſale, quod methodi, & ſcientiæ dicitur principium. Nam, vt mihi videtur, in horum ſignorum enumeratione nullam aliam intentionem habuit Ariſtoteles, niſi vt oſtendat veritatem eorum, quæ dicta fuerunt ſupra; ſi quidem dixerat ſignis quibuſdam poſſe naturas, & inclinationes hominum cognoſci; id vniuerſaliter fuerat enuntiatum, & confirmatum etiam, ſed quoniam in methodo artificioſa, non ſolum vniuerſale eſt ſpeculandum, ſed etiam in particularibus oportet ſe exercere, & illa conſiderare, ideo poſt vniuerſalem ſupradictam rationem, & methodum, nunc ſecundum illam ad contemplanda particularia ſe conuertit, & an Theorica, praxi reſpon-
10 deat, experitur.

„ *Fortis Corporis Signa.*

Forte corpus appello robuſtum, non tamen ſimpliciter, ſed comparatum cum hominibus, & ijs, qui ſunt ſui generis. Non enim hominem cum Leone, aut Tauro comparamus, aut virum cum fœmina, aut iuuenem cum puero, vel ſene, vel ſanum cum ægroto, ſed fortem, aut mollem dicimus in comparatione ad eos, qui ſunt ſui generis, ætatis, regioniſque. Homo igitur ille dicitur, habere corpus robuſtum, qui comparatus cum alijs ſuæ ſpeciei, maiores moles per ſpatium æquale in minori tempore mouere poteſt, & æquales per maius ſpatium in minori tempore, & talibus præditus eſt qualitatibus, quas enumerauit
20 Ariſtoteles. Non credendum eſt autem ſingula hæc fortem deſignare, ſed putandum, hęc omnia eſſe debere ſimul, & conuenire, ac inuicem iungi, & quod vna conditio non poteſt, omnes ſimul faciunt, ad hoc, vt aliquis ſit robuſtus. Vt enim, cum definitio hominis ſit animal rationale, mortale, tota ſimul; ſi quod animal ſit, non ideo ſubito eſt homo, & ſimiliter ſi mortale tantum fuerit cum animali, non dicitur homo, ſic non eſt fortis, & robuſtus ſimpliciter, qui vel pilos tantum duros habebit, aut figuram erectam, aut magna oſſa, lacertoſque, ſed omnes conditiones, & prædicata ſimul conuenire oportet, ad hoc vt robuſti nomen apte dari poſſit.

Amplius neque quamuis omnia hæc uni adſint, ideo neceſſarium eſt illum ipſum eſſe fortem, primum, quoniam omnes naturales propoſitiones, aut ſi non omnes, quam plures ſaltem verſantur circa materiam contingentem, & ſat eſt, ſi ipſæ ſint veræ, nam vt pluri-
30 mum deficiunt à neceſſario vt docebat Ariſtoteles primo Priorum: Non tamen ob hoc inferendum eſt, hanc cognitionem eſſe vanam, quia non ſit neceſſaria ſimpliciter, ſi quidem omnes artes, & naturales contemplationes ferè, vt medicina, & militaris ſunt huiuſmodi, & tamen non penitus deſpiciuntur, nam eſt quoddam prodiſſe tenus, ſi non datur vltra, neque parum eſt, ſi non ſemper à propoſito ſcopo aberremus. Supponendum eſt igitur in his ſublunaribus nihil eſſe neceſſarium eorum, quæ videmus, & ſentimus, & cauſas quaſcunque poſſe impediri, ne ſuum producant naturalem effectum, ſi non ſimpliciter, at ſaltem, vt hic, & nunc, Socratē enim non aliqua ſcientia à morte liberabit, attamen quod nunc, & hic non moriatur poteſt prohiberi, & euitari.

Nam cum duæ ſint vniuerſi partes, illa ſuperior neceſſaria, in qua nihil per accidens,
40 nihil à caſu contingit, & hæc inferior contingens, in qua cauſæ per accidens, non minus, quam illæ, quæ per ſe ſunt plerunque valent, & operantur; factum eſt, vt humana ingenia facili negotio poſſint decipi; ita vt eorum iuditia fallantur ſæpius, & quandoque videre continget virum omnia ſigna modeſti, & ingenioſi habentem, qui tamen ex oppoſito, aut propter aliquod internum latens impedimentum, aut propter malas eius conſuetudines, & electiones, immodeſtus, impudens, importunus, rudis, impurus, & ineptus exiſtat, ſupponendum eſt etiam, quod ſupradictum fuit, non de moribus, morumque differentijs, qui mores entelechiæ, hoc eſt perfecti habitus dicuntur, aut de

externis accidentibus, aut de electionibus animæ, & liberi arbitrij determinationibus, artem hanc aliquid asserere velle, hoc enim ridiculum, & impossibile est.

Pili duri.

Ad primum igitur propositum reuertentes, dicamus, homo ille dicitur habere corpus robustum, cuius pili sunt duri. Causam innuit quarto Meteororum, quorum enim animalium sanguis est fibrosus, & crassus, illorum pili etiam crassi, & duri sunt, quibus autem talis adest sanguis, illi sunt robusti, ergo robustis insunt duri pili, & maior propositio eo in loco probatur exemplo tauri, qui cum sanguinem maximè fibrosum habeat, & talem, vt subito extra uenatus coaguletur, idem animal robustissimum est, si ergo robusto inest sanguis fibrosus, & crassus, & cui talis sanguis, illi insunt pili duri, vt exemplo tauri, & apri patet, robusto igitur pili duri adsunt. Cæterum cui pili duri adsunt, illi etiam crassos ineſſe neceſſe eſt, qui enim tenues sunt, molles quoque apparent. Causa igitur materialis, ex qua pili duri sunt, dicetur sanguinis fibrositas, & crassities; verum hæc sola causa nō est roboris, si defecerit calor, nam crassus est testudinis sanguis, illa tamen non est robusta.

Verum requiritur etiam causa efficiens, multus calor sedem habens in crasso sanguine, vt multus ignis in ferro candenti; cum enim multus sit calor, multum siccat, multosque attollit fuliginosos vapores crassos, ac uiscidos, qui cū ad cutim peruenerint laxos poros habentem propter multum internum calorem, calidi enim est heterogenea disgregare, exeunt pili crassi, quare, & duri.

Cur pili barbæ crassiores cæteris. Reg.

Vnde ut concausa, ceu instrumentum concurrit, cutis laxitas mediocris, cuius inditium est, quod quoniam laxior est cutis menti, quam reliqui corporis humani, ideo pili barbæ sunt crassiores capillis.

Qua ratione efficitur etiam, ut si euellantur pili, ijsdem in locis crassiores renascantur, nimirum laxiore facto foramine. Poterit autem esse uniuersalis huiusmodi regula.

Quorum corpora, uel corporis partes sunt robustiores, illorum pili, uel pennæ, aut secūdum totum corpus, aut secundum partem illam robustiorem erunt crassiores. Hinc pilimarium plerunque sunt crassiores pilis fœminarum, & pili manus dexteræ erunt sinistræ duriores, quoniam in dextera est maior calor, quare cutis laxior, & calor superat, quoniā magis dextera, quàm sinistra laborat, & mouetur; & pili circa pudenda mulieris eiusdem erunt crassiores, & nigriores, quam pili capitis; pars enim illa in muliere capite calidior est. Quod igitur, & cur robusti pilos habeant duros ex his patet.

„ *Figura corporis erecta.*

Figura erecta.

Secunda hæc passio est, siue secundus character in corpore robusto apparens, non est autem quod dicat Aristoteles, habens figuram erectam est robustus, sed bene ait robustus omnis in suo genere figuram habet erectam, quod in Canibus robustis, Tauris, Leonibus, uidemus, qui eleuatum, & erectum quodāmodo corpus gestant, aut saltem caput, ut etiam uiperæ præsertim cum irascuntur. Amplius in adolescentibus idem apparet; hos enim si aspiciamus, cum iuuenes sunt, & eosdem senes spectemus, uidebimus alia ratione ab adolescente ferri corpus, atque sene. Quod ergo robusti corpora recta ferant ex his est manifestum. Propter quid autem tales sint nūc est dicendum; pilorum duritiesà materiali, at stare erectum à causa efficienti procedit. Cui enim robur multum inest, illi neceſſe est multos spiritus ineſſe, quare, & multum caloris, ubi calor, ibi ignis est, cuius proprium est petere sursum, & secum ferre ea, in quibus præualet, quod uidemus accidere in radijs ex pyrio puluere factis, qui si accendantur, impetuose in aera feruntur, & ascendunt. Hac igitur ratione, quæ calorem multum possident, erecta sunt, cuius inditium etiā est, quod irati caput attollunt, & eriguntur, irasci auem etiam est calorem augeri, nam ira est ebullitio sanguinis circa cor, ebullitio à calore fit.

Quod si quis dixerit si robusti calidi, nunquid & calidi erunt robusti? nequaquā, etenim

robu-

robuſtum corpus duo requirit, vt facile agat, & difficile patiatur. Qui enim robuſtus, v.g., facile alios mouebit de loco, aliorumque manus aperiet, at ſuæ difficillime aperientur, difficulterque ipſe mouebitur. Vt igitur agat vehementer, & facile, multo calore, & igne eget, vt autem reſiſtat multo ſicco, & terra; quapropter robuſti ratio, atq; ipſum robur in igne, & terra poſitum eſt. Quare, vt videmus, ferrum candens multo magis vrere, quam flammam; ſic quamuis homo acutus, ſeu vehemens, atq; ingenio promptus, & robuſtus æqualem vim caloris habeant, tamen propter materiæ diſcrimen diuerſo modo afficiuntur. Nam etiam ignis eſt, qui in prunis, & carbonibus ineſt, & qui in fumo, quem flammã dicimus, attamen propterea quod fumus eſt tenuior multo, ac rarior, quam ſit carbo, ideo minus vrit, minus calefacit, & facilius tollitur, ac pellitur; promptiſſimus enim ad agendum eſt ignis, ſed facillime patitur, & videtur, quod quæcunque apud nos localiter mouentur a cauſa, & principio interno, id illis contingat, aut propter ignem, aut cum igne, aut tandem nõ ſine igne. *Antea laudatis robuſti.*

„ *Oſſa, & coſtæ, & extremitates corporis fortia, & magna.*

Tertium ſignũ eſt robuſti viri, quod oſſa ſint magna, & fortia, hoc eſt dura, & fractu difficilia; quod ſit verum, patet; nam boues, qui vitulis ſunt robuſtiores, & capones pullis gallinaceis, ijdem oſſa habent maiora, & duriora; cauſa vero, quòd oſſa ſint dura, eadem eſt, quæ duros faciebat pilos, ſanguis nẽpe fibroſus, & durus, ac terreus, & calor, qui quo diutius aliquid calefacit, eo ſiccius reddit; Si ergo fortis, & robuſti corporis proprium eſt, vt in ipſo ſiccitas, & terra præualeat, oſſa autem naturaliter in omni animali ſint ſicca, in robuſto erunt ſiccíſſima, quare robuſtiſſima, & apta maxime reſiſtere externis offensã tentantibus. Quoniã autẽ robuſtus calidus eſt, & vbi calor, ibi eſt vis nata dilatare, & extẽdere, quod vero extẽditur multũ loci occupat, hocq; magnũ eſt, ergo robuſtũ corpus magna, & dura habet oſſa, quod etiam teſtatur Virgilius de Entello, quem robuſtum uolens oſtendere ait. *Oſſa magna.*

„ *Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertoſque.*

Exuit. Verum neque character hic conuertitur, non enim ſi quis fortia, & dura oſſa habeat, ſicuti ſenes ille ſubito erit robuſtus, deficit enim calor, in cuius ratione ſitum eſt actionis principium, neque ſimul atque etiam magnum eſt corpus aliquod, illud ideo robuſtũ eſt. Nam creuiſſe potuit, quoniam minimum reſiſtebat materia calori, unde facile potuit dilatari; Quò factum eſt, ut multi, quorum corpora magna ſunt incuruentur etiam in iuuentute, quoniam naturalis deficit calor; quod ſi dicas nonnullos incuruatos eſſe fortiſſimos, ac robuſtos. Non tamen ſunt omnino curui, ſed aliquãtiſper, maximeque id fiet, propter materiæ denſitatem, ac ſiccitatem, quæ maxime reſiſtebat calori agenti, quare in orbem quodammodo contorqueri cum incipiat, dum ſiccatur, & corpus, quod ab ipſo patitur ſecum trahens, eodem modo etiam afficit, & quodammodo incuruat, & contrahit, uidemus autem ferè omnia, ut coria, & arbores, et plura, quæ iam concipiunt ignem, dum amplius ſiccantur contrahi, et à recta figura diſcedere, et incuruari. Patet igitur, quod robuſti oſſa ſunt magna, et dura, et propter quid contingat; Coſtæ item, cum ſint oſſa, ipſæ erunt magnæ, hoc eſt latæ, et amplæ, atque admodum duræ, ut de quodam homine memini, qui cum robuſtiſſimus eſſet, coſtas adeo latas habebat, ut nihil ferè cartilaginis inter unam, et alteram caderet, unde contigit, ut calore oppreſſo, cito morerctur, cum pulmo nõ poſſet attolli, et reſpirare; Quæ magnitudinis cauſa eſt in cæteris oſſibus, eadem eſt in coſtis, quin etiam amplior, quoniam propinquiores ſunt cordi, totius caloris fonti. *Obiectio. Reſp.*

„ *Et corporis extrema ſunt fortia, & magna.*

Extrema corporis uocat manus, caput, pedes, quæ ſi magna fuerint, ac robuſta, ea indicant totum corpus eſſe robuſtum. non dico magna ſolum, nam multorum extremi- *Extremitates magnæ.*

tates, vt pedes, & manus sunt magnæ, vel secundum longitudinem tantum, vel secundum latitudinem tantum, vel secundum crassitiem, vel etiam secundum omnem dimensionem, & tamen illi robusti non sunt.

Quod patet exemplo quarumdam mulierum, aut virorum etiam, quorum pedes magni sunt, & longi, & lati; ijdem tamen imbelles omnino sunt corpore, vt omnes ferè gibbi, qui potius monstra sunt, quam secundum naturam aptè fabricati. causa est materiæ mollities, & prædominatio humidi, quæ à calore, quamuis mediocri mouetur, attamen inordinata, & indigesta remanens, mole quidem magnum, virtute tamen paruum facit membrum, non solùm igitur magna debent esse extrema, sed etiam robusta, ita vt actiuè, & passiue multum roboris possideant, & tunc à parte ad totum licet argumentari. Cuius extrema sunt robusta, & fortia, illud animal totum videtur esse robustum, & forte, cuius, vt visum est, causa effectiua est ignis, & calor, materialis autem est siccitas, & terra, & vtrequę simul requiruntur ad hæc signa producenda, quoniam ratio fortis, & robusti hominis in multa terra, quæ multo igni coniuncta est, reponitur, cuius causa formalis est certa proportio, & complexio multæ terræ, & ignis, quatenus hæc primum siccorum est, alter autem primum calidorum, videtur autem in complexione robusta ignem pene totum terræ frigus expunxisse, illiusquè siccitatem proprio sicco quodamodo intendisse, & sic robustum hominem produxisse.

„ *Et venter amplus, & contractus ad se.*

Venter amplus & contractus

Per ventrem intelligit Aristoteles, vt opinor, totam illam cauitatem, quæ continet membra nutritioni seruiẽtia, nimirum, stomachum, siue ventriculum, epar, lienem, & intestina, amplum autem intelligit, hoc est longum, & latum, vt multa sit distantia ab ore ventriculi ad pubem, & ab vna notharum costarum ad oppositam, siue ab vno capite ossis ilium ad alterum, quæ ventris inferioris est latitudo, contractum autem intelligit ventrem, qui planus est, & pene concauus, & oppositus ei, qui tumidus est, & ceu prægnantium mulierum attollitur. Est igitur signum quartum roboris naturalis venter amplus, et ad se contractus, quam contractionem videmus in leonibus, et tauris, etiam et in canibus generosis. Cæterùm ventriosi homines plerunque imbelles sunt, & proprio pondere cum impediantur, vix se ipsos, et multo minus alia mouere possunt, vix enim corpoream molem superat vis motrix. Cur autem robustus ventrem amplum habeat, hæc causa videtur, quoniam robusto multus calor ineſt, quare et multum humidi consumit, ergo multa eget instauratione, qua propter, et multo cibo, at cibus si multus est, necessario et locum requirit amplum, in quo reponi naturaliter possit, locus autem cibi est venter, ergo robusto amplus venter requiritur, in quo multus cibus ingeri possit; verum non solum amplitudo, & capacitas requiritur, sed etiam quod sit contractus, hoc est, non tumens, non prominens, vt in prægnantibus, et ventriosis, non inflatus, vt in hydropicis, et gulosis hominibus, et heluonibus (in his.n. præter naturã amplus est) non decidens, vt in antiquioribus fœminis, quæ iã dudũ pepererunt) sed cõtractus, hoc est cõpressus, et cõcauus, potius quã cõuexus.

Vētrio si imbelles.

Quoniam hæc compressio vigorem musculorum abdominis, et robur eorumdem docet, robusto enim duri, et compressi adsunt musculi, cuius inditium est, quod ex opposito debilis habet carnem musculorum flaccidã; quare cui non flaccida sm̃ naturã dispositio, ille nõ debilis est, At non flaccida caro ineſt ei, cui musculi solidi, et duri existunt, ergo qui carnẽ non flaccidã habent, illi musculos robustos nacti sunt, quare, et robusti existunt, sit igitur ratio talis, robusto oẽs musculi duri, et compressi inexistũt, et qui facile versus propriũ principiũ contrahũtur, ergo etiã musculi abdñis idẽ patiẽtur, cui autẽ tales sũt abdñis musculi in se ipsos cõtracti, illi cõpressus est vẽter, robusto igitur cõpressũ esse ventrẽ ponẽdũ est, at cõtractionis huius causa est calor, q fortis existẽs, humores, flatus, & pinguedinem

absu-

absumit, quæ tumorem ventris solent causare. Quare, & ita natura comparatum est, vt adolescentes magis compressum habeant ventrem lenibus, & sani ægrotis, & viri fœminis, robustiores enim, & calidiores; non ergo vir ventricosus pulcher erit, minime etiam robustus ac secundum naturam dispositus, sed neque omnino sanus, aut diu prospera valetudine fruetur, nam signum est, quod calor naturalis potius à materia, & humore excrementitio superatur, quam ipse superet, ac vincat.

„ *Humeri ampli, & distantes.*

Humeri ampli.

Eadem ratio est huius positionis, & superiorum, nam causa efficiens hoc est naturalis calor semini inexistens, quo vtitur vis formatrix cum sit fortis valenter mouet, atque extendit materiam, unde partes illæ in quibus maxime viget, sicut sunt pectus, & oppositi armi distenduntur, & lati efficiuntur, & distantes apparent, non tamen secundum circulum sed secundum lineã rectam, qui enim incuruos, siuè conuexos habent humeros, illi nescio quid malignitatis, & animi demissi, potius quã corporis robusti, & magni animi inexistit, nam signum est, materiam rebellem esse, & calorem non adeo fortem fuisse, qui illam resistentem superaret, hoc in gibbis experientia docet; quod igitur signum prædictum ostẽdat robustum virum, non est dubitandum. Nam si in robusto, ossa, & costæ sunt magnæ eiusdem rationis est armos pectusque & ex ossibus magnis constantia membra esse lata, & magna; quare, & extremitates inter se distãtes habebit, sit ratio talis, Robusto inest multum caloris, & ossa magna, & corporis partes extensæ, cui hæc insunt illi armi lati, & distantes adsunt, Robustus igitur humeros magnos, latosque habebit, nam aliter magna ossa non haberet, vt tamen dictum est, latitudo hæc secundum naturam esse debet, ac secundum rectam lineam elementa enim ex quibus est nostrum corpus nata sunt recta moueri.

„ *Nec ualde colligati, nec omnino dissoluti.*

Humeri non colligati.

Nam si nimium colligati essent, male se ad opus explicarent, & uirtutis formatiuæ impedimentum, quare, & debilitatem, arguerent, colligatos appello male formatos, non per tecte dearticulatos, nec probe distinctos, ut ad actiones quorum sunt instrumenta bene, & omni quaque parati non sint. Si ergo humeri colligati arguunt materiæ impedimentum, & uirtutis formatiuæ, siue caloris naturalis debilitatem, probabile est, cui non insunt humeri colligati, oppositam inesse dispositionem, atque ideo multum caloris, ac spirituum; quæ robusto uiro accidunt. Quare cum talis humerorum dispositio calorem naturalem spiritusque maxime uiuidos esse doceat, iure fortis, robustique corporis sunt indicia.

„ *Neque omnino dissoluti.*

Hoc est neque ijdem humeri adeo male ligati, & compacti erunt, ut cadere uideantur; debilis enim uiri hæc signa sunt, arguunt enim huiusmodi humeri hominem laxa admodum, & fluuida materia, & corporis compage præditum, & nimis facile cedentem calori naturali, quare si cui inest hoc signum, illi inest carnis laxitas, & humiditas superflua, cui hoc illi non adest requisita siccitas, uerum siccitatem de ratione robusti esse diximus, est igitur inferendum, quod armi laxi, & dissoluti, debilitatem potius quam uirium robur ostendant, quod fuerat propositum, quare robustus latos humeros bene compactos, non omnino dissolutos, neque admodum ligatos, & constrictos feret, sed medius erit inter utrunq; prædictorum extremorũ medietas autem in his cõpositis perfectio est, & uirtus.

„ *Collum forte, non ad modum carnosum.*

Collum forte.

Quod collum (quatenus est pars corporis) si robustum fuerit totius corporis robur significet, indicant Tauri, quorum collum robustissimum est, & ipsi quoque multo

robore, secundum totum corpus præditi. Causa autem, propter quam robustum corpus animalis, etiam robustum habeat collum (hoc est totam illam partem, quæ inter caput, & humeros intercedit) hæc esse potest. Quoniam, quæ multo robore prædita sunt animalia, ea etiam principium neruorum, & motus omnis uigorosum habent, quare, & necessario amplum, virtus enim omnis naturalis, eadem secundum speciem existens, quo maior est, maiorem etiam suæ materiæ molem requirit. Quare quæcunq; animalia multo robore prædita sunt, cum collum, & ceruix sit prope neruorum principium, hanc partem, & amplam habent, & non admodum carnosam, quoniam robur illius partis, non in multa carne, sed magnis ossibus, & neruis est posita, si enim carnosum, & pingue admodum esset collum, exuperantiam humoris denotaret, verum iam suppositum est robur in sicco, & calido, non autem in humido esse repositum.

„ *Pectus carnosum, & latum.*

Pectus latum. Sexta hæc (nisi fallor) est proprietas fortis, quod pectus habeat carnosum, & latum, non enim sufficit quod sit carnosum, nam & fœminæ carnosum pectus habent, & qui stricto sunt pectore præditi quandoque carnosum habebunt, & quam plures uiri, quoniam temperatum calorem habent, multa carne abundant circa pectus, sed hæc à robusti ratione non pendent. Robusto autem ita adest pectus carnosum, vt non mammæ, quasi lactanti fœminæ extendantur, & pendeant, sed carnosum ita est, vt costarum nullum appareat vestigium, thoraciscque musculi sint carne multa & robusta præditi, non autem adipe, aut seuo multo; causa est, quoniam robustum animalis corpus dicimus, quod promptum est ad motum, & ad agendum; animal, quod est huiusmodi, instrumenta motus robusta, & valida habet. Hæc instrumenta musculi sunt; robustus igitur homo validos musculos fortitus est, carnosos igitur, nam musculus nihil est præter fibrosam carnem, de ratione igitur musculi caro est. Magnus igitur, ac robustus musculus necessario multa carne præditus fuerit. Et latitudo à multo calore, qui circa cor existit, caulatur, calidi enim est dilatare. Cui autem multus calor, & eidem multi adsunt spiritus, & cui multi spiritus, illi etiam amplus debetur locus, in quo spiritus efficiuntur, hic cum sit pectus, oportet id esse latum; Amplius robusto inest multus calor, eget igitur multa refrigeratione, quare, & multa aeris attractione, verum multus aer, amplum pulmonem, & locum in quo colligatur requirit, locus hic est pectus, In robusto igitur necesse est pectus esse latum, non tamen in medio concauum, nam figura talis respirationem impedit, aut minuit, sed neque conuexum, id enim iam vitium est in conformatione, & auium, aut brutorum potius, quam hominis naturam referunt, qui tale pectus nacti sunt, sed latum, & planum robusti hominis. & secundum naturam bene dispositi debet esse pectus.

„ *Coxa contracta:*

Coxa contracta. Hoc etiam ad robur pertinet, vt sit iam septimum signum, & sumitur à prædominio, quod habet virtus formatrix super materiam, vel forte à naturali dispositione partis organicæ. Per coxam intelligimus totam illam partem humani corporis, quæ à natibus & inguine, vsque ad genu protenditur. Hæc ergo ex magno osse, multisque musculis, & multa carne, fibris, ligamentis, neruis, venis, & arterijs constat, insigne enim est instrumẽtum corporis humani ad motum, Sueff. videtur velle quod coxa contracta opponatur fœmineæ coxæ, quæ secundum illum est prominens, & arguit multitudinem materiæ, ego autem non solum prominentem sed crassam admodum, & multa molli carne refertam credo naturaliter coxam muliebrem (non tamen musculosam, & torosam, sicuti est virorũ fortium, in quibus figuræ musculorum dearticulatæ & distinctæ apparent, ipsiquè musculi conglobati, & contracti videntur) sed ita delicatam, & mollem, & vniformẽ esse, vt ni-

uis

uis, vel lactis referat preſſi maſſam. Quare contractam coxam dicerem illam, cuius muſculi indicant, quod verſus ſuum principium contrahantur, tales enim muſculi parati ſunt ad trahendum crus, & pedem ad partes anteriores, vnde oritur velox motus, qui robur mouentis virtutis arguit, quare ſit ratio. Cui robur, illi adeſt multus ſpiritus, & multa promptitudo ad motum, cui hæc adeſt, eidem & inſtrumenta motus robuſta adſunt, ſed inſtrumenta hæc ſunt præcipui crurum, & coxendicum muſculi, ergo cui robur corporis ineſt, eidem quoque validi muſculi adſunt, at hi ſunt, qui uerſus principium ſuum viuide, & prompte ſecundum naturam contrahuntur, ergo cui robur, illi ſolidi, & contracti muſculi inexiſtunt, quare, & coxæ contractæ etiam ſunt, vt infra dicetur. Memini me uidiſſe robuſtiſſimum virum, qui vix brachia extendere poterat, adeo præ robore illi contracti erant brachiorum muſculi, & idem cum in curſu eſſet velociſſimus & diutiſſimè duraret, duram habebat coxarum carnem, mediocriter piloſam, & vix ad poſteriores partes poterat inflectere crura, vt ſi calce retrorſum percuſſurus eſſet aliquē, nequaquam id facere poterat expedite.

„ *Suræ deorſum contractæ:*

Eiuſdem generis ſignum eſt hoc cum ſuperiori, & ab eadem cauſa pendet; per ſuram intelligo partem carnoſam, quæ à genu verſus pedis calcem producitur, quæ tibiæ adhæret in parte poſteriori, quæque retrahit tibias ad nates attollens pedem. Quando igitur dicit, Suras deorſum debere eſſe contractas, ita ego intelligerem, quod carnoſi illi muſculi, quibus demandatum eſt hoc munus, vt retro trahendo attollant pedem, debent eſſe in parte ſuperiori carnoſi, & craſſi, at cum procedunt verſus calcem pedis, quo in loco implantantur, quoniam tunc degenerant in validiſſimum tendinem, neceſſe eſt quod illi cō trahantur, & minorem molem oſtendant, vnde contractæ deorſum apparent ſuræ, ſi quibus igitur, vt experimento patet, multa caro adeſt circa pedis calcem, & malleolos, illis paucus adeſt vigor, fœminaſque referunt, & ad motum uidentur inepti; ex aduerſo, quibus contractæ deorſum ſuræ, apti ad curſum, quare, & robuſti erunt. Cauſa vero eſt, petita ab optima inſtrumenti conformatione, & enim robuſti muſculi, ſunt multis fibris pręditi, cum autem multas fibras habent, craſſos etiā tendines producunt, robuſti igitur muſculi craſſos in fine habent tendines, qui ſi comparentur cum parte carnoſa ſuperiore ipſius ſuræ, ſunt multo ſubtiliores, quam ſit ipſa caro muſculoſa. *Sura contracta.*

Iure igitur dixit fortibus ſuras deorſum contrahi, hoc eſt in tendinem degenerare, qui mole minor eſt, quam ſit tota ſura, ſed longe firmior. Hinc factum eſt, quod mulieres, cum nequaquam ſint natura robuſtæ, hanc ſuræ contractionem non patiuntur, neque apparet, in his præſertim, quæ declicatiores ſunt, tendinum prædictorum ferè ueſtigium aliquod, cauſa eſt quoniam minus fibroſa, & magis mollis eſt earum caro, quare ad calcem uſque pedis ſura illarum inſenſibiliter degenerat, & teres malleolus, & calcaneus paruum pedē, & carnoſum, & mollem excipiunt.

„ *Oculus charopus, nec valde expanſus, nec omnino clauſus: ſqualidior.*

Octauum fortitudinis ſignum ſuppeditant oculi, & rationabiliter quoniam eſt à cerebro uis neruorum, qui primi ſunt motus inſtrumenta, qualis oculus, tale cerebrum eſſe debebit, & quale cerebrum à quo trahunt originem nerui, tales etiam ipſi erunt, à neruis autem non ſolum ſenſus, ſed uis omnis motiua pendet, quare motus localis, qui roboris prę-cipua operatio eſt, rationabile ſignum erit oculus, ab eo enim cerebri qualitas, & uis dignoſcitur. *Oculus cæſius.*

Charopum oculum fuluum interprætatur Sueſſ. & Leonis uocat colorem auctoritate Virgilij, qui fuluum vocat Leonem, quem cæſium dicebat Catullus, neque tamen cæſius

coior

color uidetur coincidere cum fuluo; idem deinde ex auctoritate Gellij, videtur ex ruffo & viridi productum.

At sane fuluum, & cæsium colorem esse eundem non putandum est, sed cæsium quasi cælium, hoc est cæleſtem dictum volunt, hic uero nulla ratione est fuluus, aut rubedinem sapiens, sic & Mineruam cæsiam dicunt, quoniam hic color est proprius oculorum eius, qui pugnis, & bellis delectatur, quales Sarmatæ.

Porrò fuluus color ille est, quem in auro, aut in cortice aurantij mali aspicimus, at ille color bilis multitudinem indicat, bilioſi vero non necessario sunt fortes, & robusti; quin fœminæ, quam plurimæ, quę eędem iracundissimę cum sint, omnium maxime imbelles, & timidæ existũt; Thesaurus linguæ grecę charopos vocat, ex Plutarcho oculos Germanorum glaucos scilicet, truces, & truculentos, glaucum autem dicit esse colorem maris incipientis intumescere, atque irasci.

Ego autem quod ad Virgilij auctoritatem pertinet, putarẽ vocari leonem fuluum, nõ ex colore oculorum, sed ob eius pellem, quæ fulua est, & quo ad oculos robustorum non tantum crederem colorem esse respiciendum, sed alacritatem quandam, & spirituũ multitudinem, quæ colorem quendam sub flauum, & quasi igneum generat, cum quadam nigredine iunctum, quem colorem licet intueri in flamma ex nauali pice excitata; hunc, Hesichius ait, in oculis Herculis apparuisse, & Virgilius. Diuini signa decoris, Ardentesq; notate oculos; duo igitur nunc intelligo per hanc vocem in oculo significari, uempe alacritatem, seu spirituum copiam, nec non & colorem glaucum, vel cæsium, quem proprie videmus in flore lini, sed ita ardentem, vt præ ardore, & spirituum copia in flammeum sub obscurum, seu saturum ruborem degeneret, cui etiam interpretationi videtur assentire Aristoteles, cum viri pulchritudinem exponit in Rhetoricis cuius talem esse aspectum dicit, vt simul delectationem, & terrorem, siue reuerentiam generet.

Galenus quoque inter cæteras causas coloris cæsij oculorum affert humoris paucitatẽ, & puritatem, vbi autem paucitas humoris adest, vbi præualet siccitas, quæ intrat rationem roboris, vt dictum est supra, & hunc colorem ad calidum internum referunt quidam, ex Aristotele dicente, meridionales ideo nigros habere oculos, quoniam interna frigent, quare pauco spiritu, & calore abundant, externa vero, quoniam calore aduentitio uruntur, nigrescunt. At aquilonares cæsios habere oculos ob nimium calorem internum. Quod si res ita se habet, clarum est, oculum charopum esse ardentem, & cæsium, dicereque in homine multum esse caloris sicci, & spiritus, quare qui robustus est, tales oculos possidet alacres, & cæsios, Tota autem ratio desumpta est ex 14. sectione problem.

Verum nõ satis est in robusto talem esse oculum nisi addideris cum certa mediocritate coniunctum, ut neque plus iusto sit expansus, neque clausus.

Oculus expensus.

Qui enim oculus expansus est, nimisque aperitur, & magnitudinem habet, materiam multam, & uirtutis operantis debilitatem arguit, quod etiam teste Hipp: in prognosticis accidit ijs, qui morbo acuto laborantes sunt perituri, cum enim debilis admodum facta sit uirtus, quæ corpus regit, ac gubernat, oculum in somno claudere exacte non potest, expansus itaque quodãmodo remanet, atque albedo apparet, quod uicta, ac succumbente uirtute iam mortem instare docet si quem igitur naturaliter eodem penè affectu prędituin uiderimus, quem in ægroto, & præter naturam dispositio contingit apparere aliquando, illum sane hominem breui perituruin non affirmabimus, in eo tamen uirtutes animæ ita affectas dicemus, ut ab eo similes effectus ijs, qui in ægroto uidentur, expectare possimus, hoc est, operationes debiles, & imperfectas expansus igitur, & nimis apertus oculus, tum propter rationes prædictas, tum quoniam nimium à natura propria, hoc est à naturali mediocritate discedit bonus non est, quare neque corporis bonam dispositionem, ergo neque salubriratem, neque robur quod necessario ponit sanitatem, illi, qui tali præditus est oculo,

lo, ineſſe dices. Similiter ſi nimium clauſus, & conſtrictus ſe ſe offerat oculus, illum probabile eſt, non eſſe bonum, vtrumque enim extremum cum mediocritati opponatur, eque damnabile eſt, virtus autem compoſitorum omnis naturalis in mediocritate conſiſtit, quoniam ex contrarijs ſimul mixtis, ac temperatis reſultat. Oculus igitur plus nimio clauſus reſolutionem neruoſarum partium indicat, non potentium oculos, et palpebras attollere, præter naturalem igitur cerebri ſtatum deſignat, quare non bonum, non igitur arguit inculpatam, et perfectam ſanitatem, nam deficit in optima temperie humorum, ergo neque naturale in corpore robur erit. Cui igitur expanſus, aut concluſus plus iuſto fuerit oculus, illum probabiliter non dixeris robuſtum.

Color qui in corpore ſqualidior.

Color corporis.

A colore cutis ſumit Ariſtoteles nonum ſignum, quod comitatur robuſtos. Dicit ergo robuſtus cutem habet externam ſqualidiori præditam colore, primum videndum eſt, quis ſit color hic, deinde, quòd tali colore prediti ſint robuſti, demum cur id fiat. Squalidum colorem latini videntur dicere eum, quem habet arens, ac præ ſiccitate ſterilis ager, qualem videmus in ſubalbido puluere viarum publicarum, vel in terra exſiccata, et ad arenoſum accedẽte, proprie ſqualor à ſquamis piſcium, et à quodam horrore ſubtristo dictus videtur, ſic ſqualentes angues, et piſces ſquamis obſitos ſqualidos dicunt, et ſordidũ ſimiliter ſqualentem appellamus, ſic Virgilius ſqualentem barbam Hectoris, et concretos ſanguine crines, et Lucretius ſqualida vocauit membra, et Statius ſqualidum ſudore eum eo, quod multus faciat membra ſqualida. Mihi videtur, quod color ſqualidus ille dici poſſit, qui in alba, ſed aſpera, et inæquali contingit ſuperficie, propter quam ſperitatem cum vna particula alteri ſuperemineat, factum eſt, vt vna proijciat vmbram ſupra alteram, et nigroris quãdam generet apparentiam. Sic qui ſordidi ſunt, cum inæqualem cutem præſordicie habeant, vocantur ſqualidi, et ſenes, qui rugoſam faciem habent, ſqualidi dicuntur. Hoc autem loco non virum ſqualidum, ſed colorem vocat robuſti ſqualidiorem, hoc eſt, accedentem ad ſqualorem, non autem penitus, et perfecte ſqualidum, quem videmus in mortuo, et multa fame, multoque dolore vexato, et macro. Græca vox αὐχμηρότερον, quam ſqualidiorem interpretes uerterunt, arentem, ſiue ſicciorem ſignificat colorem, quem terræ ſterilis, et exſiccatæ dixere; quis igitur color ſit iſte ex prædictis patet.

Quod autem ſit talis robuſtorum color docet Sueſſ. diceps, ſi albi, ſiue candidi, et nigri ſunt timidi, ergo ſqualidi erunt fortes; nam oppoſitorum oppoſitos eſſe colores probabile eſt, ſed ratio non uidetur omnino firma, primum quoniam albi non ſunt timidi, quod patet in Germanis, qui albi ſunt, nec tamen timidi, & contra nigri Aethiopes & habitatores Guineæ, qui tamen ſunt timidiſſimi, & multo magis niger albo colori opponitur, quam ſqualidus, adde quod de animi fortitudine nunc non eſt ſermo. Fuſci etiam ſunt Hiſpani, ijdem audaciſſimi, neque quidquam uetat, res oppoſitas ijſdem eſſe prædictas coloribus, uidemus niuem frigidiſſimam, & aqueam eandem eſſe albiſſimam. Caphuram, Salnitrũ, Aphronitrum calidum, & candidum.

Nigerrimus eſt quidam lapis, quem uocãt indicem lydium, idem etiã eſt frigidiſſimus, at contra pix calida, quæ tamen nigra eſt.

Quare quod tali colore affectus ſit robuſtus, ſic crederem poſſe oſtendi, tum quoniam ebeni, & illicis duriſſima, & robuſtiſſima ligna, tali ſunt prædita colore, tum quoniã Tauri cæteris robuſtiores putantur, qui ad nigrorem accedunt. Hic autem eſt, ut dixi, uel terræ arentis præ ſiccitate, uel cineris color. Vtrique ex calore in ſiccum agente proueniunt, unde ſi cauſa afferenda eſt, propter quam robuſtus ſit ſqualidior, hæc eſſe poterit. Quoniã robuſtus omnis eſt calidus, & ſiccus ſecundum corpus, hoc eſt ad calorem, & ſiccitatem inclinat, non tamen ita, ut omnino ſit exſiccatus, ut qui laborant febre hectica, calidum, &

ſiccum

ſiccum corpus maximè circa exteriora ſit colore ſqualidiori, robuſto igitur colori inerit ſqualidior; minor iam ſupra declarata eſt, nam in temperie humana robuſtus ad calorem, & ſiccitatem declinat, terræ enim, & ignis eſt actiuum robur, vt dictum eſt, cuius inditium eſt, quod melancholici quidam, dum adaucta melancholia, & accedente paroxiſmo febrili, humor ille plus iuſto incaleſcit, & ardet, illi furentes, audaciſſimi, & robuſtiſſimi efficiuntur, quod paſſim videre eſt in quibuſdam fœminis, quæ huiuſmodi melancholicis ſpiritibus vexari putantur; maior item ex hoc exiſtit clara, quoniam videmus æſtiuum pulueres, & cinerem tali colore ſqualido præditum. Dico tamen robuſtum, non ſqualidum, ſed ad ſqualorem accedentem: Nam ſqualidus ſimpliciter omni humore priuatus eſt, at ſqualidior docet in corpore ſiccitatem, in exteriori dominari, non tamen omniquaque, optima autem præditum temperie corpus humanum, intus calidum, & humidum, extra ſiccum, & frigidum eſſe debet, ſcilicet terminatum proprio termino, taleque neceſſario ſiccum eſt, & in ipſo præualet terra, ſed ſciendum eſt, ſignum hoc quamuis robuſtum ſequatur; in iudicando tamen minimum illi fidendum eſt, & eo magis ſi fuerit ſolitarium.

Acuta facies, recta, non magna.

A faciei figura capitur decimum ſignum viri robuſti, Acutam faciem crederem dicendã illam, quæ non eſt rotunda, hæc enim muliebris eſt, nam ſi rotunda foret, non eſſet recta, & acutam ideo vocat, quoniam mentum producitur, & ab ore ad extremum menti, quod exiſtit ſpatium, extra circulum protrahitur, cuius centrũ eſt in medio ſuperciliorum, & circumferentia per os, & ſummam frontem fertur, per faciem autem intelligimus omne ſpatium, quod eſt à fronte ſumma, vbi incipiunt capilli, menſuratum à linea perpendiculariter ſupra naſum procedente, in extremumque deſinente mentum, & à foramine auris vnius ad alteram. Hæc autem in vno quoque naturaliter diſpoſito tanta eſſe debet, quantum eſt ſpatium, quod ab extremo pollicis ad extremum digiti medij exacte expanſum intercedit, quare cum illud ſpatium non æqualiter ab omnibus ſit complexum, neque eadem eſt faciei longitudo in vnoquoque. Quorum igitur extrema parua ſunt, illos fortes non eſſe, dictum eſt, tales autem, & manus habent paruas, neque magnum poſſunt ſpatium capere expanſo ſuo ſpithamo, vnde paruam faciem habent plerunque. Quid igitur per acutam faciem intelligendum ſit, ex his patet, vel ita, vt clarius intelligatur (qualis debeat eſſe facies viri robuſti, & quæ dicatur longa, & quę non) mente concipiamus quadratum cui inſcriptus ſit circulus, in circulo inſcribatur facies uirilis in proſpectu poſita, ſic cõtinget extremos frontis capillos circumferentiam tangere in puncto A, vtriuſque auris foramina, in pũctis B. C. oris labrum ſuperius ſua extremitate tanget, Dlat extremũ menti vſq; in E, angulum quadrati producetur, ſicut vertex capitis peruenier ad F.



A. D. itaque linea notat perpendicularem ab extremitate capillorum ſupra frontem locatorum, ad

labrum

labrum vſque ſuperius; D. E mentũ, B. C. faciei latitudinẽ, quę eſt ab aure ad aurem, F. A, & D. E linea capitis anteriorẽ longitudinem indicat, quę linea ſeptima erit pars eius, quę ab apice ad imam plantam traducta totam virilem ſtaturam metitur, quæ vero facies mentum habebit non protenſum uſq; ad E, ſed paulo minus, quo magis ad circuli circumferentiam accedet, eo magis fœmineam referet ſpeciem.

Recta etiam debet eſſe facies non concaua, neque conuexa, non orbicularis, hoc enim ideo dictum eſt, ut hę tres figuræ expungantur, & excipiantur. Cæterum longam faciem, illam ſcilicet cuius mentum acutum eſt, bellicoſum quidem hominem ſignificare, audacem, atque indignabundum reperio, non tamen fortem, & robuſtum, & Ariſtoteles infra dicet, quod facies magna pigritiam ſignificat. Quare hac lectione relicta, & repudiata interpretatione Sueſſ. forte pro facie legenda eſt frons (quod præcipue grecũ nomen ſonat) vt per frontem acutam, & rectam, & non magnam, intelligamus eam, quam Ariſtoteles infra magnanimo, & leoni attribuet; frontem igitur acutam dico, habentem angulos acutos ijs in locis, vbi cum capillis iungitur, rectam ſimiliter voco, quæ neque cauitatibus, neque tuberculis, & prominentijs ſit repleta, & non magna neque parua, ſed ſita in mediocritate, hoc enim eſt ſecundum naturam; ſi quidem magna frons refert aſinos, & præcipuè conuexa, qui inertes ſunt, parua autem eſt porcorũm, aut ſimiarum, quorum animalium vtrumq; prauos mores animi, & nuſquam robuſtum corpus exprimit. *quid lẽga facies indicet.*

Quod igitur obuſtus frontẽ habeat acutãſic patet, aſt idem demonſtrare ex principijs prædictis eſt valde difficile. Verũ quoniam, & alia accidentia confirmata ſunt, de hoc etiam aliquid tentandum eſt afferre probabiliter.

Supponamus itaq; elemẽta, q̃ in noſtro corpore reperiunt̃, & illud ipsũ ſtatuũt, refractas quidẽ habere ſuas qualitates, formã tñ propriã nõ exuiſſe omnino, quare, & ſuarũ operationũ continue veſtigia in vno quoque compoſito ſm̃quod ſuperant, & dñantur oſtendere, ex quo dicamus. Si robuſti ratio in calore poſita eſt, moderate excedente alias qualitates, & cum ſiccitate iuncto, ignemque calor hic referat, ignis eſt proprium ſurſum ferri, & pyramidem referre, pyramis autem acutos angulos habet, quare robuſti ratio, & eſſentia, quoniam ignea eſt, oppoſitas partes terreas, quales ſunt capilli, aut eorum materia penetrans, & vrgens, tum à dextris, tum à ſiniſtris, ijs nimirum in partibus, quæ facilius cedunt conficiet angulos acutos; Et forte ſic frontem dicemus acutam; eadem autem ratione recta erit, in rectum enim mouetur ignis, & recte fertur, cum non impeditur, at quoniam diximus, robuſtum habere materiam ſolidam quidem, attamen naturaliter cedentem calori valide agenti, ideo efficitur, vt frons ſit recta. At quando concaua, vel curua eſt, vel orbicularis, vel tuberoſa frons, tunc materiam rebellem, & motui ineptam, & caloris formantis arguit ignauiam; quare huiuſmodi frons longe à robuſto diſtat, in forti ſimiliter non eſt frons magna, namque hanc bouis, vel aſini diximus, ſed eſt non magna, non autem parua, verum mediocris, & ſecundum decentiam, etenim iam diximus, robuſtum, valde ſecundum naturam eſſe diſpoſitum, quare partes eiuſdem neque deficiunt, neque excedunt ab ea, quæ eſt ſecundum naturam diſpoſitione, ſic igitur fortè rationabiliter dicemus, robuſtum, neque magnam, neque paruam habere frontem, ſed acutam, & rectam. *Magna frons et parua mala.*

„ *Natis, neque lenis, neque omnino rugoſa.*

Nates, aiunt, à nitendo dictas, duę ſunt carnis prominẽtiæ craſſę, ſecus os ſacrum poſitę, quibus ſedẽdo innitimur. Has tantum in homine reperiri dicunt, cæterum neque vox græca ἰσχίον hoc præcipue ſonat, neque videtur probabile Ariſtotelẽ ad hanc partẽ ab oculis, & à fronte ſubito decidiſſe, vox græca ἰσχίον lumbos interpretatur, ſiue coxendices; & eum locum propriè indicat, cui à morbo iſchiadico torqueri accidit; amplius aſſeruntquidam,

dam, quod Nates nigræ, & piloſæ roboris ſignum ſunt, vnde Herculem melampygum, quaſi nigras nates habentem vocabant, qui heroum omnium fortiſſimus eſt habitus, & vt pingues, & molles nates ſunt fœmineæ, & debilitatis inditium, ita oſſeas, & duras, & macras robur indicare aiunt, attamen de læuore, & de rugoſitate nihil hactenus dictũ eſt, ſed infra nates acutas, & oſſeas fortibus tribuit, non autem mediocriter ſe habentes inter leuorem, & aſperitatem, ſiue rugas. Alij, loco natium, genas legunt, ſunt autem genæ partes, quæ ſub oculis ſunt repoſitæ, verum vox hæc græcæ litteræ nuſquam reſpondet, atque nuſquam memini vidiſſe, quod nates, & genæ apud Græcos eodem nomine vocarentur, Sueſſ. legit nates, & has, ſi tales fuerint, quales ait Ariſtoteles, fortitudinis ſignum eſſe dicit, quoniam referuntur ad decentiam, mihi autem multo maior decoris, & conuenientiæ portio conſiſtere videtur in hoc, quod nates ſint carnoſæ, rotundæ ad magnitudinem, & pinguedinem inclinantes, lenes, candidæ, & glabræ, quam quod ſint neque leues, neque rugoſæ, quæ verba quandam medietatem inter rugas, & extenſionem aſperitatem, & leuorem, videntur notare.

De genis igitur forte poſſemus ſyllogizare, quod roboris ſignum forent; ſiquidem robuſtus eſt, in quo præualet ſiccitas, & calor, in quo præualet ſiccitas, in eo non eſt leuor; ex Ariſt. ſecundo de generatione, leues igitur nõ erunt genæ, ſicuti in pueris ſunt, & mulieribus. Verum neque rugoſæ, nam rugæ ſenectutem indicant, vbi ſenectus ibi deficit calor naturalis, vbi huius defectus eſt, ibi neque robur aut ad actiones promptitudinem vllam eſſe poſſe iam ſupradictum eſt. Quæ eadem ratio quo quo pacto ad nates etiam detorqueri forte poterit, quamuis huius paſſionis non ſic videantur eſſe capaces, vt forte ſunt genę, cum earum cutis ſit craſſior, & ſolidior caro naturaliter; Cum ergo leuor ad humiditatem referatur, eiuſque prædominium indicet, in forti autem non dominetur humiditas, igitur in forti, non fiet leuor, & eo minus in natibus, quæ robuſtæ magis ſunt, quam reliquæ corporis carnes, verum neque rugæ aderunt; ſiquidem iſtæ caloris arguunt defectum, quem in robuſto mediocriter excedere diximus; At ſi loco natium, vel genarum legeris coxas, & de carne coxarum oſſa veſtiente locutum putabis Ariſtotelem, iam nulla amplius ſuberit dubitatio, hæcque legitima videbitur paſſio robuſti, vt caro, & cutis coxarum, neque ſit lenis, neque omnino rugoſa, hoc eſt non ſit flaccida, ut debilium, non lenis, & mollis, ut fœminarum, nam hoc indicat multitudinem aquoſi humoris, in quo poſita eſt debilitas uirtutis mouentis, ſicuti robur in ſiccitate, non ſit rugoſa, quoniam paſſio hæc abſentiam ſpirituum arguit, & ſiccitatem quidem, ſed præter naturalem, & terreſtrem tantum, non autem cum igne iunctam prædominari, quibus rationibus colligo, robuſti coxas debere eſſe non lenes, non rugoſas, ideſt non quales habent meretrices, uel anus. Talia igitur ſunt corporea, & ſenſibilia robuſtorum ſigna, quæ Ariſtoteles attulit ad deſcribendum fortem, ſiue robuſtum uirum, & maxime ſecundum uirilem naturam, & conditionem diſpoſitum.

Quibus ſignis fortes cognoſcantur

His autem ſecundum corpus alia quædam addere poſſumus, quibus, qualis nam ſit animi fortis diſpoſitio cognoſcere, & colligere tentabimus; primum autem non credendum eſt eandem eſſe robuſti, & fortis definitionem, ſiquidem orbuſtũm dicimus corpus; fortitudo uero ad animam refertur, neque ſemper fortis robuſto corpore præditus eſt, & plerunque in robuſto corpore uilis anima, & timida moratur, robuſtiſſimo corpore, ac ualidis uiribus prædíti ſunt cameli, & aſini maiores, muli clitellarij, & exſecti boues, molli tamẽ, ſatis placido animo, & ad parendum parato donati; ex aduerſo paruuli quidam canes, apud matronas in delicijs habiti ſunt audaciſſimi, & minimum genus lanarij, nimirum auis, magnitudine alaudæ, quam dicunt Itali buſerlàm, adeo audacia pollet, vt robuſtiſſimo non cedat accipitri.

Robuſtiſſimus eſt ſtruthio camelus inter aues, at idem timidus, audax trochilus, quem regulum uocant, ſi quidem ex Ariſtotele ferè cum aquila pugnare audeat; patet igitur,

quod

quod ſimpliciter eadem non eſt robuſti corporis, & fortis animi ratio, & propenſio, ſiue natura, & valde differt fortis à robuſto, & ratio eſt, quoniam robur in ſicco terreo poſitum eſt, vt videtur Ariſtoteli quarto meteorum, at fortis ratio in calore, atque ignea ſiccitate poſita eſt, vnde etiam diuerſæ ſunt vtriuſque paſſionis definitiones, nam robuſtus eſt, qui facile labores ſuſtinet, ac perdurat in eis, fortis vero, qui pericula non refugit, ſed illa volens ſpe laudis ductus, & honeſti aggreditur, & ſuſtinet. Factumeſt igitur, vt hæ affectiones inter ſe diſtinguantur, vt plerunque robuſtus non ſit fortis, & fortis etiam quandoque non ſit robuſtus, alia enim eſt ignis, alia terræ ſiccitas, quã differentiã pluribus Ducibus olim, & in noſtris temporibus etiam experientia comprobauit.

Fortis à robuſtio diſcri.

Nam Dux Alexander Farneſius fortiſſimus fuit, at præcipuè vltimis temporibus vix corpus ſuſtinebat, Idem de Carolo Quinto Imperatore legitur, & de Rege Muleaſſe, qui vicit Regem Luſitaniæ vltimum; nam quamuis moribundus eſſet, fortiſſime tamen dimicauit contra prædictum Regem, eumque vicit.

Idem ſentit Seuerus Imperator, qui ſuos milites, non pedes, ſed caput imperare docuit. Fortem fuiſſe ducem Philopemenem, nemo negabit, ille tamen debilis erat, tunc præcipuè, cum captus fuit, robuſtiſſimus contra erat Maximinus Imperator, eum tamen nemo fortiorem Decio dicet, aut Iuliano Secundo, qui apud Perſas obijt, robuſtiſſimos quoſdã recenſet Plinius, qui currũ à quattuor equis agitatum ſiſtebãt, illi tamẽ fortes, vt Marcus Marcellus, aut, ut Fabius Maximus non dicuntur.

Omnino igitur fortem à robuſto diſcerni, ac diuidi patet, quamuis per quandam ſimilitudinẽ fiat (vt hìc) robuſtus dicatur fortis, ita ergo differant, vt altera affectio ſit terræ, & altera ignis, cum autem hæc duo elementa conueniant in ſicco tantum, aliquando efficitur, vt expulſo frigido incaleſcat omnino terra, & vir robuſtus etiam fortis exiſtat, vt de Hercule, de Theſeo, Achille, & cæteris heroibus legitur, aliquando autem præualet animi robur corporeis viribus, vt in Vliſſe, & in Diomedes, quandoq; autem corporis, vt in Aiace Telamonio. Ergo non ab re fuerit primum alia robuſti ſigna, quæ præter Ariſtotelem ab auctoribus afferuntur, recenſere, deinde quæ animi fortitudinem admittant, quæ penitus expungant demonſtrare, ſic enim robuſti, & fortis perfectè natura innoteſcet; & Ariſtotelicæ intentioni ſatisfiet, qui cum animi qualitates ex corporis affectibus cognoſci poſſe velit, illum de animi robore & fortitudine, non autem de corporis viribus tantum tractare voluiſſe putandum eſt. Primùm itaque robuſtum vocabimùs, cui hæc inſunt ex Ariſtotele; Pili duri, oſſa, & coſtæ magnę, extrema corporis magna, dura, robuſta, collum breue, carnoſum, ceruix erecta, dura. Pars capitis poſterior unde incipit ſpinalis medulla, alta, eleuata, magna, tumens, cute dura, & craſſa prędita, frons breuior, acuta, & craſſis capillis cooperta. His adde ex recentioribus frontem neque leuem, neque aſperam, ſed potius ad aſperitatem inclinantem, pedes, pedumque, & manuũ articulos robuſtos, magnos, ſed craſſos potius quam longos, crura multa carne, & dura teſtita, muſculoſa, carnoſum mediocriter pectus, & corpus, non tamen pingue, uox durior, & inæqualis, & clangorem referens, motus æqualis, non celer, neque tardus, qualem uidemus taurorum, & equorum, qui ex locis circa Oceanum Gallicanum, ubi populi Friſij commorantur, ſolent deduci. Si tales ſunt robuſti.

Quo & quando robuſti ſit fortis.

Qui ſint robuſti.

In his ergo præualet terra ab humore ſubacta, & multo calore excocta; duram igitur habent carnem, quare, & inſenſibiles ferè ſunt, tardi igitur mente, & rudes, & ad ſcientiarum genus ferè omne inepti, & qui raro quidquam ſubtilis contemplationis addiſcere poſſint, paucaque ſecundum electionem, & voluntatem, ſed potius ex habitu operentur, minime igitur omnium doloſi, & fallaces, non rapaces, non auari, neque tamen prodigi, creduli, & quibus credunt maxime fideles.

Quod dicunt in Germanis apparere, robuſti enim, & fideles ſunt, ijdemque non admodum doloſi, quare neque vlli maledicunt, neque inuidi ſunt, ideo neque maligni, & propter hoc neque naturaliter timidi, niſi eorum periculorum, quæ non nouerunt, timentque potius ſpectra nocturna, & laruarum incurſus, quam lupos, aut vrſos, aut homines armatos; neſciunt enim ſubtiliter diſcurrere, quia ſunt ad hoc inepti.

Nam dictum eſt, quod duriori ſunt carne prediti, referuntur enim ad terram bene calore excoctam, obſtinati igitur in his, quæ ſemel admiſere, & duræ ceruicis homines, neque ad ſimulandum, aut diſſimulandum parati, & ex ſe operari, & prouidere, aut ſibi, aut alijs, niſi ex habitu, & experientia nouerunt, ſociabiles, gregaleſque ſunt, & viuũt facile ſecundum leges.

Vnde factum eſt, vt Reſpublicæ hac de cauſa magis apud hos durent homines, quam apud eos, quorum ingenia ſunt feruida, turbida, & ſeditioſa, acutaque; qua ratione deriſi fuerunt olim quidam populi cum ijſdem legibus ſe victuros eſſe, & ſuam conſeruaturos libertatem putarent, quibus Veneti propriam tutati ſunt, hactenus, & tutantur, alia enim ingenia, alias leges, & alios viuendi ritus poſtulant, neque omnia omnibus commoda ſunt, & conueniunt, eſt etiam apud nos quoddam ruſticorum genus hiberna de glande vuidum, quod præter arare, aut fodere nihil aliud nouit.

Quare ferum, & inciuile quidem eſt cum alijs, cum ſuis autem maxime amicum, & officioſum, verum id non ex electione, ſed potius naturæ quodam ductu, aut ignorantia, & ſuſpicione facit.

Quoniam autem ad terram referuntur, & in his prædominatur, ſuperbi non ſunt, & raro queruli, neque glorioſi, neque inflati, neque garruli, aut alienorum negotiorum percontatores, neque admodum iracundi, aut feroces, niſi cum ſe decipi, aut ludibrio haberi putauerint. Atque plerunque ſuſpicioſi ſunt, quoniam exacte non diſcernunt, non enim ſunt acri prædiți ingenio, nam duram carnem habent, ſi quidem robuſti; edaces, & ijſdem de cauſis ſunt, & bibaces, quod de Hercule legitur, quodque quotidie in robuſtis videmus, & quoniam rudi ingenio ſunt, neque imprudentes, neque mendaces erunt, neque impij, aut nefarij, niſi caſu in talium hominum ſodalitio fuerint, non enim ſodalibus contradicere ſciunt, & quam ſuſceperunt impreſſionem firmiter tenent, nati enim videntur potius ad parendum, quam ad imperandum, neque fortiter, niſi neceſſitate cogente facient, & vitam magis, quam honorem amabunt, niſi aliter ex habitu, & lege aſſueti ſint opinari, tales igitur ſunt homines robuſto corpore prædiți, ac prędictis corporeis notis inſtructi, quæ quo plures apparebunt in homine aliquo, eo dixeris eſſe robuſtiorem, & prędictis animi propenſionibus magis affectum.

Qui vero pauciores eundem minus robuſtum, & minus ſecundum animum, talem pronuntiabis.

Quid ſit fortis. Ex aduerſo fortem magis, quam validum, ſiue audaciorem, quam robuſtiorem dices, cui hæc inerunt ſigna, facies quædam virilis, & ad leonem accedens, mentum acutum, os magnum, vox canora, magna, grauis, & lenta, æqualis tamen; figura erecta, armi lati, oculus cæſius, vel leoninus, ſubobſcurus, mediocris, non apertus, neque clauſus, concauus, immotis intuens palpebris, & ſe parum mouens, non tamen immobilis, vt de Nerone dicitur, ſed & ſiccus, aut cum quodam ſplendore turbidus, parum ridens, rariſſimè lachrimans, aut doloris ſignum monſtrans.

Capillus ſupra frontem naturaliter eleuatus, quaſi colliculum effingens, caput mediocre potius, quam magnum, mediocriter compreſſum, frons quadrata, naſus ad magnitudinem inclinans, latus, in fine rotundus, tenuia labra, ſuperiuſque cooperiens

infe-

inferioris partem, inceſſus ſtabilis, mediocris, potiuſque tardus, quam celer.

Humeris recuruis præditus, qui inter gradiendum ſe commoueat, & fixis veſtigijs procedat.

In hoc homine probabile eſt, igneam ſiccitatem ſecundum naturam prædominari, terræ autem adeſſe ſubdominium, quæ diſpoſitio ex oppoſito reperiebatur in eo, qui ſecundum corpus dicebatur robuſtus. Quicunque igitur talis erit, verè ſecundum naturam dicitur aptus ad fortitudinem animi, quæ audacia, aut etiam temeritas eſſe poterit, niſi à recta ratione fuerit caſtigata, & quicunque talis fuerit ſecundum corpus, probabile eſt eundem de ſe magnificè ſentire, quare ambitioſum eſſe, ac ſuperbum, & honoris cupidum, qui tamen id ſæpè diſſimulet, aſt parum latere ſciat. *Qui natus eſt ad animi fortitudinem.*

Promptus igitur eſt ad beneficandũ, & quoniam magnanimus, vel ſuperbus eſt, libenter ab alijs non capit, & ſe alijs obligari, ac debere dolet, atque non libenter ſibi recenſeri data beneficia, aut obijci audit, ſed iraſcitur. Iuſtus etiam, vel ad iuſtitiam videtur natus, quoniam non doloſus, non fallax, ſed ſimplex, & apertus, & propter hoc neque inuidus, neque malignus, non enim timidus, nam fortis eſt, & ad ignem refertur, cum abeſt à periculis ſedatus, & quietus, quare neque garrulus, neque percontator, neque de vllo murmurans, nulli conuicians, & maledicens, & ſi iratus maledixerit alicui, id facit coram, & in facie, & non leuiter, neque leui de cauſa; in periculis, hoc eſt, cum in rem præſentem venerit, acer, celer, promptus eſt, ferè enthuſiaſmo correptus, rerum omnium obliuius præterquam eius, quam agit, erit etiam mulierum amator, & qui facilè illis credat, & ab illis decipi poſſit, calidus enim eſt, ſpirituque plenus, ſimplex, & apertus, quod de Sampſone Hæbreo, & de Scipione, & Cæſare legitur.

Erit etiam liberalis, & placidus, iracundus tamen, & amarus ſi fuerit læſus, & in iracundia terribilis, niſi ceſſerit lædens, & pœnitentiam volens egerit, ita, vt pœnitenti credat.

Quod ſi contigerit concurrere ſigna robuſti corporis, & fortis animi ſimul, quod rarò ſanè fieri ſolet, propter eam, quæ eſt inter ſiccitatem ignis, & terræ differentiam, heroicus homo ſtatuetur, qualem fuiſſe Thæſeum, Herculem, & Hectorem, antiquitus poetæ fabulantur; hic igitur, cui herois fortis nomen poſſet aliquo pacto ſecundum naturam tribui, tales habebit notas, erit erectę ſtaturæ, os humeroſque Deo ſimiles gerens, ideſt, cum quadam dignitate, & admiratione longè pulcherrimus apparebit. Corporis magnitudo ad exceſſum potius quam ad paruitatem declinans, terrorem ſimul, & benignitatem, amorem, & timorem, quam reuerentiam vocant ſpirabit facies, quæ proprietates intelligi facilius, quam verbis deſignari poſſunt. *Qualis & herois forma.*

In iuuentute capilli flauiores cum quadam fuſcedine, & in extremitate criſpi, & lucentes in medio plani, vox magna, grauis, æqualis, motus magnus, lentus, vniformis, partes in quibus pili naturaliter reſidere ſolent, maxime veſtitæ pilis duris, ſolidis, hirtis, ſubfuſcis, ſicuti de Hercule, cuius nates, ac genitalia multis, ac duris pilis veſtita fuiſſe legitur, frons mediocris, quadrata, tranquilla, non rugoſa, neque tamen rurſus lęuis, aut ſplendens, aut mollis, & fœminea, oculi mediocres, cęſii, lucidi, ſplendentes, ſublimes, inter ſiccum, & humidum medii, in quibus quædam animoſitas, & elata clementia appareat, mediocriter ſtabiles, non inquieti, neque terram ſemper aſpicientes, neque huc, & illuc volitantes, facies oblonga, color ſqualidior, cum quodam mediocri rubore, naſus magnus non depreſſus, neque acutus, ſed in fine rotundior, latum pectus, & humeri bene carnoſi, aures exculptę, & mediocres, & bene articulatæ, manus, ac pedes magni, & robuſti, demum tales erunt qualem Achillem, Pyrrhum, aut Theſęum canunt poetę.

Hoc loco notandum est, quod vt plurimum qui à natura ad virtutes heroicas, hoc est ad excessum virtutum aliquarum instructi, ac producti sunt, illi ijdem etiam ingentibus vitijs plerumque sunt inquinati, quod de Alexandro, de Cæsare, de Hercule, de Achille sentire iure possumus, & illorum exemplis confirmare; superauit patrem Philippum Alexander in virtutibus, fortitudine, magnanimitate, & liberalitate, eundem etiam vicit crudelitate, intemperantia, insolentia, ambitione, vinolentia; Cæsar similiter clementia, & magnanimitate, facundia nobilis, idem fuit, patriæ suæ tyrannus, & alienorum raptor, & mæchus turpis; Hercules furiosus etiam vxorem, & proprios necauit filios.

Achille autem nemo sæuior, nemo iracundior extitit, quem Horatius, tum Græcis, tum Troianis sæuum appellat, inexorabilem, acrem, superbum, & qui in doctrinis, & sapientia excelluerunt, vt Salomon, Plato, & forte Aristoteles etiam, maximis vitijs obnoxij fuere; amauit Salomon vsque ad impietatem, & insaniam, Plato puerorum amoribus magis, quam par esset philosopho, & viro probo, & minus quam decebat virum temperantem dedit operam; malignitate, inuidia, & ingratitudine notatus fuit Aristoteles, quæ vitia dicuntur ab ipso exercita fuisse in Platonem aliosque philosophos, & in Alexandrum ipsum, cui omnia debebat, à quo honoratus, ornatus, auctus maximoperè fuerat, neque Socrates omninò laudandus est, nam præter eos puerorum amores, quos, quales nam, & quam recti forent, nunc non iudico, ille sane moribus, & institutis patrijs contradixit, & quantum in se fuit tollere, & destruere patriæ suæ ritus sacros tentauit, & mores; ita, vt vere vulgari prouerbio apud Italos receptum sit; Vestem, & pannũ, cuius pars exterior pulchra est, interiorem, & inuersam esse turpem. At vestes, quæ partem non habent exteriorem, quam ipsi appellant rectam, eædem neque habere inuersam.

Cur magnis virtutibus annexa plerũq; sint magna vitia.

Causa autem propter quam magnæ virtutes, quæ homini à natura insunt, non autem à studio, & educatione acquisitæ, plerunque magnis vitijs, & ingentibus comitatæ sint, forsitan poterit assignari, cum primum posuerimus hanc distinctionem, quod eorum habituum, qui in nobis sunt, alij laudabiles sunt, alij illaudabiles; quidam secundum se, neque boni, neque mali, eorum autem, qui laudabiles sunt, alij propriè vocantur virtutes, & hoc nomine acquisitæ dicuntur, ad differentiam earum, quæ impropriè dicuntur virtutes, quæ naturales sunt, vt sit contra distinctio quædam inter naturales, & virtutes acquisitas, quas recta ratione suadente suscepit appetitus, & iam in habitu tenet. Nulli igitur inest virtus vna acquisita, cui non insit recta ratio actiua, hæc autem est prudentia, quare cui inest vna virtus acquisita, illi inest prudentia, huic autem inest virtus omnis, vel teste Aristotele sexto Ethicorum, quod etiam dixit ille; Nullum numen abest, si sit prudentia.

Hoc ergo modo, cui inest vna virtus, illi inest omnis virtus, siquidem prudens cum habeat habitum recta ratione actiuum, in omnibus agibilibus semper rectam seruat rationem, quare si circa voluptates occupatur, temperans est, si in periculis versatur est fortis, si circa pecunias operatur liberaliter agit.

Iure itaque cum Aristotele dicendum est, quod cui inest vna virtus acquisita, illi inest omnis virtus, prudentiam enim habet, secundum quam, vt dictum fuit, cum agat, necesse est omnes actus laudabiles efficere, ex quorum iteratione exoritur habitus, qui dicitur vera virtus acquisita.

Qui autẽ talis est, oẽs naturales inclinationes vicit, & nullis vitijs est inquinatus; hic ergo est, quem ardens euexit ad æthera virtus, quiq; verè fęlix dici põt, facilius autẽ virtutem acquirunt, qui sunt perfectiores homines, hoc est, magis dispositi secundum naturam,

tales

tales sunt, quorum anima est omnia potentia simpliciter, & non magis ad vnam, quam ad alteram contradictionis partem naturaliter propensa, sed mere liberum habet arbitrium, & potestatem ad vtramlibet. Hæc hominis perfectio naturalis est, vt eius anima sit omnia pura potentia, nihil autem actu eorum, quæ in alijs animantibus, aut compositis viuentibus reperiuntur, vnde si quem naturaliter ad aliquam brutorum operationem inclinatum videmus, vt ad rapacitatem, aut vindictam, illum leonem referre, aut aquilam dicimus, at simpliciter homo non magis ad hunc, quam oppositum actum dispositus est, cumque hoc verum sit, efficitur etiam, si in humano corpore leonis, aut canis vestigia apparuerint, eadem in anima etiam expectare debeamus, nisi ratio, aut institutio, aut educatio recta prohibuerit, ita enim natura comparatum est, vt omne agens agat sibi simile, quare cum anima sit causa efficiens corporis, probabile est, in ipso relucere corpore animę propensiones, qualitates, & accidentia.

At qui habent aliquam virtutem naturalem, illi à naturali hominis statu recedunt, quoniam eam non sunt sortiti dispositionem, quę sit simpliciter pura potentia (sed secundum quid, & quodāmodo) & videntur in naturam eius animantis degenerasse, cuius referunt partem, vel propensionem aliquam; Habent igitur quandam naturalis temperamenti dispositionem, quæ nata est talem entelechiam in bruto facere, quare quædam, quæ consequuntur eam bruti temperiem, eidem inerunt; diuersa igitur quædam dispositio ab hominis natura necessario illi annectetur, quę tantum ab homine deficiat, quantum illa laudabilis excedebat, defectus hic est vitium. Necesse est igitur, cui aliqua magna virtus naturalis ineſt, illi etiam aliquod inesse vitium; vt sit tota demonstratio, cui ineſt aliqua summa virtus secundum naturam, & non acquisita, ille non est dispositus secundum naturam hominis simpliciter existentis omnia potestate, qui talis est, non habet rectam rationem simpliciter, hic autem in actionibus non est bonus, aut prudens, igitur cui ineſt aliqua virtus naturalis, ille non est simpliciter bonus, & prudens, quo maior autem videtur illa virtus naturalis, eo magis etiam à naturali statu hominis simpliciter desciscit, vnde cum hoc desciscere sit vitio affectum esse, & quo magis elongatur, eo magis deficiat, effectum est, cum maximis virtutibus innatis annexa esse maxima vitia, nam quantus est excessus in vno, tantus defectus in altero. Et propius accedentes exemplo causam confirbimus.

Cui aliqua magna virtus ineſt à natura, eidē et à natura vitium aliquod adeſt insigni

Est Alexander Macedo naturaliter calidus, & siccus, & in vtroque proportionate excedens hominis corpus eucraton, igitur ignem refert, ergo in ipso apparebunt ignis effectus eritque citatissimus ad operationes, & motus, omnibus supereminere volet, contrarijs oppressus violentissime se eximet, igitur audax, periculorum contemptor, gloriæ appetentissimus, liberalissimus, magnanimus, at quoniam calidus, & siccus etiam alienorum rapax, crudelissimus contra obstantes, insatiabilis, auidus, mutabilis, & facile spernens, quæ prius cupierat, hæc enim ignem referunt, & secundum analogiam in his sunt, in quibus prædominatur. Patet igitur quod à qua causa prouenit fortitudo, & robur quæ habent rationem, & apparentiam boni, ab eadem oritur, libido, & vehemens iracundia, & crudelitas, quę maxima sunt mala. Quinam igitur sint fortes, & qui robusti, & quomodo inter se conueniant, & quomodo differant ex his manifestum est.

DE TIMIDO.

QVÆ SINT TIMIDI PASSIONES ANIMI, & quæ corporis inditia. Cap. VII.

„ *Timidi Signa, Pili molles: corpore inclinatus non erectus: surę sursum contractę, circa faciem subpallidus. oculi imbecilles, & nimium conniuentes: & extrema corporis imbecilla: & crura parua: manus longę, & graciles: lumbi autem parui, & imbecilles: figura contensa in motibus: non temerarius, sed supinus, & stupefactibilis: mos qui est in facie, facile mobilis: mœstus.*

TImidū forti, hoc est robustum imbelli, (qui enim suarum sunt virium conscij renuūt, ac refugiunt, si sapiunt pericula, & pugnas) opponit Arist. iungitque vtrumque oppositum simul, quoniam oppositorum est eadem ratio, & iuxta posita cognoscuntur facilius, & eiusdem generis sunt extrema: sicuti autem vsurpauit fortem pro robusto, & pro eo, qui confidens, & audax est, ita nunc per timidum intelligit debilē eum, qui neque perferre quidquam, aut pati potest.

Timidi itaque, de quo nunc loquitur Aristoteles, & cuius signa enumerat, hęc ratio est, vt timidus dicatur, qui cum corpore mollis sit, ac debilis, & inualidus, animo etiam trepido præditus est, vt neque pericula subire audeat, neque propellere, aut sustinere valeat, sola in fuga, & sui ipsius occultatione, aut in alienis auxilijs, & societate propriæ salutis omni spe posita, passio puerorum, ac fœminarum propria, quare neque laudem, neque dedecus curant admodum, sed omnium malorum pessimum putant mortem, & verbera, & plagas, & dolores corporis cęteros. De his igitur nunc futurus est sermo, quos, ait Aristoteles, esse huiusmodi qualitatibus præditos.

„ *Pili sunt molles.*

Pilos habent molles, quales sunt leporum, subtiles, & extensos, non autem crispos, nam si fortium crassi sunt pili, igitur timidorum sunt subtiles, & molles, causa vero est.

Pili mollities timoris index.

Quoniam si pili molles sunt, ergo & subtiles, ergo foramina cutis occlusa, ergo non sūt lata, nam calidi est dilatare, cum in humido existit, vt in bulliente aqua videtur, deficit igitur calor, & frigus dominatur, deficiente calore, deficit spiritus, & causa eleuans multas fuligines, ex quibus pili fiunt crassi, & duri, sunt igitur molles, & subtiles; quare quibus insunt huiusmodi pili, eisdem inest paucus spiritus, & calor, cui hæc, illi inest timor, & imbecillitas. quare cui pili molles, & subtiles, illi timor, & imbecillitas, & animi, & corporis insita mollities inest; ad lepores enim, & oues, vt dictum est, referuntur, cænosam autem terram referunt, sed macram, quadam albedine, quam illis dat pituita, præditam.

„ *Inclinatus non erectus.*

Quid indicet corpus inclinatum.

Eadem species probationis cum superiori signo, nam si fortis est erecto corpore præditus, ergo inclinato, & non erecto fortis non erit, sed potius timidus, causa vero assignari potest. Quoniam qui non est corpore erecto caret causa sursum trahente, & dirigente, quæ ignis est, cuius igitur corpus nō est rectum, illud caret igne, aut ignis prędominio. Hoc enim est leuissimum corpus, & sursum tendens, caret igitur calore, ergo præsens frigus est, quod de ratione timoris dicimus esse, timorem enim in frigido ponimus, & qui timent, frigent. Virgilius, sic ait. *Mihi frigidus horror,*

Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis,

& curuitas in senibus præcipuè spectatur, illi autem frigidi sunt, & hyemem referunt.

Quare qui curui constricti, non explicatum, & expeditum corpus habentes, ad actiones

ita,

vitæ, naturaliter carent calore, qui tales frigidi ſunt, curuati igitur frigidi, & frigidi timidi, ergo curuati ſunt timidi, & propter hoc iuuenes audaces, calidoſque erecto corpore incedere videmus, & oculos attollere contra; Eos autẽ præſertim timidos dicemus, quorum recuruum eſt dorſum, quique inclinatum caput habent antrorſum, & terram ſpectant hærentq; quod clare videmus in his, qui timent, non ſecus, atque in his, qui ſtupent, quod teſtatur poeta, dum ait.

Dum ſtupet obtutuque hæret deſitus in vno, & alibi.
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Vnde ſtuporem, & timorem eſſe eiuſdem generis paſſiones patet, & alibi.

Diriguit viſu in medio, calor oſſa reliquit.

„ *Suræ ſurſum contractæ.*

Oppoſitorum oppoſitæ ſunt diſpoſitiones, & quæ ad oppoſitum opus inſtrumenta ſeruire debent, ea etiam merito diſponuntur oppoſito modo, nam qualis finis eſt, talia ſunt etiam quæ ad finem diriguntur, ſuræ deorſum contractæ robur ſignificabant, iure igitur ſi ſurſum contrahuntur, imbecillitatem arguunt, & timiditatem; hæc contractio ſurſum ſurarum mulierum eſt propria, (harũ enim ſuræ ſunt ſurſum contractæ.) Per ſuras ſurſum cõtractas intelligendum eſt, muſculoſam illam carnem, (quæ propriè à Latinis ſura dicitur, quæque eſt ſolum in hominibus) in poſteriori crurum parte, eſſe ferè pauciorem circa genua, quam circa malleolos pedis, vt ſit ſenſus; quorum ſuræ ſunt carnoſæ circa malleolos pedum, & magis ferè, quam prope genua, illi ſunt timidi, molles enim, quoniam humidiores iuſto. Quibus igitur tales ſunt ſuræ, illis muſculi parum ſunt fibroſi, ſed ſolum carnoſi, quibus autem adſunt parum fibroſi muſculi, illis parum etiam adſunt virium, quoniam multum humoris, robur autem in ſicco poſitum diximus. Imbecilles igitur ſunt, quorum ſuræ ſurſum contractæ ſunt, quæ contractio ideo contingit, quoniam circa principia muſculorum minus carnis adeſt, quam oporteret, demum diſpoſitio hęc omnino fortium ſuris oppoſita eſt; Non igitur accederem ad Sueſſ. qui ait, partium harum craſſitiem a frigore prouenire, neque video Ariſtotelem dicere has partes eſſe craſſas, ſed quidquid carnis in ſuris adeſt, id ſi occupauerit partem ſuperiorem circa genua, & principium ſuræ, & pars prope talos ſit carne nuda, & degeneret in craſſum, & robuſtum tẽdinem ſignum eſt viri magnis viribus præditi, & robore multo pollentis. Sin autem ſurſum ſtrictæ, & cõtractæ fuerint ſuræ, & carnoſæ, vbi deberent in tendinem deſinere, ſignum eſt hominis imbellis, & ad naturam fœminæ accedentis, nam contrariorum ſunt contraria ſigna.

Quid ſuræ importent

Sueſſ. reijcitur.

„ *Circa faciem color pallidior.*

Pallidus color ille eſt, quem in cinere bene cocto conſpicimus, hic timidorum iure dici poteſt color, quoniam timentes pallent, Noto tamen, quod duplex eſt pallor, alter quem generat frigus, & ſpiri tuum caloriſque inopia, qui proprie ad liuorem quendam accedit. Hunc refert color foliorum oliuæ, aut ſalicis inuerſorum, alter eſt pallor, quem videmus in oſſibus crematis, in quò, cum albedine quædam ſpecies fuſci coloris apparet. Horum prior eſt timidorum color, poſterior vero, qui ſqualidus ſupra dicebatur virorum fortium eſt; fuſci enim ſunt ex aduſtione multi caloris ſiccitatem inducente, & propter humorem in fuliginem conuerſum, colorem album inficiente, omne enim humidum oleoſum præſertim dum vritur nigrorem facit, quare ſi pallidus color cum liuore frigiditatem arguit, ac ſpirituum inopiam, cum hæc timorem cauſent (timida enim animalia, vt lepores, & cuniculi, & oues, frigida eſſe ſcimus) patet quod cui hic color, illi etiam timor aderit. Mihi autem videtur talem colorem potius ſubpallidum appellandum, & eam referre aquam, cui pauca ſit terra admixta, hic enim pituitæ vitreæ color eſt, amplius equos pituita abun

da nte

dantes, & ideo albos, non admodum videmus generosos haberi, & ex aquilis, & falconibus, quæ minus nigræ sunt, minus etiam sunt feroces, & fortes, quod testatur auctor, qui de aquibus, & præcipuè de his quæ rapto viuunt nostris temporibus scripsit doctissimè.

„ *Oculi imbecilles, & nimium conniuentes.*

Quintum est hoc inditium timiditatis, siue etiam imbecillitatis virium, imbecilles oculos voco, non qui male formati sunt, colore, & compositione peccantes (vt ait Sueff.) sed eos, qui neque lucem magnam spectare possunt, neque multum, diuq; in operatione persistere, quæ vtræque affectiones ex defectu spirituum oriuntur, sicuti charopum, & cæsium oculum dicebamus, multitudinem spirituum arguere, & ideo fortitudinem; sic cum hic oppositam dispositionem indicet, probabile est, oppositū etiā morē significare, neq; solū imbelles oculi id arguunt, sed præcipuè si multum conniueant, hoc est, si palpebras continuè, ac ferè semper moueant, id enim docet mouentis virtutis, & palpebras deducentis magnam imbecillitatem, quod etiam in paralisi, & membrorum tremore notauit Galenus. Hac igitur de causa quos videmus continuè claudentes oculos, & nictantes eos dicemus esse timidos. Sed dubitabit aliquis, cur quam plurimi cum fortes, & audaces sint, parum tamen vident, atque id certum est in quibusdam etiam animantibus, vt in apris, qui cum ferocissimi sint, non exquisitum habent visum, è contra lepores (aiunt non nulli) etiā dormientes vident. Ratio etiam hoc ipsum confirmare potest; nam si qui maxima ira agitantur, & quasi furiosi sunt, penè non vident, neque discernunt oculis quid agant. Maxima autem ira exagitati sunt audacissimi, & robore multo pleni, ergo qui feroces sunt, & audaces, non exactam habent vim videndi, & magnum illum Rolandum Caroli Magni Francorum Regis Nepotem luscum dicunt, siue strabonem, ille autem idem toto orbe canitur, & celebratur tanquam omnium sui temporis heroum fortissimus. An duplex est visuorum spirituum peccatum excessus, & defectus, si & quantitate excedunt, & perturbati, ac nimio calore exæstuant, arguunt fortem, si deficiunt, timidum faciunt, luscioſum, & male uidentem; cur ergo ex fortibus quidam male videant patet; non secus atque ex timidis non nulli; Sueff. ait timorem ex eo adesse homini quoniam cerebrum sit humidū, sed in omni homine cerebrum inter cætera membra est humidissimum, neque verum est ab humiditate, vt ille ait, aut à siccitate, sed à frigiditate pendere timorem, cuius inditium est, quod senes timidi sunt, siquidem frigidi, at iuuenes bene sperantes, & confidentes quoniam calidi. Noto tamen quod tria sunt genera timidorum, alij sunt tantum in frigiditate excedentes, deinde circa humidum, & siccum bene temperati, & tales erunt fœminæ, alij vero, qui in frigido, & humido excedunt, & hi sunt timidi, & ad omnes actiones inepti, ac plus iusto crediuli, & quibus omnia persuadeantur. Demum sunt.

Curplurimi audaces parui videāt.

triplex timidorum genus

Alij frigidi, & sicci vt qui ad senectutem accedunt, hique sunt prudentiores cæteris, sed suspicioſi, & valde suspensi, in actionibus, obstinati, & ceruicosi, & qui alijs vix, credant iuratis, omnesq; hi sunt timidi, quoniam frigida sunt præditi temperatura.

„ *Et extrema corporis imbecilla.*

Succedit sextum signum, quod illi opponitur, de quo supra, fortem scilicet habere extrema corporis robusta, & magna, sic timidus cū sit contrariæ naturæ, habet extrema corporis parua, & imbecilla, paruitas non tantum arguit defectum materiæ, quam caloris mouentis imbecillitatem, verum neque sufficit ea esse parua, nam forte quidā erunt, quorum extrema non admodum erunt magna, robusta tamē. Sed oportet etiam esse imbecilla, quod arguit motricis virtutis impotentiam; quod autem hoc sit signum debilitatis, sic potest ostendi, cui extrema corporis sunt imbecilla, & parua, in illo est paucus calor formans, & virtus motrix est debilis, cui hæc insunt, ille est timidus, ergo cui parua sunt corporis

poris extrema ille imbellis eſt, ac timidus, ratio enim timoris, ut ſæpe dictum eſt in frigidi copia conſiſtit, aut naturalis caloris paucitate, nam frigidi eſt coarctare, & conſtringere, & congregare.

Hoc autem eſt quoddam ſecedere, & retrotrahi, quod proprium videmus eſſe eorum, qui timent, quaſi quod conſcia ſuæ imbecillitatis natura non aggrediatur opus vllum, neque mouere audeat, quod perficere non poteſt.

„ *Et crura parua.*

Non ſolum parua dico, hoc eſt breuia, ſed parua ſecundum omnem dimenſionem, nempe breuia, & ſubtilia, quales habent quædam aues, quæ in paludibus degunt, quæ ualde timidæ ſunt, magna oſſa, magnoſque lacertos habent fortes, ergo timidi parua oſſa habẽt, crura uerò, cum ſint oſſa, parua eſſe probabile eſt. Cui igitur parua erunt oſſa crurum, hoc eſt ſubtilia, & debilia, ille timidus erit eadem de cauſa, nam hęc crurum debilitas etiam uirtutis formatiuæ debilitatem, motiuæque docet impotentiam. Vt autem in maiori quãto probabile eſt maiorem ineſſe uirtutem, ſic in minori minorem dices.

An qui breuia habent crura ſint timidi.

At contra inſtabis, fortiſſimus fuit Diomedes, & Nicolaus Picininus, utrique parui præ cæteris, Selimus primus, qui patrem occidit, ac fratres, confecit maxima bella, Regem Perſarum uicit, Aegyptum, ac Syriam ſuo imperio adiecit, Armeniam, & Ciliciam cepit, attamen, ut legitur, crura breuiſſima habebat, longum uero corpus, ſcilicet à natibus ad humeros, ut pulcherrimus equo inſidens uideretur, at pedes, niſi foret indutus longa ueſte, monſtrùm referebat. Reſponderem ſanè, non fuiſſe abſurdum ſi monſtruoſa anima tot parricidijs infecta, & cruenta ſi nile ſibi etiam habitaret corpus, erat enim omnium terribilis, maxime inexorabilis, & ſæuus, & nullo modo referebat Alexandrum, quem ipſe ſibi imitandum propoſuerat. Aſt ille quamuis breuia haberet crura, attamen eadem erant craſſa, & robuſta, nihil deinde uetat, in eo qui non ſit natura audax, aliquod ſignum eſſe timiditatis, nõ enim qui habet talia crura ſubito eſt timidus, ſed quibus prẽter crura adſunt etiam omnes aliæ conditiones ab Ariſtotele ſupra enumeratæ. Vltimo materia hęc, quã prę manibus habemus, probabilis eſt, quare non neceſſarium eſt quod ſimul atque aliquis eſt talis, ſubito etiam ſit timidus, præterquam quod inſtitutio, & educatio non ſolum aptę ſunt naturam noſtram alterare, ſed etiam in contrarium habitum reſtituere, & eam, quæ prius habueramus inclinationem penitus abolere. Deinde Diomedes, & Picininus non habuerunt crura parua, ſed ipſi breui corpore pręditi, aſt robuſto, & proportionato fuere.

„ *Manus longæ, & graciles.*

Manus graciles.

Hoc inter alia ſigna proprie, ac prẽcipue timiditatem, & corporis, & animi imbecillitatem, & abiectionem ſignificat, nam nullos vnquam me uidiſſe memini timidos, & uiles, & nullius penſi uiros, quibus manus longæ, digiti ſubtiles, & debiles non adeſſent, primũ autem id à poſteriori clarum eſt, nam hæ fœminarum manus ſunt, in fœminis enim laudamus, ut Petrarcha teſtatur, manus longas, & ſubtiles. Scimusque fœminas probari, ſi timidæ, & minimum audaces, temerariæq; fuerint, ſed uerecundæ, & pudibũdæ ſi igitur fœminæ pulchræ (hoc eſt ſecundum fœminilem naturam diſpoſitæ) habent manus longas, & graciles, fæminęq; omnes ſunt timidæ, & imbelles, ergo quorum manus ſunt longę, & graciles, illi erunt timidi, & imbelles.

Ratio autem, propter quam timidis adſint manus ſubtiles, & longæ hæc fortè poteſt eſſe, longæ quoniam materia eſt mollis, & obediens calori extenditur igitur, ſubtiles ideo ſunt, quoniam parum aluntur, quoniam & uis attrahens alimentum debilis eſt, hęc autem eſt calor naturalis, ergo cui manus ſunt ſubtiles, illi ineſt debilis calor naturalis, tales autẽ timidos diximus. Itaque manus apparent longæ, quoniam cum calor moueat propter

ſuam

suam debilitatem ad unam partem tantum, non autem æque ad omnes, contingit ad eam magis, & promptius mouere ubi est minor resistentia, ibi autem est minor resistentia vbi natura humana, siue materia hominis nata est magis ferri; At certum est, quod non solum hominis, sed etiam cæterorum viuentium propensio est, vt promptius secundum longitudinem, quam secundum crassitiem augeantur, quod in arboribus, in quadrupedibus, vt in equis, & in pueris conspicitur, prius enim ac facilius, & promptius secundum longum crescunt, quam secundum latum. At dices contra in iuuenibus acrior, & maior est calor quam in pueris, illos tamen minimum secundum longitudinem, multum secundum crassitiem augeri videmus. At illi iam longitudinis metam attigerunt, nondum tamen latitudinis, quare naturaliter longitudinem crassitie, & latitudine priorem esse hac ratione patet. At profecto manuum diminuta crassities longiores digitos demonstrare solet, etiã nihilo facta maiore longitudine, qui enim graui, & longo morbo gracilescunt, etiam si aliquando re vera quidquam illis secundum longitudinem non sit additum sic apparent, destructa nempe corporea substantia, secundum crassitiem effectum membrum subtilius, videtur longius factum. Iure igitur dictum est, quod quorum sunt manus graciles, & longæ, illi timidi sunt, & imbelles, id enim frigiditatem, & siccitatem arguit complexionis, & temperaturæ. Præter hæc mihi videtur quod omnia animalia, quæ timida, & frigida sunt, habeant membra oblonga, & tenuia, quod in cancris, in araneis quibusdam, in maioribus locustis terrestribus, in quibusdam papilionibus, in tipulis, ac in omnibus ferè exanguibus animalibus, & insectis, quæ naturaliter alijs frigidiora sunt, licet aspicere, secus in crabronibus, & in vespis videbis, quorum pedes multo breuiores sunt, quod etiam in muscis apparet, non quoniam illæ sint fortes, sed quoniam sunt impudentes, quæ passio, quædam (vt diximus) habet signa cum fortitudine communia.

Qui iuuenes parum crescant.

„ *Lumbi parui, & imbecilles.*

Nonum signum. Quod etiam ex prædictis sequitur, eandem etiam rationem habet, cum enim paruitas in corpore duplici de causa fiat, aut propter debilitatem virtutis agẽtis, aut propter paucitatem materiæ, manifestum est, Aristotelem de ea paruitate loqui, quæ exoritur ex debilitate virtutis agentis, quod indicatur, cum ait, lumbos paruos, & imbecilles, hoc est factos tales, non tm̃ ob materiæ defectum, sed propter agentis debilitatem. Lumbi sunt quidam musculi dorsum, & spinæ partem inferiorem anterius trahentes, quorum vsus præcipuus est in venereis. Nunc autem per lumbos totam illam partem dorsi intelligemus, quæ à costis nothis incipiens in os sacrum desinit, & quinque vertebris absoluitur, quibus interius appositi sunt renes, illa igitur intercapedo lumbi vocatur, quo in loco dicunt vulgo positam esse libidinis sedem, & delumbati, & elumbes dicuntur, qui debiles sunt sm̃ hanc partem, & vix se ipsos possunt attollere, & erigere, quibus igitur pars hæc debilis est, & parua, necesse est vertebras esse paruas, & ossa etiam parua, & musculos paucis fibris præditos, quare, & debiles, at quorum parua ossa, & debiles musculi, cum hæ partes tales sint ob debilitatem virtutis formatricis, & paucitatem caloris operæ pretium est, quod huiusmodi homines sint debiles, quare timidi; maior etiam arguetur timiditas, si cum partibus his etiam extrema fuerint male formata, sic enim semper virtutis formatricis imbecillitas magis, magisque explicabitur, ac clarescet, quare & calor minor, minorque aderit audacia. Audacis enim proprium est dilatare (calidus enim est,) hostes propulsare, & pellere, & alios petere. Quorum oppositum facit timidus, suę imbecillitatis sibi conscius.

„ *Figura contensa in motibus.*

Id declarans Suess. ait hæc ad verbum.

Figura

Figura in motibus contenſa, & commenſurata, hoc eſt non inuerecundus, ſed ſupinus, hoc eſt, otioſus, & frigidus, timet enim ne reprehendatur.

Hic ſanè loquendi modus ſatis improp ius eſt, attamen videtur ſignificare, quod figura contenſa ſit eadem, atque commenſurata, & ſit idem dicere hominem figuræ contenſæ, ac dicere commenſuratum, & non inuerecundum, & ſupinum. Sed quomodo contenſa poteſt eſſe commenſuratā? nam contenſa figura eſt timoris inditium commenſurata in fine libelli fortibus tribuetur quare idem eſſet fortis, & timidus. Secundo quærimus ſigna corporis per quę robur, & debilitatem, audaciam, & timorem animi paſſiones, aut compoſiti affectiones cognoſcamus; Sed verecundia non eſt ſignum corporis, quare contenſio motus, quæ eſt res viſibilis non eſt verecundia, aut ocioſitas. Etiam dubium eſt quid per ſupinum intelligat, an corporis ſitum, & poſitionem, aut animi affectionem, ita per translationem dictam, contenſum in motibus ſtare ſupinum, vtique impoſſibile eſt; Nam ſupinus ſtat cęlum ſpectās, contenſus in motibus mouetur, non ſtat, ſed etiā cōſiderabilius eſt, quod ſubdit ſupinus, ideſt ocioſus, timet enim ne reprehendatur, quaſi qui timent reprehenſionem ſtent ocioſi? quinimmo maxime damnantur ocioſi, nam & hi propriè ſunt, qui reprehenſione digni ſunt, tantum autem abeſt, vt ocioſus verecundum ſignificet, quin potius totum oppoſitum ſonet, ocioſo enim animo aliquid audire, & expectare, idem ac ſecurè ſignificat. Securus nihil timet, quare neque infamiam, quam tamen primo, & per ſe timet, qui erubeſcit: Quare his omiſſis dicamus, quid probabiliter per contenſam figuram intelligere poſſimus, non ſanè remiſſam, nam videtur totum oppoſitum ſignificare dictio (quamuis Molinius ſic legat) ſed eam dico, quam qui aſpicit, in illa videt, quaſi quandam difficultatem erectionis, vt quodammodo violenter appareat, & contenſe, intenſeque ſuſtineri pars ſuperior, & quaſi neruis, aut funiculis quibuſdam violenter ſurſum erigi, ſed continuè terram verſus inclinet, terramq; aſpiciat, quod proprium etiam eſſe videmus eorum, qui erubeſcunt, vel timent, vt caput, oculoſque ad terram inclinent, quod, vt mox dicam, quoniam naſcitur à multa frigiditate, & virium imbecillitate, caloreque ſeipſum contrahente, ideo talis figura timorem, & animi abiectionem demonſtrat. Quoniam igitur huiuſmodi diſpoſitio oſtendit imperfectam quandam corporis fabricam, neque bene vnitam, & cohærentem, & membra quodammodo non perfectè formata, & diſtincta, manifeſtum eſt talem etiam fuiſſe vim formatricem, quare, & calorem non ad modum eſſe potentem, ligamenta, ac neruos debiles, qui laborant, & non facilè pondus membrorum ſuſtineant, cuius inditium eſt, quod huiuſmodi homines facilè languent, atque defatigantur, ſi ergo pauco prædiți calore ſunt, & membris imbecillibus, atque ſanguine tenui, facilequè mobili, & aquam referente, conſequēs eſt eos eſſe, & timidos, & debiles, nam timidi ratio, vt dictum eſt in frigido, conſiſtit. Aut figuram contenſam, ſeu intenſam in motibus dicemus, illum hominem habere, qui ita incedit, vt concitate aliquid, & vehementer velle facere videatur, quodammodo iactans crura, cum quadam laboris, & multæ feſtinationis apparentia, id ex Ariſtotele quarto ethicorum capite tertio afferri poteſt, vbi vtens eadem voce, ait, magnanimum eſſe in motibus non contenſum, quod interpretantur non concitatum, ideſt, tardum, remiſſum, & non vehementem, quoniam nihil exiſtimat magnum. Quare ſi magnanimus in motibus corporis non contenſus eſt, & opponitur puſillanimo, debili, & timido, putare poſſumus contenſam motus figuram oppoſitam eſſe remiſſæ, ſignificareque debilitatem, & timiditatem. Tales autem homines malorum ſunt morum inuidi, & maligni, nam timidi ſunt, quoniam frigidi, vnde auari etiam, & qui neque ament, neque ab vllo amentur, quare illiberales, & inamabiles ſunt, horum autem vnum, quodq; ad frigidum refertur, cuius proprium eſt indiſcrete res congregare, ac ſtringere, & ab alijs ſeparare.

Quid ſit figura contenſa.

Dubit. quid p ſupinū intelligatur.

Non

„ *Non temerarius, sed supinus, & stupefactbilis.*

Iure id dictum est, nam si in quibus abundat calor, & ignis, illi sunt temerarij, hoc est plus iusto audaces, in quibus sane deficit, erunt minus quã oportet audaces, immò nimiũ considerati, & suspensi, qualem legimus fuisse Niciam Athenien sem. Est temerarius, qui temere agit, temere autem agere dicuntur, qui sine vlla consideratione quodlibet aggrediuntur, & casu operantur, nulla scilicet præcedente deliberatione, temerarium autem nunc capimus, prout consulto, & considerato opponitur, & qui præceps ruit nulla habita eorum, quæ facit ratione. Cum igitur timidus sit frigidus, & frigidus sit difficulter mobilis, præceps autem non sit difficulter mobilis, timidus non est præceps, at temerarius est præceps; timidus igitur non est temerarius, neque tamen ideo credendum est timidum, vilem, & debilem esse prudentem, nam sic esset in mediocritate positus, & secundum naturam affectus, & laudabilis, quare non esset vere timidus, laudabilis autem secundum se non est timidus, sed supinus est, & stupidus, per supinum intelligo, quem Martialis negligentem vocat hominem, & Catullus inertem, qui non deliberat, neque concludit, proprie autem timidi, quoniam frigidi, ab actione remoti existunt, atque inertes, & quoniam inertes, & negligentes, ideo stupidi etiam, & hianti ore apparẽt, & quasi rerum admiratores vno in obtutu hærent defixi, quæ positio oris supina dicitur, & stupida, stupor autem à frigido fit, & stuporem inducit pituita, quare frigidi stupidi sunt, ergo neque rerum suarum, neque alienarum fata gunt, & ideo supini vocantur, est supinus qui in terram iacet ventre sursum verso, & metaphorice negligentem significat. Sic Seneca supinum vocat negligentem, sic Martialis supina aure audire, hoc est negligenter accipere, quæ dicuntur, illaque nihili facere.

„ *Mos qui est in facie, facile mobilis, mœstus.*

Vltimum signum est hoc, & præcipuè videtur timorem, qui animi affectus est, aut dispositio notare; Quoniam autem quæ à natura fiunt, vel semper, vel plerunque eodem modo fiunt, nisi impediantur, quod fit in timentibus ex affectu, si idem in alijs etiam, qui naturaliter propensi sunt ad timendũ apparuerit, nõ erit valde mirabile. Id autẽ sibi velle vr Arist. in hac positione, quod qui propensi sunt ad timorẽ, illi sunt tales, vt facili negotio eorũ facies mutetur, cũ enim naturaliter humana facies animi motus sequatur, & illorum animus sit debilis, & facile mutetur, pro varia eius agitatione facies variatur, quare dispositio, quæ circa faciem apparet, facile mobilis est, quam dispositionem vocat Aristoteles morem. Id etiam videtur quodãmodo sentisse Italus poeta Petrarcha, qui ait, dũ in amore timeret, faciem suam diuersissimas mutationes ostendere, & breuissime in eodem statu perdurare, est igitur hæc positio. Propensi ad timorem facile mutabilem faciem habent, & è conuerso, quorum facies mutatur facile ad timorem sunt propensi; quoniam debilem animum, & abiectum sortiti sunt, nõ fortem, neque constantem, igitur mutabilem. Quorum animus facile mutatur, eorum facies etiam mutatur, quare timidorum facies prõpte mutatur, & parua de causa palleſcit, & iterum naturalis reuertitur color, quod sane in pueris, & mulierculis plane conspicitur. Contingit enim, si quem strepitum de improuiso audierint, aut aliquem insperato ignotum intrantem conspexerint, subito palleſcunt, & aliquando hiant, & stupide defixis oculis manent, neque quid faciendum sit deliberant. Causam autem, propter quam facies sequatur motum animi, & indicet subinde eius affectus, hanc esse puto; affectus (ex primo de anima) sunt passiones in materia, & in corpore (vt iram dicunt ebullitionem sanguinis,) quare, & cæteræ passiones sunt formæ corporis certi, nimirum sanguineæ massæ, & sanè certa passio certam requirit materiam, vt ira bilem, lætitia sanguinem purum, mœstitia atram bilem, stupor pituitam. Quæ

omnia

omnia quattuor humorum genera in ſuis naturalibus vaſis contenta, & ſimul mixta parant materiam affectuum, quæ dum exiſtit circa cor, & primum ſenſiterium à percepta imagine, & iudicata habere rationem moleſti, aut iucundi per calorem, & ſpiritum excitata ad actum traducitur, & fit actu talis; inde eleuantur alterati ſpiritus ſiue cum ſpiritibus vapores, qui per arterias ad cerebrum, neruorum, hoc eſt motus voluntarij, principium peruenientes illud pro ſua qualitate vario modo vellicant, & afficiunt, contrahunt, & dilatant, calefaciunt, refrigerant, magis minuſque exſiccant, aut humefaciunt, facta autem in principio quacunque etiam parua mutatione, vt primo Phyſic. contingit mutari, quæ à principio pendent, quare, & nerui, & arteriæ, quæ cor, & cerebrum ſequuntur, mutantur, & quoniam facies cerebro eſt propinquior, principio inſtrumentorum ſenſus, maximis inſignita arterijs, ac neruis prædita, hinc ſequitur, vt omnes mutationes, & paſſiones in materia, aut cum materia, aut non ſine materia exiſtentes, quas contingit fieri circa cor, & cerebro participari, ita vt illas aduertat, & iudicet anima, omnes, inquam, faciem aliquo modo multum, aut parum alterent, varient, & de ſuo ſtatu priore moueant, & ſui aliquod ſignum monſtrent.

Quo cordis affectus mõſtret facies.

Sunt autem homines mæſti, ideo ad timorem propenſi, quoniam ſuſpicioſi, & frigidi, neque enim ſpe, vel confidentia viuunt, ſed his carent; Quoniam ſi fortes ſunt bene ſperantes, & hi ſunt læti, ergo qui non bene ſperant, aut non confidunt, non dixeris lætos, ſed mæſtos, cum autem timidi, neque ſperent, neque confidant, iure vocabis mæſtos, & triſtes, quæ ſanè videtur eſſe timentis nota præcipua, nullum enim timentem, quatenus timet, lætum videbis, ſic Virgilius Mæſtum vocat timorem.

Quales igitur ſint timidi notæ, ex Ariſtotelis ſententia, iam patet.

Dub. An timidus habeat mẽbra contracta.

Cæterũ quæſtione dignũ eſt, cum diſſolutum, & contractum videantur oppoſita, neq. fieri poſſit, vt oppoſita ſint actu ſimul in eodem, quomodo timidus ex Ariſtotele habeat contracta membra, cæteri verò Phyſiognomi, & inter hos Porta dixerint, diſſoluta, & laxa timorem arguere.

An contractum poteſt capi dupliciter, vno modo quatenus ſignificat rude, & imperfectum, quod accidit vocibus contractis, quæ abbreuiatæ vulgo dicuntur.

Altero quatenus ſignificat bene iunctum, & ligatum, ſic legales contractus ligamenta quædam ſunt.

In priori ſignificatione contractum membrum indicat timorem, in poſteriori robur; ſimiliter diſſolutum, vel ſignificat male cohærens, vt quaſi cadens, vel ſignificat dearticulatum, & perfectum, & quod vulgo vſurpamus reſolutum, in priori ſi cæperis (diſſolutum) ſignificatione timidum indicabis, ſoluit enim frigus multa, dum calor fugiens, & ſecum humorem trahens ſingula deſerit, ſic Virgilius,

Ex templo Aeneæ ſoluuntur frigore membra. Facit enim timor, & frigus, ne poſſimus mouere membra retractis ad interiora calore, & ſpiritibus, & deſertis exterioribus, quare & metuentibus, rigor, & tremor accidit, at ſi ſolutum cæperis, pro vt bene dearticulatum, & diſtinctum ſignificat in ſua membra corpus, profecto robuſti, & fortis viri erit ſignum.

DE INGENIOSO.

CAP. VIII.

„ *Ingenioſi ſigna. Caro humidior, & mollior non boni habitus, neque valde pinguis: quæ circa humeros, & collũ macriora, & quæ circa faciem: & colligata quæ ſunt circa humeros, & inferiora laxata: bene ſoluta, quæ ſunt circa coſtas, & ſecundum dorſum non carnoſus: corpus album mixto rubore, & purum: cutis tenuis: pili non valde duri, nec valde nigri: oculus charopus, humidus.*

DE timido dictum eſt, de ingenioſo modò dicendum, cuius enim ſenſitiua potentia propenſa eſt ad timorem, illius vis intellectiua prompta eſt ad inquiſitionem, & inuentionem mediorum quibus ſibi ipſi poſſit prouidere, hoc autem eſt ingenij munus, & enim, cum prudentia moderatus quidam timor iunctus eſt, à quo excitatur, cautus enim prudens eſt, qui autem ſibi cauet, dubitat ne aliquid mali ſibi accidat, quod eſt timere. Cum ergo ex ijſdem fere principijs oriatur timidus, et ingenioſus, iure poſt timidum anne xus eſt ingenioſus; porrò vt certa ratione procedatur, primum quid ſit ingenium, & ingenioſus dicamus, deinde ex definitione eiuſdem videamus, quænam ſint ingenij cauſę, & proprietates, & quomodo cui ingenium ineſt, illi adſit caro humidior, & mollior, & non bonus habitus.

Ingenium qd. Eſt ingenium (vt mihi videtur) vis homini à natura inſita per quam aptè, acutè, & ſubtiliter, media inuenire, perſpicere, atque accipere poteſt ad propoſitum finem concludendum, & conſequendum, tam in actionibus, quam in ſpeculationibus, diciturque ingenium quaſi in nobis genitum, à qua voce deinde ingenioſus denominatur, perſpicacia autem, & ſolertia videntur excellentia eiuſdem; Ingenium vocauit Alexander Aphrodiſeus promptitudinem naturalem ad cognoſcendum quid ſit veri in vnaquaque re. At etiam in inuentione boni exercetur ingenium. Alij quidam vocant ingenium eſſe vim inſitam, qua ad inueniendum id, quod ratione indagari poteſt, peruenimus, ſed vbi non eſt ratio, ibi non erit ingenium, attamen ferarum dicimus ingenium liberale, vt leonis, vel ſęuum, vt tigridis, ſed dicimus etiam ingenium ſignificare morem, & placitum viuendi modũ, ſic Plaut.

„ *Ingenium patris habet*, hoc eſt patri eſt ſimilis moribus.

„ Idem, *Ingenium auidi nondum per noram hoſpitis*. Hoc eſt nondum morem, & naturam auidam, & auaram hoſpitis cognoueram probe, & Liuius de Appio loquens, quod ipſe ſuo ingenio viuere cæpit, turbidò, nempe, & moroſo, quare ſi hoc modo vſurpatur ingenium patet deſcriptiones illas vniuerſaliter omnia ingenij non comprehendere ſignificata.

Terentius *Cum ingenijs conflictari huiuſmodi*. Hoc eſt cum hominibus talibus, ait Donatus, & tu adde, huiuſmodi mores habentibus, neque ſolum mores, ſed dicito, per ſe, & naturaliter tales, vt habeas, non ex affectu, non ex morbo, non ex cauſa accidentali truculentiam, & aſperitatem illis ineſſe, uerum per ſe, & ex naturali, & interna cauſa & ſecundum quam illi ſunt tales, hoc eſt à naturali humorum, & corporis temperie pendere.

Cæterum, aut ego puto ingenij uocem eſſe omnino æquiuocam, aut per ingenium humanum intelligere nos debere, uim nobis inſitam ad noſtras operationes faciendas ſecundum rationem, & modum quendam certum, ac determinatum, & hanc eſſe

uim

vim eandem cũ indole, sic enim vox græca εὐφύα bonam indolem, & bene natum hominem dicit.

Videtur Aristoteles igitur significare naturalem illam bonam dispositionem, ac promptitudinem ad inueniendum, & perspiciendum quid in vno quoque rerum genere agendum sit, aut sentiendum, aut tandem moliendum, idque sonat græca vox, quæ vocat ingenioſum, quasi bene natum, siue bonam naturam habentem, in qua significatione vocẽ hanc videtur vsurpasse Horatius cum ait:

Graïs ingenium dedit ore rotundo.
Musa loqui. Hoc est habent excellentem aptitudinem ad poesim, & hanc à natu
ra acceptam. Videtur idem poeta ingenium ab arte contra distinguere, dum ait.

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium.

Huius igitur ingenij, quod significat naturalem quandam promptitudinem ad inueniendum, & perspiciendum quid in vno quoque rerum genere sit agendum, sentiendum, aut eligendum, tradit Aristoteles, nunc signa quædam, quibus hanc qualitatem possimus cognoscere.

Verum si ingenium est hoc, quod descriptum est, nempe naturalis promptitudo, ad inueniendum, perspiciendum, eligendumque quid in vna quaque re sit commodum, Primum patet duas esse ingenij proprietates, altera in actione posita est, inuenire enim, & inquirere quodãmodo est operari, altera in passione, nam doceri, & discere est pati. Vtrũ igitur in actione, aut passione magis consistat ingenium? profecto priorem tempore passionem dicerem; nam, & qui inuenit, ac perspicax est, ad eligendum, ideo talis est quoniã exacte cognoscit differentias rerum, etiam paruas, à quibus mouetur; cognoscere autem est sentire, & intelligere, quod est mutari, & pati, quare inuenire aut est pati, aut sine passione non fit. Discere autem, quoniam est de prima ad secundam traduci potentiam, ideo pati propriè dicitur, vt nihil magis, quare vtraque pars ingenij in ipso pati posita est, quãuis perfectionem præcipuè significet: Cęterum si ingeniositas, (vt sic loquar) hoc est habilitas ad discendum, & inueniendum est passio realis, & ipsius compositi, ergo est in materia, habet igitur propriam materiam, de qua infra quædam dicemus.

An ingenium magis in actione, aut passione cõsistat.

Nunc quænam ingenioſum hominem signa consequantur, contemplemur. Dicit ergo Aristoteles ingenioſi habent carnem humidiorem, & molliorem quam sit illa, quam habent robusti, neque habent valde bonum corporis habitum, hoc est sunt pallidi, & macri, neque valde pingues existunt, corpore nanque obæso prædi ti, qualem fuisse ferunt Vitellium, rude nacti plerumque sunt ingenium.

Ingenioſi signa

Tertium signum est, quod cum ingenioſi sint, vt plurimum macri, partes tamen maciores sunt, quæ circa humeros, collum, & faciem qualem præcipuè legimus fuisse Antoninum Pium, & eius successorem Antoninum verum, quem Philosophum vocabant. Humeros colligatos quarto loco ponit, hoc est, vt ego puto, coniunctos non expansos, sed conuexos, & incuruatos, & fere ad quandam gibbositatem accedentes, sic enim experientia visum est, ingenioſos homines plerunque tales esse.

Quinto in feriora laxata, & bene soluta, quod etiam in manibus, & cubitis non secus, atque in poplitibus eadem de causa contingit, nam molles sunt huiusmodi viri. Sexto ingenioſus, neque dorsum, aut costas debet habere carnosas. Septimo color albus purus rubori mixtus, vt rosas ex parte externa iam pallentes, & hesternas referat. Octauũ signũ à cute sumitur, quæ tenuis, mollis, ac leuis sit. Nonum à pilis, qui neq. duri, neq. de bẽ esse

nigri omnino, ſed neque molles, vt in timidis, neque rubei, vt iracundis, ſed medio modo diſpoſiti.

Tot ergo ſunt Ariſtotelica ſigna quibus oſtendi ingenioſum hominem, dicit.

Noto autem, non ideo ingenioſum eſſe, cui quædam adſunt, neque neceſſario talem eſſe cui omnia, ſed cui nullum horum ineſt, ille non neceſſario eſt ingenioſus, at cui quædam inſunt aliquando quidem aliquid ingenij poſſidebit, aliquando autem non; quare ſi vnum, vel alterum aderit ſignum, deinde oppoſita alijs, illum hominem neutiquam dixeris ingenioſum.

Cur in genioſi molles carne.

Cæterum ad reddendam rationem eorum, quæ ab Ariſtotele dicuntur, & ad cauſas inquirendas deueniamus. Primumq; videamus quænam ſint naturales cauſæ huius paſſionis propoſitæ, quæ eſt ingenioſos carnem molliorem, & humidiorem habere. Si itaque ingenium eſt quale diximus, nempe naturalis habitus, & promptitudo ad inuenienda media, quibus vtendum ſit ad agendum, & contemplandum, & in vniuerſum ad omnes actiones, & ſcientias, neceſſe eſt. Cui ingenium adeſt illi adeſſe bonam ad cognitiones, & diſciplinas diſpoſitionem, ergo docilitatem, & memoriam, vt ait Cicero. Cui autem vtræque adſunt, hic neceſſario perfectionem quandam naturalem habet eius partis, ſecundum quam eſt homo, hæc autem eſt per quam homo ratiocinatur, rerumque formas cognoſcit, & memorat, at hoc eſt pati quoddam, oportet igitur compoſitum illud, cuius perfectio, & forma ipſo pati determinatur, habere etiam materiam natam recipere talem formam, hoc eſt maxime receptiuam externarum impreſſionum, & ideo ſenſitiuam eſſe maxime, quare magnopere etiam paſſibilem (ſunt enim, vt alias dictum eſt) materia, & forma ad aliquid, quare humanum corpus cuius eſt forma cum ingenio bono iuncta, neceſſario erit maximè ſenſitiuum, ergò maximè paſſibile ab externis, quare carnem habebit molliorem, vt etiam ſecundo de anima fuit dictum, at ſi caro fuerit mollior, ergo etiã humidior, molle enim ad humidum refertur.

Cui igitur ingenium adeſt, & ingenioſus, hoc eſt, qui habet naturalem quandam aptitudinem, ſecundum quam commode valet vti ratione, diſcurſuque, & memoria, ille etiam propter eandem cauſam habet carnem molliorem, humidioremque, & cui talis adeſt carnis affectio ille erit ingenioſus.

Not.

Noto autem in corpore humano duplicem eſſe humorem, ſimplicem, & compoſitum, poſterior item duplex eſt, alter omnino diſſimilaris eſt, & partium diuerſarum, qualis eſt ſanguis, qui in venis, & arterijs continetur, hic enim quamuis ſecundum ſenſum ſimilaris videatur, ne quaquam tamen eſt; & hic etiam duplex eſt, alter naturalis, alter excrementitius, naturalem humorem voco, qui in venis, & arterijs eſt, & qui ex his vtriſque conſtat ſimul iunctis quo veſcuntur membra, & continue inſtauratur animalis vita; excrementitium dico corruptum, qui febres, & dolores generat, non corruptum, ſed inutilem vt ſanguinis ſerum, vrinam, ſudorem, muccum, & quæcumque talia ſunt, quorum præſentia humanæ actiones, & munera lædi, aut impediri quocunque modo ſolent.

Simplices vero humores dico eos, ex quibus compoſiti conſtant, quorum alij naturales, alij præter naturam exiſtunt. Naturales voco, vt bilem, pituitam, melancholiam, ſanguinem, præter naturales vero corruptionem horum ſimplicium, & tranſitum in oppoſitam, vel mediam diſpoſitionem, vt cum aceſcit, aut ſalſa efficitur pituita, quorum humorum præſentia, pro loci, pro quantitatis differentia, & pro varietate ſuæ affectionis diuerſimode cum afficint corpus, organũ humanæ animæ, diuerſos etiam mouet plerunq; in homine affectus, & illũ variè ſapere, & ſentire, operari pſuadet. Nullũ tñ horũ humorũ quos ſimplices appellauimus, eſſe talẽ putaueris, qualis eſt purus aer, vel aqua elemẽtaris,

quæ

quæ ſunt corpora ſimpliciter ſimplicia, ſi modo reperiuntur, ſed huiuſmodi dicuntur humores ſimplices, quoniam ex his alij, quos compoſitos vocauimus, conſtituuntur.

Non boni habitus.

Secundum eſt ſignum ingenioſorum, non bonus habitus, ſignum tamen hoc non ſẽper adeſt. Quod autem non bonus habitus, & ingenium in eodem ſubiecto reperiantur aliquando, patet exemplo quorundam ægrotorum, qui ſenſus exquiſitiores, & præcipuè auditum habent, cum prope mortem ſunt, quam eſſent prius, cum bene valerent, quod animaduertens primum Homerus, deinde etiam Virgilius, morientes vaticinium edere finxerunt, Homerus Patroclum Virgilius Orodem dicentem inducit, dum animam efflabat Mezentio. *Ingenioſus non eſt boni habitus.*

Nec longum lætabere: tẽ quoque fata.
Proſpectant paria, atque eadem mox arua tenebis.

At ſupra fuit poſitum, quod quorum ſenſus exactiores ſunt, illi magis polleant ingenio, quare bene diximus, idem ſubiectum ſimul, & ingenio, & non bono habitu inſignitum poſſe reperiri; Non dicit autem malum habitum, ſed non bonum, qui ſanè eſt, ceu medius inter bonum, & malum; ſi ergo bonus habitus ille eſt, qui in hominibus robuſtis reperitur, carne firma præditis, colore ſqualido ſanguineaque, & melancholica temperie, ex oppoſito non bonus habitus eſt ille, quo qui præditi ſunt, & pallidi, & macri, & debiles, & flaccida, & molli carne ſunt præditi; nam ſi bonum habitum ſequitur caro dura, & robur virium, cui neque robur virium eſt, neque caro ſolida, & dura, ille nuſquam bono habitu præditus dicetur.

Quod autem ingenioſi non bono habitu ſint præditi, ſic quidam recentiores probare videntur, ingenioſi habent poros carnis latos, à quibus craſſiores ſpiritus euaporant. At à quibus ſpiritus craſſiores euaporant, & ſoli ſubtiles remanent, illi non bono habitu præditi ſunt, ergo ingenioſi non bono habitu ſunt præditi, aſt mihi dubium facit maior propoſitio, quomodo enim ſi per poros latos euaporant craſſiores, non etiam ſubtiliores euaporare facilius, & melius poterunt? ſi enim per foramen duorum pedum exit canis, vel ouis, tanto facilius exibit mus, aut lacertus, cum ſint animalia minora, quare potius oppoſitũ, quam propoſitum ex his ſequi puto. Qui enim laxiores habent poros, facilius fuligines eijciunt, & excrementa, & qui ſtrictiores, & minores poſſident ſubtiles quidem ſpiritus emittent, craſſiores vero remanebunt, vnde robuſtiores euadunt qui minus laxos poros habent. *Quorũdam ratio. ingenioſos eſſe nõ boni habit⁹.*

Quare alia ratione id omnino confirmari poteſt, hoc modo, ingenioſum nempe habere carnem humidiorem, & molliorem, cui caro talis ille non bono habitu eſt præditus, ergo ingenioſus non bono habitu eſt præditus. Maior confirmatur, nam ſi robuſtus habet carnem duram, & muſculos firmos, & ſanguinem craſſiorem, & robuſtus ſit bono habitu præditus; ergo qui bono habitu præditus eſt, carnem habet duram, quare qui non duram habet, nec bonum habitum habebit; at non duram habet qui molliorem, & humidiorem; ergo qui carnem mollem, & humidiorem habet, ille non bono habitu præditus eſt. Minor ſuperius fuit oſtenſa, Amplius ingenioſum eſſe, quandam animæ humanæ perfectionem diximus, quo autem perfectior anima humana eſt, eo perfectiorem facit hominem, perfectiſſimus homo, perfectiſſimum animal eſt, animalis perfectio eſt eiuſdem ratio, & eſſentia, hæc autem eſt ſenſus, & ſentire; ergo perfectiſſimum animal exactiſſime ſentiet, atque eo potiſſimum ſenſu, ſecundum quem determinatur animal, qui omnium eſt primus, talis autem eſt tactus, ergo ingenioſus homo exquiſitum maxime *Cur ingenioſi nõ ſint boni habitus.*

tactum habebit; At tangere est pati, & affici, ergo ab omni sensibili secundum tactum prompte patietur, ergo alieno termino terminari probe natus erit, quare humidior, & mollior, at si facile ab externis patietur (vt in prædicamento qualitatis dictum est) erit igitur insalubris, quare non bono habitu præditus; ergo ingeniosus est non bono habitu præditus, quod fuerat probandum.

„ *Nec valde pinguis.*

Ingeniosus est macer.

Profectò si non est bono habitu præditus ingeniosus, non igitur bene nutritur, quare si perfectè non nutritur, neque potest esse pinguis, siue id fiat propter calorem non valde robustum, siuè propter laxitatem cutis, siue sit propter obstructionem, facile enim hoc morbo tenentur ingeniosi, si quidem melancholicos esse diximus, qui frigidiores sunt, & angustiora nacti sunt vasa, & generant multa excrementa, quæ faciunt obstructiones, & extraneum calorem augent, vnde vt plurimum debili præditos esse stomacho, docet experientia, & plus appetere cibi, quam possint concoquere, hinc cruditates, & flatus fiunt, & in hippochondrijs rugitus.

„ *Quæ circa humeros, & collum macriora, & quæ circa faciem.*

Tertium erat hoc signum, causa autem propter quam macriores habeant humeros, collum, & faciem, hæc forte poterit esse; nam si ingeniosi melancholico sunt habitu præditi, ergo sicco, non igitur pingues esse possunt. Præcipuè autem sicca est incalescens melancholia, quæ ingeniosis seruit, & talis est circa instrumenta, & principia sensus, & rationis, ergo circa cor, & cerebrum, iure igitur partes, quæ sunt circa cor, vt humeri, & quæ sunt circa cerebrum, vt facies, & collum, quod vtrique commune est macræ sunt.

Humeri colli et facies macra.

Ego tamen crederem, ingeniosos ideo macram habere faciem, quoniam siccam, sicca autem est, quoniam cerebrum ad melancholiam quandam naturalem accedit, idque propter spirituum iugem motum calidius efficitur, vbi enim est motus creber ibi calor, vbi calor perennis, ibi tandem siccitas exoritur, at siccitas maciem facit; quare cum ingeniosus multas circa caput continue sustineat agitationes causatas à frequentibus cogitationibus, quæ ingeniosi propriæ, ac particulares sunt, incalescere cerebrum necesse est, vigilare, exsiccari, & tandem macras fieri partes, quæ circa faciem sunt, probabile est, quia eadem de causa dicunt, curas, vigilias, amorem, & inuidiam pallidos, ac macros homines facere.

„ *Et quæ circa humeros, & collum.*

Qui ingenio pollent tres partes habere macras, dicit Aristoteles, nempe faciem, collũ, & humeros, de facie dictum est, quod autem partes, quæ sunt circa humeros sint macræ eadem forte etiam causa est, quoniam circa cor frequens fit spititus agitatio, spiritus inquam melancholici, & siccioris, quare partes, quæ circum sistunt efficiuntur calidiores, sicciores igitur, quare, & minus abundant carne. An melius dicemus ingeniosos habere humeros carne destitutos, quoniam habitu non bono præditi sunt, non igitur perfectè nutriuntur, quare neque multam carnem habent, omnes enim qui perfectè, & probè concoquunt, & nutriuntur, nisi multum laborauerint, aut multis premantur negotijs, & curis, plenum habitum nanciscuntur. At tenuem & subtilem sanguinem habent ingeniosi, non ergo fibrosum, ergo neque solidam carnem generant, sed eam quæ facili negotio tum ab externa, tum ab interna causa soluatur, & fluat, macri igitur. Sed cur potius circa collum, & humeros, quam circa pectus, & mammas, itẽ circa crura, & coxendices? amplius quam plures sunt ingeniosi, quorum suræ, & coxendices, & nates perpauca carne sunt præditæ; adde obæsos circà crura, & coxas, & callipygas ingeniosos non vocabis. An dicemus calorem, & spiritus, & sanguinem tenuem, & ad siccitatem quandam igneam accedentem,

Cur ingeniosi superiores partes sint macriores.

non

non tamen in exceſſu, vel omnino præter naturam humanam rectè diſpoſitam, à corde quidem originem habere, ſed in ſuo principio ſicuti cætera etiam omnia non adeo valentem, ac robuſtum eſſe, ſicuti eſt, cum iam ad venas, & arterias iuguli properat, vt per collũ aſcendat ad caput, quod vento accidit, & deſcendenti lapidi, qui vires acquirunt eundo. Hac ergo de cauſa mammas carnoſas aliquando habebit ingenioſus, at humeros, & collum nequaquam, etenim in anguſtioribus vaſis collectus calor, & à ſuo principio mediocriter diſtans magis ſe ipſum manifeſtat; Qua ratione factum eſt, vt vulgo homines inſulſi, rudes, ac ſegnes habeantur, quorum gula circa iugulum non promit quendam ſonticulum, & quos obæſo, ac pingui præditos collo videmus, vulgo boues, & rudes vocamus. *Obæſi circa collum rudes.*

Vt autem illi ad quorum ſuperiora maior portio caloris, & ſanguinis tenuioris fertur sũt macri circa partes ſuperiores, eadem de cauſa, quorum partes inferiores maior caloris portio occupat, illi, exilia habent crura, & ſuras pauca indutas carne, quo factum eſt, vt qui magis, quam oportet veneri indulgent, & luxurioſi ſunt, illis crura, & ſuræ ſint macræ, & vt priores ſunt ingenioſi, ita poſteriores laſciui, ac multa libidine continenter agitantur, & ſi multo coitu delectabuntur, euaporato calore, & eodem debiliori facto generantur multi flatus, hinc ſequitur, vt primum quidem ſtomachus debilitetur, at pudenda diu magisque tendantur; ſi vero contigerit, & ad ſuperiora, & ad inferiora per uices calorem ferri, illum eundem hominem, & ingenioſum, & mulieroſum, & in his laſciuijs apprime videbis perſpicacem, & promptum.

Non eſt autem putandum, quod cui multus adeſt calor, illi omnino, & perfecta contingat coctio, & robuſtus ſit, atque carnoſus, hoc enim neque verum eſt, neque neceſſarium, cum caro multa pinguedoq; à temperato, & à remiſſo potius calore, quam à vehementi producatur; amplius noto, quod duplex eſt calor, hic quidem aereus, & humidus, quo qui abundat, creſcit multum, & multum carnis ſibi aſciſcit, & bene digerit, alter eſt, qui ad igneam, & ſiccam quandam accedit diſpoſitionem, & tantum abeſt, quod hic carnoſos faciat homines, vt potius eorum habitum, & carnem colliqueſcere faciat, quod in hectica febri, aut putrida etiam diu laborantibus apparet. Vtranque diſpoſitionem in auibus, ceu gallinis, & anſeribus, columbis etiam, & alijs quamplurimis conſpicere licet, cum calore humido abundant, pulchriores ſunt, & ſubinde cantillant, & quaſi geſtientes in venerem feruntur, cum deinde parere oua incipiunt, minuitur humidum, & creſcit calor igneus, & iam macriores fiunt, & gallinæ, quæ multiparæ ſunt, cum penè fuerint effætæ, omnino macreſcunt. Diſſoluto deinde humore, & ſiccitate adaucta calor exacuitur, ſic debiles, & febrientes ad incubatum accedunt, & tunc cum oua fouent, ſicciſſimo ſunt habitu, quare & calidiſſimæ quaſi febrientes ſentientur, & ſic aucta etiam ſiccitate efficiuntur acutiores, ingenioſioreſque, & iracundiores, audaciores, atque ignotos roſtro fodere appetunt, & tangi nolunt, parum autem comedunt, quoniam ex alimento, ſicuti accidit febricitantibus, interna calore naturali deſtituta excrementis abundantiora fiunt, quare & illorum præſentia minuitur cibi appetitus, videmus autem, & febrientes acutius ſentire, & quoſdam vegetius intelligere, niſi materia ad caput irrepat, quod in auibus dum ouis incubant, animaduerſum eſt, nam cum alias ignauæ ſint, & meticuloſæ, dum tamen fœtus educunt, & oua fouent, tunc, & ſagaces exiſtunt, & ferociores, his ergo, & huiuſmodi rationibus confirmari poteſt tertium ſignum, quod arguit ingenium. *Caloris multi vis, & opatio.*

Sed rurſus erit dubitatio. Quomodo fieri poteſt, vt ingenioſi ſint calidi, & melancholia abundent, & ijdem plerunque timidi ſint, & debiles, ſi quidem non bono habitu præditi ſunt, videtur autem eſſe contradictio huiuſmodi, ſi enim ingenioſi ſunt calidi, & melancholici, quare ſicci, cum ingenioſi ſint debiles, & non robuſti, ergo calidi, & ſicci non ſunt robuſti, at ſupra dicebamus, robuſti rationem in calido, & ſicco poſitam eſſe; Amplius ſi ingenioſi habent carnem mollem, at melãcholici terram referunt, quæ dura eſt, ergo *Dubit. An ingenioſi calidi ſint, & melancholici.*

ingenioſi,

ingenioſi,cũ melancholici ſint, carnẽ neceſſario durã hẽbũt. Tertio quod nullo modo ingenioſi ad melancholiam accedant, poteſt confirmari, qm̃ ſunt molles,qui neque illiberales ſunt,neque moroſi, neque admodum obſtinati, & duræ ceruicis, quæ melancholicorum ſunt paſſiones,non igitur melancholiam tribues, aut robori,aut ingenio.

At contrarium ſupra affirmauimus; pro huius dubitationis ſolutione.

Reſponderẽ, quod robuſti, & ingenioſi cum vtrique ſint melancholici, inter ſe tamen diſtinguuntur, Nam longè diuerſæ ſunt ſpẽs melãcholię,quę in alterutris exiſtunt, etenim priores habent pilos duros,corpus erectum, & validum,extrema robuſta, & magna, collũ forte,pectus carnoſum, & latum, cutim duram, carnem ſolidam, non mollem, nec flaccidam, ſanguinem fibroſum, & craſſum, at in ingenioſis totum adeſt oppoſitum, etenim, & pili ſunt molles, & caro, & cutis flaccida, lenis,corpus debile, non robuſtum, extremitates mediocres,ſubtiles,pectus non carnoſum,neque admodum latum, omnino glabrũ aquoſus ſanguis fibris carens ferè. Videtur igitur melancholicus humor cauſa, tanquam materia in hominibus, & audaciæ, & timiditatis, & ingenij, & inertiæ, roboris, & imbecillitatis virium, prudentiæ, & furoris. Vtrum igitur eadem cauſa oppoſitos parit effectus? ſanè dicendum eſt, quod eadem cauſa numero, ſi oppoſito, & diuerſo modo afficiatur, quod oppoſitos etiam, diuerſoſque pariet effectus, & idem ſol oppoſito modo diſpoſitus,nunc diem,nunc noctem,nunc hyemem, vel æſtatem affert,idem ferrũ, candens vrit,in aquam merſum & extinctum refrigerat, ſic materia prima quamuis vna, eademque exiſtat propter varias diſpoſitiones,quas ab agente recipit,ac retinet,tantæ,ac tam diuerſæ rerum facies,ſe promunt.

Melancholiæ variæ ſpecies.

Eadem cauſa oppoſitorum.

Omnigenis perfuſę coloribus in genere omni. Quomodo autem pro diuerſæ melancholiæ affectione diuerſitas affectionum, & indolis in hominibus appareat, exemplo vini nigri docuit Ariſtoteles 30. problematum primò; idem etiam ferri exemplum docebit, primo intuitu,atque cum primum tangitur ferrum, frigidum eſt,durum,graue, rubiginoſum, actionibus, artibuſque ineptum, ſic homo humore melancholico refertus, & præcipuè circa præcordia,niſi calorem conceperit,niſi exercitatus fuerit,iacet incultus,inuiſus, inutilis, & ſibi, & alijs,ſicque frigidum, & ſiccum cauſari temperamentum dicimus, & hominem talem melancholicum vocamus,in quo non ſolum ſecundum molem,ſed etiam ſecundum virtutem,quoad humana natura patitur,præualet terra,vel humor,qui terram in homine refert,vnde qui tale ſortitus eſt temperamentum,auarus,meticuloſus,impurus, rudis,inerſque efficitur, durus,obſtinatus, inofficioſus,inciuilis,aliorum fugiens veſtigia, & hic carnem quidem habebit duram, & cutim aſperiorem,non tamen erit robuſtus,non enim tantum habet caloris naturalis,nec ſpirituum,qui materiam exagitare, rare facere, & calidiorem reddere poſſint, & propter hoc neque probe nutritur, & ideo debilis erit ſecundum corporis vires, & quamuis ſit talis, non ob hoc erit ingenioſus, quoniam calore caret,ac ſpiritibus,temperamentumque hoc frigidum, ſecundum cerebrum, & præcordia erit, & homo hic aquoſum ſanguinẽ habebit, ſtupidumque genus anſerum, vel aſinorum referet, Quod ſi ferrum ad ignem ponatur,eleuabitur primum quidam vapor fumidus, & ingratus, & ferrum nigrius reddetur, eodem modo cum aliquem calorem conceperit quæ circa præcordia eſt melancholia,homine ſuperiore,carnoſiorem, & robuſtiorem aliquanto,parum tamen audaciorem,at ſui maximè amatorem, & ſibi commodum tantum producet,cui quamuis cutis, & caro ſit priore mollior(eſt enim ſucci paulo plenior, quare, & priore etiam paulo ingenioſior) non ſemper tamen eandem mentis ſeruabit aciem, & in his tantum valere videbitur, in quibus fuerit exercitatus. Cõcepto ampliori calore ferrum exuit nigredinem, & ſenſim fit rubrum,deinde à rubore ad candorem tranſit, & tunc molle eſt,ac aptiſſimum in quamcunque conuerti ſpeciem,cum autem tale eſt, ſi in aquam frigidiſſimam immerſeris fit duriſſimum, & friabile maxime, ſi minus frigida ſit,

Exemplũ quõ Melancholia faciat oppoſitos effectus.

minus

minus etiam durum erit, & pro aquarum quibus temperatur differentia modo argenteũ, modo aureum, aliquando violaceum colorem referet, ſic melancholicus ſuccus ſecundum rationem, quam, dum calefit, ſuſcipit, modo ingenioſos, placidos, & humanos, modo triſtes, & ſolitarios, modo crudeles, immiſericordes, & duriſſimos, alias vates, diuinatores, & furentes facit homines; calidi enim eſt diſgregare, & attenuare, mouere, & ſubtilem facere materiam, in quam agit, ſubtilior, quæ circa cor eſt, materia, & calefacta ingenij præſtat acumen, vt ait Galenus, & ſi mediocris fuerit calor, mediocriterque ſurſum ferantur in caput vapores calidi, & ſicci, cum in cerebrum humidius peruenerint, ab ipſius frigore, & humore naturali, temperati hominem cautum prudentem, & de multis dubitantẽ, cunctantem, & quærentem multa, & multa ſcientem facient, ſiue (vt melius loquar) ad perdicta faciunt aptum. Creſcente adhuc calore, & conſtanter, ac vniformiter aſcendente prædicto calido, ſiccoque vapore in caput vehemens, & magni conſilij oculatiſſimus efficitur, atque Apollinis enthuſiaſmum illum de quo Plutarchus, concipit homo, & neſcio quid iam ſupra vires agitat, cogitat, aggreditur, audacterque perficit, hic eſt ille ardor quẽ dicebat Virg. à Dijs mentibus humanis addi, & ſi rurſus magis magiſq. creuerit calor atque etiam partes acriores, ac ſolidiores materiæ incaluerint, ſurſumque euaporauerint, & dum torrefiunt, ardentes, & torridæ in cerebrum ferantur, furor phanaticaque exagitatio, & inſania exoritur, aut ſaltem ille ſybillimus affectus, quem Virgilius in ſexto expreſſit. *Melancholiæ effectus varij.*

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum. Tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans, fingit premendo.

Huiuſmodi genus hominum pallidos macros videbis, carne laxa, oculis concauis, ſiccis, lucidis, cuteque leui præditos, debiles, quietos, taciturnos, cum non vritur melancholia, at ſi incendatur, tunc eoſdem aſpicies rubro colore infectos, micantibus oculis, audaces, feroces, robuſtos, furioſos, præcipuè in vehementia aduſtionis, hos gradus expreſſit in Amata Virg. quæ in principio leniter conquerebatur, deinde concepto furore bacchari incepit, tandem ſe occidit, idem in ſybilla, idem in Didone obſeruatum fuit, quod Seneca in Hercule furente ſimiliter effinxit; dicendum eſt igitur craſſum, & melancholicum ſuccum pro diuerſitate ipſius paſſionis, quã à calore concepto patitur, has affectionum differentias ex ſe producere, etenim contingit eleuari ab ipſo ad cerebrum vapores varios pro uario calefactionis gradu, & cum ſpiritibus miſceri, & ſic cerebrum affici, ac diſponi, vt longe alius, atque alius, quam prius erat, appareat per uices homo, vt apte ſuperiori aeri comparari poſſit, qui ſe diuerſum oſtendit, pro varietate vaporum, qui à terra ſolis virtute calefacta oriuntur, perfacta exuſtione, & incinerato humore ſi calor euaporauerit, timor, & triſtitia pœnitentiaque dictorum, ac factorum, vitęque tedium quoddam ſuccedit, donec iterum concepto calore, iterum agitetur humor, cieanturque calidi vapores, & ſicci, fumum acrem lignorum referentes ſiccorum, vt quercus, aut roboris antiqui, eademque audacia, eadem vis, ac tandem eadẽ reddit dementia, hac ratione Alcmæonem, & Horeſtem agitatos fuiſſe credibile eſt, atque has immiſſas furias, hanc fuiſſe Alecto, quæ Turnum excitauerit; Contingit autem ſic fieri, apprehenſa imagine, & facta impreſſione in ſpiritus ſub ratione rei admodum triſtis, & moleſtæ, vt erat Turno perdere vxorem amatam, pariter & regnũ dotale iam dudum animo comprehenſum, ſic ſubito oritur ira, & deſiderium propellendi, quod nocet, fit igitur vehemens ſpirituum agitatio, & commotio, ex hac motione calor in ſanguine, & præcipuè circa præcordia concipitur, deinde eleuantur vapores, primũ craſſiores, & frigidiores, & ſic in principio lente, & mediocriter dolere videtur, ſuccedente tempore, cum acrior fiat calor, acriores etiam attolluntur vapores, & tenuiores, qui ventriculos, & cerebri tunicas

vellicant,

vellicant, tũc sæuæ altius iræ cõsurgunt, deinde cũ valde doluerit, & acutissimè quid agendũ sit explicauerit, procedẽte, & amplificato calore fit furiosus, vel deficiẽte fit ineptus ad exequendum, quæ apte, ac solertia magna excogitauerat, quare desperat, tacet, ac dolet, quod cuidam Principi Italo olim contigisse recentiores quidam Historici narrant, cum enim maximis negotijs premeretur, varijsque bellis implicatus pecuniæ inopia laboraret, ille disertissime de rebus in quæstionem propositis disputabat, idemque prudentissime deliberabat, quid foret agendum, at cum in rem præsentem veniret, post positis omnibus bonis consilijs, ad peiorem, & prius in consultatione reiectam partem se conuertebat, in hoc vno fœminis magnopere similis, quas aiunt, semper quod est peius ex sibi propositis eligere.

Cur quã plures, qẽ potẽter elegerũt impotenter perfi ciunt.

Sic etiam quampluribus vsu videtur euenire, qui cum valeant acumine ingenij, quod potenter elegerunt, impotenter exequuntur; Deficit enim calor, neque suppeditantur spiritus ad executionem consiliorum, in speculationibus pene toti consumpti; nam difficile est, quod idem calor tam diu, tam ordinatè, & vniformiter perseueret, qui simul consilio prudenti, & maturæ expeditioni possit sufficere.

Amplius multiplex est melancholicus humor, nam alter est secundum naturam, qui dicitur ater humor, quique est pars sanguinis, crassior, siccior, & frigidior, & hic facit homines robustos, & stabiles, & cum accensus fuerit facit eas affectiones, quarum meminit Aristot. trigesima problematum primo, qui vero est præter naturã, & ab Hippocrate appellatur aqua, & facit homines pallidos, macros, debiles, timidos, ingenioſos tamen, si mediocrem calorem humor hic conceperit, si paucum omnino, rudes, bardos, actionibus, & scientijs ineptos ex his igitur quomodo, & fortes, & timidi, & rudes, & ingenioſi, possint melancholici vocari manifestum est.

„ *Et colligata, q uæ sunt circa humeros.*

Humeri ligati.

Quartum signum viri ingenioſi, quod sit verum confirmatur, nam si ingenioſus est debilis, & debilis non est fortis, atque hic habet armos, & humeros latos, distantes inter se, neque valde colligatos, probabile est ingenioſum, qui fortis non est, neque robustus valde, colligatos humeros habere, ita enim natura comparatum est, vt rerum contrariarum, conrrariæ plerunque sint qualitates, quatenus scilicet sunt illæ res contrariæ, Dicamus autem quid sit habere armos colligatos, & quomodo, & cur ingenioſus sit huiusmodi affectione præditus.

Colligatos humeros appello non exactè elaboratos à natura, non latos, non rectos, non distinctos, sed conuexam quandam figuram, & quasi gibbosam præ se ferentes, colligati autem humeri remanent, & valde iuncti, quoniam naturalis calor est mediocris, vel quoniam parum terræ in composito aderat corpore, vel alibi occupabatur totus calor, nimirum circa interiorum partium formationem, quæ in ingenioſo sunt optime elaboratæ.

An ingenios⁹ habeat calorẽ debilẽ.

At rursus in eosdem nodos incidimus; nam si ingenioſus est melancholicus, & idem calidus, & siccus, quomodo debilem aut mediocrem habet calorem, cum siccitatem, caloris dicant cotem, vnde fit valens, & fortis, & quomodo vim corporis formatricem à qua contracti, & informes extiterunt humeri, appellabimus inualidam, & impeditam, cum sit idẽ ac calor valens? & si melancholicus homo est, quomodo habet tenuem cerebri substantiã, vt ait Galenus in artis Medic. libro, & si habet tenuem sanguinem, & cerebri materiam, quomodo melancholia abundat cum (vt dicitur trigesima sectione problematum) sanguis melancholicus crassus sit, idem autem secundum se ipsum non potest esse tenue, & crassum, calidum, & frigidum, robustum, & debile.

Hanc quæstionem mouit alias vir quidem doctissimus Germanus, difficultatemque admirans, durum sibi ait uideri, quod nullus eam hactenus animaduerterit, at satis superque

que ex his quæ dicta sunt supra solutio patet, tũ ratione duplicis humoris melancholici, tum ratione caloris, qui magnus extensiue, & intensiue dici potest; quinetiam dicamus consideranti, & vocari hominem, vel melancholicum, vel pituitosum dupliciter, aut secundum totum corpus, aut secundum partes principales, vt cor, cerebrum, epar, & si melancholicus est, vel naturali melancholia, vel præter naturali, & hæc præter naturalis est, ve ex bile flaua, vel ex sanguine, vel tandẽ ex atro humore adusto, & vtcunque, qui vel multo, vel pauco, vel moderato calore afficitur, & mouetur.

Amplius ait ille vir, crasso opponitur tenuis, & subtilis, tenuitas de aqueo, & seroso dicitur humore, subtilitas ignis penetrationem, & acumen designat. Ex his ad dubitationẽ dicamus, ingenioſum esse calidum, & siccum non secundum totam corporis molem, sed tantum circa præcordia, & partes, quas hyppocondria dicunt, tenuemque ac subtilem habere cerebri substantiam, & ferè flaccescentem, quod in anatome insignis, & callidissimi furis obseruatum olim fuit à doctissimo viro, & melancholia qua abundant partes illæ, est quidem naturalis, plerunque tamen partes aliquas ex bilis flauæ adustione generatas, seu mixtas habet. Qui verò dicitur robustus, & vegetus, illæ secundum totum melancholicus est, & naturali melancholia hoc est, sanguine crasso, & fibroso per totum corpus eodemque multo calore extensiue magis, quam intensiue affecto abundat, verum ingenioſus habet debilem calorem, secundum totum corpus, & præcipue circa stomachum. Ex aduerso circa iecur plerunque iusto calidior est intensiue, & circa præcordia sanguis feruet ob multas obstructiones quibus contingit affici omnes ingenioſos, quoniam eorum calor à stomacho ad alias partes euocatus vitiosam facit coctionem, vnde pituita, & crudus humor molestus est, qui plerunque sapientes, vt inquit Horatius, male torquet. Habet autem ingenioſus tenuem cerebri substantiam, non tamen tenuitatis aqueæ, sed potius aereæ, quorum enim cerebri substantia crassa est, & terrea, & pauco calore prædita, illos bardos, & crassos dicimus, in stupido igitur rudi, & bardo homine, pigroque, & nullius pretij, sanguis est crassus, pituitosus, & frigidus, & referetur ad boues senes, aut ad verueces. *So.*

In robusto, & viro vegeto, & vt dicunt, vigoroso, sanguis crassus quidem est, et fibrosus, & etiam calidus, qui terram, & ignem referat, non autem, vt superior aquam terra coinquinatam, & horum cerebrum firmum, & robustum, & solidum est, & ad quandam accedit fuscedinem, quale penitus fuerat illud cuiusdã ferociſſimi latronis, & audaciſſimi, quod in manu nobilis anatomici videre licuit. Tales sunt tauris, & leonibus simiſes; qui vero tenui, & calido pleni sunt sanguine, aerem referente benigni sunt, iocis, & risibus dediti, sed quoniam eorum calor non est vehemens, neque quodãmodo, qui ex huiusmodi sanguine eleuati spiritus cerebrum petunt, illud vellicant, & excitant, effectum est, vt multum non videantur ingenioſi, at quorum sanguis tenuis est, sed multo calore aduritur, & figitur, præcipuè circa præcordia, si moderatum habuerit sedimentum, dum eleuantur ex hoc sanguine circa præcordia calefacto, & (vt voce Chymica vtar) fixato, spiritus, & vapores ordinati, & vniformes, ac mediocriter sicci, & propter siccitatem simul vniti, in cerebrum tenui præditum substantia ferantur, illudque ipsum mediocriter vellicent, & excitent, primum quidem redditur homo aptiſſimus ad sentiendum, deinde ad inquirendum, & inueniendum, & iudicandum. Cum autem subtiles sint hi spiritus, persæpè hominem faciunt inconstantem, & aliquando ex fastu (vt ait Scaliger) obstinatum. Hac igitur ratione proposita dubitatio solui probabiliter potest, & sic patet quomodo ingenioſus sit melancholicus, melancholiaque adurantur circa præcordia, non autem quoniam sanguine sit præditus fibroso, crasso, & terreo, qui o abundat robustus. *Qui magis, & qui minus ingenioſi*

Inferiora laxata.

Per inferiora, vt supra dictum est intelligere possumus extremas partes, vt manus, pedes, *Extrema laxata.*

des,ac genua;dicamus igitur ingeniosum hominem habere inferiora,hoc est,membra corporis extrema, & à thorace remota, laxata, scilicet non arctata,nequè interse stricte colligata, sed tales habere dearticulationes, quæ facile in omnem partem conuerti possint; videmus enim adolescentulos molliores, habere laxiores dearticulationes, & ita laxè colligatas, vt pollicis extremitas facilè modò partem superiorem radij, modò inferiorem siuè internam tangat. Ingeniosus igitur habet membra extrema; laxe ligata, causa est quoniam ingeniosus mollis est, humiditateque naturali abundat, neque multum terræ secundum molem possidet,qui talis est habet extremitates laxas. Ingeniosus igitur extrema laxe colligata habet, maior propositio ex ratione ipsius humiditatis nota est; nam si humidum sicco opponitur, & quæ sicca dura sunt, ergo quæ humida erunt mollia,hæcq. facile ductilia sunt, & contrahuntur,& deducuntur,quæ talia sunt,ea laxa vocantur, ergo iure dicimus, quod qui mollis est, & naturali humiditate abundat, ille habet extrema laxa, & præcipuè membra inferiora, ceu pedes, pedumque dearticulationes circa digitos, & talos, & genuum dearticulationem. Non tamen credendum mollitiem, & humiditatem simpliciter abundare in ingenioso, sed talem esse, qualem videmus recentem ceram rubram, quæ ductilis sit, & bene subacta, vt possit omnes rerum figuras suscipere. Hac autem similitudine, puto, nos facile posse doceri, quomodo robustus non sit admodum ingeniosus, sed & quomodo iuuenis, & mollis sit aptus ad discendum, & memorandum, senex vero, & ineptus, & qui facile obliuiscatur, & difficile addiscat, teneat autem quæcunque iuuenis didicit. Mente itaque concipe ceram esse melancholiam, & resinam terebinthi referre bilem, cum mediocri pituita coniunctam,sanguinem esse cinnabarim quo rubra efficitur,cuius opus est,& colorare, & simul miscellam constringere. Si ergo superet plus nimio,cæra difficile rerum formas suscipit, rumpitur, non est ductilis, sed durior permanet propter siccitatem, si superat terebinthus omnibus rebus adhæret, confundit, nec quas suscepit imagines ritè retinet, si vero mediocris fuerit, & apta compositio, & suscipit formas rerum, & illas retinet aptè; vt cæra bene subacta facile suscipit figuras, sic agitatus labore, & disciplina, prædictus humor afficitur, & rerum simulachra prompte admittit;cum cæra vetusta est, non recipit noua, sed quæ recepit idola olim diutissimè retinet sic antiquorum meminere senes, recentium memoriam non seruant. Quod à nobili quodam viro sæpius dictum audiui,qui quærebatur, se aptissime versus Virgilianos posse recitare memoriter, quos puer didicerat,seruorum autem nomina,quin,& filiorum sæpissimè memoria excidebant.

Costæ bene solutæ.

,, *Bene soluta,quæ circa costas.*

Pars est hæc posterior quintæ proprietatis, seù signi, quod in ingenioso agnoscit Aristoteles, eum nempe habere partes, quæ sunt circa costas bene solutas; porrò per ea quæ circa costas;Intelligo ego costas ipsasmet,& sternum,siue pectoris os,& modum loquendi græcum agnosco,sic in principio Perierm.

,, *Sunt ergo ea quæ sunt in voce*, hoc est voces ipse, sunt conceptuũ inditia,& primo physicorum. *Ea quæ sunt circa principia scientiæ,quæ de natura est,determinanda*, quod significat principia naturalia esse primum declaranda, sic ergo, & nunc dicit, quæ circa costas debent esse bene soluta, hoc est, costę debent esse bene solutæ. Quid per solutum intelligamus supra etiam, dum proprietates robusti exponebantur,explicatum fuit, cuius armos dicebat Aristoteles latos esse debere distantes, nec valde colligatos, nec omnino solutos, nam dicebamus solutos humeros, & male ligatos, ac dearticulatos esse eos, qui quasi cadere, & per accidens copori,siue thoraci iuncti videntur, ita vt non eius cuius sunt humeri, sed quasi mutuo capti possint iudicari,talis enim dispositio arguit humoris prędominium, & superfluam abundantiam, aut nimium mollem materiam, & facile calori cedentem,

qui

qui tamen illi impotenter, & inordinatè dominetur, vt cum plumam robuſtus vehementer proijcere tentat. Ad rem igitur dico ſolutos quidem debere eſſe humeros, ſed non ſimpliciter, & omnino, ea ſcilicet ratione, quæ oſtendit caloris imbecillitatem, ſed bene, hoc eſt ſecundum rationem, ordinem, & perfectionem quandam, quæ in mediocritate licet conſiſtat, attamen magis ad diſſolutionem accedit, quam ad oppoſitum, ſicuti fortitudo magis ad audaciam, & liberalitas magis ad prodigalitatem accedit, Fortis igitur ſimpliciter in medio ſitos habet humeros, & ita affectos, vt neque colligati, neque diſſoluti appareant, at ingenioſus habet bene ſolutos, hoc eſt commodè iunctos, & non omnino, ſed ita, vt per eam ſolutionem non impediatur illorum operatio, ſic igitur poſſum dicere, ingenioſum habere armos bene ſolutos, hoc eſt perfectè, & probe dearticulatos, vel ſolutos, hoc eſt laxè ligatos, ita tamen, vt illorum actio non labefactetur.

Cauſa verò, propter quam ingenioſus tales habeat armos, eſt, quoniam habet mollem carnem, in illo igitur ſuperat humor, & circa pectus eſt multus calor in comparatione ad reliquum corpus ipſius, quare, cum eo in loco calor, & humor dominentur, calor autem ſit virtus actiua, & humor paſſiua ex qua formatur corpus, propterea ingenioſorum humeri, & coſtæ fiunt bene formatæ, & armi probè conſtructi, propter humorem autem diſſoluti, ſed mediocriter propter calorem rationabiliter materiæ prævalentem, eique dominantem, formantem, & terminantem. Exiſtunt ſecundum naturam igitur ingenioſi tales.

„ *Et ſecundum dorſum non carnoſus.* *Dorſū non carnoſum.*

Dorſum vulgo appellatur pars corporis humani, quæ ſub ſcapulis incipiens, vſque ad os ſacrum per ea loca, in quibus iunguntur ſpinales vertebræ, cum oſſibus ilium protenditur, latitudo autem dorſi terminatur, vbi incipiunt incuruari coſtæ; porro cum dorſum vocat Ariſtoteles in ingenioſo non carnoſum eſſe; puto, intelligendum præcipuè partem illam, quæ immediate ſub ſcapulis poſita eſt, quæque ex parte poſteriori opponitur cordi, & cui ſunt implantati muſculi, qui brachia ad poſteriora deducunt.

Huius indicium eſt, quod ſenes, qui prudentiores ſunt iuuenibus, minus ſunt carnoſi; adde in eodem genere, quæ obæſiora, ſunt etiam minus perſpicacia, & callida, ſic macras Vulpes, & Lupas uidemus eſſe, plenis, & carnoſis, & pinguibus aſtutiores, ferocioreſque, vt

—Quos improba uentris
Exagitat cæcos rabies.

Sed ratione, hoc etiam confirmari poteſt, etenim ſi qui ſunt ingenioſi, calidi ſunt circa pectus, & cor, & ſubtiles habent humores, niſi adurantur, ſæpè autem aduruntur, aduſtique craſſeſcunt, propter quod obſtruunt venas meſeraicas, vnde fit, vt difficili negotio tranſeat nutrimentum ad epar, & propter eandem cauſam amplius incaleſcat, quo præter modum, propter prohibitam tranſpirationem, incaleſcente exſiccatur humor innatus ſtomachi, vnde fit frigidior, & concoctio vitiatur, & hac vitiata non generatur probus ſuccus, ex quo fit nutritio diminuta, ſic ſequitur, quod qui ſunt ingenioſi plerunque non bene nutriantur, hi ergo ſunt macri, tum ſecundum totum corpus, tū præcipuè circa eam partem, vbi viget magis calor ſiccus, quæ eſt dorſum, circa ſcapulas, & pectus: Adde ingenioſos mollem habere carnem, ergo exactum tactum, quare, & guſtum, ſunt igitur prompti ad varietatem ſaporum, ac epularum cupiendam, fit igitur, vt inde plura appetant, quam poſſint digerere, & quam plurima comedant cum datur occaſio, repleti igitur multo cibo, potuque coctionem vitiant, & ſic non nutriuntur, aut ſaltem malus ſuccus generatur in ipſis, quod opus eſt varietatis ciborum, ideoque ille ait.

Vides, vt pallidus omni,
Cana desurgat dubia.

At re vera puto propriam rationem propter quam non est carnosum dorsum ingenioſi esse, quoniam multus illi calor ad igneam naturam accedens circa diaphragma, & iecur adest, at multus calor igneus multum exsiccat, cui autem contingit à calore exsiccatio, illi multum carnis non adest; ergo hac ratione paucam habent carnem ingenioſi, quodque multus calor igneus sit circa phrænes, siue transuersalem musculum, & cor ipsis ingenioſis, iam supra fuit declaratum; quod ergo, & cur dorsum non sit carnosum in ingenioſis patet.

,, *Corpus album mixto rubore, & purum.*

Corpus album, et roseũ et purũ

Hoc etiam requiritur ad ingenioſi hominis constitutionem. Primum autem per corpus album mixto rubore intelligo cutim, non tamen omnem, neque enim frons roborem debet habere, & genarum cutis rubicundior est, quam partes aliæ faciei, quæ vero pectoris candidior, vt plurimum est, quam ea quæ circa latera, & iecur reperitur, & quæ in manuum exteriore parte ruborem non requirit.

Dico ergo corpus album in homine ingenioſo requiri, hoc est omnino prævalere debere, in illo alborem, ast ruborem deinde, secundum diuersa corporis loca, additum iri, alicubi enim parum, alibi multum requiri, nullibi omnino deficere debere; nam quamuis candida frons esse debeat, candida manus, & digiti, nihilominus suspicio quædam, & imago roboris etiam ab oculo notari debet.

Causa est, quoniam hæc membra sunt viua, calida igitur, sanguinem, & spiritum tenuem habentia, si itaque ingenioſus est subrubeus, ergo in omni corporis parte rubor aliquis debet subapparere.

Cum autem dico ingenioſum candidum esse, mixto rubore, de facie puto præcipuè esse intelligendum; id enim est magnopere secundum naturam, vt facies candida, labra rubra, mentum cum candore parum roboris habeat, vt vix sentiatur, nasus magis, quam mentum purpureus, & genæ partem rosæ exteriorem referant.

Cæterum id coloris ex temperie ingenioſo accidit, cum in ipso adolescente prædominetur bilis naturalis, cum subdominio pituitæ cum melancholia coniunctæ, in quibus subtilior viget calor. Hunc colorem Tibullus in Apolline descripsit dicens.

Candor erat, qualem præfert latonia Luna
Et color in niueo corpore purpureus.

Sed oritur dubitatio multiplex; primum enim, si hæc est propria ingenioſi passio, ergo cui non inerit, ille non est ingenioſus, at quam plures pallidi ingenioſi sunt.

Dub.

An ingenioſi albi, & subroſei.

Amplius plerosque tali colore præditos, stupidos, & bardos videmus; puerorum deinde hic est color, illi autem non apti sunt ad disquirendum, & inueniendum, & inuenta discernendum, distinguendum, & iudicandum, quod est proprium ingenioſi, rursus albo, & roseo colore præditi sunt Germani, & Poloni, quos plerunque simpliciores multo videmus, minusque astutos, quam sint Itali.

Amplius ingenioſi sunt Arabes, & Aethiopes, Hispani, & Pœni, hoc est sagaces, & astuti, qui tamen nullum cum rubore candorem habere possunt, etenim nigri ferè sunt, & ex his quidam carbonem extinctum referunt.

Demum si melancholiæ subdominium habent, sunt ergo terrei, ergo sub nigri, aut pallidi, nullam igitur cum candore habent concordiam. His igitur, atque huiusmodi dubitationibus posset debilitari sententia Aristotelis.

Qui-

Quibus respondentes primum dicamus, hanc esse quidem ingenioſi paſſionem, verum neque omni conuenire, neque ſoli, neque ſemper, vt cum ingenioſo conuertatur, vt riſibile cum homine, ſed ſicuti medicum, aut bipedem eſſe dicimus proprium hominis, ita ingenioſi proprius eſt color candidus cum rubore, aut neque etiam hoc modo verum eſt, ſed ſolum hoc ſignum ab alijs ſeparatum nihil oſtendit, cum alijs vero iunctum facit ad ingenioſi conſtitutionem, ſic ergo deſcribens hominem, illum appellauero animal ſine pennis, bipes, latos habens vngues, ſi cæpero vnam quamque conditionem ſeparatam, nulla hominem ſignificabit, omnes tamen ſimul cum eo conuertentur. *Sol.*

Et ad primum quod facit dubitationem, reſpondeo, quod neque omnis ingenioſus eſt candidus, & ſubrubeus, neque quicunque talis eſt ille eſt ingenioſus, vt neque omnē implume eſt homo, neque homo dici vere poteſt implumis, priuatio enim habitum præſupponit, vel forte dicam ingenioſum probabiliter ſequitur talis paſſio, non tamen omnem neceſſario, amplius neque conuertitur, vel etiam ingenioſus duplex eſt, alter ſecundum naturam, alter vero ex accidenti: qui ſecundum naturam ingenioſus eſt, cum ſanguinem ſubtilem, quem bilioſum, ſiue naturalem bilem dicunt, & ſpiritus multos circa caput habeat, & pituita non careat, in hoc quod habitamus climate, probabile eſt, eum eſſe candidum, & roſeum; at qui ex aduſta bile, & pituita cum melancholia compoſitus ſagax, & acutus apparet, ille per vices potius, & non ſemper talis eſt, prior ſibi ſemper eſt æqualis, & conſtans, maximè ſociabilis, & benignus, poſterior ſecum ſæpè diſſidet ipſe, neque ſibi conſtat, neque eadem vis ingenij continuè permanet, quare paſſio hæc præcipuè ingenium oſtendit, quatenus eſt ſignum, quod docet hominem probe temperatum eſſe, ac ſecundum naturam diſpoſitum.

In his aũt quos videmus candido, & rubro colore præditos, ſtupidos, & bardos eſſe, probabile eſt, talem colorem ex multa pituita cum ſanguine coniuncta oriri, vel ſolum in ſuperficie ſanguinis eſt abundantia, interius autem deficit, aut ſanguis eſt purus non autẽ ſubtilis, & bilioſus. At dixi non ex ſanguine puro colorari pituitam, ſed ex bilioſo, calidoque, vel melancholico naturali ad hoc, vt ſit aliquis ingenioſus; ex Galeni enim ſententia melancholicus ſanguis eſt cauſa propter quam rubea, & fulgens ſit tota ſanguinis maſſa.

Verum enim vero non ſequitur, ſi ingenioſus eſt talis, quod quicunque talis eſt, ille etiam ſit ingenioſus, non enim in facie, ſed circa cor ſanguinem melancholicum, in cerebro autem naturalem pituitam ſpiritibus, & partibus ſubtilioribus melancholiæ miſceri oportet, & ſi pueri talem plernnque habent colorem, neque ingenioſi ſunt, illi non melancholico, ſed puro ſanguine abundant, neque tantus eſt eorum calor, vt poſſit adurere humores, & eleuare ſpiritus vniformes, & continuos, ſed diſſipati, diuerſi, inter ſe diſſentientes cum ſint, ac ſimiles fumo qui attollitur, cum incipiunt vri viminum faſces, ideo factum eſt, vt ſtare loco nequeant, & nunc lugeant, nunc rideant, canant, taceant, optent, quod non habent, deſpiciant, quod ſunt conſecuti.

Quod de Germanis, & Polonis, ſiue Sarmatis dicitur, forte negandum eſſet populos illos eſſe ingenioſos, quoniam robuſti, & bellaces: at ex altera parte quæ maxima ſunt ingenij humani monimenta ab ipſis, & penes ipſos ſunt inuenta; primum enim horologiorum inuentio ad ipſos refertur, item bombardarum, & quod maximum eſt Typographia, & ars imprimendorum librorum omnem humani ingenij ſolertiam ſuperat; ad ipſos etiam refertur inuentio organorum, & quarumdam tubarum, quibus vtuntur recentiores tubicines, quare non eſt, quod dicas eos ingenioſos non eſſe, at forte contemplationibus dediti non ſunt, neque in his valebunt admodum, cauſa eſt, quoniam melancholico humore non abundant, aut quoniam non contingit adeo apud ipſos aduri humor hic, vt aduritur apud Italos, & Hiſpanos, ferociſſimi

autem sunt, cum in illis aduritur bilis, & si pituita eisdem adesse videtur, colore candido nimirum id testante, ea potius in superficie, quam in intimis corporis dominatur, & quod de Aethiopibus, & Arabibus adfertur, qui candidi non sunt, ingenioſi tamen, & quo nigriores sunt, eo sũt etiam acutiores, primum quidem id accidit propter solum natale, Aristoteles autem loquitur de his, qui in quinto, & sexto climate habitant.

Amplius, neque rubor in Arabibus, & Aethiopibus deest, & quibus ineſt, illi etiam magis secundum naturam hominis sunt dispositi.

„ *Et purum.*

Quid sibi velit Aristoteles per hanc vocem non reperio apud vllum, puto tamen, hanc esse sententiam, vt corpus exterius hominis ingenioſi debeat esse candidum, rubore suffusum, & purum, quæ vox, vt mihi videtur, reijcit quosdam homines, qui candidi quidem sunt, ruboremque purpurascentem habent, sed obductam, modo faciem, modo manus, nonnunquam alias corporis partes lentigine quadam, & furfure, aut fuluo, aut cinericio, aut subfusco, quod sanè arguit, (vt suo loco dicemus) bilis flauæ, aut atræ exustionem, quo fit, vt tales homines iracundi, & obstinati, peruicaces, duri, incrédili, asperi sint, ad serpentes enim, & viperas aliquo modo videntur posse referri, qui huiusmodi corio teguntur; si igitur cuius corpus, & cutis non est pura quamuis sit mixto rubore candida, ille non est ingenioſus, ergo ingenioſus purum habebit colorem. Bene igitur Apollini, ut ingenioſo Tibullus colorem tribuit.

Qualem contexunt amaranthis alba puellæ.
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Et ipsum, idem poeta dicit in corpore niueo purpuram habuisse mixtam. Quod igitur purum in niueo corpore qui habeat colorem, hoc est non maculosum, ingenioſus sit, ex his patet.

Pili nõ duri, nõ nigri.

„ *Pili nec valde duri, nec valde nigri.*

Penultimum signum ingenij à pilis desumptum; quid sit pilus supra dictum fuit, ingenioſos talibus pilis præditos esse docent vulpes, mustellæ, & genus brutorum, quod præcæteris ingenioſius cẽsetur, inter aues etiam, quæ molliores habent plumas solertes magis esse videntur, tum in nidis condendis, & tuenda prole, tum in prouidendo sibi ipsis, atque pullos conseruando, vt de sitta aue, de molliſſima monucodiata recensetur, ac alijs quam plurimis enumeratis ab Excellentiſſimo Bononiensi Ornithologo. Primum igitur pili in ingenioſo valde duri esse nequeunt, quoniam mollem habet carnem, & forte spiritus tenues, & humores tenuiores, si cum alijs comparetur hominibus; At quorum caro mollis est, sanguisque tenuior, illorum pili crassi esse nequeunt, quare neque duri, ingenioſus igitur pilos duros non habebit, sed quamuis crassiusculi forent propter carnis mollitiem, cuius pori apertiores possent esse, attamen ratione materiæ ex qua oriuntur, duri esse non poterunt, dictum est non valde futuros duros, quoniam non erunt molliſſimi, vt leporum, id enim timiditatem arguit nimiam, & caloris debilitatem, neque erunt, vt aprorum setæ, sed medio modo dispositi, crassiores propter pororum laxitatem, molliores propter materiam, vnde mediocritatem quandam inter durum, & molle obtinebunt.

Aldro uãdus ornithologiæ ſcriptor

„ *Nec valde nigri.*

Idem pili valde nigri esse non debent, nam melancholici humoris adustionem, & sanguinis nimiam crassitiem ostenderent, qui enim fumus crassior est, ille etiam nigrior

nigrior apparet, qui magis ad ignem accedit, fit etiam magis albus, quod videmus ſi picem accendamus, aut reſinam, aut colophoniam, teda etiam, & pini lignum cum primum ignem concipiunt huiuſmodi fumum nigrum emittunt, qui tenax eſt, craſſus, & viſcoſus, & ferè idem in cæteris etiam lignis videtur, vt qui ex his excitatur fumus primus craſſior, idem etiam nigrior appareat, terra enim, & aqua iuncta ſimul cum ab igne patiuntur in principio nigreſcunt, donec abſumpto humore ſuccedat, vel albus, vel pallidus, vel aliquis alius color, quod in lateribus, qui in fornace coquũtur clarè apparet, & in luto à ſole exſiccari cæpto.

Non ergo ſunt valde nigri, quoniam qualis cutis, talis plerunque eſt pilus, ſed ingenioſi cutis nigra non eſt, verum candida, & roſea, ergo neque ipſi erunt nigri; amplius ſi eos abundare ſanguine dicimus pituitoſo cum bile, melancholiaque naturali temperato, & ad purum ſanguinem accedente, cum qui tales ſint, atros, & aduſtos naturaliter non habeant humores, ergo neq. pilos atros, non tñ candidos, hoc enim eſt pituitæ, quam inſenſatos facere homines, & ſtupidos dictum eſt; non fuluos, quoniam hoc eſt bilis, non aureos etiam, vt de Commodo legitur Imperatore; quorum crines aurea ſcobe perfuſi videbantur, huiuſmodi enim capilli moderatam caloris in bilem, & ſanguinem purum denotant actionem; ſed quoniam ad hoc vt aliquis vere dicatur ingenioſus requiritur, vt permaneat, in ſpeculationibusque ordinem, & firmitatem obſeruet, ideo tantum caloris habere debet, quantum ſufficiat ad faciendos humores craſſiuſculos, & eleuandos ſpiritus continuos, & vniformes, quæ actio cum ſanguinem melancholicum requirat, hoc eſt craſſiorem, nimirum, & fuligines, quæ inde eleuabuntur ex quibus pili naſcuntur aliquid nigroris contrahent.

Quare quorum hominum capillos dicunt eſſe pulchros, hos volunt aureos, & criſpos eſſe in extremitatibus, at prope pellem ſub nigros, & ad colorem caſtaneæ maturæ accedentes, quam ex arbore circa principium Nouembris excerpimus.

Hac ergo ratione ingenioſorum pili, neque valde nigri eſſe debent, neque valde duri, aliter ingenium non arguerent.

„ *Oculus charopus, humidus.*

Oculus caropus, vel caſius.

Qualis ſit oculus charopus in characteribus fortium explicatum eſt, adde etiam ex theſauro linguæ græcæ, charopum oculum vocari gratum, & iucundum, & charopi apud Græcos vocantur, qui cordis lætitiam vultu produnt; hæc paſſio videtur iure ingenioſo conuenire, quoniam ingenioſus eſt ſecundum naturam humanam bene diſpoſitus; aſt quoniam ſpiritibus plenus eſt, ingenioſo ideo oculi læti, ac iucundi videntur; cæterum color hic à latinis cæſius dicitur, teſtante Aulo Gellio, qui in confinio fului, & viridis cum aliquo ſplendore poſitus eſt, pulchrorum, & fortium oculos tales eſſe ait Lucianus, & in hoc vtrique conueniunt, quod probe temperati ſint, & diſpoſiti quamuis magis ad animam, & formam referatur ingenioſus, ad materiam vero, & corpus bene compactum magis reducatur fortis, & robuſtus.

Homerus leonibus charopos aſſignat oculos, quo nomine etiam Germanorum oculos in Mario vocat Plutarchus; & interpres vertit horrendos, quaſi, qui ſpectantibus terrorem incuterent.

Ego ſanè cum alias diligenter leonis iubas, pilos, oculos, & totum corpus ſpectaſſem, nullam penitus ſimilitudinem inter ipſius colorem, & eum, qui in oculis Germanorum exiſtit, potui animaduertere. Leo enim fuluus omnino erat ſecundũ pellem, & oculi ſplendentes igneum quoddam, obſcurum tamen, videbantur referre, quorum neutrũ ſpectabã in oculis Germanorum, qui floris lini colorem, aut cœli exæquant potius; per charopum

igitur intelligerem lætum, iucundum, & benignum, qualis profecto est eorum, qui multis, ijsdemque subtilibus, & sanguineis abundant spiritibus, quam sanè proprietatem in ingeniosis supra agnouimus. Si ergo ingeniosus multis abundat spiritibus claris, tenuibus, & calidis, cum hi iucundum, & hilarem oculum possideant, quæ hilaritas nascitur ex calido, & humido tenui, & illuminato, siue etiam cæsia sit coloratio, siue non, hic color, & aspectus dicetur charopus. At quoniam mihi non carere dubitatione videntur omnino ea, quæ hactenus de ingenio dicta sunt, neque ex prædictis satis liquere puto, nunquid sanguinis crassi, & melancholici, an vero subtilis, & bilioſi sit passio hęc, de qua loquimur, ingenioſaque propensio, hunc ipsum tanquam materiam, an illum requirat sanguinem, aut aliquem alium humorem, si quidem Aristoteles videtur sentire in 30. problemat. quod ingenioſi melancholica prædi ti fuerint temperatura, & ideo melancholicus sanguis materia sit ingenij, quod supra etiam obseruabamus; ex altera parte dictum est, Galenum medicorum facile principem sensisse, in calido, & tenui sanguine ingenium positum esse; alij sanguinis, & igneorum spirituum dotem vocauere, quod vix videtur probabile, cum obtusa, & crassa quædam quotidie se se offerant ingenia, multo sanguine, multisque spiritibus abundantia, & è conuerso quidam sint ingenioſissimi, & maximè solertes, in quorum facie, ac tẽperamento nihil sanguinis eluceſcit, vt ferè Chamaleontes possint putari.

Quæ ingenij materia.

Ideo, quando se se iterum offert occasio loquendi de ingenio, cum iam quid sit dixerimus, nunc quale nam sit, & quotuplex, & cur tot sortiatur differentias dicere tentemus; neque id graue sit legenti; quando scribenti fuerit leue. Quidam putarunt ingenium in brutis, æque atque in hominibus esse, & nullo alio nisi ipso magis, & minus differre, à qua sanè opinione non visus est abhorrere Plutarchus, in eo libro, quẽ inscripsit, Quod ratione vtantur bruta; vbi quam ingeniosè agant, qua ratione, modoque sibi caueant exactè disputat; si quidem determinantes, ipsum quærere, inuenire, & inuenta iudicare, an ex vsu quærẽtium sint, esse ingenij essentiam, aut opus proprium; quibus hæc, aut horum vestigia adesse viderunt, illa ingenium habere, ac etiam rationem putarunt; magisque ad hoc persuadebantur, quando quosdam homines adeo rudes bardos, ineptosque videbant, vt potius caudices, aut stipites, quam homines haberentur. Videbant præterea pueros in quibus ratio, & intellectus futurus est, adeo male scire cognoscere quærere, & reperire, & iudicare, quid sibi foret vtile, aut inutile, vt multæ bestiæ longe ipsis magis intelligentia, & iudicio, & prudentia instructæ apparerent, & adeo plurima à pueris præter omne rationis vestigium fieri videbant, vt aliquando dubitarent, potius bestias, quam homines vocandos esse pueros: Putarunt quidam aut esse partem concupiscibilis, aut sine hac non esse ingenium; At sanè licet ingenio agere, vt in contemplationibus; vbi nullam partem habet concubiscibilis appetitus; Quidam recentiores, qui magni putantur philosophi, opinati sunt ingenium irascibilis potentiæ passionem esse, neque sine irascibili esse posse. At sic in omni animali esset ingenium; bruta enim, & ipsa irascibilem habent appetitum, at cum ratione esse ingenium diximus, vel ipsamet ratio, quæ non est in brutis; insuper, si in quibus est ira, in illis etiam inest ingenium, ergo in infantibus, cum manifesta, & certa sit ira, etiam ingenium esset. Demum si ingenij proprium est quærere, & inuenire, at irascibilis reijcere, & repellere malum, & quod dolorem infert, aut illaturum putatur, patet has potentias habere diuersa obiecta, quare, & diuersas esse penitus inter se; ergo ad rationalem potentiam, non autem ad appetitum, aut ad motiuum principium, aut vegetatiuum pertinebit ea habilitas, quam ingenium dicimus, cuius exitus ad actum hic esse videtur, vt primum sensu, & intellectu cognoscat homo, deinde ingenio ex his quæ cognouit, vtatur ad disquirendum, & inueniendum quid in re cognita sit conducibile, iudicio inuentum determinet, quare sicuti est eiusdem potentiæ videre colores, & animaduertere, quòd ille sit color, & iudicare, quod colorem sentit, pariter eiusdem erit potentiæ, & quærere,

Ingenium non esse appetitũ.

rere, & inuenire, & iudicare, quid ſit verum, & bonum, aut oppoſitum, ex his igitur patet ingenium, eſſe vim, & potentiam animæ ratiocinatricis, quæ ad intellectum refertur. Intellectus operatio duplex eſt, ſimplex, & compoſita, ipſeque actiuus, vel ſpeculatiuus, ergo, & ingenium tum in definiendo, tùm in affirmando, & negando, perſequendo, aut fugiendo tàm in ſpeculatiuis, quàm in actiuis, & factiuis ſe ſe manifeſtat.

Iudicij & ingenij diſcrimẽ.

Videtur etiam quod ingenium, & iudicium ſit idem re, differat autem ratione, nam hæc vis eſt ingenium quatenus inuenit, quatenus autẽ inuenta iudicat, iudicium dicitur. Si ergo tale eſt ingenium quale definiuimus, ergo bene diximus, quod virtus eſt, & potentia quædam, quandoque enim homo vtitur ingenio, & iudicio, quandoque non, ergo aut in materia eſt, aut non ſine materia, vbi enim potentia, ibi eſt materia.

At ſi vtitur corporis particulis, vel ſimilaribus, vel diſſimilaribus, non diſſimilaribus ſane, quoniam nõ videtur potentia organica, neque homo iudicat, aut oculis, aut auribus, ſed videt, atque audit, ſimiliter neque manu, aut pede; ſed neq. ſimilaribus, vt ſangnine, oſſibus, neruo, carne, & ſimilibus. clarum enim eſt, quod ad inueniendum, & iudicandum his non vtimur, quare ingenium non videtur habere organum certum quoddam, neque propriam, & determinatam eſſe materiam eiuſdem, ſed aut toto corpore homo inquirit, & iudicat, aut certis quibuſdam partibus interioribus, quæ quales ſint, nunc eſt perſcrutandum.

Materia ingenij.

Profectò, ſi inquirere eſt quoddam agere, & penetrare, & in partes varias ferri, & iudicare, ſupponitur oppoſita cognoſcere. Hoc autem eſt quoddam ſuſcipere, ergo potentia, quæ inquirit, & iudicat cognoſcere debet, at cognoſcere eſt cognoſcibilium formas apprehendere, ergo & denudata eſſe debet ab omni contrarietate, & æque ab omni diſtare; & ſeiunctam eſſe, cum ergo quatenus eſt cognoſcitiua rerum omnium, omnibus careat, & facillimè omnia admittat, & admiſſa retineat, erit ſicca, & humida, & neque ſicca, neque humida, ſed æque ab vtroque extremo diſtabit, medietas ergo eſt paſſiuorum, at quatenus inquirit, & inueſtigat debet penetrare, & diſiungere ab iuuicem, quæ naturaliter ſunt ſeiuncta, & actu tamen inter ſe confuſa, & eatenus calidam, & igneam naturam ſapit, promptitudinem etenim quandam ad motum deſignat, quæ ignem refert.

Sunt ergo paſſiones prudentis ingenij fortè, non multum ab ignis qualitatibus remotę, quas expreſſit in Aenea Virgilius, dum ait.

Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc.
In partesque rapit varias, perque omnia verſat.

Verum quoniam ingenioſus coniugit, & cogit ſimul multa prædicata, & hoc eſt opus frigoris ſine hac qualitate non erit, quare medietas erit actiuorum, & ideo prudens grauis eſt, & in actionibus nõ eſt præceps, ingeniũ igitur nõ eſt potẽtia, quæ requirat materiã ſubtilem, calidam, penetrãtem, & ad motum promptam, ſed neceſſe eſt etiam talem eſſe, quæ quod recepit, iungat, retineat, & in eodem ſtatu permaneat.

Quæ enim potentia retentrice carent ingenia, in principio quidem videntur aptiſſime diſquirere, at paruo temporis momento confunduntur, neque priora, aut poſteriora diſponunt, & retinent, quod autem dat ſtabilitatem, & firmitatem in actionibus eſt graue, & ſiccum, hoc autem terra eſt, ſecundum analogiam; ſpiritus igitur, quibus vtitur ingenioſus, quique ſunt materia ingenij, ſunt ignei, & terrei, vt inquiſitionem aggredi, & inuentionem perficere durando, & inuenta retinere poſſint.

Sed hæc ſunt contraria duo, toto genere diſtantia, & extrema, quæ nuſquam ſine medijs necti ſimul poſſunt, at media ſunt aer, & aqua, oportet igitur hanc materiam, & ſubſtantiam, quæ ingenij rationem ſuſtinet in ſe ſuſcipere aquam, & aerem, vel eorundem elementorum vires, & potentias, quales ſunt humiditas, qua cognoſcibiles recipit formas & frigiditas, qua omnia cognita ſimul nectere valet, atque cogere, ex illis ergo, quæ his

quat-

quattuor elementis proportione respondent in nostro corpore, mediante calore naturali animato constituitur, & conflatur medietas certa, hoc est quoddam corpus tenue, & subtile, aptum ferri sursum, mouere, & penetrare, suscipere, ac retinere, durareque vniformiter, & huc atque illuc circumuerti, & per omnia versari, & tanquam Proteus omnia fieri, atque hoc subiectum, & materia, quę instrumentum est illius virtutis, quam vocamus ingenium.

Ex quibus fiat hæc medietas q̃ sint ipsius causa.

Huius igitur compositi, si primum respexeris principium ex quo; erit humorum naturalium massa, certo modo disposita in vasis circa cor præcipue existens, cui suppeditat penetrationem, & acrimoniam bilis, at firmitatem melancholia naturalis, promptitudinem ad admittendum, atque ad recipiendum sanguis, & pituita, quæ vtiusque bilis tum flauæ, tum atræ excessus temperant, & vt ex terra sole calefacta eleuantur spiritus calidi, celeres, sicci, prompti ad omnia peragenda, quæ vehementiam, celeritatem, violentiamque requirunt, vt ventorum turbines, & fulmina, ac fulgetras, comætas, cadentes stellas, & huiusmodi, sic ex melancholico sanguine circa cor existente, dum incalescit, & aduritur, spiritus eleuantur, qui non minus hominem quatiunt, & agitant, quam venti, & turbines percellant aerem, quare etiam quodāmodo verè dixit recentior philosophus, qui de anima scripsit, quod ingenium est dos sanguinis, nam etiam si non in sanguine primum, tamen in eo, quod ex sanguinea massa consurgit, reperitur. Materialis igitur ingenij descriptio poterit esse huiusmodi. Ingenium est vis, & potentia, quæ consistit in corpore subtili, & spirituoso eleuato à sanguinea massa per calorem cordis naturalem ad cerebrum vniformiter ascendente, quoniam igitur est à corde, ideo est calida, quoniam autem ad cerebrum peruenit, quod est frigidum, & humidum, adeo temperatur, vt fiat medietas actiuorum, & quoniam recipit, ac retinet, ēt passiuorum principiorum; ab extremis omnibus remotū, vt statuatur quoddam subtilissimum corpus, quod neque calidum, neque frigidum, neque humidum, aut siccum, durum, aut molle, graue, aut leue dici possit, quoniam æque ab omnibus distat extremis. Et sic materiam habemus ingenij, nec non, & efficientem causam. Forma, & finis cui, erit ipsamet hominis anima, quæ dum iuncta est corpori, non operatur nisi phantasmatum speculatione, & organis. At huius corporis subtilis causa cuius gratia est, vt possit omnium sensibilium imagines recipere, & propter hoc omnibus principijs sensibilium caret, atq. oīa habet, quare & his, quæ illa sequuntur; huius propria, & naturalis forma est illa ratio, ac proportio, quam proprie dicimus ingenium, habilitas nempe, aptitudoque, ex certa illa, atque armonica prædictorum humorum proportione resultans, qua vtimur, vt rectè discernamus verum à falso, bonumque à malo iudicemus, & eligamus; hoc igitur ingenium est, hæ sunt illius proximæ causæ. At prima quidem Deus est, à quo omnia optima procedunt, omne enim donum perfectum, & omne datum optimum desursum est à patre luminum, ingenium autem, & intellectum esse optimam, & perfectissimam rem docet Aristoteles tertio ethicorum, illud ipsum vocans bonum pulcherrimum, quod à natura homini inest, neque ab vllo alio accipere, aut discere licet, non ergo studio, aut arte comparatur ingenium, sed ea vis est, quam pro sua benignitate Deus nobis donat. Vnde à veris philosophis, & Christianis theologis intellectus, & rectum consilium dona Spiritus sancti sunt vocata; secundam causam vniuersalem Arabes, & astrologi dicunt cœlorum certum aspectum, quo materia certo modo disponitur ad suscipiendam naturalem, hoc est à Deo naturæ auctore procedētem dispositionem; At præter cœlum cœlestesque aspectus, vis formatrix ea est, cui tanquam causæ propinquiori huius dispositionis materialis, quæ nata est suscipere perfectam ingenij formam attribuenda est fabrica; Homo enim generat hominem, & non lectus lectum, dicebat Aristoteles, illumque ciet, ac generat vna hominis vis; quare insita semini virtus auxilio materni caloris proportione respondentis calori solis, (qui de seminibus mandatis terræ excitat vim illis inexistentem, & plantas producit) ea est, quæ fabricans hominem miscet etiam, & alterat, & disponit, quat-

Materialis descrip. ingenioſi.

tuor

tuor humores prima quattuor hominis materialia principia, ita vt fiat massa quædam primum sanguinea, ex qua oritur, deinde organum ad suscipiendum intellectum, & ad exercendas operationes, quæ sequuntur intellectus adeptionem, accommodatum.

Cur tã ta sit ingeniorum diuersitas.

Cur autem, cum vna sit hominis forma non tamen sit vnum, & idem omnium hominum ingenium, causam puto, præter Dei voluntatem, vnam posse dici, variam scilicet dispositionem, & secundum magis, & minus alteratam prædictam materiam, quæ primam suscipit ingenij formam. Vt enim quod idem sonator, & tibicen aliquando melius, aliquando peius sonare videatur, ipse non semper est causa, sed tibię, & cytharæ tribuendum est, quæ quandoque magis, aliquando minus bene disposita est, & chordis bonis munita; sunt enim quædam chordæ, quas falsas vocant, quæ nunquam quouis adhibito studio, vt armonicè cum alijs conueniant, fieri potest, ita quod anima vna, & eadem aliter, atque aliter sit disposita, & aliquando neque sibi constet, neque cum alijs conueniat, non ipsi sed diuerse dispositioni organorum, & huic præsertim supradicto corpori medio tribuendum est, nascitur hæc varietas dispositionis, fortè à causis accidentalibus, aliter enim dispositus pater, & mater, aut animo, aut corpore, vel propter affectus, & passiones, ceu lętitiam, metumque, & huiusmodi, vel propter cibos, vel propter loca, & regiones, vel anni tempora, aliud semen producunt, ac procreant, vnde, & diuersi seminis, vel diuersimode affecti vim diuersam, & diuerso modo dispositam esse probabile est, quare factum est, vt frater, à fratre mirificè differat, & vnus cessare, & ludere, & vngi.

Paruꝰ error in principio, magnꝰ in fine.

Præferat Herodis, palmetis, pinguibus. Alter
Diues, & importunus ad vmbram solis ab ortu,
Siluestrem flammis, & ferro mitigat agrum.

De passionib. ingeniorum.

Habemus ingenij causas, & cur ita inter se differant; nunc eiusdem passiones, ac proprietates videamus, ac primum supponamus iudicium, & ingenium non differre inter se secundum rem, sed secundum rationem, & cosiderationem tantum.

Amplius electionem, & iudicium in actu se mutuo consequi, ita vt posito vno ponatur alterum, & ablato auferatur. Quamuis autem ingenium, atque intellectus (vt etiam Socrati referente Xenophonte videtur) minimum habeat cum corpore comercij, à corporea tamen leditur imbecillitate, & mala dispositione, quoniam illa prædicta massa, quam materiam, siue subiectum in quo est ingenium, si male fuerit temperata mentem impedit, ne perfectè suo munere fungatur; aliquando enim obliuio mæror, furor, obstinatio, animi deiectio, & desperatio, aliquando etiam animi quædam motio, & elatio à corporis insolita dispositione prouenit; ergo idem ipsum corpus male affectum ingenio, & menti, quæ illo vtitur, oberit ne possit apte inquirere, & inuenire, & inuenta iudicare, & iudicata eligere, & electa ad actionẽ reuocare: Prõpti igitur ad intelligendũ, & inueniendum, & inquirendum erunt, quorum spiritus sunt tenues, calidi, & mediocriter sicci, quare celeres sunt in suscipiendis imaginibus, & mutandis, vertendis, & peruertendis, non igitur quiescunt imagines, at quies imaginum susceptarum memoria est, iure igitur dictum est, quod ingenio prompti ad intelligendum, & iudicandum, memoria non valent, possunt tamen reminiscentia non mediocriter yti, est enim discursus quidam, aut non sine discursu reminiscentia; qui ergo iudicio, atque ingenio perfecto sunt prædĩti, excellenti vtuntur discursu, cuius vt dictum est, conclusio iudicium est, & electio, & in his calor, & pura bilis id præstat. Qui verò tardiori sunt ingenio, nec facile discunt, minus tenues, & minus celeres spiritus habent, ijdem quieti propinquiores sunt, quod igitur susceperunt retinent.

Ingenioſi obliuioſi.

Acuti q sint.

Qui tardi memores.

Et ideo magis quam priores dicuntur esse memores, magisque ater humor in his dominatur, & terram sapiunt. Idem refert Chalcidius sensisse Platonem, qui ingenium vocat vim quandam animæ, simillimam cęræ, quæ si perfecta est facit homines acutos ad intelligendum, & celeres ad discendum, & solertes ad iudicandum, & perspicaces ad eligendum quid in vna quaque re sit conducibile, verum, vel bonum; Cęræ autem, vt dictum

est

est natura videtur vniuersales differentias ingenij explicare. Quæ igitur cæra durior est, ea ideo difficilius suscipit rerum imagines, at cum primum illas assumpserit, diuturnius retinet, quæ vero nimium mollis est, imagines quidem promptissimè recipit, at cum primum impressor discedit simul secum etiam imago recedit, & abôletur, vt in aqua apparet, atq. in illa cæra rubra, quæ multum, & plusquam par esset terebentinæ habet admixtum; nam facile quidem imprimitur, sed adeo præ sua mollitie adhæret imprimenti sigilo, vt non remaneat sigillatio facta; sic igitur accidit, vt quidam ingenioſi obliuioſi sint, quidam pariter stupidi, & bardi homines parum habeãt memoriæ, quoniam imagines non suscipiunt, priores igitur quoniam non retinent, posteriores, quoniam non recipiunt, obliuioſi dicuntur. Iure autem obliuio videtur sequi homines ingenio carẽtes, quoniam obliuio ex frigido est, & humido, nam hoc non bene recipit, humidum non retinet, vt videmus in aqua aut cœno gelu rigente, breuiter enim quam cæpit formam gelu seruat, sed ingenium in temperie optimarum qualitatum videtur positum esse, quare qui non habet calorem vegetum in specie humana nõ potest esse ingenioſus; Vt igitur plerunque iudicio, & ingenio prompti parum memoria valent, ita qui memoria parum valent, non sequitur, ideo sunt ingenioſi, non enim valet consequentia conuersa; nam propter frigus obliuioſi non sunt ingenioſi, sed stupidi, qui verò propter calorem, ac summã celeritatem, & imaginum agitationem sunt obliuioſi, illi possunt esse ingenioſi.

Ingenioſi immodesti.

Ex hoc ergo cum calore multo abundent, variaque imagines agitant, patet, quod dicebat Plato, difficile esse reperiri hominem ingenioſum, qui idem non sit mansuetudinis, & modestiæ expers. Vidimus hoc in ingenioſissimis pictoribus, & sculptoribus, & quibusdam poetis nostrorum temporum, qui immansueti, & feri, truces, & immodesti erant, & ratò qui maximi in artibus, aut scientijs aliquibus excelluerunt, ijdem maximis vitijs detenti non fuere; maximæ enim (vt supra dictum est) virtutes à maximis vitijs circumseptæ, atque obsessæ sunt plerũq. Causam puto, quoniam mansuetudo, & modestia, comitas, & placiditas, siue humanitas, & benignitas, & virtutes moris quædam mediocritates sunt, & ad nescio quendam timorem accedunt, at mediocritas excessui caloris repugnat, timor vero ad frigus refertur, igitur modestus, & mansuetus excedentem calorem non habet, at ingenioſus excedit in calore sicco, qualis est qui ab ignita terra eleuatur, & à præcordijs ad caput feruntur multi spiritus; igitur vir talis, raro modestus, ac mansuetus esse potest, pro vt testatur Aristoteles etiam xxix. sectione problemate septimo, dicens ingenio, & doctrina præditos, ideo cæteris esse iniustiores, quoniam acrius, & subtilius, quam alij, voluptates, & fœlicitatem rimantur, & sectantur, quæ res raro, aut vix sine aliorum offensione, & iniuria acquiri possunt, acriter autem rimari, & subtiliter reperire posse rerum differentias, & qualitates, ingenij est opus, atque hominis multis spiritibus abundantis.

Ingeniorum discriminæ pro locorũ differẽtia.

Multum etiam discriminis à loco, & regione illi, aduenit, nam feruens est ingenium truxque, & ferum in his, qui loca frigidissima colunt, quoniam à circunsito frigore concentratur calor, & spiritus ne foras exire possint prohibentur, vnde sicuti olla humore plena igni apposita, si bene cooperta fuerit amplius efferuescit, & cum multo strepitu spumam, & humorem emittit, eadem sane ratione cum frigus circumpositum poros cutis obstruat, calorque interior efferescat, à frigore in partes intrinsecas reiectus, atque coactus contingit spiritus vehementes, perturbatos, ardentesque caput petere.

Vnde, & dum loquuntur, & dum aliquod aliud negotium tractant, quasi furore percelli videntur; bellaces igitur sunt huiusmodi viri, obstinati, duri, truces, & fortes, & eadem de causa corpus magnum, album cum rubore, & musculosum sortiti sunt, nisi sub circulo polari habitent; ijs enim in locis ob nimium frigus, liuorem contraxere quendam, & mediocri sunt corpore præditi, quamuis satis secundum humeros lati sint, & robusti, quod idem Aristoteles in problem. dicebat.

Et

Et eadem forte eſt cauſa, qua cõfirmari poterit dictum cuiuſdam ſcriptoris Galli, quærentis cauſam propter quam Galli, & Germani cum quodam hoſtili irriſu per petulantiam, & procacem quendam in modum ſæuiant in hoſtes, & quaſi ridentes ijſdem victis inſultent, eos raptent, feriant, dilanient. Ex altera parte meridionales, vt Afri, Arabes, Hiſpani, Aegyptij, Syri cum quadam triſti iracũdia, atque acerba amaritie deſæuiunt in victos, vt hi ex affectu iræ, & cum dolore ferrum exerceant, illi vero ex odio, & cum voluptate hoſtilem ſanguinem petulanter effundant. *Cur ſeptẽtrionales aliomodo, ac meridionales irã exerceant.*

Vir ille diuerſis id tribuebat cõplexionibus, at crederẽ intimius eſſe cõſiderandũ, & ſuppoſito, q̃ hoc verũ ſit, dicerẽ cauſam eſſe q̃m Meridionales ſunt melancholici, & aduſto humore abũdant, & interiora illis frigent, q̃m exteriora maximè caleſcunt, & ſic euocatur calor, quare cum obiecti præſentia contingit, quod interior hic humor melancholicus accendatur, qui auſterus, & acerbus eſt, & totus mæſtitiam ſpirans ſæuitiam cum mæſtitia, ac dolore quodam exercent. Ex aduerſo Galli, ac Germani, quorum interiora multo calore abundant, multoque bilioſo ſanguine referta ſunt, pro vt eorum cutis, & corpus totum teſtatur lætabundi, ac cum voluptate, & hoſtili ſarcaſmo crudeles ſunt. Quod autem viri illius Gallici dictum verum ſit, cognoſcet, qui hiſtorias leget Italicas, ac contemplabitur, qua ratione in Italos ſæuierint quondam Galli, Germani, Gothi, Vandali, Longobardi, & quomodo Græci, Mauritani, Saraceni, & Arabes eoſdem affecerint.

Amplius Gallis, & Hiſpanis alternatim bona pars Italiæ ſubiecta fuit, qua ratione illius regionis populi ab vtriſque tractati fuerint, ipſi teſtari poterunt. Iulius Maternus inquit, Scythas eſſe ingenio fero, & truci præditos, quoniam bilioſi, & melancholici ſunt. Si modo Scythas vocat, quos nos Tartaros dicimus, & Moſcouitas, hos enim perſæpe vidimus temperamento bilioſo, & melancholico præditos, ſub nigri enim, ac liuidi ſunt, craſſoque abundant ſanguine, ſiue quod lac concretum cum ſanguine potent equinò, ſiuè quod multo melle viuant, uel quod externum ingens frigus interna multo calore impleat, vnde aduritur bilis, ac ſanguis, & ſic fit craſſior multo, quam ſit in Germanis. Externas vero partes mortificat, ſtringit, ac liuidas facit. Gallos ille vocat ſtolidos, & glorioſos, quod ego non video. Stolidi fiunt, quorum ſpiritus ſanguinei, & pituitoſi ſunt, & facies purpureum habet cum albore colorem, ſed pene remiſſum. Tales ſunt pueri, & fœminæ, at acutiſſimos pleroſque, ac prudentiſſimos reperies Gallos, propriamque illorum eſſe vehementiam, & promptitudinem ad agendum, quæ ex bilioſo habitu, & ſubtili oritur ſanguine. Omnes enim penè ſunt roſeo colore præditi, aureis, & flauis crinibus, oculis lætis, ac ridentibus decori. Italos idem vocat acutos, & inter hos præcipue ſiculos, & qui tractum Neapolitani Regni incolunt. Puto Italos eſſe inter ſe diuerſiſſimos, quoniam ſub XLV. gradu maior pars Italiæ, vel circum circa poſita eſt. Vel magis quoniam per montium, paludium, lacuumque diuerſitatem, variamque habitudinem ad ſolem, ac cœlum, & aquarum, ciborumque differentem naturam, adeo diuersè afficiuntur, vt non videantur eiuſdem, ſed longe remotarum regionum homines, qui vltra, & qui citra Appeninum habitant. Olim Siculi imbelles habebantur, laſciuos, & dicaces vocat Quintilianus; quidam patrius illorum ſcriptor inſtabiles, molles, ac ſeditioſos appellat, quod probabile videtur, nam cœli, ſolique bonitas, & vbertas eos molles corpore facit, ſic enim multo humore alente, vt ait Albertus Magnus, veriſimiliter abundant, quare molles fiunt, fœminaſque referunt, inſtabiles igitur, nam qui molles ſunt facile patiuntur, pati autem eſt moueri, qui facile mouentur ſunt inſtabiles. Cæterum ſi ſunt inſtabiles rationabiliter etiam ſunt ſeditioſi, illi enim facile ſeditiones agitant, qui ſuis principibus fidem non ſeruant, tales autem ſane qui mobiles, qui inter ſe contentioſi, qui tumultuoſi exiſtunt, quæ omnia in ſui ratione inconſtantiam, & inſtabilitatem accipiunt, ille idem auctor auaros dicit Syros, & Arabas, & Phœnicios, cuius indicium eſt, quod præ cæteris Phœnices omnium *Syrorũ & Arabum ingenia.*

nium primi mercaturam, & nauigationem exercuerunt, hoc autem desiderio rei familiaris augendæ fecisse probabile est, quod desiderium subolet nescio quid auaritię, si quidem auaros æris auidos vocamus; at Syri auari erunt, quoniam timidi, timiditas autem his inest quoniam, & interna frigiditas, quam diximus omnibus ferè meridionalibus adesse, & ijs qui propè tropicum habitant, propter externum calorem. Arabes autem, si qui alij populi, latrocinium exercent, & rapto viuunt, vel id cogente regionis, quam habitant, sterilitate, vel quoniam phœnicibus sunt sicciores, & minus frigidi, melancholici autem proprium est, si quando incaluerint vehementer appetere, & impotenter quærere, quod etiã clare apparet in his, qui Aphricæ Cesarienſis, & Tingitanæ deserta colunt.

Persarum ingenia.

Quod de Persis olim, & hodie quoque fertur esse eos iactabundos, & elato animo prędi- 10
ditos, ac pręcipuè qui Taurisiũ incolunt, delicioſosq. esse Assyrios; verũ non forte locorũ natura id facit in Persis, sed quoniam imperare iam per longissimum tempus assueti sũt. Medi autem, & Bactriani parere, quare illi iactabundi, elati, ac superbi. Medi autem cum parere soliti sint, nescio quid seruile meditantes, veneri, ac vino indulgent, sed in multis horum populorum vulgaribus, & inueteratis institutis, siuè illa virtutem, siue redoleant vitium naturalis propensio superata apparet.

Ad prudentiam itaque, & scientiam hoc est ad contemplationes, & actiones veras, & rectas perficiendas requiritur ingenium, & iudicium certum; atq. vt hoc sit, certo quodam modo disposita debet esse sanguinis massa.

Cur alijs alia proben tur.

Sed cur alij alijs moribus, & studijs tenentur? an quoniam ingenium est inuentor me- 20
diorum, sine medijs enim non est rationis opus, media suppeditat sensus, diuersis in locis, diuersæ res, & diuersimode affectæ reperiuntur, quare, & diuersæ apparentiæ, inde opiniones diuersæ, quare & mores, & studia, prudentia autem, & scientia ambæ in sua definitione rationem capiunt.

Sed ad rem; Ingenium aptum ad inueniendum, acre & subtile, habet corpus maxime sensitiuum; & quod est actionibus aptum, magis abundat bile, & sanguine puro, quod vero cõmodius est speculationibus, & scientijs magis melancholicum est; scire. n. est quiescere quoddam, & scientia est quies, vt primo de aĩa, at agere, & actio, est motus, & mouere.

cur qui sunt in contemplationib. præstantes in actionib. nõ valent.

Contingit autem, viros in actionibus magnos raro valere in contemplationibus, & è 30
contra, quoniam quod paratum est ad motum, ineptius est ad quietem, vt cubus lapideus sphæraque differunt, quoniam cubus ad quiescendum idoneus est, sphæra vero ad motum nata videtur, conueniunt autem vtrique in materia lapidea; similiter actiui, & contemplatiui in hoc, qđ ambo melancholiã hñt cõuenire videntur, at contemplatores per se, vt scilicet durent spiritus vniformes, & cum quadam quiete recipiant, & retineant contemplãdas imagines; at actionibus dediti per accidens fiunt melancholici, adusta nempe bile, & sãguine crassiori effecto, vnde qui in iuuentute ingenioſi indagatores vocabãtur, ijdem cũ consenuerint, iudicio exacto præditi dicuntur; vtrique igitur effecti sicciores, non tamen simpliciter sicci secundum cerebrum, acutiores apparent, prudentię autem, & scientiæ siue perspicaciæ, & iudicij perfecti non parum in sicco repositum esse videtur, vel teste Heraclito, quem aiunt dicere solitum, in luce sicca habitat sapientia, hoc est in spiritibus te- 40
nuibus, & luminosis, non obscuris, & frigidis, at siccis, positam esse ingenij vim, & iudicij acrimoniam; idem putabat animæ sapientiam corporis sanitati maxime esse similem, cũ vtraque siccum ad suam requireret existentiam; Mihi autem videtur subiecto, & materię, quæ ingenij susceptibilis est, quasdam, tanquam passiones accidere, & hoc præsertim ordine stuporem, ruditatem, tarditatem, ambiguitatem, varietatem, instabilitatem, quibus opponuntur habitus oppositi, & à quibus denominantur homines furioſi, feruido, ac turbulento ingenio prædi ti. At prudens, & ingenioſus in medio positus est, accessus autem & recessus à prudentia ad stuporem, aut furorem causatur à caloris dispositione, vt ab

agente

agente inſtrumentali, & ab humoribus, qui in corde ſunt, eorumque mixtione, vt cauſa materiali, pro vt magis, aut minus accedunt ad ſupradictam temperiem; præualente igitur pituita, frigoreque fit ſtupor, ſi vero cum frigore melancholia prædominetur, aſinina ruditas, & indocilitas quædam emergit, ſi melancholicus humor præualebit cum mediocri calore, & bile flaua, tarditas quædam ingenij quidem, vt in Catone fuit, apparebit, quæ tamen vinci ſtudio poteſt, & ſi per adauctum ætatis calorem ſuccus melancholicus incaluerit amplius, probabile eſt ex ipſo ſpiritus eleuandos eſſe, qui materiam ſeueritati, prudentiæ, & honeſtis deſiderijs ſuppeditent, & ſi pituita præualuerit cum æquali ſanguinis, & atræ bilis ſubdominio, ambiguitatem quandam, & hæſitationem in omnibus continuam aſpicies, ita vt qui hanc ſortiti ſunt temperiem ſemper in conſultationem dubioſi omnia reuocent, nihil aſſerant, ſuſtineantque ſemper, vt Pyrrhonij, aſſenſum, & quaſi noui Arceſilai, quid ſit affirmandum, aut negandum neſciant, ſi vero bilis flaua cum ſubdominio ſanguinis præſtiterit, varium, & mutabile, fœmineumque dabit ingenium, & inſtrumenta intellectui, adeo inualida parabit, vt qui tale ſortiti ſunt temperamentum, futiles, inſtabiles, volubileſque magis, quacunque auicula ſe ſe offerant, & ſi loco bilis dominabitur humor ater cum ſanguinis ſub dominio, & modica bile perſpicacia orietur, & ad inquirendum ſubtilitas cum acrimonia quadam, ſed plerunque apte inuenta, probe diſcuſſa, & acriter iudicata nõnunquã inopportune, inepte, ac præter rationẽ executioni mandabũtur, taliaq. ingenia eruditionibus, ac doctrinis magis, quã actionibus, & negotijs videntur eſſe idonea.

In his autem temperamentis ſupponendum eſt calorem naturalem tanquam plectrum ab anima, & voluntate tanquam à manu, & muſica motum, diuerſo modo agere, mutare, alterare, exercere, & illam materiam humorum, vt chordas teſtudinis, vel cytharæ, varijs cauſis, rationibus, & occaſionibus pro ſuſceptarum rerum, per ſenſus varia imagine continue mutari, donec ſteterit, & certam ſuſceperit formam, & habitum, vnde homo dicitur, vel prudens, vel ſciens, vel perſpicax, aut ineptus, & iners.

Si autem contingerit, quod bilis, & melancholia prædominatæ fuerint, vtræque tamen naturales, & harmonicè inter ſe, (vt ſupra dictum fuit) iungantur, vt duo, & vnum, temperataque fuerit horum ſiccitas à pituita, & ſanguine, his duobus humoribus in ſeſquialtera proportione conſentientibus efficitur prudentis materia. Hanc igitur materiam, ſiue humorum maſſam in corde, & circa ipſum exiſtentem, cum mediocris, moderatuſque calor, & benignus accẽderit, eleuantur ſpiritus, qui à cerebri opportuna, hoc eſt benigna, & naturali frigiditate elaborati, ſenſatum, prudentem, modeſtum, iuſtumque efficiunt hominem, nempè naturaliter aptum, & diſpoſitum ad acquirendas virtutes huiuſmodi; hicque ille eſt, qui optime poſſit oppoſita. Huius ſic diſpoſiti intellectus, quoniam nactus fuerit opportuna inſtrumenta, ſi ad optimas traductus fuerit exercitationes, & diſciplinas, diuina, ac vera Dei Imago apparebit.

Quod ſi hæc temperata probè humorum maſſa diu, multumque, et propter longam caloris actionem, multum prioris humoris euanuerit, calliditas, et vafrities exorietur, præualente nimirum ſiccitate cum calore, ſi vero bilis minor fuerit, eodem calore manente, ex melancholiæ prædominio grauitas, et ſtabilitas cum ſeueritate eluceſcet, qualem fuiſſe ferunt Fabium Maximum.

Callidum vero dixeris Annibalem, Eumenem, et Lyſandrum, quorum ingenium reſolutum, exercitatum, promptiſſimum ad actiones, quale aiunt habuiſſe Iulium Cæſarem, qui in celeritate ponebat ſpem oẽm, omneque bene gerendę rei momentum, ad prædominium bilis vtriuſque cum mediocri ſanguinis, et pituitæ ſubdominio referendum eſt; Quicunque hoc ſortitus fuerit ingenium, et temperamentum, irritatus immitis erit, neque ad parcẽdum inimicis paratus, niſi per aſſuetudinem, et diſciplinam, aut diſſimulationem, in ipſo aſcititia, et nõ naturalis fuerit ad clementiã, et manſuetudinẽ diſpoſitio, qua volebant

quidam omnino Pompeium ſecundum naturam propriam carere, quem Cicero aiebat, dum cum Cæſare gerebat bellum, iam ſyllaturire, hoc eſt in crudelitatem, & ſæuitiam inclinare, ac incipere ſyllam imitari, proſcriptioneſque ciuium meditari.

At ſi ſupra hanc eandem humorum temperiem calor magis, magiſque ſe efferet, feruidum quoddam, & ad mala omnia inclinatum orietur ingenium, crudele immanſuetum, nihil non arrogans ſibi, & qualem volunt fuiſſe Achillem Thætydis filium, Mariumque ſeniorem; at ſi melancholia acriter prædominata fuerit cum bile multa, & pauco ſanguine, & pituita, cum maſſa hæc calorem conceperit, furere hominem videbis, cui vt ſybillæ, non vultus, non color vnus, non comptæ manebunt comæ, & ſupra ſolitum, dum concepto multo calore aduretur vtraque bilis, fiet robuſtus, acer, ſolers, futurorum etiam, quæ non nouit vates, & propheta, & poeta, qui etiam ex tempore verſus fundat, atque omninò inſanus, & qualem dicebat Horatius eſſe illum, quem

Vesanum tetigiſſe timent fugiuntque poetam,
Qui ſapiunt, agitant pueri, incautique ſequuntur.

Hos eoſdem ſæpè antiqui phanaticos, & quaſi à Demone obſeſſos putarunt, à quibus cum receſſerit calor, & omnis deferbuerit vapor igneus, tunc neque ſe loco mouere poſſe videntur, neque corpus ſuſtinere, & plerunque dictorum, & factorum non meminere.

Ex his itaque quid ſit ingenium, & iudicium, & quæ ipſius materia, & quomodo ſit intellectus inſtrumentum, & quales eiuſdem ſint paſſiones, & differentiæ manifeſtum eſt.

Patet etiam pro ſpirituum, quos diximus eſſe ingenij materiam, tenuitate, alios alijs eſſe ingenioſiores, quare qui in locis ſalubrioribus, & depuratiorem, ac tenuiorem aerem habentibus habitant, naturaliter etiam acrius ingenium, & iudicium plerunque conſequuntur. Idque dicitur, plerunque fieri, non enim ideo negatur

Summos poſſe viros, & magna exempla daturos
Verue cum in Patria, craſſoque ſub aere naſci.

Nihil enim mortalibus arduum, nihilque eſt adeo difficile, quin facies, cum voles etenim

Labor omnia vincit improbus.

Ariſtotelicis ſignis ingenium demonſtrantibus bonum, excellens, & ferax, addunt alij, ne corpus ſit valde magnum, nec valde paruum; nam homo longus raro dicitur ſapiens, paruus autem vix bene poteſt diſcurrere, in paruo enim loco magnus rerum numerus, & amplum agmen ordinate ſe explicare non poteſt; capilli omnino medij inter molles, & duros, nigros, & flauos, ſic enim prædominium bilis vtriuſque cum mediocritate naturali docent, dentes mixti, vt ſcilicet quidam ſint lati, quidam deinde ſtricti, & ijdem rari potius, quam denſi, parui, quam magni, lingua mediocris, & ſubtilis, non longa, quorum enim longa, & ſubtilis eſt, illorum crudele, & malignum eſt ingenium; referuntur enim ad ſerpentes, manus graciles, ſunt enim non boni habitus ingenioſi, quare extrema ſunt gracilia, molles etiam manus habent, quoniam illorum caro mollis eſt, & quoniam eorum materia mollis, & naturalis calor non admodum vehemens extenſiue, ſed potius intenſiue, ideo digiti longi, ſunt etiam graciles, nam ſi longi, & craſſi, robuſti eſſent.

Vocant quidam ingenioſos, qui femora carnoſa habent, ego depiges, & fæmora pauca carne, & eadem laxa, molli, & flaccida præditos dicerem ingenioſores ijs, qui oppoſitam diſpoſitionem habent, hac vna ratione, quoniam debiles, & non bono habitu præditi ſunt ingenioſi, vt ſupra oſtenſum fuit.

Quod addit Porta ingenioſos habere oculos obſcuros, an Ariſtoteli cõtradicit? q ſupra dicebat, ingenioſi oculũ eſſe charopũ, & humidũ? hunc exponebamus iucunditate, ac ſplendore plenũ, nam multis ſpiritibus, ijſdemq; tenuibus, & puris refertũ dicebamus ingenioſi caput, & cerebrum, quare ſi ingenioſus multis, ijſdemque puris ſpiritibus abundat, obſcu-

Porta opinio.

ros oculos (& vt vulgo dicitur) mortificatos non habebit, Idem ait oculos debere esse magnos, at Aristoteles, vt refert Diogenes, paruos habebat, qui genus humanum ingenio superauit, & omnes

Extinxit Stellas, exortus uti ætherius Sol.

Ego crederem oculos debere esse mediocres, Vulpes, quæ malitiosæ sunt, & maxime astutæ paruos habent, videtur autem astutia excessus quidam ingenij.

Addunt nonnulli frontem in rectum porrectam, ego dicerem magnam, & quadratam, ita tamen, vt magnitudo non sit excedens, nam si quorum frons est parua, illi sunt indisciplinabiles, vt infra dicit Aristoteles, ergo quorum non parua, illi non erunt indisciplinabiles, sed dociles, namque passio præcipua ingenioſi est docilitas.

Quadrata igitur frons esse debet, neque conuexa, & multo minus etiam concaua, verum plana, & æqualis non turbida, non nebulosa, non tristis, sed in his omnibus mediocris. *Qualis sit frõs ingenioſi.*

Capilli non crispi admodum, nam crispi feruorem quendam nimium indicant, bonum autem ingenium mediocritatem requirit, non crassi, non recti, sic enim duri essent, & suilli.

At sanè raræ texturæ sunt plerunque, qui ingenio pollent, debiles enim, quare hac de causa non admodum pinguem nacti sunt faciem, quoniam multa pinguedo remissionem quandam caloris denotat & paucitatem. Hi vero, qui ingenio valent, calore abundant, temperatiori quidem, sed potius ad excessum, quam ad defectum vergenti, at (vt sæpè diximus) intensiuè potius, quam extensiuè.

Addit Porta supercilia magna, rara, commensurata; quid per magnum intelligat dubium est, si significat pilos longos, id consentit cum publico Venetorum adagio, qui hominem magno præditum iudicio, & verè prudentem, & callidum putant, cuius supercilia sunt longa, & crispa, vtpotè cui multus sit in sincipite calor.

At si per vocem (magna) intelligit extensa, & longa, & lata, & crassa, id profecto non est verum, si quidem accidens hoc, nescio quid obscuri, terrestris, & belluini in spiritibus docet esse, cum enim ex fuligine oriantur pili, quæ excrementitia pars est eius, ex quo sunt spiritus; quale est excrementum, vt medicis videtur, talis etiam natura est eorum, quæ talia edidere excrementa, quod si rara sunt supercilia, pauca est fuligo, paucum excrementum, quare, & tenuiores spiritus, & si longi pili, vniformis calor, & intensior, si in extremo præcipuè, sint crispi. Cæterum sibi constare non videtur, nam eodem in capite dicit, ingenioso oculos esse obscuros, paulo infra vocat splendentes, item ait in eodem loco faciem debere esse graciliorem, paulo infra mediocrem, & pinguiusculam, addit etiam manus graciles, & molles, & paulo post articulos fortes, & bene solutos; verum si fortes, ergo robusti, ergo duri, non igitur molles, vt ille inquit, neque fortè bene soluti. Asserit idem ingeniosum oculis magnis præditum esse, e contra libro tertio capite primo, etiam ex Aristotelis auctoritate grandiores oculos improbat, & ad boues refert, vt potè qui pigritiam, segnitiem, inertiam indicent, quod exemplo Domitiani confirmatur. *Portæ opinio examinatur.*

At re vera grandes oculi, cum multum, & excedentem in cerebro humorem adesse pronuntient, neque humoris multitudo ad bonitatem ingenij sit vtilis, nescio qua ratione oculorum magnitudo ingeniosum demonstrare possit, & eò magis cum ipsemet Aristoteles mediocres probet, ingenium enim virtus est, & omnis virtus in mediocritate posita est.

At dixeris Socratis magni erant oculi, & tamen præstantissimo fuit ingenio præditus. Huic respondeo obiectioni dupliciter, vno modo ingeniosum dicimus habere plerunque oculos mediocres, non tamen tollitur, quin etiam aliquando reperiri possint ingeniosi, quorum oculi non sint mediocres, sed vel magni, vel parui, non enim necessario sequitur, est ingeniosus, ergo habet oculos mediocres, & si non habet oculos mediocres, ergo est non e ingeniosus. *Socratis oculi*

Amplius quis est, qui dicat Socratem fuisse ingeniosum, ego stupidum, bardum, ebriosum, libidinosum, male feriatum legi iudicatum à quodam physiognomo, quod idem ipse non negauit suas malas inclinationes opè doctrinæ se superasse professus.

Additur à quibusdam modicus risus, & breuis; Porta fletum, & derisionem modicam etiam adiungit; at videtur dubium, nam si ingeniosus habet spiritus leues, puros, & splendidos, hi profecto sanguinem referunt, à sanguinis abundantia in ventriculis cerebri recepta fit delirium cum risu, ad delirium igitur videretur accedere ingeniosus.

Amplius si risus in calore, & humore consistit, cuius indicium est, quod antiqui Poetæ venerem vocant risus amatricem, quæ calorem, & humorem requirit, & ideo in mari nata dicitur, cur igitur ingeniosi non sunt risui dediti? & eo magis cum paucos reperias ingeniosos, qui ijdem non sint magnopere venerei? Responderi fortè posset. Ingeniosum, si adolescentulum capiamus, & in principio cum nondum ex adustione adaucta est melancholia, esse lætum, ridentemque, quod de se ipso testatur Horatius; At cum adaucta ætate amplius aduritur sanguinis, & humorum qui in corde sunt massa, quando tunc magis melancholicus, & crassior fiat sanguis, minuitur risus. Atque ingeniosi proprium est inquirere, & cogitare, qui vero cogitabundi sunt grauitatem, non risum præ se ferũt, & ni fallor, propensiores sunt ad fletum, quam ad risum, magis enim sequitur cogitantes, & alta contemplantes fletus, quam risus, acres enim spiritus in contemplationibus in cerebrum feruntur, & eò totus sursum trahitur calor, quare aduruntur humores, salsique fiunt, & descendentes vellicant oculorum angulos, vnde fiunt lachrimæ cõremplantibus, & attentè aliquid considerantibus. Homines item Sanctissimos, & grauissimos, raro risisse, sæpissimè fleuisse legitur, & si Democritus ridebat curas, nec non, & gaudia vulgi, faciebat id, quoniam ineptias putabat, & nugas, quę ab hominibus impotenter, aut fugiebantur, aut desiderabantur.

Non irrident autem vllos ingeniosi viri, nullos subsannant naturaliter, quoniam passio hæc ignorantis, & insensati est, non autem ingeniosi.

Nam ingeniosus cum subtiliter iudicet, ac penetret multa, quæ alij rident, in alijs tanquam mala turpia, & in semetipso peiora, & maiora aliquando animaduertat, excusat illos, & miseratur potius, quam alienas derideat imperfectiones, vel damnet, & tot de ingenijs, eorumque signis dicta sufficiant.

DE INSENSATO.
Cap. IX.

Insensati signa. Quæ sunt circa collum, & crura, carnosa, complexa, & colligata: cotylæ rotundæ: humeri sursum contracti: frons magna, circularis, carnosa: oculus pallidus, obtusus: crura circa talum crassa, carnosa, rotunda: mandibulæ magnæ, carnosæ: lumbi carnosi: crura longa: collum crassum: facies carnosa, sublonga satis: motus autem, & figuram, & morem qui apparet in facie, secundum similitudines accipit.

Habetis signa.

QVem rudem, & hæbetem virum dicimus, Aristotelicus interpres insensatum, siuè insensitiuum vocauit, quæ dispositio ingenioso opponitur, at oppositorum eadem est cognitio, iure igitur vna post alteram ponenda fuit, & facile ex prædictis qualis sit hæc passio, patebit; primũ itaque quid hæbetudo sit, ingenijque ruditas dicamus, deinde, vnde procedat, ex his quænam sint passiones eiusdem exponemus.

Si hæbes ingenium acuto, & acri opponitur, & acre dicat habitum ſ. cundum naturam, profecto hæbetudo eſt priuatio quædam, & præter naturalis diſpoſitio, vt ſurditas, & cæcitas, quare ſi oppoſitorum ſunt oppoſitæ differentiæ, & definitiones, quoniam definientes ingenium diximus illud eſſe vim, & potentiam ſecundum quam homo poteſt facilè quærere, diſcere, & inuenire quid in vna quaque rè bonum ſit, aut verum, ergo hæbetudinem ingenij dicemus eſſe naturalem impotentiam, ſecundum quam homo non facile poteſt quærere, diſcere, aut inuenire, & iudicare quid in rebus ſit verum, aut bonum.

Eſt ergo de ſecundo genere qualitatis ingenium, & ingenij hæbetudo, & ruditas, & acrimonia, & vt molle dicit impotentiam reſiſtendi, durum autem, quod facile reſiſtere poteſt ſectori, ita ingenij acumen dicit potentiam, ruditas, & hæbetudo impotentiam, & inhabilitatem, qua qui affectus eſt cum difficultate inquirit, & quoniam imperfecte diſcurrit, male diſcit, ac monſtrata recipit, difficileque patitur paſſione illa, quam perfectiuam vocant, & quoniam non diſcit ab alio, neque à ſe ipſo inuenit, aptè; ideo ita diſpoſitus eſt naturaliter, vt illi qui affectu impediuntur, illis enim accidit à paſſionibus obtenebrari, & impediri iudicium, huic autem à naturali, hoc eſt interno, principio accidit error, contingit igitur, vel in totum, & ſimpliciter aliquem læſas habere omnes ingenij vires, & operationes vt neque ex ſe inquirat, neque ab alio diſcat, neque demum inuenire quid quam poſſit, aut ab alijs inuenta iudicare ſint vera, nec ne, aut bona.

Contingit etiam aliquando apte ex ſemetipſo res inuenire, inepte tamen diſcere, aut etiam ineptius iudicare; quid igitur ſit ingenij hæbetudo, & quotuplex, ex his manifeſtum eſt; & ſi acrimonia ingenij, & hæbetudo ſunt contraria, igitur circa idem ſubiectum verſabuntur, vt cæcitas, & viſio circa oculum, ſed oppoſito modo diſpoſitum, quoniam oppoſita reſultare debet forma.

In maſſa igitur quattuor humorum in cauitatibus cordis exiſtentium, & in ſpiritibus, qui exinde à calore naturali eleuantur, & per arterias in cerebrum, cerebrique ventriculos feruntur, ingenij conſiſtit hæbetudo; hæc enim acuti ingenij materia eſt, quare cum maſſa hæc erat armonice diſpoſita, & calefacta, vt dictum eſt ſupra, fiebat acumen, nunc autem inconſonanter ſi bilis flaua, & atra miſceantur, & medium ſuperent extrema, fiet omnino hæbetudo; quam ſequentur ſigna ab Ariſtotele enumerata, propriam igitur materiam hæbetudinis dices multam pituitam, aliquando cum melancholia prædominantem alijs duobus humoribus, ac præcipuè bili naturali, quam ſanguinis dicunt florem; aliquando ſanguini mixtam, & cœteros humores ſuperantem, propterea inſenſati aliquando pallidi, & fuſci, aliquando craſſi, & ſubrubei ſpectantur, ſic materiam, & formam hæbetudinis habemus, bona itaque, & conſonans temperies ingenium, mala, & diſonans ingenij docet, ac notat ineptitudinem, finem non habet huiuſmodi inabilitas, nam finis bonum eſt, priuatio vèro bonum non eſt, amplius nemo ingenij ruditatem, nemo cæcitatem, niſi ſtultus, aut male ſanus deſiderat; bonum autem eſt, quod omnia appetunt.

Cauſa efficiens huius ruditatis eſt virtus, naturaliſque vigor deficiens, debiliſque, vel à materia rebelli impeditus, vel tandem caloris naturalis imbecillitas, aut eiuſdem impedimentum, ne poſſit agere, atque operari, pro vt natura hominis requirit.

Quid ergo paſſio hæc ſit, & qua ratione efficiatur, quæque eiuſdem ſint cauſæ vniuerſales ex his manifeſtum eſt, Nunc paſſionum cauſas, quas proponit Ariſtoteles inueſtigemus, harum prima eſt.

„ *Quæ ſunt circa collum, & crura carnoſa.*

Colli & crura carnoſa.

Vt ſit propoſitio demonſtranda, Rudis, & inſenſatus collum, hoc eſt præcipuè ceruicem habet carnoſam, quod ſit vera propoſitio patet ex his, quæ infra dicentur, huiuſmodi col-

lum Taurorum esse, hi autem rudes, & insensati sunt, hoc est, neque astuta animalia, neque callida vocantur, quæ Tauros, & boues referunt.

Amplius obæsos homines non dicimus ingeniosos, & vafros, qualem fuisse ferunt Dolabellam, & Antonium, quos non timere profitebatur Cæsar, sed pallidos, & macros, qualis erat Cassius, & Brutus. Cur igitur insensatus habet collum crassum, hoc est multa carne, & multa pinguedine plenum? An quoniam ingeniosus oppositio modo dispositus est? verum id non est dare causam, sed probare tantum ipsum quod est.

Dicendum est igitur insensati calorem esse posse multum, & magnum extensiue, non tamen intensiue, non enim ad igneum accedit, sed proprie aereus est, & terreus, nam ingenioſi in se nescio quid igneum habent. Quare si insensati calor non est igneus, sed remissus, cuius talis est calor illius spiritus non sunt ignei, tenues, & acuti, sed remissi, crassi, & obtusi, at spiritus, & calor huiusmodi alimentum, & sanguinem defert, atque applicat corpori, non tamen illud ipsum resoluit, applicato alimento, neque resoluto per igneum, & excedentem calorem, carnosum, & pingue fit corpus, igitur insensati carnosum erit corpus, quare collum, & crura. Sed dices cur potius collum, quam reliquas partes attulit Aristoteles? hanc puto causam, vt doceret spiritus, qui caput petunt habere calorem remissum, cum enim ad caput feruntur per collum, & venas iugulares transeunt. Si igitur eo in loco existentes antequam cerebrum intrent, dant signum caloris remissi, neque subtiles, aut acutos se præbent, tanto minus erunt, cum cerebrum intrarint, atque ab illius naturali frigiditate fuerint refracti.

Cur collũ carnosum.

„ *Et crura carnosa.*

Eadẽ passio etiam cruribus, quæ conuenit collo accõmodatur, insensati igitur crura carnosa, & quod hoc sit verum, ex prædemonstratis patet; Nam si ingeniosus habet carnem mollem, & est non boni habitus, & macer, ergo cuius caro non est mollis, sed dura, & plena, ac boni habitus ille non est ingeniosus, sed potius insensatus, at cuius caro est dura, ille robustus est, robusti crura sunt bene carnosa, si quidem musculosa, & colligata, ac sursum contracta, iure igitur dictum est, quod insensati crura sunt carnosa. At nos propter quid nunc venamur, & profecto videtur eadem causa, nam calor cum à principio suo, nempe à corde elongatur, cum secundum se crassus quidem sit, non tamen terreus, sed neq; igneus, verum austrinum, & vaporosum referat halitum, potest quidem concoquere alimentum, idque applicare, ac replere, non tamen tantus est, vt possit resoluere. Sicuti igitur videmus austrinos vapores caput replere, sensus aciem remittere, somnum excitare, mentem, siue mentis aciem hæbetare, sic calorem huiusmodi, corporis quidem partes replendo carnosas facit, animi tamẽ acumen sua crassitie, ac humiditate retundit, in sicco enim repositum esse animi vigorem, ac mentis sanitatem supra dicebamus.

Crura carnosa.

„ *Complexa, & colligata.*

Tanquam synonimum videtur vsurpare nomen vtrunque, & hanc passionem non solum cruribus, sed etiam manibus, & brachijs tribuit, neque fortè iniuria, si quidem eadem est ratio, & causa (nisi quid præter naturale impediat) quæ alit, & brachia, & crura. Attamen non credo omnino esse eadem nomina complexum, & colligatum, sed putarem, quæ circa suras, & crura complexa dici, cum scilicet musculi non sint ita distincti, vt appareant, quomodo in forti dicebamus; Sed in insensato ponimus eos apparere interse complexos, & coniunctos, vt eorum distinctio non animaduertatur.

Crura complexa.

Colligatos eosdem dico quasi ad operandum, & mouendum pene ineptos, sic enim in forti ponebantur humeri non admodum colligati, vtpotè, qui commode ad operationem propriam obeundam prompti essent, sic etiam hoc loco, colligatas dico partes, quæ circa crura,

crura, quoniam qui inſenſati ſunt ad motus, & ad operationes ſunt tardi, & inepti, quare, & propter id etiam contingit, quod quæ ad motum in brachijs, & cruribus deſeruiunt inſtrumenta, quæ proprie ſunt muſculi, colligata, & quaſi impedita appareant. Sicut enim bonus ſector iudicari poteſt, qui bonam habet ſerram, ita non bonus erit, qui non bonam in ſuis ſectionibus ſerram vſurpare ſolet.

Quod igitur, & propter quid inſenſatus habeat collum carnoſum, & crura, & brachia colligata, & complexa ex his patet.

Dub. An robuſtus ſit inſenſatus.

Sed dubitari continget nunquid fortis, & robuſtus ſit inſenſatus, & è contra an inſenſatus ſit robuſtus, videtur enim primo aſpectu fortem, & inſenſatum in idem recidere, quibus enim inſunt eadem ſigna, & conſequentia ſignorum ijſdem etiam videntur in eſſe, quare ſi fortis, & inſenſati ſunt eadem ſigna, probabile eſt omnem inſenſatum eſſe fortem, & verſa vice, fortem, ac robuſtum eundem eſſe inſenſatum, maior nullam videtur habere dubitationem, ſignum enim, & ſignatum ſunt ad aliquid, & quorũ effectus ſunt ijdem, etiam ad ſunt eędem paſſionum, & affectuũ cauſæ, quorum eędem cauſæ, & principia, illa ſecundum ſubſtantiam ſunt eadem: minor probatur, primum ex Ariſtotele, nam pili in vtroque ſunt duri, pedes magnos vtrique habent, id etiam in ſue videmus, qui rudis, inſenſatus, & idem fortis eſt, collum etiam fortis, & inſenſati craſſum, & carnoſum eſt, dura etiam in vtroq. caro, nam niſi in inſenſato eſſet dura, ergo mollis, quare inſenſatus eſſet ingenioſus.

At ſanè oppoſitum ratio perſuadet, nam quorum diuerſæ ſunt operationes, illorum etiam ſunt principia, & cauſę diuerſæ, quare etiam eſſentiæ, non igitur idem vllo modo eſt inſenſatus, & robuſtus.

Amplius neque verum eſt ſigna vnius, & alterius eſſe eadem, ſaltem collectiue, quæ enim ſunt in vno, illa eadem iuncta ſimul in alio non erunt, ex quo manifeſtum eſt, neque omnem fortem eſſe inſenſatum, neque omnem inſenſatum fortem, ſed bene poſſibile eſt quandoque ſimul iungi, non autem ſemper.

Notandumque eſt duplicem eſſe poſſe cauſam hæbetis, & inſenſati, alteram in ſpiritibus poſitam, alteram in cerebro, & inſtrumentis potentiæ ingenioſæ deſeruientibus.

Porro ſpiritus duplici de cauſa etiam producunt hæbetudinem, aut quoniam craſſi ſunt propter pituitam, & propter frigiditatem, & qui tales ſunt, nuſquam ſunt fortes, aut robuſti, Vel craſſi ſunt, propter ſanguinis naturalis craſſitiem, à qua eleuantur, & tunc, vel multo calore ſunt affecti, vel pauco, ſi multo ijdem ſunt inſenſati, robuſtique, & audaces; ſi autem fuerint mediocri calore præditi, inſenſatum quidem efficient hominem, & robuſtum etiam, non tamen audacem; Rurſus ſi ſpiritus in altero peccarint extremo, & plus iuſto ſubtiles fuerint, etiam inſenſatum facient, non tamen ſimpliciter, ſed ardelionem, multa principiantem, multa molientem, plurima promittentem, nihil agentem, penitus iudicio carentem, & penè ridiculum. Si vero propter malam cerebri diſpoſitionem, quod ſcilicet, vel nimia ſit refertum pituita, vel meatus obcæcatos, & diſtortos habeat, vel præter rationem melancholia abundet, ille idem erit quidem rudis, & inſenſatus, nequaquam tamen fortis, aut robuſtus, ſigniſque hæ diſpoſitionum differentiæ proprijs cognoſci poterunt omnino.

Quare ad argumentum in contrarium allatum neganda eſt minor. Ad cuius probationem, cum dicitur in vtroque pilos eſſe duros, & duram carnem, & carnoſum collum, & extremitates magnas, primum meminiſſe oportet, inſenſatum, vel à ſpiritibus fieri, vel propter inſtrumenta talem eſſe, & eum, qui à ſpiritibus duplicem eſſe, vel à melancholicis, vel à pituitoſis, qui propter craſſitiem ſpirituum à pituita eleuatorum, & qui referãt nebulam illam, quam autumno ſuper paludes difuſam videmus, illi non habent pilos duros, ſed planos, molleſque, & quandoque, propter obſtructionem meatuum, ſubtiles, & hi nullum veſtigium fortitudinis poſſident, qui vero à melancholico humore ſunt craſſi, & duri propter

Spiritꝰ melancholicꝰ duplex.

caloris

caloris defectum, vt in asinis, hi etiam nullam fortitudinis nobilis partem præ se ferent, quamuis aliqua signa habeant patientiæ, & tolerantiæ.

Amplius neq; vnicum signum fortudinis in corpore obseruatum, subito fortitudinem, aut robur necessario infert, ac demonstrat, nec verum est, quod insensati caro semper sit dura, insensati enim plerunque œdematosi sunt quodammodo, quorum caro non est dura, quinimo laxa adeo, vt nihil magis laxi, & mollis reperiatur. Neque idem est collum robusti, & insensati, nam collum insensati non solum carnosum est, sed adipe multo refertum, at robustus collum habet latum, & amplum non adiposum, sed magis osseum, & eius amplitudo non propter carnis, vel sæui multitudinem, sed propter vertebrarum, & ligamentorum magnitudinem se se explicat. Quod ergo non omnis robustus sit insensatus, & insensatus omnis non sit robustus, & cui insensato accidat esse robustum, ex his patere arbitror. Antè tamen quam vlterius procedatur aduertendum est quosdam legere:

„ *Quæ circa collum, & crura debere esse colligata, & complexa.*

Idque de vasibus præcipuè intelligere; quod Polemoni videtur, vt sit sensus, Insensatos homines habere vasa, quæ sunt circa collum, & carnem crurum, atque in ipsis cruribus immanifesta, & quæ sensu vix percipiantur, sic ergo sunt complexa à carne, & colligata, vt conspici nequeant, & vix possint seiungi; Causam esse putarem, quam prius attuli, sanguinis scilicet, ac spirituum remissam caliditatem, quæ neque dilatat, neque explicat vasa, pro vt recta, & perfecta hominis constitutio requireret.

„ *Cotylæ rotundæ.*

Cotylæ rotundæ. Quidã putãt subesse mendum in textu Aristotelis, quid enim commune sit ingenio cum acetabulis coxarum se nescire aiũt, sed per cotylas, κότιδα, id est, occiput legendũ credũt, vt sit sensus Aristotelis huiusmodi. Insensatus habet occiput rotundum, & prominens, in quo sanè videbitur cum robusto conuenire, cerebelli enim amplam vim, & validam dispositionem notat, quare motus principium validum, & validius multo, quam ipsius sensus, quod si res ita se habet, vt κότιδα, non autẽ cotylam legere debeamus, facilis est demonstratio huius accidentis, quod, vt dixi, virium robur naturaliter indicat; sit igitur ex eodem principio demonstratio. Quorum occiput est rotundum, illorum cerebellum amplius est, quorum tale est eorundem etiam portio neruorum motiuorum, seu principium motiuum proportionate maius est, quam sensitiuum principium. Quare illi ad motum aptiores quam sint ad sensum, minus igitur sensati, quare eorum caro non est valde apta pati, si inepti ad patiendum, ergo ad sentiendum etiam sunt inepti, qui tales sunt vocantur insensati, ergo quorum occiput prominens est, & cum quadam rotũditate maiore, quã naturalis, illi sunt insensati.

Quare, si quos posteriorem capitis partem prominentiorem habere cum quadam rotunditate, conspexeris; illos corporeis valere viribus dices, quod probationi propositum fuerat, verum ingenio parum valere putabis.

„ *Humeri sursum contracti.*

Humeri contracti. Insensati signum tertium est, vel si etiam placebit, quartum, si crura à collo diuiseris; porrò quid per contractionem membrorum intelligamus, supra declarauimus.

Ea membra præ cæteris dicimus esse contracta, quæ perfectè, & probè à natura non fuere elaborata, distincta, & fabricata, sic contractum, & attractum, vulgo à frigore dicimus hominem, cuius pedes, manusque se se explicare nequeunt præ frigore; si ergo humerorum contractio arguit caloris innati imbecillitatem, & imperfectionem, & præcipuè circa cor, quod omnis caloris, & virtutis vitalis est fons, & principium, oportebit vtique spiritus

ritus esse subfrigidos, non ergo acutos, celeres, & tenues; probabile est igitur quorum humeri sunt contracti sursum, & crassi; & quodammodo gibbosi, illorum spiritus non esse acutos, & calidos, & celeres, sed crassos, & tardos, at qui tales sunt vocantur insensati, quod ergo humerorum mala dispositio, membrorumque mala conformatio, & fœditas iure pariant ingeniorum socordiam, & ruditatem ex his potest colligi, nō quod quorum humeri sunt tales, illi subito sint insensati, sed quod, vt plurimum, qui habent humeros sursum contractos, non explicitos, non expansos, videntur insensati, & non subtili ingenio præditi.

,, *Frons magna, circularis, carnosa.* *Frons magna carnosa*

Quartum signum à fronte deductum. At sanè omnia hæc signa, quæ ingenij acrimoniam, vel obtusitatem designant, aut à capite, ab his, quæ circa caput sunt partibus penè decerpta sunt, quoniam, aut cerebrum est ingenij subiectum, aut principale instrumētum, quo vtitur, qui secundum ingenium operatur, quod fortè verum est, nam homo ingeniosus, ingenio vtitur, & cerebro, sicut qui valet sanitate, & corporis particula.

Frontem magnam carnosam, & rotundam ingenij hæbetudinem significare est Aristotelis sententia, boues enim, & asini, quorum magna est frons id in parte ostendunt.

Quidam neoterici, qui de his notis scripserunt, putant paruam frontem indocilitatis esse indicium, magnam tarditatis, rotundam vero hæbetudinis.

At, vti ego puto, non facile est harum passionum propter quid inuenire, tentandum tamen est afferre aliquid, nè penitus à susceptο munere deficiamus, ac primum propter quid insensatus magnam frontem habeat.

Frons dicitur totum spatium, quod à supercilijs incipiens, vsque ad sinciput versus futuram coronalem scandit, quo loco capillorum radices incipiunt, & hæc frontis dicitur latitudo; longitudo autem ab altero ad alterum temporum versus futuram, quæ apud petrosa ossa porrigitur, quo loco etiam capilli perueniunt, ita vt ex tribus partibus capilli frontem terminent, quartam partem claudant supercilia, & hæc longitudo frontis vocatur spatium inter vtraque tempora interceptum, per quod lineæ, & signa quædam conspiciuntur inducta, quibus quidam nebulones, falso sibi Physiognomi nomen vindicantes, de futuris rerum contingentium euentibus, & de his, quæ à libero pendent arbitrio aliquid certi prædicere se posse credunt, aut saltem idiotis persuadere conantur, mouetur autem sola in nostro corpore cutis frontis naturaliter à supercilijs versus sinciput, item & à sincipite ad supercilia, & tertio modo corrugari, etiam contingit versus nasum, magna igitur frons est, quæ secundum longitudinem, & latitudinem excedit, immodicam vocat Albertus, & Rhasis, & hæbetudinem portendere putant, quod sit verum docent ex hoc, quoniam tali fronte præditi referuntur ad boues si contigerit esse robustam.

Causam venatur Porta, & ait esse materiam abundantem, aut agentis operationi inobedientem, aut partem cerebri anteriorem esse magis pituitosam; verum ex his tribus rationibus, quas Porta affert, prima non multi esse videtur momenti, non enim vera est propositio, quæ ait, vbi magnitudo, & multitudo materiæ ibi est imperfectio, & vitium. Nasus enim magnus plurimum habet materiæ, attamen probitatem morum, ingenium acre, & purum iudicium denotat. Item in capite magno vberior est materia, quam in paruo, at paruum nunquam bonum, magnum autem non semper malum dicunt medici.

Amplius non video quomodo sequatur, magna est frons, ergo multum materiæ adest in capite, ergo est inobediens causæ efficienti.

Quare fortè dicendum est, quorum magna est frons, illorum os magnum est etiam, at sub magno osse magnus est locus, & magnum cerebrum, & multum frigoris in ipso, quod eius qualitatis est principium, vt cor caloris, quare nisi latum sit pectus, & consequenter multus calor, probabile est in caput spiritus cum peruenerint, nimium refrigerari, & ideo *Cotylæ rotundæ*

non

non acres, non calidos, non acutos, ac penetrantes esse, vnde fieri possit discursus acutus, & subtilis, & ingenium perspicax, & acre.

Dicemus igitur, quorum magna est frons, illorum magnum etiam est sincipitis os, magnus igitur locus, qui imaginationi est attributus, at in magno loco & improportionato dissipatur virtus, & spiritus, & calor, (vt patet in vaporibus paucis, qui petunt partes aeris superiores, qui quoniam pauci sunt in nubes non vertuntur, neque consistunt,) dissipati spiritus debiliores sunt, & ideo hæbetiores ad penetrandum efficiuntur, quare & acies ingenij minus subtilis existit.

An videtur putandum, sub magno osse (si contingat calorem naturalem hominis non esse firmum, & valentem) reperiri posse rudem, & indigestam cerebri molem, imperfectã igitur potentiam, & virtutem habentem, quæ quoniam capiat imperfecta, & rudi quadam ratione rerum imagines, effectum est, vt intellectus, qui non operatur, quo vsque in corpore existit, nisi phantasmata speculando, dum ea (quoniam imperfecta sunt, & confusa) contemplari aggreditur, perficere suam non possit operationem, & sic rudis, & hæbes vocatur homo, quod ergo rudis signum sit frons magna, & propter quid probabiliter id possit asseri, ex dictis est manifestum.

Eidem insensato inest etiam frons rotunda, quam interpres circularem vocauit, per rotundam intelligit quidam recentiorum conuexam, & ad extra prominentem.

Dubit. Quo frõs sit plana, & gibbosa.

Porta hanc asinorum esse propriam ait, sed vidit etiam ipse hanc difficultatem, quomodo frons possit esse magna, carnosa (& vt quidam dicunt plana) deinde etiam gibbosa, & conuexa, nam si plana est, non est conuexa, & si conuexa est, non est plana, maxime enim alterum ab altero distat.

Soluens igitur ait duas esse partes vnam inferiorem, & circa supercilia, quæ pars proprie in his, qui sunt rudes, est magna, plana, & carnosa, altera pars superior, quam ait ille cum sincipite iungi, & hæc pars, si fuerit rotunda, & gibbosa denotat ingenij ruditatem, & hominem insulsum, & ineptum. Hoc autem, quod dixit, in asini fronte contemplari posse ait, pars enim asininæ frontis, quæ supra oculos plana est, quæ vero ascendit versus sinciput rotunda est, quare si asinina vis corpus effinxit asininum, & in ipso has, & huiusmodi impressit qualitates, cui tales insunt proprietates, illi inesse vim asininæ naturæ simile probabile est, cui autem asininæ qualitates insunt corporis, eidem & similes in anima elucescere credendũ est, at propter quid insensatus habeat frontem rotundam quatenus est insensatus non videtur esse dictu facile.

Quod autem conuersa sit uera, ex superiori causa inferri potest, si enim cui multus est locus sub osse sincipitis, ei non est unita uirtus, & multa materia inelaborata adesse potest, si accidat ipsum habere calorem cordis, aut moderatum, aut remissum, cum qui habet rotundam, & præcipuè conuexam frontem, illi adsit multum capacitatis sub osse sincipitis, multusque locus, & si debet repleri multum corporis, & spirituum requirat, manifestũ est, quod ille cui pauci adsunt spiritus, paucusque calor, si habebit frontem magnam, & conuexam, cum refrigerentur, & remittantur eo adducti spiritus, quoniam dissipantur, quod etiam erit rudis, & insensatus, nõ tamen omnis insensatus, & rudis talis erit, possibile enim est frigidos, crassosque esse spiritus in quibus est hæbetudinis ratio, & frontem deinde nec magnam esse, neque prominentem, quod uidere licet in suibus, quorum frontes, & paruæ, & depressæ sunt, non tamen ob id sunt ingenioſi, & callidi.

Tertia proprietas, quæ insensatum docet, est frontis carnositas, quorum igitur cutis crassior est, & partes circa tempora pleniores, ac multa carne refertæ, illorum ingenia sũt rudia, ac crassa. Quod signum est remissi circa hanc partem caloris, & spirituum crassiorum, quare cum calor remissus possit quidem attrahere, ac apponere, non autem resoluere, & consumere, patet in his frontem carnosam, carnosaque tempora existere, quod

ergo

ergo insensatum significet frons carnosa, magna, & rotũda, & cur quibus hæ insunt passiones, adsit etiam ingenij hæbetudo, & ruditas patet.

,, *Oculus pallidus, obtusus.*

Quintum signum ex eodem fonte depromptum; quod autem insensati oculus sit pallidus, hoc est quasi dormitabundus, & qualem habent qui comate, vel lethargo laborant, ex hoc potest confirmari; quoniam ingenioſi oculus est hilaris, viuidusque, ergo ex opposito insensati oculus erit turbidus, mæstus, & pallidus, hunc referrem ego ad colorem oculorum boum, aut ouium, illæ enim ipsæ, cum mirificè sint insensatæ tales habẽt oculos pallidos, siue aqueos, & obtusos, hoc est nescio quo modo mœstos, & pauorem præ se ferentes. *Oculus obtusus somniculosue*

Cæterum huius affectus facile est rationem assignare, si enim insensatus habet crassos, aqueos, & frigidos spiritus, & cerebrum eodem modo affectum, cum quale sit cerebrum, & spiritus, qui in cerebro existunt, talis sit substantia, color, & habitudo oculorum, manifestum est, quod insensatus oculos aquam cum pauca terra coniunctam referentes, ac spiritibus destitutos habebit, tales autem oculi vocantur pallidi propter naturam humoris, & obtusi propter defectũ spirituũ, ex his ergo qđ, & cur insensatus tales habeat oculos patet.

,, *Crura circa talum crassa, carnosa, rotunda.*

Sextum signum est, quod concomitatur insensatos, omnino autem insensati secundum totum corpus carne, & ea quidem pituitosa pleni sunt, abundant enim pituita, & mediocri melancholia cum sanguinis subdominio, carnosa igitur, & pinguia habent corpora, namque, vt dictum est, calor naturalis est remissus. Talos diximus esse partes, quæ sunt circa pedes, quo in loco ossa tibiæ cum pede iunguntur. *Carnosa circa talos crura.*

Partes igitur prope pedes, si carnosæ fuerint, si rotũdæ, crassæque insensatum hominem demonstrant, nam tales etiam fœminarum sunt, & earum præcipuè, quæ multa carne, multisque aqueis abundant humoribus: Harum passionum causam puto eandem, quæ supradicta, insensato igitur multa inest cum mediocri calore sanguinis pituitosi copia, cui talis inest temperatura, illi multa copia carnis circa membra adest, quare & carnosas habet suras, carnosaque brachia, si carnosa, igitur crassa, & quoniam tendines in carnem degenerant, & humidiores iusto sunt, vnde rotunda existit illis crurum pars inferior.

Videtur autem mihi hoc idem timidis, & fœminis esse commune signum, quatenus scilicet, tum timidi, tum insensati proprium est, & mediocrem, & remissum habere calorem, qui carnem generat, & locis prædictis apponit. Rotunditatem autem, quæ fœminea passio est, causari puto, eo quod molles omnino sunt tendines, & multa carne vestiti, vnde naturaliter rotunda pars tendinum, si ipsi super, & circum addatur materia mollis, rationabiliter inducit figuram rotundam.

,, *Mandibulæ magnæ, carnosæ.*

Hos referes ad asinos, quorum mandibulæ magnæ sunt, quo ad ossa, & carnosæ, quo ad materiam, quæ ossa vestit, & ambit, per mandibulas intelligemus partem inferiorem, cui insertum est mentum, quæque solæ in omnibus penè animantibus perfectis, & respirantibus, præter psitacum, & cocodrilum mouentur in mandendo. Si ergo mandibulæ sunt magnæ, magnaque ossa, quæ in capite sunt, probabile etiam est, hominem multa parte terrestri refertum caput habere, si vero carnosum caput est, calorem mediocrem habet; spiritusque remissos, & ad aeris naturam, non autem ad ignem accedentes, at vero tales spiritus aere ingenium non producunt, vt dictum est supra, cur igitur insensato adest carnosa, & magna inferior mandibula apparet. *Mandibulæ magnæ.*

Lum-

,, *Lumbi carnosi.*

Secundum dorsum diximus ingeniosum esse non carnosum, sed macrum; quare probabile est, carnosum secundum dorsum, & præcipuè iuxta lumbos esse insensatum. Causam dicebamus propter quam ingeniosus est macer circa dorsum, & lumbos esse, quoniam calor circa præcordia multus est, & igneus, quare, si nec multus, nec igneus erit lumbos faciet carnosos, & pingues, quod in exsectis porcis hyeme discerptis videmus, horum enim cum remissus sit calor, lumbi pingues, & crassi sunt. Hi cum in quiete diuturna, multo cibo vescantur, efficiuntur maxime pingues, & præcipuè circa lumbos, ergo cui mediocris est calor, & non igneus, sed vaporosus, illi etiam adsunt lumbi carnosi, & crassi, Cui autem talis calor adest ille insensatus est, ergo insensati carnosos habent lumbos; quid autem sit lumbus iam satis supradictum est. Quidam non solum lumbos dicunt carnosos, sed dorsũ totum, & partes quibus alligatum est diaphragma, mihi autem videtur partes penè omnes posteriores, si plus iusto fuerint pingues, & præcipuè nates id docere, & hoc maximè, cum vti dictum fuit, caro pituitosior, & candidior fuerit, & calor remissus.

,, *Crura longa.*

Dubit. Hoc signum à quibusdam non cognoscitur, & adulterinum vocatur, & pro longis breuia substituunt, vt sit in littera menduni, legunt igitur quorum crura breuia, & subtilia, sunt illi indociles sunt, quoniain deficit naturalis calor, referuntur enim ad aues, quarum nonnullæ tales sunt.

At mihi dictum hoc non videtur omnino verum, primùm enim in genere auium multo magis indociles, & magis insensatæ sunt, quæ habent crura longa, & gracilia, quam, quæ breuia, videmus enim quamplurimas aues palustres, ciconias etiam, & grues, ardeas, & si quæ aliæ sunt, quæ præter palustres crura habeãt longa, & subtilia, vix posse cicures fieri, cuius generis omnes sunt, quæ cauda carent.

Si igitur res ita se habet, breuitas crurum indocilitatem non sequitur, cum eam longitudo comitari videamus. Adde breuia crura Selimus primus Turcarum Imperator habebat, illum nemo vnquam insensatum dixerit, sed crudelem, superbum, bellacem, suspiciosissimum. Crura igitur & longa, & crassa puto esse insensati signum, & talia insensato plane notantur in homine. Sed primum qualia sint futura hæc insensati crura designabo, deinde propter quid talia putem, exponam.

Hos plerunque insensatos, indociles, ineptos ad inquirendum, ad inueniendum, ad imitandum, ac iudicandum vocamus, quorum crura, & membra, quæ à genubus vsque ad digitos pedum sunt talia, nempe ossa crurum, longa, crassa, male dearticulata, caro vndique æqualiter se se offerens, & circa genua, & immos talos, vt non suræ, sed contusæ carnis, aut farinæ male infarctæ, aut ouorum cum butiro agitatorum quidam sacculus videatur.

Quæ vero circa talos, & pedum principium sunt vasta, incondita, male elaborata, ita vt omnino crassiora sint hæc inferiora, quam superiora propè genua, pedes lati, vasti multa carne referti, plani, inter se ferè æquales, non bene articulati, & pars præcipuè, quæ pedi, ceruix, seu collum dicitur, depressa, & æqualis ei parti, quæ propè digitos est, digiti breues, humiles, male dearticulati, debiles vngues habentes; Huiusmodi igitur membra hominẽ, & indicant insensatum, & stolidum, ac indocilem, & vilem, atque id ratio persuadet, nam passim, quos tales videmus irridere solemus, vt bardos, & stupidos, & Italico prouerbio quodam, eosdem notamus, tanquam omnino stultos, et indociles, et viles, eosque præcipue, quorum pars circa talos posita tota plena est carne crassa, inarticulata, alba, et ad quandam rotunditatem accedente, adde, quod eosdem nostri vocant etiam effœminatos, impuros, & impudicos, habitum enim meretricium circa partes has referunt.

Quod

Quod enim ſi crura ſunt vaſta, & longa, & craſſa, certum eſt multam ſupereſſe materiam, & illam ſanè prævalere, & humores, qui duobus inferioribus reſpondent elementis prædominari, quoniam autem eadē crura male formata, & non dearticulata dicimus, id caloris, ac virtutis formantis imbecillitatem, & materiæ ineptitudinem, & inobedientiam notat. Craſſius vero crus propè talos præternaturalem quandam diſpoſitionem indicans, nihil boni poteſt ſignificare. Quando autem his in locis multum adeſt carnis, & multum humorum docet neque calorem eſſe talem, vt reſoluat multum humidū, & humores eſſe craſſos, & ſubfrigidos, non autem dicebamus tales reperiri in ingenioſis, qui melancholia quidem non carebant, at ea naturalis erat, & cum tenui commixta ſanguine, multo calore abundabat. Quæ vero in huiuſmodi rudibus reperiretur hominibus melancholia, ſedimentum quoddam eſt terreſtre pituita participans, vt dicere poſſimus in ingenioſis, & carentibus ingenio reperiri quidem melancholiam, ſed in prioribus ſecundum virtutem, & quatenus ſicca eſt prævalere, in rudibus, & ſtolidis ſecundum molem, & quatenus frigida eſt denominari, quod ergo viri ſtolidi, & inſenſati, longa, & craſſa habeant crura, & carnoſa, & propter quid, ex his clarum eſt.

„ *Collum craſſum.*

Ferè eadem dicta ſunt ſupra in primo ſigno, cæterum illa, quæ ibi ponuntur ad partes, quæ circa collum ſita ſunt, potuerunt referri, nunc de collo loquitur, ceu toto quodam. Dicit ergo cuius collum eſt craſſum, non craſſitie oſſis, & vertebrarum, aut muſculorum diſtinctorum, & robuſtorum, ſed craſſitie carnis mollis, & adipis, quod ille eſt inſenſatus, cauſa eſt in promptu, ſupra enim diximus huiuſmodi paſſionem arguere debilitatem, & remiſſionem caloris ignei, cuius proprium eſt reſoluere, & attenuare, quare neque tenues habet ſpiritus, qui tale nactus eſt collum, neque acumen ingenij vllum poſſidet. *Collum craſſū.*

At videtur dubitandum nunquid ſit verum, quod collum craſſum ſignificet hebetudinem, nam quorum collum eſt craſſum, illorum etiam, vt plurimum breue eſt, breue collum remiſſiorem quandam audaciam ſignificat, id in Tauris videmus. Vbi mediocris timor, ibi prudentia eſt, non autem ruditas; an dicendum collum craſſum non eſſe ſecundum ſe breue, at videri quidem propter craſſitiem, longis enim hominibus ſi accidat incraſſari videtur minui, neſcio quo pacto eorum longitudo, cum tamē re uera ſit eadem, ſic oſtium, ſic cubiculum, quo illud latius eſt, quo iſtud amplius, & maius, eo videtur minus altum, & eleuatum, omnino autem breuitas, & craſſities differunt, breuitas enim præcipuè ab oſſibus, & vertebrarum colli tenuitate, & humilitate cauſatur, & craſſities aliquando eſt oſſium, at nunc effectus eſt multæ carnis, multique adipis partem illam veſtientis, & occupantis propter caloris remiſſionem. *Dubit.*

„ *Facies carnoſa, ſublonga ſatis.*

Quod facies inſenſati ſit carnoſa, etiam in principio huius capitis dictum eſt, nam mediocris calor, & ſanguis minus tenuitatis, & minus bilis habens, quàm ſanguinea maſſa ingenioſi, in capite, vel facie generat carnem, cum autem calor non ſit vehemens, non reſoluit. Sic ergo contingit faciem eſſe carnoſam, & ſubalbidam, id dominium pituitoſi docet ſanguinis, per ſublongam ſatis, intelligunt quidam faciem referentem bouillā, quæ magna eſt, longa, & lata, quare ſi vere magna facies pigritiam ſignificat, hæc autē motus tarditatem, & inhabilitatem, quæ ſequitur caloris remiſſionem, remiſſus calor, paucos neque admodum acres eleuat ſpiritus, his deficientibus ingenij deficit acumen, & loco huius hebetudo ſuccedit, ergo qui magnam faciem habet, ille hebes, & rudis erit. *Facies carnoſa, lōga.*

Pigritiæ index Magna facies.

Quod autem magna facies ſit pigritiæ inditium, id dupliciter inferri poteſt, primum ſanè, quoniam ſi magna eſt facies, magna etiam ſubſunt oſſa, quare, & multa pars terreſtris tale caput occupat, terra igitur ſecundum molem prædominatur, hæc autem cum ſecundum molem, & virtutem præualet, frigus, & ineptitudinem qualem in aſinis, & bobus affert.

Altera ratio eſt, quod qui ita diſpoſiti ſunt, vt magnam faciem habeant, vt plurimum etiam multum carnis poſſident, quare cum hæc etiam remiſſum calorem monſtret, certũ eſt, ſtupidum hominem hoc ſigno notari; Cæterùm diximus debere eſſe ſublongam, at hæc virilis eſt. Reſpondeo mediocriter longam eſſe virilem, quæ verò in longitudine peccat ad aſinum, vel bouem refertur: Dico igitur, ſi quorum facies rotũda eſt illi penè furioſi ſunt, quoniam calidiores, qui contrario modo diſpoſiti fuerint, forte calore non abundant, ſi ergo multus calor æque ad omnes partes mouet, & æque ab omnibus trahit partibus, cum non eſt multus ad vnam tantum partem, atq; ad faciliotem mouebit, Nõ multus circa caput, mouebit materiam tantum in longum, & faciet talem faciem, quam longam, & bouillam diximus, cum igitur hæc remiſſi caloris ſit ſignum, rude etiam, atque hebes ingenium notabit. At dices, legi ſublongam, quæ vox de longitudine detrahit. Reſpondeo addi vocem ſatis, quæ longitudinis auget diſpoſitionem.

„ *Motus, autem, & figuram, & morem, qui apparet in facie ſecundum ſimilitudinem accipit.*

Quid ſibi velit, hoc loco Ariſtoteles multi dubitant; Porta valde corruptum dicit eſſe tex. & vix intelligibilem, ego crederem ſic poſſe exponi, motus localis, ſiue ille ſit progreſſiuus, ſiue ſit partium corporis accipit ſecundum ſimilitudinẽ figuram, & morem, hoc eſt refert, ac ſimilis eſt illi figuræ, ac mori. i. qualitati, quæ apparet in facie, quaſi dicat motus inſenſati eſt, ſimilis illi figuræ, ac diſpoſitioni, quę in facie apparet; & ſi in facie eiuſdẽ eluceſcit quędam pigritia, & tarditas, & quaſi ſopitus ſenſus. Sic etiam in motu lentus eſt, ac tardus, & irreſolutus, & quid prius agat, quid ſuſcipiat, quid omittat, non ſcire, non diſcernere oſtendit. Porta ait, ſic intelligendum eſſe Ariſtotelẽ, vt dicat, ſicuti facies, & os hębetis, eſt ſtupidum, & hians, & oſcitabundum, & ad omnia ſe cum quadam admiratione, atque ſtupore conuertens, ita etiam vult motum eius eſſe talem, at vt mihi videtur id nõ eſt exponere, ſed diuinare, quid ſibi velit Ariſtoteles; Quare iterũ dicamus motum eſſe operationem corporis, quatenus corpus eſt, & motum animalis progreſſiuum eſſe animalis, quatenus animal eſt; huius enim proprium eſt, vt dicitur octauo Phyſicorum à principio interno, & ſecundum ſe moueri localiter, & tale animal in ſpecie, talem habet motum ſpecialem, alio enim modo naturaliter homo, & alio bos, vel auis mouetur. Particulares autem homines, qui inter ſe differunt accidentalibus differentijs, quas vocant indiuiduales, ipſi etiã proprios, & priuatos motus habebunt, qui ſecundum ſpeciem ijdem erunt, at qui. buſdam accidentalibus inter ſe diſtinguentur differentijs, nõ ſecus enim, ac Socrates differt à Platone, etiam motus, qui à Socrate fient, quaſdam particulares habebunt diſtinctiones, quibus à motu Platonis diſcriminantur. Cum igitur ingenioſus, & hebes homo differant accidentalibus differentijs probabile eſt, etiam vtriuſque motus ab inuicem diſtingui, ſi igitur motus localis, & corporeus animalis fit ab anima, quæ vtitur calore naturali, & ſpiritibus ad mouendum tanquam baculo, quo mouet lapidem homo, probabile eſt, quod qualis fuerit motus, talis, erit naturalis calor, taleſq; ſpiritus mẽbra mouentes; at ſtupido, & inſenſato calor naturalis eſt remiſſus, & ſpiritꝰ tardi, & craſſi, ergo, & motus, qui ab hebeti fiunt, erunt tardi, & pigri, & cuius motus videmus eſſe rardos, pigros, irreſolutos, & fine quodãmodo carẽtes, illum ipſum dicemus ingenio hebetem rudem, ac ſtupidum;

Porta expoſitio.

dum; ſic igitur, mea quidem ſententia, ait Ariſtoteles Motus inſenſatum ſequi, & ſimiles eſſe ijsdem paſſionibus, quas in eius facie conſpicimus, vt omnia ſibi conſentiant, ſi facies ſtupida eſt, os hians, oculus obtuſus, motus etiam, q eſt ab homine talem faciem habente, has omnes referet qualitates; quis igitur, & qualis ſit (ex Ariſtotelis ſæntentia) inſenſatus, ex his manifeſtum eſt.

Adduntur Ariſtotelicis proprietatibus quædam alia, quibus inſenſatus dignoſci poſſit; & primũ, Porta dicit crura debere eſſe breuia in eo q ſtupidus eſt, & μικρὰ, apud tex. græcum Ariſtotelis legere oportere, non aut μακρὰ, & in vna litterula fuiſſe mendum, parua autem crura, & breuia vult dicere imperfectionem, & ruditatem naturę, ac virtutis formatricis; id quod, & auctoritate Adamantij, & Polemonis vult confirmare eos, qui dicunt: inſenſati eſſe paruos articulos, & breue collum; at huic opinioni ſupra reſponſum eſt; & non parua, neque breuia legi crura, ſed ſubtilia, & tenuia, in quibuſdam, quo ad oſſa tibiæ, verum eadem carnoſa, & multo humore plena, vtcunque tamen, & crura, ac ſuræ, tum longiores, tum breuiores iuſto, nec non, & magis craſſæ, aut magis tenues, quam deceat, illaudabiles ſunt, neque boni quidquam præ sè ferunt, omne enim extremum vitioſum eſt, & vitium omne malum; ingenium autem, ac iudicium bonum quædam virtus eſt, quoniam ab extremis recedunt illi, in quibus hæc reperietur, & ſecundum naturam diſpoſiti erunt, membraque nulla mediocritatem longe tranſibunt, nam virtus omnis naturalis eſt quædam medietas.

At ſi inſenſatus breuia, & parua debebat habere crura, eadem deinde non oportebat aſſignare luxurioſo, & improbo, & timido, qui enim tales habet proprietates raro, aut nunquam erit inſenſatus, & ſi dixerit exilitatem non ſignificare breuitatem, ſed ſubtilitatem; iam ſupra dictum eſt, & eiuſdem Portæ etiam auctoritate confirmatum, quod inſenſatus, & rudis habet craſſas tibias, & carnoſa crura, quare per exiles non poteſt intelligere graciles, & ſubtiles. Hac igitur de cauſa nullum in tex. ſubeſſe puto mendum, ſi intelligatur Ariſtotelis dictum, prout ſupra declarare conati ſumus.

His etiam additur color cum multa carne valde albus, & alborem illum referens, qualem videmus in lacte recocto iam ad acorem vergente, hic enim color, & paucitatem ſpirituum, & pituitæ oſtendit abundantiam; ſed nec minus ingenio obeſt (inquit quidam) color valde niger, Aſt notandum, ſi conſpectus fuerit in ijs regionibus in quibus homines albi naſci ſolent, vt in Italia, Gallia, & Germania, & locis circum ſitis, forte color hic ſubniger ingenij prauitatem monſtrabit, cauſam quidam afferunt eſſe, quoniam tam valde albus, quam valde niger præter naturam eſt in noſtro climate, ergo vt valde album ad pituitam carentem ſpiritu, & calore, ita nigrum ſine vllo ſplendore, ac luce, ſed ſimile colori, quem later habet, qui diù ſub aqua ſtagnanti ſteterit, puto ad melancholiam calore deſtitutam referendum eſſe.

An color niger ingenij hebetis ſit index.

Sed aliquis dubitabit, quoniam ſupra dictum eſt Pœnos, Aethiopas, Aegyptios eſſe acutos homines, callidos, aſtutos; & fallaces, at ijdem, vel nigri ſunt, vel fuſci, aut atri coloris, non igitur color niger rude ingenium monſtrat, neque euaſeris, ſi dixeris colorem ſubfuſcũ fatuitatẽ denotare, ſi fuerit apud eos populos, q naturaliter albi ſunt; nã neq. verũ omnino eſt. Aquilo colore præditũ fuiſſe, ſcribũt, Octauianũ Auguſtũ, fuſcus item erat Traianus, q tñ, & optimi, & maxime ingenioſi, & prudẽtes viri fuere, quare, puto ego, primũ, colori minimũ eſſe tribuendũ; videmus. n. & calidiſſima, vt calx viua, & aphronitrũ alba eſſet & q̃ frigidiſſima niuẽ, & nympheã eſſe pariter cãdida, ſimiliter quædã nigra calida ſunt, vopix, bitumẽ, piperq. quædã vero frigida, vt caſſiæ fiſtulæ pulpa, & tamarindorũ; quare falus color rei naturam non docet, quod etiam ſupra adnotabamus, ſub tropicis nigros hæbitare, aut fuſcos homines, & hos propter caloris æſtum ſic eſſe affectos; & vltimi ſcythri, & orcadum populi, & qui ſub circulo arctico habitant, illi etiam ſubfuſci ſunt, vt Tartari.

Dicerem igitur tam albos, quam atros posse vtrosque esse ingeniosos, & vtrosque rudes, albus rubori mixtus, qui sanguinis subtilis prædominium monstrat, ingeniosum indicabit. Albus vero pallens, qui pituitam superare docet, ex aduerso rudem facit; ater, qui ex calore adurente producitur, ingenium, qui ex melancholia prædominante cum frigore generatur, hebetudinem designat.

Postremo, si ingenij ratio calorem quærit, hebetudo autem frigus, nemini dubium, cum frigus, & albedinem, & nigredinem parere possit non minus ac calor, quod nimium non erit credendum colori, sed aduertenda est causa, quæ colorem facit, & secundum illam est iudicandum; si itaque pituita pura, & vitrea, crassaque ea sit, quæ faciat albedinem, neque calor decens adsit, quid aliud quam summam ruditatem, summamque hebetudinem expectabimus? si autem sanguis purus, aut bilis mediocri pituitæ, eidemque naturali miscebitur, iam ingenij specimen possibile est expectare, eodem modo, si ater color à pura, & præter naturali pendebit melancholia cum modica pituita coniuncta, defeceritq. calor, & spiritus, durum hominem, asperum, hebetem, rudem, rusticanum aspicies, neque quidquam boni expectabis, sed cũ quadã ruditate malitiã crassam, & penè ridiculã habebis, cuius imaginem videre licet aliquando in rusticis, qui cum furati egregiè fuerint, furtum deinde tegere, & curare nesciunt; ego sanè, rudis, & fatui hominis, eiusdemque improbi præcipuum puto signum in facie apparens, quod tale est, frons dura, & aspera, oculus tenebrosus, paruus, siccus, concauus, & in tuendo intentus, & fixus, & quodãmodo in vno hærens intuitu, & hæc de insensato, & rudi sint dicta.

DE INVERECVNDO. Cap. X.

Inuerecundi signa. Oculus apertus, & splendidus: palpebræ sanguineæ, & crassæ: & parum curuus: humeri sursum eleuati: figura non rectus, sed parũ pronus: in motibus præceps, rubeus corpore, color sanguineus, facies rotunda, pectus sursum contractum.

INsensati ratio impassibilitatem quandam dicebat, nam ingenioſi erant valde molles, & valde sensati; in eadem impassibilitate consistit inuerecundia, teste Aristotele secundo Rhetor. Meritò igitur, cum in genere conueniant, & sic cognata existant, insensato inuerecundus adiunctus est; mihi autem videtur, quod optime postpositus sit inuerecundus insensato, quoniam à naturalibus, & elementaribus qualitatibus magis distat inuerecundus, quam insensatus, & hoc est, quod forrè dicit Suesi: quosdam putasse verecundiam, & inuerecundiam in homine non à principijs elementaribus ipsius, aut eorumdem qualitatibus pendere, sed à proprietate quadam ignota originem trahere. At mihi non penitus id placet; Nulla enim est in homine earum passionum, aut habituum, quæ sunt in materia, quæque certam materiam requirunt, quæ non oriatur, aut sequatur elementa hominis; propria, ex quibus eius corpus constat; Vt autem rationabiliter ostendi possint quæ dicuntur, primum ponemus quid sit inuerecundia, quæ eiusdem causæ, & post hæc Aristotelicas inuerecundi propritates, & nonnullas alias, quæ à classicis auctoribus afferuntur, demonstrare conabimur. Aristoteles loco supra dicto inuerecundiam, siue impudentiam vocat impassibilitatem, ac contemptum malorum, quæ infamiam inferunt, quare inuerecundus est, qui non veretur infamiã, siue q ab infamia non tangitur, illã nihili faciẽs, & sicuti robustũ dicimus, qui vel nihil, vel difficile patitur ab externo aere, vento, & tempestatib. ita inuerecundum, qui ab infamia nihil, aut parum mouetur, vocare solemus.

Affectus

Affectus igitur quidam eſt, ſiue potius indolentia, & priuatio affectus illius, quem dicimus pudorem, ſeu verecundiam, neque mirum eſſe debet, ſi in cognitione inuerecundiæ mentionem facimus de verecundia, & pudore, ita enim naturaliter accidit, vt priuatio per habitum cognoſcatur, neque enim ſilentium, aut tenebras, niſi per comparationem ad lucem, & ſonum cognoſcere poteris.

Merito igitur in cognoſcenda impudentia neceſſe eſt, meminiſſe pudoris, quid ergo ſit inuerecundia, nempe nullus dedecoris metus, nullaque cura ex his patet, nunc cauſas proprias ſcrutemur, ſi pudor affectus eſt, ergo, & impudẽtia; ſed omnis affectus, & paſſio animalis, virtus eſt, & qualitas in corpore. Vtræque igitur paſſiones pudor nimirum, & impudentia habebunt communem materiam, nam oppoſitorum eſt eadem materia, & genus, ſed oppoſito modo diſpoſita.

Quæ ſit pudoris materia.

At quænam eſt materia pudoris? profecto cum ſit pudor, vt ille ait, in tranſitu quodam, & in ipſo fieri, & cito moueatur, citoque prætereat, ac declinet, non erit in ſolidis partibus, at neque in humore melancholico tantum, quoniam hic terræ reſpondet, male mobilis autem eſt terra, amplius ſi in melancholia reſideret hic affectus, ergo vbi vigeret melancholia, & ætas frigida, & ſicca, qualis eſt ſenum, illa ſanè maxime erubeſceret, verum quoniam paſſio eſt adoleſcentiæ, & puerorum, probabile eſt, neque in ſolida materia, qualis eſt caro, & oſſa, neque in humore melancholico ſedem habere hunc affectum.

Nunquid in pituita, at pituitoſi albi ſunt, & frigidi, & rudes, & inſenſati, qui autem pudore afficiuntur erubeſcunt, incaleſcunt, & quid deceat, & quid non, dignoſcere incipiunt. Amplius pituitoſis, & extremam ſenectutem referentibus ſola cordi eſt vtilitas, quid homines de illis ſentiant, non quærunt, honoremque non faciunt multi; diuerſo itaque modo videntur diſpoſiti pudibundi, ac pituitoſi, vel ſenes, ergo neque pituita cauſa eſt materialis huius affectus.

Reſtat igitur, vt vel ſit ſanguis, vel bilis, at ſi ponamus bilem ſanè videbitur ira, bilis enim motus ira eſſe videtur; quid erit ne ſanguis? at riſum, & lætitiam puri ſanguinis affectum eſſe, & in hoc tamquam in propria materia ſedem habere, alias dictum eſt. Quare ſanè mihi videtur, neque in bile ſola, neque in puro ſanguine poſitam eſſe verecundiam; ſed vtroque humore non ſine aliqua melancholiæ parte vti pro ſubiecto, ſi quidem qui verecundia afficitur, dolet, atque apparentem contemptum, aut inſtantem animo agitat, hic autem, cui adeſt facit ſanguinem bilioſum ebullire circa cor, non eſt ergo ſine bilioſo humore pudor.

Hæc tamen differentia eſt, quod irato bilis circa cor æſtuat, verecundia oppreſſo circa faciem, & tempora, & aures ebullit. Gyæ Duci Virgiliano propter iram.

——— *Exarſit calor oſſibus ingens.*

Et cum à gubernatore Menœte ſibi impoſitum, ſeque deluſum fuiſſe crederet, illum ira impulſus in mare proiecit; ex aduerſo Lauinia, cum videret pugnam propter ſe ardere, amantemque coram haberet Turnum, illumque in prælia ruentem aſpiceret, propter dolorem lachrimæ eruperunt, atque quoniam dubitabat, ne propter id male audiret apud ciues ſuos, pudore detinebatur, & ita illi plurimus igne.

Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum ſanguineo, veluti violauerit oſtro,
Si quis ebur.

Hæc ergo eſt differẽtia inter irã, & pudorẽ, vt ira ſit ebullitio ſanguinis bilioſi circa cor, at pudoris materia circa faciẽ, tẽpora, aureſq. conſiſtere videatur, & euocatio quædã ſanguinis dici poteſt, cõtra vero qui in principio in iram feruntur, videntur palleſcere, nẽpe ad interiora currente ſanguine, ſed neq. ſolus ſanguis bilioſus huius paſſionis materia eſt, nã iuuenes in quib. præcipua feruet bilis magis deberẽt pati affectum hũc, quam pueri, qđ tñ

videtur eſſe falſum, amplius qui facile erubeſcunt, prompti ſunt ad virtutum genera omnia, & præcipuè ad temperantiam, vnde dictum eſt pudorem eſſe virtutis colorem, quod de ira non eſt dicendum, quare bilis, & ſanguinis puri mixtura, videtur eſſe propria pudoris materia, ita tamen, vt non ſint æquales portiones, non enim ſimul miſceri poſſent, ſed bilis ex aliqua parte ſuperet ſanguinem purum, & ita, vt non amarities, ſed acrimonia quædam, ſi quis illum guſtaret, perciperetur, ſitim enim ſentiunt, qui erubeſcunt, non autem amaritiem in ore, quam cum ſiti percipiunt, qui ira detinentur, harmonica igitur proportione, ſimili ditono, aut ſemiditono ſane ſuperari ſanguinem à bile dicemus, & ſic ætatem puerilem præcipuè ſequitur pudor, quoniam in hac ætate præualet huiuſmodi materia, vbi autem præparata eſt materia, ſi contingat adeſſe efficientis virtus, quamtulacunque, ſubito ſequitur effectus; nec tamen, puto ego penitus melancholiam abeſſe, nam qui erubeſcunt timẽt infamiã, timor nõ eſt ſine frigore, aut frigoris principio; frigidi naturalis duo ſunt in nobis principia materialia, pituita, & melãcholia pituita nõ poteſt eſſe, nam ꝑp hanc hoĩes ſtupidi fiunt, & bardi, & propter hãc nõ ſunt ingenioſi, at quicunq. erubeſcunt, quid deceat, quid non, cognoſcunt, quare neque ſunt inſenſati, amplius ſi in caput pituita aſcenderit ſomnum, & capitis grauitatem generat, pudentes, & erubeſcentes horum nihil ſentiunt; quare non pituita, ſed melancholiæ portio aderit, & iure quoniam, qui pueri erubeſcunt, (ſi quidem præualet tunc ſanguis, & bilis, melancholiæ) procedente tempore efficiuntur bilioſi cum ſubdominio melancholiæ, quales eſſe dicebamus ingenioſos, & ad veram virtutem natos, qui enim ſanguis erat, propter calorem tranſit in melancholiam, quæ adaucta, cum bileque mixta ſpiritus ſubtiles, acutos, ſtabiles, & efficaces emittit; ſi ergo quę diximus vera ſunt, operæpretium erit affirmare, materiam ex qua educitur affectus pudoris, & in qua potentia verecundandi, (vt ſic loquar) ſita eſt, eſſe mixtionem quamdam bilis naturalis cum ſanguine puro, inter ſe armonice vtriſque conuenientibus, cum ſubdominio naturalis melancholiæ, & talis maſſa eſt pudoris materia.

Pudor virtutis color.

Pudoris materia

Hæc igitur mixtio ſi à calore agitata fuerit, qui calor excitatur à ſpecie dedecoris præſentis, aut imminentis, vel ab eiuſdem ſpeciei ſuſpicione, & agitata hæc materia ad oculos, aures, & caput aſcenderit, facit ruborem in facie, & hæc eſt cauſa efficiens, ex vtriſque patet etiam forma, & ratio pudoris, quæ poſita eſt in agitatione, & concurſu dictæ materiæ à calore excitatæ, & in faciem traductæ propter ſuſpicionem dedecoris.

Finis autem eius, qui pudore afficitur, non ſane, (vt mihi videtur) eſt ille, quem quidam aiunt, vt ſe teſtetur dedecus timere, & probum eſſe.

Sed quoniam finem affectantis proprium eſt, vel ad bonum moueri, vel à malo abhorrere, vel contra malum inſurgere, vt illud reijciatur; ſanè pudor non eſt motus ad bonum, neque à malo, ſed neceſſe eſt, vt ſit contra malum, quoniam ergo externum quoddam malum, quod dicitur dedecus ſe promit, & offert, ſpiritus calor, & ſanguis, illi quodãmodo ſe ſe opponit, & cum dedecus, & honor, & infamia à ratione, & iudicio, quod ſit in capite cognoſcatur, & in cognoſcendo pars illa afficiatur, & patiatur, neceſſe eſt etiam talem corporis partem, dum patitur incaleſcere, & quoniam caloris eſt ad ſe trahere, & ad partem læſam ſemper concurrunt ſpiritus, & ſanguis, hinc factum eſt, vt ad faciem, & oculos concurrat ſanguis, & calor, & ſic eorum, qui pudore afficiuntur rubeſcit facies, & genæ; demittunt autem oculos, quoniam timent dedecus, & iudicium præſentium exhorrent, timent autem quoniam in eò, quem dixi ſanguine ad faciem traducto pars eſt ſanguinis melancholici, & frigidi. Exprimũtur etiam aliquando lachrimæ propter dolorem, qui ſpiritus, & humores ad oculos concurrentes exurit, eoſque acres reddit, & aptos ad irritandam virtutem expultricem; neque erubeſcentes audent hiſcere, & loqui, quoniam interna agitatio, & ſpirituum, ac ſanguinis multitudo perturbata impedit inſtrumenta, at, vt ego puto, affectus omnis nubem, ac tenebras menti inducit, præcipuè autem timor, & pudor, quod videmus

in

in Andromache, illa enim ab Aenea interrogata, nunquid ſeruaret connubia Pyrrhi, pudore exardens.

Deiecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt.

Igitur cur non loquuntur erubeſcentes? quoniam affectu tenentur, at omnis affectus mentem turbat, turbata mente, & præſertim dedecus timente, quoniam patitur caput, aut ea, quæ circum caput exiſtunt, homo loqui non audet, vt pote qui ſemper errare dubitans, maiorem ſibi pudoris, ac doloris pararet cauſam.

Cæterum, cum iam quid ſit pudor, & eius cauſas dixerimus, nec non, & præcipuas eiuſdem paſſiones; Nunc de propoſita impudentia pauca dicamus.

Quid impudẽtia.

Iam pudorem diximus eſſe apparentis dedecoris timorem, vel dolorem ex perturbatione animi ſurgentem propter apparentem infamiam, & dedecus; quod ſi hoc eſt; Impudentia igitur erit ſecuritas quædam, & contemptus apparentis dedecoris, vel impaſſibilitas ab apparente dedecore, homo igitur pudens perturbatur ob apparens dedecus, impudens, neque mouetur, neque eius mens, ac ratio definit pro ſua voluntate operari, quando huius paſſionis materia ſtabilis erit, & à motu, ac paſſibilitate longe ſemota.

Principium igitur ſtabilitatis erit melancholia, quare oppoſito modo diſponetur maſſa hæc, & materia impudentiæ cum materia pudoris; dicemus igitur impudentiæ materiam eſſe in primis melancholiam cum ſanguine, & æquali pituita ipſi ſanguini coniunctam, cui minimum bilis accedit, & quod ſit verum confirmari poteſt, quoniã in quib. prædominatur melancholia, illi non facile mouentur, quies autem, & ſtabilitas omnis à terra, & ab humore terram referente in his inferioribus pendet.

Impaſſibiles item ſunt impudentes, impaſſibilitas ad ſiccitatem refertur, primum ſiccorum terra eſt; humanam terram dicimus melancholiam.

Sanguis purus in hac maſſa adeſt, impudentes enim rident, & ſubſannant eos, qui infamia, & ignominia illos notare tentant, neque quid de illis ſentiat populus, curant.

Minimum bilis adeſſe in ea maſſa ponebatur, quoniam impudentes optime diſcurrunt, & quid faciant vident, ſpiritus igitur ſubtiles habent, qui caput petant, ſpirituum ſubtilitas à bile eſt, attamen tanta non eſt, vt circa cor facile ebulliat, propter contemptum, quem non curat homo impudens, quare non iraſcitur; adeſſe quidem igitur bilem patet, paucam tamen, ex his igitur materialem cauſam, & formalem impudentiæ habemus, efficiens vero eſt abſentia, aut inſenſibilitas eius rei, quæ facit pudorem.

At demum impudens quatenus homo eſt, vtitur impudentia tanquam habitu quodam ad demolienda, & deijcienda impedimenta, quæ turpes voluptates poſſent impedire, & qui impudens eſt, ideo impudentiam mordicus tenet tanquam ſcutum, quo dedecus, infamiam, & ignominiam reijciat, ne in ſuis turpibus, & belluinis cogitationibus, & actionibus impediatur ab honeſto, vnde dictum eſt, impudentes potius canes eſſe, quam homines, & hominis nomen non mereri; quid igitur ſit, & qualis impudentia patet, nunc an Ariſtotelicarum paſſionum rationem reddere poſſimus, tentandum eſt.

Oculus apertus

,, *Oculus apertus, & ſplendidus.*

Primum hoc eſt impudentiæ ſignum ab oculis iure ſumptum, nam in quo loco præcipuè ſolet conſpici pudor, in eodem etiam apparere debet impudentia, ſi quidem contraria ſunt, & contraria circa idem ſubiectum nata ſunt fieri, idem autem ſubiectum eſt corpus numero vnum exiſtens in eodem loco, ſupra itaque dicebamus hominem pudore affectũ, oculos deijcere, quod exemplo Andromachę probatum fuit; cauſam dicebamus, quoniam ad locum capitis, & oculorum, (qui præcipuè afficiuntur in verecundia) concurrebat ſanguis bili cum pauca melãcholia commixtus, aggrauabat autem partes, quibus accedebat, quare deorſum ad terram declinabant, & ferebantur: Nunc igitur ex oppoſito, impudenti, &

ti, & dedecus contemnenti non fertur sanguis ad caput, & oculos, cui id non accidit illi probabiliter, aut saltem ex hac causa non grauantur oculi, quare neque concidunt, igitur aperti sunt, impudens igitur apertos oculos gerit; an etiam ex quadam proprietate eius, qui contemnit, hoc idem potest inferri? impudens enim contemnit dedecus, ergo & præsentes nihili ducit, neque eos quidquam veretur, sine igitur vlla passione eosdem tuetur, apertis igitur oculis manet. Hoc enim proprium est eius, qui aspicit aliquid, quod ipsi, eius que oculis nihil damni, aut incommodi putat afferre, puluerem autem, vel fumum, vel solem se miclausis oculis tuemur, nescio quid enim mali inde timemus, & sentimus, sic etiã in pudore, vnde pueri dum pudore afficiuntur manum oculis opponunt, vt potè qui præsentium obtutum fere nequeant; Splendidi etiam sunt impudentium oculi, quoniam vt dictum est, multa melancholia abundant, quæ dum exuritur, multi spiritus ad caput feruntur, quibus oculi splendescunt; quod genus passionis conspicere licet in his, qui melancholico morbo afficiuntur, quem vocant hyppocondriacam passionem, in hominibus enim huiusmodi, oculi splendentes; & maxime aperti conspiciuntur, vulgo etiam videmus pueros dum sè mutuo despiciunt maxime apertis, & diductis oculis se inuicem spectare, quasi, quos ita aspiciunt, ideo parui faciant, vt neque nobilissimo, & maxime offensionibus expo sito membro, quod vel à paruulis muscis, & ab atomis puluereis lædi, solet putent ab homine contempto, & despecto inferri posse noxam; hac ergo ratione impudentem habere oculos apertos, & hiantes, eosdemque splendidos putarem, oppositamque corporis dispositionem sequi ad oppositam affectionem, & si verecundo hæc adsunt propter talem rationem, in verecundo oppositа propter oppositam inerunt.

Palpebræ sanguineæ.

Palpebræ sanguineæ

Palpebræ sunt oculorum tegumenta molliſſima, cooperientia oculos in sommo, & quibus cauetur, ne oculorum lædantur pupillæ, his utrinque annexi sunt pili rigidi, ac recti tãquam uallum externa arcentes, quæ offendere acies oculorum possent; cuius indicium est, quod si cui ceciderint, ille, & à minimo puluere, & à lumine, & ab omnibus ferè occurſantibus, quautumuis minimis, offenditur, quod accidere, experientia monstrauit in his, qui lue venerea affecti cum essent, pilis omnibus spoliati fuere; sanguineæ igitur, & crassæ sunt palpebræ, quæ multo sanguine, eoque præsertim melancholico sunt plenæ, quare si quorũ palpebræ crassæ, & sanguineæ sunt, illi multo sanguine melancholico refertam habent faciei cutim, crassæ igitur sunt, quoniam melancholicus adest succus, sanguineæ autem, quoniam melancholicus humor, si naturalis est, sanguinis puniceum refert colorem; si vero cutis tali sanguine referta est, ergo, & venæ capitis exteriores, probabiliter etiam interiores; at qui sanguine melancholico nutriuntur, cum ille terram referat, saporemque stipticum habeat, probabiliter etiam cerebri potentias habebunt terram, terræque qualitatem referentes; terra immo bilis est, siccaque, externas impreſſiones difficile admittit, impassibilis igitur, quare quorum palpebræ sunt sanguineæ, & crassæ, illi spiritus terreos, & impassibiles penè gerunt; hæc autem passio est, quæ sequitur impudentem.

Amplius impudens honorẽ nihili facit, dedecus contemnit, bene audire non curat, q talis est imperare, præesse, alijsque supereminere non appetit; laudari non gestit, non ergo bile multa abundat, sed quoniam oppositо modo disponitur, & terram videtur imitari in duritie, obstinatione, depressione, iure dicimus esse melancholiam circa caput, quare, & circa oculos, at si hoc uerum, est probabile oculos & hoc humore esse repletos, ergo, & palpebras sanguineas, & crassas, quod est secundum signum impudentis hominis.

Humeri sursum cleuati.

Humeri cleuati.

Tertia est nota, qua impudentes cognoscimus; quid per humeros intelligamus iam su-

pra

pra dictum eſt, eleuati vero humeri non ſunt contracti, ſed illi qui ferè eleuantur ad altitudinem oſſis hyoidis, ſi enim ab angulo externo oſſis hyoidis lineam tranſuerſalem æqui diſtantem ab vtraque auricula traxeris, plerunque in his, armi, ſiue humeri ſuperficiem ſuperiorem penè tanges; In his igitur, qui ſunt naturaliter diſpoſiti, cum protendunt brachia ad genua, & ſtant recti, ſi mente conceperis lineam rectam, tranſeuntem per medium cauitatis illius, quæ ſuperſtat ſterno, vel oſſi pectoris, queque vulgo dicitur fonticulus gulę, inter vtrãque clauem poſitus, illius lineæ extremæ ſuper proceſſus vltimos oſſium humeri cadent, in ea parte in qua extrema clauicularum cum extremitatibus oſſium ſpatulæ iunguntur, & ſic humeri naturaliter erunt diſpoſiti, nec valde colligati, neque omnino diſſoluti dicentur, ſi vero ita diſpoſitus fuerit à natura homo, vt eadem linea ab extremitate, vtraque proceſſuum ſpatularum protracta cadat ſupra angulum oſſis hyoidis vocati, illius cui annexa eſt lingua, & cuius beneficio exeritur, & reducitur, tunc virum ſic diſpoſitos habentem humeros dicemus eſſe impudentem, & eundem ſurſum eleuatos habere humeros iudicabimus.

At ego ſanè huius affectus cauſam valde difficilem puto, propter quid ſilicet, qui tales habet humeros ſit impudens, tentandum tamen eſt aliquid probabile afferre; primum igitur forſan dicet aliquis, fortis latos habet armos, & humeros, nec valde colligatos, neque omnino diſſolutos, hoc eſt medio modo diſpoſitos, timidus ex oppoſito humeros habet ſtrictos, & contractos, & male articulatos, timidi enim paſſio eſt auaritia, auari, & qui dare nolunt, neque audacter negare valent, humeros contrahunt, calidi ſiquidem eſt dilatare, frigidi contrahere; Ingenioſus itaque macros habet, latoſque mediocriter humeros, colligatos tamen, inſenſatus vero ſurſum conttactos, at inſenſatus eſt ineptus ad intelligendum, & non exactè ſenſibus vtitur, ſenſatus vero aptè intelligit.

Atqui apti mente molles erant, hoc eſt maxime paſſibiles, igitur impaſſibiles inſenſati, at impaſſibiles etiam inuerecundi, ſi ergo inſenſatus, & inuerecundus eandem habent impaſſibilitatis affectionem, cum eadem affectio ab eadem cauſa proueniat vt plurimum; ergo, quæ in inſenſato cauſa eſt impaſſibilitatis, eadem erit etiam in impudente, ſed hæc eſt differẽtia, quoniam inſenſatus eſt impaſſibilis à veritate, rerumque imaginibus, ſi quidem non habet iudicium, ſiue ingenium, hic vero impudens impaſſibilis eſt ſecundum bonum, & malum honeſtum, à quo, vel nihil, vel difficulter patitur, at cauſa impaſſibilitatis in inſenſato erat prædominans pituita cum melancholia coniuncta, quam mediocris mouebat calor, eandem etiam melancholiæ abundantiam in inuerecundo, atque impudenti agnoſcebamus, licet calor amplior exiſtat; pari pacto nunc etiam dicamus, inſenſatus habet ſurſum contractos humeros, eadem paſſio eſt in impudente, ergo probabiliter ab eadem cauſa procedit, atque eò magis, quoniam inſenſatus etiam impudens eſt, qui quoniam nolit agnoſcere ſuos errores, etiam videtur inſenſatus.

Cauſam, ergo propter quam inſenſatus habebat eleuatos humeros, dicebamus eſſe quoniam calor non erat fortis, & acutus, & quoniam materia erat rebellis, duraque, & dilatationi inepta, eadem ratio etiam nũc quodãmodo eſt, quoniã materia impudentis eſt impaſſibilis, impaſſibile non dilatatur, quod non dilatatur contractum eſt, contractum eleuatur, igitur materia, ex qua impudentis factum eſt corpus videbitur eſſe contracta, difficilis, & dura, quare, & humeri, qui ex hac materia ſunt, non erunt bene dearticulati, ſed contracti, & ſurſum eleuati.

At ſanè videtur mihi aliter dicendum, non enim frigiditatem in impudente agnoſco ſed impaſſibilitatem cum arrogantia; cum igitur impaſſibilitas adſit, hæc autem à duritie, qnæ à ſiccitate, neceſſe erit in ipſo primum ſiccorum prævalere, quare melancholiam, & hanc quidem ſecundum sè tenacem, & rebellem, quare etiam pituitam adeſſe, quæ idem facit, quod aqua terræ mixta, & ab igne multo paſſa, ignis enim ineptam omnino ad patien-

tiendum facit terram, quod videmus in lateribus, & in ollis in fornace excoctis; cum igitur tali materiæ multus fuerit additus calor, cuius proprium est ascendere, quoniam in formatione materia est dura, & rebellis, humeros quidem non faciet bene expansos, neque dearticulatos, at quoniam calor viget, eiusque proprium est sursum ferri, trahet secum materiam, in eaque suæ operationis vestigium imprimet, sic igitur impudentis erunt humeri contracti, & simul sursum eleuati, est ergo huiusmodi syllogismus.

Impudens est impassibilis secundū materiā ex qua est, & massam sanguinis ex qua fiunt spiritus, at secundum formam arrogans, & sè ipsum amans, & qui non posse reprehendi putat; qui talis est habet rebellem materiam, & inobedientem, & multum calorem, igneum autem, & præter naturalem; sic affectus propter materiam membra habet cōtracta, & non bene dearticulata, quare, & humeros contractos, at propter calorem igneum sursum attollentem, eosdem humeros etiā habebit altos, & eleuatos, ergo impudens & cōtractos, & eleuatos habet humeros; quod fuerat probandum; si autem humeri sunt sursum eleuati probabile est, & eum qui tales nactus fuerit humeros esse parum incuruatum, nam si recti sunt homines, cum eorum humeri secundum naturam dispositi sunt, neque sursum contracti apparēt, neq. eleuati, ergo cū eleuati, & contracti sunt, facient non rectum apparere hominis corpus; amplius si eleuati sunt humeri, necesse est ossa clauicularum esse paulo breuiora, quare ad sè contrahere principia scapularum, ergo necesse est oppositam partem eleuari, eam nempè, quæ in dorso residet supra costas, & sic eleuatis scapulis necesse est hominem, cui id accidit incuruatum apparere, & nescio quādam gibbositatis apparentiam, & suspicionem dare.

Dubit. Quæ sit differē tia iter signa ipudentis, & audacis.

Sed dubitant quidam, quomodo, & qualis erit differentia inter impudentem, & fortem? Nam secūdum formam impudens omnino à forti differt, primum enim ex vtriusque definitione quod differant, patet: Nam fortis est, qui sedato animo secundum rectam rationem sè sè periculis intrepide offerre, & ea repellere potest. At impudens est, qui ignominiam, & honorem æque despicit, securus animo quid de se homines sentiant; amplius fortis bonus, & laudatur, & alijs vtilis est, & commodus. Impudens sibi tantum commodus, & arrogans est, qui sibi multo plura tribuit, quam mereatur, superbus igitur, at fortis est magnanimus, impudens sè laudat, sè iactat, non quod valde honorem æstimet, aut curet, sed quoniam alios despicit, quæ omnia à forti mirifice distant, ille enim tacitus est, vt de græcis, ait Homerus, quos tacito spirantes robora vultu Troianos strictis ensibus appetere dicebat, & aggredi. Exaltera parte non videtur differentia inter fortem, & impudentem, primum enim fortis habet carnem duram, fibrosum sanguinem ex melancholico humore, & pituitoso conflatum; si calorem habet multum, si in iram fertur, & vehemens est, si pericula, & mortem contemnit, profecto non videtur ab impudente distingui, nam & impudens habet materiam rebellem, & inobedientem, ergo, & corpus durum, ergo sanguinem melancholicum, & quoniam impudens non curat honorem, & ignominiam, quæ maxima esse mala videntur, & passim iudicantur, vel testante Horatio, qui exiguum censum, turpemque repulsam maxima mala credi vulgo affirmat quoniā dedecus, & ignominiam videntur afferre, res etiā minores, vt pericula, & verbera contemnet; si igitur non secūdum materiam, non secundum causam efficientem, neque etiam secundum accidentia differt impudens à forti, cur ergo sub diuersis capitibus hæ duæ propensiones fuerunt positæ? accidentia autem eadem esse fortis, & impudentis, si non omnia, saltem aliqua Aristoteles ipse asserit in prima huius libelli sectiuncula, vbi cum supposuerit eadem esse signa impudētis, & fortis, docet quomodo ab inuicem possint hæ diuersæ propensiones distingui. Dicit autem, vtrosque intrepidam faciem habere, oculos attollere contra, & audacter solere asserere, quæ sentiunt.

An pro difficultatis huius solutione dici potest, non esse mirum, si duo, vel plura acci-

dentia

dentia diuerſis inſit rebus, & eadem conſequantur etiam oppoſita, quando accidit oppoſita eſſe ſub eodem genere, & vnumquodque genus ſuas habet proprietates, quæ æquè prædicantur de omnibus illis de quibus genus prædicari contingit, deinde ſupponendum puto duas eſſe, vel plures etiam caloris ſpecies, vnam elementarem, quæ ſanè ignea vis eſt in ſiccitate quadam poſita, alteram proportione reſpondentem elemento ſtellarum; prior corrũpit, & ſubiectum in quo eſt deſtruit, poſterior conſeruat, & perficit, quæ poſitio, neq; ab Ariſtotelicis placitis diſſentire videtur, (ſi quis attentè legat, quæ in libro de partibus animaliũ habentur) calorẽ dici multipliciter eo in loco leget, nam & calidius dicitur etiam multis modis, vt ſic loquar, extẽſiue, hoc eſt, quod diutius durat, & tardius refrigeratur; vt calidius eſt aurum ignitum, quam ferrum, vel intenſiue, quod vehementius vrit, & agit, vt ferrum ignitum; hoc enim, ſi corpus tangat humanum, magnopere ledit, & veſtigium relinquit, quod ab auro ignito fieri negant, id caloris genus benignum, & extenſiuè vigoroſum, & valens eſt in forti, & robuſto, vnde factum eſt, quod non ſit præceps, at neque negligens, neque contemptor humanæ gloriæ, ſit mitis, & placidus, huius enim calor eſt, vt iuuenis validi in media æſtate ad ſolem laborantis cuius calet corpus quidem, & æſtuat, ſed blandus eſt calor, & tangenti non valde moleſtus, quin & moderatus videtur,

Alter calor eſt intẽſus, & igneus, febrilem, & ingratam caliditatem ſiccam, quæ pellem facit aſperam, qualem in cauſone, aut febre ardenti ſenſu percipimus, repræſentans; Intenſe agens, non diu tamen durans, niſi materiam aptam reperiat, qualis eſt ferrum. Hæc eſt melancholia aduſta, & præter naturalis, in qua confirmatus eſt, vt in febre hectica quidam calor acutus ſenſui improportionatus, & moleſtus, talem igitur in impudenti, eſſe puto, calorem, & in arroganti, quod vt mihi videtur, exemplo ſenſibili poteſt confirmari; in plaga patriæ meæ ſpirat zephirus, item etiam ſubſolanus, primo introitu, primoque in limine, vtrique videtur æqualiter moderati, ſereni, placidi, ætumque lenire pariter, & refrigerare corpora, at longe aliter res sè habet, nam ſubſolanus caput replet, diſtillatiõnes parit, ſenſus hebetat, nebuloſum aerem facit, rubiginem parit, corpora extenuat, fructus denique penè omnes lædit, quarum rerum oppoſitum ab ipſo zephiro ſenſibiliter percipimus, quæ diligentiſſimè à doctiſſimo Fabritio Paduanio Forolouienſi in ſuo libro de ventis enumerata, & declarata fuere, vnde bene noſtrates zephirum ſpirare flores, & puerili facie præditum fingunt, at ſubſolano trucem aſpectum tribuunt, ex cuius ore fundi niues, tempeſtates, & nimbos fingunt; quo ad calorem igitur, & cauſam efficientem patet eſſe diuerſos inſenſatos, impudentes, & fortes, ſed etiam ratione materiæ, nam duplex eſt melancholia, altera naturalis, ſed craſſiuſcula etiam, cum qua contingit pituitam reperiri, cũ puro ſanguine coniunctam; & hæc cum moderate caleſcit materia eſt; quæ fortem facit; cuius caro, & corpus materiam quidem ſolidam habet, aurum tamen referentem, non autẽ chalibem, aut vitrum, cum enim aurum duriſſimum ſit, & patientiſſimum ignis, attamen tractile eſt, & in tenuiſſimas bracteolas ductile, at altera eſt melancholia ex flaua bile aduſta, vel melancholico ſucco cremato generata, quæ ſi cum pituita iungatur, eaque maxime craſſa, & impura, ſtatuit mixtum quoddam naturam ſaxorum fluuiatilium imitans quodammodo in hoc, quod diu calorem ſeruat, quæ materia circa cor exiſtens cum in caluerit, ſpiritus impudenti pro eius propenſionibus miniſtrat, vnde patet, quod & ſecundum cauſam efficientem, & ſecundum materiam cum inter ſe differant impudens, & fortis, non eſt mirum ſi etiam ſecundum formam, rationem, ac ſigna diſtinguantur.

Figura non rectus.

Figura non recta.

Impudens non habet rectum corpus, vel ob eam, quam mox diximus cauſam; ſi enim ſcapulæ ſurſum eleuatæ ſunt, & humeri contracti, impoſſibile eſt ipſum habere figuram rectam; amplius diximus impudentis materiam eſſe calori inobediẽtem, licet multus etiam ſit calor,

ſit calor, nam quodammodo eſt præter naturalis, ſi cum natura hominis temperati ſimpliciter comparetur, quare inæqualiter motum fuiſſe à virtute formatrice probabile eſt, quod inæqualiter motũ eſt, illud non eſt rectum, nam rectum eſt, quod æqualiter inter ſua extrema reſidet, quod autem non æqualiter, rectum non eſt, ſic igitur corpus impudentis omnino rectum non eſt.

Parum prona. ,, *Sed parum pronum.*

Id primo aſpectu videtur dubitãdum, quare impudens habeat corpus parum pronum, quoniam qui erubeſcunt viſum inclinant, ac vultum deijciunt, terramque aſpectant, ſic corpus ptonum efficiunt, hoc eſt ad terram inclinatum, iure autem, ſi pudens, & impudẽs, ſunt contraria, & pudens hoc modo diſponatur, impudens oppoſito modo debebat affici; An reſpondendum, non ſemper oppoſitorum eſſe oppoſitas qualitates, ſed ſępè etiam eaſdem, calor, & frigus oppoſita ſunt, & tamen, vtrumque congregat, vtrumque herbas exſiccat; album, & nigrum, vtraque nocent oculo, ſi exceſſerint, & tamen ſunt oppoſita; non ergo impoſſibile eſt pudentis, & impudentis eſſe eandem paſſionem, at non eodem modo diſpoſitam, ſiquidem calor, & frigus congregant, non tamen eadem, neque eodem modo, & ſi vtrumque ſiccat, non tamen eadem ratione, nam frigus fortè humoris tantum aufert actum, at calor aufert actum, & potentiam, quod videmus in luto à calore, & à frigore exſiccato; hoc ergo nunc accidit, nam pudens, dum erubeſcit oculos ad terram deijcit, ſi quidem vultum obiurgantis, aut à quo obiurgari poſſe tacitè ſuſpicatur, pati non poteſt, quaſi rem, quæ illi dolorem incutit, aut poſſe incutere putat, fugiens.

Qui erubeſcit igitur per accidens vultum, & ora ad terram inclinat, verum impudens non faciem ad terram inclinat, non deijcit vultum, non terram ſpectat, ſed eius corpus eſt propter melancholiam prædominantem, & propter rebellem materiam pronum, & incuruum, & hęc curuitas eſt circa ſcapulas, & vertebras dorſi facta à natura, erubeſcens autem collum tantum in anteriorem partem inflectit, & terram ſpectat: Amplius quid mirum ſi idem ſequatur oppoſita, quatenus ſunt ſub communi quodam genere comprehenſa, ſic enim, & bipes, & quadrupes, & rationale, & irrationale dicimus mortalia, item, & ignis, & aqua ſunt corpora, & elementa, & ſimplicia; non igitur abſurdum eſt, ſi impudens, & pudens corpus non rectum habuerint, quamuis, vt dixi impudens per sè ſit tale, & pudens per accidens, ſed curuitatis ſpecies ſunt omnino diuerſæ.

Quod ergo dixerat paulo ſupra, nunc etiam refert, impudẽtem ſcilicet habere figuram non rectam, ſed parum pronam, hoc eſt in anteriorem partem incuruari, parum tamen; memini autem me legiſſe talem fuiſſe Heliogabalum omnium hominum impudentiſſimum & fœdiſſimum, & cum Neronem dicat Suetonius ceruicem habuiſſe obæſam, probabile eſt cum inſenſati ſigno, impudentis etiam coniunctam fuiſſe notam.

,, *In motibus præceps.*

Quintum ſignum impudentiam arguens, eius eſt, qui in motibus ſuis præceps eſt, quiq. incõſiderate mouet, aut ſaltẽ moueri videtur, q̃ ceſpitat in loco ẽt plano, & pedes in ęqualiter tollit; qui manus incondite mouet, qui non aduertit, quæ faciat, quæ requirat, quæ habeat, Hæ paſſiones videntur ex impudentis, & inſenſati principijs pendere; nam impudentem calidum diximus, & igneo, ſed craſſo ſpiritu abundare, eſt enim eius ſpiritus, & calor ei ſimilis, quem percipimus in menſe Auguſti propè horam xx. cum craſſus quidam, & apprime calidus vapor in cœlum, ſiuè in aerem craſſum, & nebuloſum, ſeu caliginoſum attollitur, quem vaporẽm prope ſtipulas, & domorum tecta, circaque eorumdem extremitates potiſſimum videmus efferueſcere, atque æſtuare, ſi igitur calidus eſt, ergo in motibus celer, at quoniam eſt impaſſibilis, & durus, & obſtinatus poteſt parum ingenio valere, inconſide-

cōsideratus igitur, inconsideratum autem; & ad agendum promptum præcipitem dicimus, ergo impudens est in motibus præceps, nec solum in motibus, sed etiam in resolutionibus, electionibus, & actionibus, proprium enim est impudentis, cum sit securus de eo, quod homines de ipso sentiant, ad pauca respicere, & præcipitanter aggredi quæcunque sibi suggerit affectus, & cupido; talis igitur erit impudens.

Rubeus corpore. *Rubeus corpore*

Hanc non capillorum, sed corporis passionem, ac præcipuè faciei puto, hoc colore conspicuus erat Domitianus, quem petulantem, atque omnino impudentem describit Suetonius, memini quosdam alios facie rubeos, qui ceu canes, aut muscæ erant impudentes, & Aristotelico dicto videtur concordare vox, qua designamus impudentem, quem perfrictæ frontis dicimus hominem, si igitur frontem, faciemque perfricuerit aliquis, frictione excitatum calorem attrahere sanguinem ad faciem, & ei rubescere probabile est, Quod si dixeris verecundos, sub rubeos, & ipsos esse, & verecundi proprium erubescere, modestosq. etiam roseo colore plerunque præditos. *Obiectio.*

Ad hoc possum respondere, primum quod aliud est erubescere, aliud rubeum continuo esse, erubescunt modesti, eundem oris ruborem seruant impudētes, amplius ruboris multæ sunt species, nam; & puniceum colorem à mali punici cortice dictum rubeum vocamus, & qui remissior est rubicundus dicitur, & rutilus magis ad ignem accedit, & qui dilutior existens, sanguineus, & roseus, & purpureus, sub nomine rubri continentur, dico igitur impudentes colorem rubrum, hoc est puniceum habere, qui modesti sunt roseum ostendere, cum igitur colorem in facie, ac in fronte præcipuè conspexeris, vel corallorum, vel malorum punicorum, illum impudentem, petulantem, crudelem infidelem omnino dixeris. *Resp.*

At ego præter hæc puto illum esse impudentem, qui corpus furfurea quadam lentigine rubra infectum habet, aut vt melius loquar, ruffa, quem colorē dicimus ruffum in quibusdam bobus, & in calthæ floribus apparentem, & in ære etiam detersо, ex quo ruffum vocat Terentius Getam, qui enim tales sunt multa bile cum pauca pituita coniuncta nō sine melancholia adusta abūdant, quam humorum dispositionem ad impudentiā referri diximus; quod autē, qui huiusmodi lentigines habent sint procaces, & impudentes, ac fœminæ præsertim, prouerbio receptum est, quando Itali nullum ruffum, præter vnum fuisse vnquam bonum asserunt; ruffos igitur, seu rubeos corpore vocari posse impudentes patet.

Color sanguineus. *Color sanguineus.*

Hoc quod nunc dicitur mihi persuadet, vt ruffo colore præditum dicam impudentis corpus, deinde in facie ponam colorem sanguineum, siue phœniceum, aut puniceum, cui sententiæ accedit auctor thesauri dictionum græcarum, qui locum hunc Aristotelis citans, vertit corpus subruffum, sic ergo corpus habet subruffum, si carnem spectes, lentigine plerunq. aspersam, & maculosam, qualem Neronis cutim fuisse dicebamus, & capillos ruffos, calthæ flores nempè referentes; ast facies deinde sit sanguinea, quem colorem dat melancholicus sanguis, qui caput, cerebrum, & faciem occupat; si ergo impudens hoc sanguine abundat, cui aliqua addita est portio pituitæ, ac bilis probabile est, etiam huiusmodi sanguineum, siuè puniceum colorem in impudentis facie spectari.

Facies rotunda. *Facies rotūda.*

Nullum ferè inuenies, cuius facies sit rotunda, & sanguinea, pilique capitis ruffi, qui bonus sit, & modestus, si naturalem propensionem ratione, & electione non correxerit, vulgoque homines faciem virginalem habentes in sæuos degenerare serpentes dicunt, taleque fraudis faciem, & ora potissimum fingunt.

Impudens igitur ex Ariſtotele faciem rotundam habet, at ſanè totum oppoſitum eſſe deberet, nam ſi virgo omnium maxime eſt pudibunda, & verecunda, cum virginis facies ſit rotunda, & roſea, rotũditas, & roſæ color in facie modeſtiam, & pudorem potius, quam ſæuitiam, & crudelitatem ſignificare deberent; oppoſitum tamen ſentit Ariſtoteles, & vulgare dictum, & experientia: ſæuiſſimus fuit tyrannus Actiolinus quidam de Romano, idem, & rotundam faciem, & ſanguineam habebat, eodem modo affectus erat Domitianus, Otho rotunda facie præditus, & prodigus, & procax fuit. Commodus fuluam ceſariem habuit, vt aurea ſcobe infectos geſtare putaretur capillos, colorem in facie purpureum, quaſi mixtis roſis candida iunxiſſet lilia.

Hic tamen fuit non ſolum impudicus, & impudens, ſed crudelis, & omni vitiorum genere inquinatiſſimus, illud idem de Carino, de Diadumæno, atque alijs quamplurimis poterimus affirmare, qui cum pulchra, roſeaque facie, ac virginea forent inſignes, peſſimi omnium extitere; huius paſſionis ratio non minus, quam ſuperioris difficilis eſt, ergonè, qui faciem pulchram habet, atque rotundam impudens erit? An dicemus naturaliter virilem faciem oblongam eſſe, muliebrem rotundam, quod ſi rotunda viro accidat, præter naturam illi adeſt, nihil igitur boni portendit.

Sed neque id eſt cauſam rei aſſignare, quapropter aliud quærendum eſt; meminiſſe igitur oportet Ariſtotelem poſuiſſe impudentes eſſe in motibus præcipites, & colore ſanguineo præditos, ſi igitur præcipites ſunt in motibus, ergo maxime calidos, & concitatos gerunt ſpiritus, probabile igitur eſt arctum, & paruum eſſe caput, ſi autẽ caput tale eſt, vtique facies parua ẽt videtur, & in sè ipſam contracta, non igitur oblonga, ſed rotunda, impudens igitur rotũdam probabiliter habebit faciem, & e conuerſo cui talis aderit facies impudens dici poterit. An quod facies ſit rotunda à formatrice virtute, & à materia capiendum eſt?

Si ergo, vt ſæpius diximus, in impudenti materia eſt ſecundum sè male paſſibilis, quare dura, & rebellis, vis autem formatrix, ſiue calor eſt ſimilis æſtuanti vapori, quem in menſe Auguſto videre aliquando ſolemus, craſſum, calidum, vrentem, profecto virtus generans, & formans embryonem, quæ in medio reperitur, eiuſdem fœtus materiam non penitus obedientem mouet quidem, ſed impotenter, & imperfectæ ita vt orbicularem formet faciem, & caput, & corpus quantum figura hominis patitur, quare, & eleuatæ ſunt ſcapulæ, & incuruum corpus, quoniam non adeo poteſt vis formatrix materiam ſuperare, vt in longum extendat mentum, & caput aliqualiter compreſſum producat, ceu eſſe debet, ſit calor A. in medio B. C. D. E. materiali maſſa poſitus illam mouet, atque agitat, quoniam æque obſiſtit, æqualiter igitur B. C. D. E. à centro A. recedunt, neque magis cedit B. D. quam C. E. quare ſic facies rotunda permanet, ſi vero minus rebellis, & minus obſiſtens eſſet materia naturaliter C. E. oppoſita ſecundum longitudinem facilius mouerentur quam B. D. ſecundum latitudinem inter sè oppoſita, ſic enim fieri à natura videmus

Pectus ſurſum contractum.

„ *Pectus ſurſum contractum.*

Planum pectus, & mediocre ſecundum naturam eſt, ſi vero ab hac deceſſerit forma, quattuor ſimplices figuras recipiet, aut enim concauum erit, & timiditatem arguit, puſillanimitatem, auaritiam, & abiectionem; diſpoſitio contraria ad aues refertur quarum pectus conuexum, & carinatum propriè eſt; (non enim dico conuexum, quod rotunditatem notat) quibus tale adeſt pectus illi ſunt loquaces, percontatores, rerum nouarum cupidi, aſſentatores, blandi; ſi vero pars inferior ſit tuberoſa, & magis eleuata quam ſuperior, malignitatem quandam ſignificare aiunt, ſed vnde nam hoc excipiatur ab his, qui talia affirmant neſcio, non enim rationem vllam, qua ſuam ſententiam confirment afferunt.

At ſi circa iugulum, & clauiculas colli cõtingerit eleuatio, & pars, quæ eo in loco poſita eſt ſue-

eſt fuerit prominentior, & ſe ſupra inferiores extulerit, huius modi diſpoſitionem aiunt, ſignificare inuerecundiam, quoniam vitium eſt in formatione; at ego ſanè, ſi vitium in conformatione circa pectus ſignificaret impudentiam, non video qua ratione depreſſum & concauum, & gibboſum pectus impudentiam, & arrogantiam non dicat, quando hæc etiam ſit mala conformatio: Puto igitur illud dici contractum, quod ſtrictum eſt, & confractum, vox enim contrahere illud ipſum ſignificare videtur, & quæ contrahuntur illa conſtringi, & minora fieri iudicantur, quare dicerem impudentes habere pectus contractum ſurſum, hoc eſt habere partem pectoris, quæ propè, oſſa iuguli exiſtit arctiorem, quam homines recte, ac ſecundum naturam formati habere ſolent, ſic enim cum ad eum locum peruenerit calor, & ſpiritus coarctantur, calidiores igitur, ac craſſiores aſcendunt, ſicciores itaque, quare & minus apti pati, & recipere externas exiles impreſſiones, hæc autem erat impudentis ratio, vt eſſet ab his imaginibus honoris, aut ignominiæ impaſſibilis, quæ multo ſunt tenuiores, quam illæ quæ mouent ſenſus, & phantaſiam ſub ratione delectabilis, & moleſti, vtilis, aut inutilis; mihi enim videtur hunc eſſe ordinem vulgariter in obiectis, quæ ordinarie homines ſolent afficere, vt primo loco maxime afficiantur, & ex sè ſint nata mouere, quæ ſecum iucundi, aut moleſti iunctam habent apparentiam; vnde efficitur, vt non ſolum bruta omnia, ſed præcipuè pueri, & adoleſcentes, qui maxime viuunt vitam animalis voluptate, & moleſtia, ducantur, quod Epicurei putabant dicentes.

—Non nè videtis
Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vtque
Corpore ſeiunctus dolor abſit, menſque fruatur
Iucundo ſenſu, cura ſemota, maliſque.

Secũdo loco imagines ſub ratione vtilis, & inutilis afficiunt homines, minus enim remotum eſt hoc phantaſma, & minus à ſenſu ſeiunctum, quamuis futurum reſpiciat, & propter hoc ſenes, & qui parum caloris habent, vtilitatem quærunt, & ſunt auari, dum timent, nè carentes neceſſarijs ad vitam inſtrumentis mâle, & moleſte vitam ducant, eoſque mouent magis res, vt aurum, argentum, veſtes, prædia, & huiuſmodi, quam laudes, coronæ, ſtatuæ, quas res, qui quærunt (vt ego arbitror) magis in longitudinem proſpiciunt, quam qui opes deſiderant, omnes enim bonum appetunt, & bene viuere quærunt, quod quoniam eſt res iucundiſſima, falſo modo argumentantes, ſiue maligne decepti, voluptatem credunt eſſe maximum bonum, neque hanc, aut illam, ſed omnem ſic effectum eſt, vt ad pauca reſpicientes adoleſcentes, & qui fatui ſunt, præter voluptatem nihil quærant aliud, & ſæpè decipiantur, falſum pro vero captantes. Qui autem proſpiciunt amplius in longitudinem, vt bene viuant, inſtrumenta vitæ quærunt diuitias, putant enim, quod.

Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitijs parent, quas qui collegerit ille
Fortis erit, ſapiens, pulcher, rex denique regum.

Ignorantes, ad fabricandam tabulam, aut arcam, præter inſtrumenta, ferram nempè dolabrum, & bipennem, etiam artem requiri, qua qui carebit nunquam tabulam, aut arcam faciet, at quicunque magis ſapiunt, & longius proſpicere valent, primum virtutem quærunt, ex qua honor, & nomen bonum ſequitur, cui cætera poſtea adijciuntur, nam vt ille ait.

—Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Acutiores igitur eſſe etiam debent, & tenuiorum ſpirituum, quare, & rationabiliores, qui honorem, & ignominiam multi faciunt, quam, qui paupertatem, & diuitias

ſibi proponunt, at magis belluinam ſapiunt naturam, qui ſolum voluptate, & moleſtia ducuntur, quæ fuit Ariſtotelis primo ethicorum ſententia, cum igitur impudentes honorem, aut dedecus parui faciant, merito irrationabiles dicemus, quare, & ſecundum corpus eas paſſiones habebunt, quæ talem arguunt irrationabilitatem, hæc autem eſt pectoris anguſta ſtructura circa colli iugulum, nam hic locus anguſtus, neceſſariò ſpiritus, ac calorem comprimit, cogitque, vt inde in cerebrum erumpant violenter, ac tumultuoſe, quod igitur primum sè sè offert parum conſiderantes, aut accipiunt, aut reijciunt, vnde neque vtili, aut inutili multum, minuſque dedecore, aut honore mouentur.

Exactius tamen, & magis ex proprijs, paſſionis huius cauſam quærentes dicamus: Anguſtia pectoris circa oſſa iuguli oſtendit, aut caloris naturalis debilitatem, aut materiæ, quæ circa fontem caloris reperitur in obedientiam, non ſanè calor naturalis debilis eſt in impudente, ſed robuſtus potius, ergo multam materiæ inobedientiam, quare reſiſtentiam, ſiccitatem igitur, & impaſſibilitatem, hanc ipſam eſſe propriam paſſionem impudentis dicebamus, impaſſibilis autem eſt, quoniam melancholicus eſt, melancholiaque, (vt ſæpè dictum eſt) terram refert, primum ſiccorum, & propter quam quæcunq. apud nos ſunt, proprio termino terminantur, cur ergo pectus ſit ſurſum contractum in impudentibus, & quales ſint ſecundum corpus impudentes ex Ariſtotelis ſententia manifeſtum eſt, His autem Ariſtotelis paſſionibus corporeis Porta quædam, alia quædam etiam Polemon addit, nempe impudentem habere craſſum in extremo naſum, procacem intuitum, hoc eſt qui in eos cum quibus loquitur, & à quibus corrigitur, aut ignominia, sè affici, & notari audit, intuitum firmat, & figit, eoſque audacter etiam cum quadam irriſione iracunda ſpectat, & ratio id ſuadet, nam ſi erubeſcentis proprium eſt demittere oculos, & dolere, aut lachrimari etiam probabile eſt, impudentem oppoſito modo diſponi, & attollere oculos, & torue tueri, aut irridere, qui illum notat; irridere etenim eſt cõtemnere, contemnit autem impudẽs, Caput acutum, & in verticem protenſum, ſupercilia longa, & craſſa, naſus ſtatim à fronte magnus, & aduncus, hæc enim omnia melancholiæ cum pituita coniunctæ dominium circa caput docent.

Impudẽtium alia ſigna.

Riſus altus, & magnus, quem cachinum vocant, multos enim atque calidos, & perturbatos ſpiritus notat, iungitur riſus hic, cum ſpirandi quadam difficultate, quæ producitur propter depreſſum pectus circa oſſa iuguli.

Vtrum autem impudentes ſuras habeant carnoſas, & craſſas neſcio, nam ſi impudens ad inſenſatum accedit, inſenſato crura ſunt longa, non tamen ideo carnoſa; ſi vero ad fortem, ſiuè robuſtum referas, contractæ quidem erunt deorſum ſuræ, non tamen ideo carnoſæ, aut ex oppoſito carnæ priuatæ, crederem, ego ſi melancholico habitu præditus eſt impudens, & calor multus eſt circa pectus, & cerebrum, mediocriter habere ſuras carnoſas, & flaccidiores, quod opus eſt ſanguinis melancholici exuſti, non autem conſtantes ex eo humore melancholico, ex quo fortium caro, & corpus eſt compoſitum; Pectus glabrum, forſan hoc eſt propter cutis denſitantem, aliter enim eſſe nequit, hoc namque eſſe impudentis ſignum memini me in pluribus animaduertiſſe, qui cum impudentiſſimi eſſent glabrum, ac depile pectus habebant, talem etiam fuiſſe Caligulam, Neronem, Heliogabalum, Galienum credibile eſt, ex eorundem corporis ſtatura, quamuis fortè Heliogabalus nondum ad eam peruenisſet ætatem in qua pili de pectore ſolent erumpere, occiſus enim eſt, dum annum xvi. (vt aiunt) ageret, Pedum, & manuum digiti breues, & vngues recurui, quod, & materiæ, & caloris prædicti naturam ſapit, caloris enim excellentis proprium eſt ex ſiccando contrahere, quæ terreſtria ſunt, quales ſunt vngues.

Oculos

Oculos ponunt ignitos, aliquando etiam magnos, & liuentes, & extra etiam prominentes, hoc eſt multum apertos, qui enim impudentes ſunt, contemnunt, at qui contemnunt oculos valde aperiunt, & diductis palpebris quos rident, & deſpiciunt, tuentur, ficci etiam ſunt, & ſplendentes, hos enim ſpiritus producit melancholicus humor cum torretur.

Stant etiam horum oculi, & quaſi immobiles apparent, quod cauſat impaſſibilitas humoris.

Supercilia eleuant, quoniam quos deſpiciunt, diximus, diductis oculis ſpectare, quæ operatio vix ſine ſuperciliorum eleuatione (vt patet experientia) fieri poteſt. Quod quidam aiunt, hos ſuſpirare, & cur, ſatis non video; cæterum quoniam impudentia, & alij habitus, atque affectus huiuſmodi, quorum principia vocantur potentiæ, vel impotentiæ naturales, ſunt virtutes in materia, (&enim naturales ſunt paſſiones) neceſſario ſequitur, quod in definitione impudentiæ, & aliarum affectionum, ſit quoddam, quod rationem, materiæ habeat, & aliud quod formam referat, & efficientem cauſam, porro materia corporea eſt, ac demum corpus, quare quæ certam paſſionis, ſiuè potentiæ materiam deſignãt ea ſunt, vel corpora, vel diſpoſitiones corporeæ, ſic dicimus iram eſſe ebullitionem ſanguinis, quæ vero formam ſequuntur minus corporeæ ſunt, & minus ſenſibiles ſecundum sè exiſtunt, ſicut igitur paſſiones, quæ materiam conſequuntur expoſitæ ſunt, & per ipſas cognouimus talem materiam in corpore Socratis, vel Calliæ reperiri, & quoniam talis materia talem importat formam, ideo inferre potuimus etiam impudentiam, ſiue propenſionem ad huiuſmodi affectum in Socrate reperiri, vnde dicebatur impudens.

Nunc quæ impudentis formam conſequantur, ex Theophraſto in libro de characteribus videamus impudentis fermè ratio, vt videtur Ariſtoteli, conſiſtit in hoc, quod non timeat turpia facere, vel pati, vel audire, nam ſi idem vocat pudorem eſſe ignominiæ timorem, & fugam, qui non fugit, neque timet ignominiam, ille impudens eſt; at Theophraſtus adit ob turpem quæſtum, vt ſit melioris famæ contemptus ob tutpelucrum, quod idem videtur placuiſſe Platoni in Hipparcho, non quod non aliæ ſint occaſiones impudentiæ, ſed quoniam hæc maxime vera, & vulgaris eſt, quæſtus enim gratia quamplurimi famam parui faciunt, quod vulgato quodam exemplo Principis cuiuſdam apud nos cofirmatur.

Erat Princeps quædam Matrona pulcherrima, & quæ tum à marito, tum ab omnibus pudica maxime, ac ſancta credebatur, ſcurra quidam illam deridebat, neque adeo honeſtam, ac pudicam credebat eſſe, ceu alijs videbatur perſuaſum, Huius ſcurra, vt periculum faceret, quodam die interrogauit, an ſui copiam faceret, ſi quis ei donaret aureos mille, negauit, & erubuit mulier, illius dicta deteſtans, ſubdidit ſcurra hoc parum eſt, ideo turpe, quid ſi duo millia numorum aureorum darentur? etiam negauit, cum tria, & quattuor diceret, & tandem, ad centum millia peruenisſet, illa ridens dixit, tantum mihi promittere poſſes, vt tandem perſuaderi paterer, clarum eſt igitur quæſtum vim maximam habere, & lucri cupiditatem maxime poſſe, qua ratione dictum fuit à Theophraſto ob turpem, & paruum etiam quæſtum famæ melioris obliuiſci; verum enim vero, ſi hoc affirmandum eſt, pauci omnino erunt pudibũdi, & verecundi, paucos enim puto reperiri, quibus auri pondus immenſum perſuadere omnia non poſſit, nam ſi aurum probatur igni, nec minus homo auro probatur, vt ille ait, certum eſt.

Fore enim tutum iter, & patens
Conuerſo in pretium Deo,

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

Talis igitur est ratio, & forma impudentiæ, si ergo impudens famam, & hominum de sè bonam opinionem contemnit, paratus est alios irridere, & naso suspendere, neminem igitur curat, nisi quatenus, & quousque sua interest, proprius est, alios ergo non amat, neque amare scit, aut saltem simulare, liberi igitur hominis speciem præseferre videtur, cum tamen non vere liber, sed dicax potius, & molestus vocari debeat, & quoniam aliorũ contemptor est, & irrisor, igitur neque amatur, neque homines illi libenter obsequuntur, nisi spe aliqua ducti, odioseque officio funguntur, cum ergo neminem curet, omnesque despiciat, si quem deceperit, si cui iniuriam fecerit, illum ipsum adire, ab eoque aliquid, aut mutuo, aut dono petere nõ dubitabit, & si repulsam passus fuerit, audacter sè nihili facere profitebitur, si reportauerit quod cupiebat eum ipsum ludibrio habebit, & ceu fatuum irridebit, & quamuis non vocatus ad cænam, tamen apud amicum, aut vix cognitum libenter accedet, & cum multo risu patinas tragematum, aut cõditorum ex Saccharo primus in tunicæ manicas peruertet, damnoseque bibet, & procaciter, ac petulanter seruis imperabit, perinde, ac ipse cænæ, aut domi sit dominus, eiusdem etiam generis est, qui cum apud amicum cænat, porrigit seruulo partes, quas domum de mensa ferat, simulque etiam sibi implet sacculos, & chirotechas, alios inuitare apud amicum, plures vmbras secum adducere solet, atque audet, & quandam superbiam, & elationem supra alios præsefert, perinde, ac si ille princeps, alij forent subditi; quæ omnia hominis, qui sè plus nimio amet, & præ sè vno cęteros omnes contemnat, sunt certia indicia.

Ex theophrasti characteribus.

Sol.

Quod si de verecundo, & pudente sermonem non faciat Aristoteles, nemini mirum esse debet, quandoquidem contrariorum est eadem disciplina, & vno cognito facile est alterum etiam cognoscere, sed contra Ingeniosum, & insensatum, timidum, & fortem diximus esse contrarias passiones, & infra etiam contrarias vocabimus iracundiam, & mansuetudinem, tristitiã, & iucunditatem, attamen harum vnaquæq. ab Aristotele fuit pertractata.

Quare crederem aliter esse respondendum, nempè Aristotelem hoc loco, nhil aliud moliri, nisi inductionem quandam, mediante qua habeamus in corpore reperiri quædam signa, quibus animi passiones, siue potentias, & inclinationes naturales ad certos actus, affectus, & habitus producendos certo quodam modo melius, aut peius dispositas cognoscere possimus; hæc autem inductio ex multorum particularium collectorum indistinctè, & inde terminatè, prout sè sè offerunt, facta est, quare mirum non est, si quædam captæ sunt affectiones, quædam prætermissæ, non enim ad rem propositam necessarium est omnes inclinationes naturales, & omnia habituum commemorare principia, sed forte etiam posset aliquis dicere modestiam impudentiæ opponi, de qua nunc loquetur, & rè vera modestia si non est pudor, & modestus si non est pudens, sanè sine pudore, & verecundia esse non videtur.

DE MODERATO.
Cap. XI.

Modeſti ſigna. In motibus tardus, & loquens tarde: vox tarda, & plena ſpiritu, & mitis: oculus hilaris: non ſplendidus, niger, neque valde apertus, neque omnino clauſus, conniuens tarde, oculorum enim qui celeriter conniuent, hi quidem timidum, illi vero callidum ſignificant.

Motus tardus

VOcem, qua notauit Ariſtoteles paſſionem, ſiuè potentiam ab ipſo nunc ſignis corporeis indicandam, alij interpretantur, modeſtiam, alij moderationem, propriè autem, vt ego puto, vox κόσμως ornatum ſignificat, eum ſcilicet, qui rectè, atque ex ordine agit omnia, qui compoſitos habet mores, quique legibus paret, vox enim à quo deriuatur, ordinem, compoſitionem, & diſtributionem cum venuſtate, ac decentia ſignificat, alij putant, quæ hoc loco ſcribuntur eſſe ſigna temperantis, nonnulli mitem exponunt; Porta verecundum his notis deſignari autumat.

Primum autem Portæ omnino accedere non poſſum, nam ſi verecundum, & inuerecundum opponi inter sè credit, neceſſe ſanè eſt, aut omnia, quæ inuerecundum ſequuntur, aut ſaltem plurima opponi his, quæ verecundo adeſſe autumat; Et ſi quæ ſunt in hoc capite expreſſa, ſequuntur verecundum, illis quæ ſupra dicta fuere opponentur, vtrumque autem non omnino eſt verum, primum enim non omnia, quæ ipſe Porta enumerat in cap. eius, qui impudens eſt, cum verecundo, & pudenti habent contrarietatem v. g. impudentem vocat canem, & impudentis proprium characterem caninam vocat naturam, at certè nihil magis eſt ad adulationem propenſum, nullum animal eo eſt amantius ſuorum dominorum, quæ duo nunquam in impudente, vt ſupra diximus, poſſibile eſt reperiri; parum curuos (ait ille) eſſe impudentes, at pudentes non ſunt recti, craſſum, & aduncũ naſum dat impudenti, ſed neque pudens ſimum, neque ſubtilem naſum ſortitus eſt, & pectus glabrum habet impudens ſecundum Portam, & pudens piloſum non habet, pueri enim nulli pectus piloſum habent, quorum (ſi ingenui ſunt) propria paſſio eſt verecundia, facilè longam Portat dat impudenti; rotundam Ariſtoteles, quam igitur dabit pudenti? ſanè nullam, aut ex longa, & rotunda mixtam, nec omnia quæ ſunt in ſuperiori capite his, quæ in præſenti ſcribuntur opponi patet, nam præter accidẽtia motuum, & oculorum nulla eſt oppoſitio, nam impudens motus habet præcipites, huic de quo loquitur Ariſtoteles in tex. tardi motus tribuuntur. At ſi opponeretur impudentia potentiæ, quæ in hoc capite contemplatur, cum hic ſit laudabilis affectus, quoniam in mediocritate conſiſtit, oporteret eum motum eſſe medium inter præcipitem, & tardum, vt enim fortis laudatur, & medius eſt inter audacem, & timidum, ſi contingerit audacem eſſe præcipitem, & manu nimium promptum, non ſequetur, quod fortis ſit tardus, & manibus nimium parcens, ſed erit medio modo affectus non nimium præceps, neque nimium tardus, ſed maturabit, quando res poſtulabit, & manu, ac viribus pericula cum occaſio sè sè offeret, propulſabit, non ergo puto, de verecundo hoc loco tractari, & verecundi ſigna propria ex profeſſo declarari.

Quod ſi quis dixerit, cur igitur oculorum quædam paſſiones, quæ hic traduntur opponuntur illis, quæ ſupra dictæ ſunt, at dicere poſſumus, eſſe multa ſigna, quæ ſeparatim, ac ſingillatim capta eadem pluribus poſſunt potentijs adeſſe, at omnia ſimul collecta, cum vni aderunt, vtramque potentiã comitabuntur, aliam nullo modo conſequentur, amplius

quid

quid mirum est, si idem non solum duo diuersa, sed etiam opposita sequatur? Animal sequitur hominem, & equum, & corpus viuens, & mortuum sunt substantiæ, & animal, & planta sunt animata, & aluntur, nemo tamen dicet animal, & plantam esse idem; amplius dictum est supra modestum esse verecundum, & verecundiam passionem modesti, quare non est absurdum, si quædam modesto adessent, quæ omnino opponerentur inuerecundo, vt ei, qui comitatur immodestum, vt enim verecundia ad modestum, sic impudentia sè habet ad immodestum; cum ergo vox græca ad verecundum accommodari non possit, qui mitem exponunt nesciunt idem esse, ac mansuetum, & hæc duo nomina esse synonima? de mansueto autem infra dicetur, similiter, qui temperantem transtulerunt, non animaduertunt tarditatem illam in motibus, & voce non esse temperantis passionem; Deinde conniuens tardè, vocatur signum eius passionis, quæ media est inter timidum, siuè ignauum, & celerem, agilem, & vehementem, sed quod ponitur medium inter has passiones non est verecundia, de verecundo igitur agi, & verecundi signa in hoc capite non tradi rationabiliter asseri potest. 10

· Dicemus igitur, neque de modesto, sed de moderato, nunc agi; primum autem quid sit vtrumque videamus, deinde quomodo hæc sint moderati accidentia, tertio cur illi adsint explicemus. Modestus à Francisco Patritio Caietano Pontifice, & modestia, auctoritate Nonij Marcelli deduci dicitur à modico, vel à modo, vt Cicero, Modestiam communiter philosophi eam dicunt virtutem, quæ apud Aristotelem caret nomine, quæque versatur circa mediocres honores, & ignominias, quę eam rationem habet ad magnanimitatem, quam liberalitas ad magnificentiam, solentque eam definire esse virtutem, qua homines appetere paruos honores, & fugere, aut pati paruas ignominias sciunt, prout recta ratio præscribit. 20

Quid sit modestia.

Alij dicunt modestiam esse virtutem, qua cupiditates rationi parere coguntur, sed hac ratione modestia esset virtus simpliciter, aut saltem eadem cum moderatione, & temperantia Piccolominei, hoc enim nomine virtutem moralem in vniuersum vocat, eamque esse dicit, quæ præscribit modum cupiditatibus; si ergo per modestiam intelligemus eam virtutem, quam Aristoteles descripsit post magnanimitatem, profecto à moderatione distat, quę media est inter ambitionem, & honoris debiti contemptum, cuius exemplũ nobis dedit Pomponius Atticus, qui adeo modestus fuit, vt sua sorte semper contentus extiterit, neque maior, aut minor sè ipso haberi, voluerit; si ergo hæc modestia est, & non quæ in secundo Magnorum moralium definitur, manifestum est, quod à moderatione distinguetur, & non de hac, sed de moderatione, nunc agetur; est moderatio virtus quędam, quæ humanas actiones ita metitur, ac dirigit, ne fines, quos honestas præscribit, aut fugiat, aut longius prætergrediatur, docet igitur, vt ille ait, intra cuticulam sè cohibere suam, & vnum quemque metiri sè suo modulo, optare igitur ephippia bouem, optare equum trahere aratrum, est immoderati proprium, & eius, qui sibi, suisque finem cupiditatibus imponere nesciat. 30

Quid moderatio.

Moderatus igitur erit, qui iram, vt Philippus Macedo, cum fuit oculo priuatus, & qui libidinem, vt Scipio in Hispania, cum illi pulcherrima virgo fuisset oblata, & qui ambitionem, vt idem, cum Rex vocari audiret, cohibebit, & propriè moderatus est, qui secundum illam vulgarem sententiam, sustinebit, & abstinebit, & æquam mentem rebus in arduis seruabit, non secus in bonis ab insolenti temperatam lætitia; de hac ergo moderatione laudabili, & de potentia, secundum quam homo ad hanc virtutem dicitur habilis, nunc tractatur, & quænam signa in corpore humano conspici soleant, hanc habilitatem, siuè potentiam consequentia nunc docetur, non quidem omnia, sed pleraque, vt sufficiãt ad eam, quæ instituta est, inductionem perficiendam. 40

Quid ergo sit moderatio, & moderatus, & quod huius signa tradantur ex his patet, sunt autem huiusmodi.

In mo-

„ *In motibus tardus, & loquens tarde.*

Si moderatus eſt, qui ſuis actionibus præſcribit terminos, quos recta ratio docet, & moderatio mediocritas quædam eſt in actionibus, patet paſſionem hãc materiam, præter eam maſſam (in qua exiſtit hominis naturalis temperies) non habere, quę igitur ſimpliciter ſeruit homini perfecto, & ſecundum naturam diſpoſito materia, ex qua ſpiritus generantur ab omnibus contrarijs æquè diſtantes, erit ea etiam, quæ moderationis rationem ſuſtinebit, hoc eſt, moderatio conſiſtet in temperata ſecundum naturam hominis quattuor humorum mixtione, ita vt ſtatuatur quoddam mixtum æque ab omnibus contrarijs diſtans, & in potentia ad omnia patienda, ac ſuſcipienda; quam maſſam cum calor ab externis obiectis, atque imaginibus impreſſis agitauerit, eleuantur ſpiritus æquales, & temperati, qui rectæ rationi maxime parentes, ac rationis præſcriptum ſequentes, nullam libero arbitrio vim, nullam repugnantiam faciunt, vnde ſequitur, vt homo finem ſuum facile obtineat, qui virtus eſt, aut ſecundum virtutem operari, & viuere, quod eſt bene, ac beate, & fœliciter degere, & actiones vitæ ſecundum rectæ rationis præſcriptum, & normam exercere.

Si ergo res ita sè habet, manifeſtum eſt, quod moderatus erit tardus, nã cõſideratus eſt. Quare, neq. præceps, aut celer in ſuis executionibus, conſideratus autem eſt, quoniã temperatus, & talis eſt, quoniam ſecundum naturalem hominis temperiem eſt conſtitutus, dico autem tardum, non ſolum in motu progreſſiuo, eo quod habet moderatum, ac temperatum calorem, ſed etiam in omni actione propter eandem rationem temperatè sè gerit; & ideo etiam loquitur tarde; nam ſi loqui eſt linguam mouere, & motus moderati eſt tardus, etiam in loquendo tardus erit, & not, quod non ſolum tardus erit in loquendo, hoc eſt qui multum temporis ponat in proferendis vocibus, & qui lente loquatur, verum etiam, qui multum, ac diu cogitabit, quæ dicat, quod proprium eſt viri moderati, & modeſti, hocque ipſum natura docuiſſe videtur, quæ linguæ frænum naturale adhibuit, ac duo valla vnum oſſeum, alterum carneum eidem præpoſuit, vt iterum, atque iterum conſiderarent homines, antequam loquerentur. *Not.*

Non quærit moderatus aliena ſcire, hic enim garrulus eſt, aliena non ſcrutatur ſecreta, cõmiſſaque tegit, neq. ſua laudat ſtudia, aut aliena reprehendit, & hoc eſt, quod dicit, tardè loquitur, quoniam conſiderat quid ſit dicendum, priuſquam os aperiat, & vox tarda, hoc eſt, & dum loquitur lente voces profert, ac temporis multum in loquendo, ſiue proferendo vocem inſumit, quoniam motus eiuſdem ſunt tardi.

„ *Vox tarda, & plena ſpiritu.* *Vox tarda, ſpiritu plena.*

Præterquam, quod tarda eſt moderati viri vox, habet hoc aliud, quod eſt plena ſpiritu. Nempè nõ exilis, vt ægrotantium, quæ aliquando quidem tarda eſt, ſed acutior, & vere debilis, hic autem vocem Tauri imitatur, quæ grauis eſt, quare tardam dicit, & ſpiritu plenam, hoc eſt multum aeris extenſiue mouentem, cauſam eſſe credo, quoniam cum moderatus ab omni vehementi affectu ſemotus ſit, & multos ſpiritus gerat, illi non ſunt concitati, quare acute, & celeriter non mouent aerem, vnde acuitas vocis naſcitur, ſed quoniam tarde mouent, & multi ſunt, ex ratione tarditatis ſpirituum multum aeris mouentium efficitur, vt uox ſit grauis, quam ſpiritu plenam appellat; hanc regiam eſſe uocem quidam Poeta Italus ait, alij ſedatam uocãt, & Virgilius Sedato corde latinũ loquentẽ introducit.

Quòd ergo moderati uox ſit tarda, ſedata, & ſpiritu plena, & propter quam cauſam, ex his manifeſtum eſt.

„ *Et mitis.*

Paſſionem hanc aliqui putant ad hominẽ aliqui autem ad vocem pertinere, ego quam *Mitis.*

uis

uis credam omnem moderatum eſſe mitem, nam niſi eſſet mitis, non eſſet moderatus, puto tamen ad vocem reduci poſſe, & vocis eſſe adiunctum; eam dico vocem eſſe mitem, quæ ſuauis eſt, non rauca, non inæqualis, non ſtridula, non acuta, non iracundiam, aut moleſtiam, aut odium, aut aliquem alium affectum repræſentans.

Porta. Porta qualitatem hanc non agnoſcit in ſuo verecundo, quē penè his Ariſtotelicis deſcribit qualitatibus, hanc dixi paſſionē eſſe vocis, ſi enim corporis ſigna hic enumerantur, cum mitem in propria ſignificatione cæperis, paſſionem non dixeris corporis, quare ad vocem referetur, & pro ſuaui, & placida capietur, ſuauis igitur erit, & mitis vox moderati viri, non intenſa, neque admodum remiſſa, non exilis, neque magna, cauſa eſt, quoniam huius vox eſt tarda, & plena ſpiritu, quare grauis, ergo æqualis, & ſibi conſtans, & ob id mediocris, ſecundum naturam igitur, at omne ſecundum naturam placet, atque ſuaue eſt, igitur moderati vox mitis eſt, & ſuauis.

Iure autem mihi videtur dictionem hanc (mitis) debere adiungi, & accidens vocis reputari, quoniam particula coniunctiua, & ſenſum, & verba copulat, & accidentia, & attributa, quæ ſimul iungit eidem, (vt dicunt) nomini ſubſtantiuo annectit.

„ *Oculus hilaris, non ſplendidus.*

Oculus hilaris. Quinque attributa oculorum moderati viri enumerat, quorum tria affirmatiuè, & duo negatiue enunciantur, horum vnumquodque conſideremus quid ſit, & cur illi accidat.

Oculus hilaris. Hilaris dicitur homo, qui vultu gaudium, & lætitiam præſefert, & propriè hilaritas ea dicitur iucunditas, quam ſenſus in facie, & geſtibus hominis agnoſcit, & iudicat, ſic Cic. lib. de finib. oculus igitur iucundus ſpectantibus, & eos ad ſpem amoris, & commodi excitans propriè dicitur hilaris, oportebit igitur tria tali oculo accidere, primum vt ſit ſecundum magnitudinem naturalem diſpoſitus, nō magnus, neque paruus. Secundum, vt pars alba ſit candida, & mediocriter ſicca, nigra vero ſit omnino pupilla, ex hac enim contrariorum propinqua poſitione idem oritur, quod videmus in quibuſdam picturis, quæ ex albo, & nigro, claro, & obſcuro conſtare vulgo dicuntur, illis enim contrarijs aptè iuxta inter sè poſitis, & membrorum ſolidæ partes, & quæ attollantur, & quæ deprimi videantur; apparent; Tertium requiſitum eſt, ſpirituum clarorum multitudo, qui ineffabilem quandam qualitatem oculis porrigunt, ſecundum quam dormiens, aut ſomniculoſus à vegeto, & vigilanti, viuus à mortuo oculo omnino diſtat, ac diſtinguitur; quod autem moderatus habeat oculos hilares probatur, quoniam moderatus ad virtutem natus eſt, ergo bene temperatus, ergo ingenioſus etiam eſt, multos igitur claros ſpiritus habet, qui per cerebrum ad oculum feruntur, at hanc eſſe unam cauſam hilaritatis oculorum dicebamus, amplius ſi moderatus eſt temperatus, & ſecundum naturam diſpoſitus, ergo, & illius partes ſecundum naturam, & quo ad quantitatem, & quo ad qualitatem erunt tales, totus igitur oculus erit pulcher, at pulchra ſunt aſpectu iucunda, & hilariter ſpectantur, ergo moderati oculus hilaris apparet.

„ *Non ſplendidus.*

Nō ſplē didus. Solet in oculis aliquando quidam apparere ſplendor, qui furias, & aduſtionem humoris bilioſi denotat, eſt autem ſimilis illi fulgori, quem nocturnum cœlum purpuraſcens, & coruſcans oſtendit cuius meminit primo Metheor. Ariſtoteles, oritur in oculo ſplendor hic ex uaporibus ſiccis, & claris, qui cum uiſiuis ſpiritibus iunguntur, & uapores illi à flaua bile, dum uritur, eleuantur; hinc factum eſt, ut maxime ad iram ſint prompti, quibus tales oculi adſunt, at quoniam moderatus non multa flaua bile abundat, ſed temperatus exiſtit, eius oculi huiuſmodi vaporibus non abundant, quare neque ſunt ſplendentes quodam flammeo nitore, ſicuti luporum, aut canum, qui ſplendor, præter naturalis cum ſit, terrorem

rem potius, quam voluptatem incutit; neque etiam omnino ſunt obſcuri, vt vel ſceleratorum, & mala conſcientia agitatornm hominum, vel mortuorum oculi eſſe ſolent, ſed tantum ſplendoris habent, quantum ſufficit ad exhilarandos tuentium animos, & ad proficiendam viſionis operationem, quæ neceſſario aliquem ex ſui natura requirit ſplendorem, aut ſplendoris inchoationem; eſt enim in potentia oculus, quale eſt actu diaphanum, quod à coloribus contingit moueri, & affici; non ergo ſplendidus eſt oculus viri moderati eo modo, quo eſt lupinus, vel caninus, ſed lucidus, hilaritatem, & animi compoſitionem demonſtrans, & eſt hæc ſecunda oculi paſſio, eaque negatiue expreſſa.

Niger.

,, *Niger.*

Tertia conditio oculorum moderati, vt ſint nigri, oculus igitur, hoc eſt pupilla, in eo qui moderatus eſt, nigra apparet, cauſa eſt, quoniam temperatus multo ſpiritu, & multo abundat benigno ſanguine, quare, & cerebrum tale erit, igitur, & vtræque meninges; quarum cum ſint portiones cornea, & vuea, ſuorum principiorum à quibus oriuntur, teſtantur naturam, propter hoc etiam moderati oculum dico eſſe nigrum, quoniam homo animal diurnum eſt, natum ad hoc, vt in luce operetur, & lucem amet, & cum oculus niger natus ſit magis inter diu, quam noctu videre, contra cœruleus, & cæſius noctu melius videat, quam niger, colligendum eſt temperatis, ac ſecundum naturam diſpoſitis hominibus oculum eſſe nigrum, moderatus igitur, qui temperatus eſt, oculum nigrum habebit, quod non accidit ijs, qui ſub polis, aut propè polum articum habitant, quorum oculi cæſij plerunque ſunt. An quoniam apud illos noctes longiſſimæ ſunt, & dies turbidi, & obſcuri?

Non clauſus non expanſus.

,, *Neque omnino clauſus, neque valde apertus.*

Eſt quarta proprietas, quæ oculis moderatorum contingit, negatiue expreſſa, non minus quam ſecunda; duo ſunt hæc extrema, quæ ab oculo negantur, ne ſit valde clauſus quales ſunt plerique porcorum oculi, neque omnino apertus, ceu ſunt leporũ, quos aiunt apertis etiam oculis dormire, cauſam autem huius paſſionis poterimus hanc dicere, quoniam moderatus, vel modeſtus temperatus eſt, igitur ſecundum totum in medio ſitus eſt, quare, & ſecundum partes, ergo, & operationes ſiue diſpoſitiones partium mediocritatem quandam ſeruabunt, ergo oculus neque plus iuſto clauſus apparebit, neque magis apertus, & expanſus quam deceat, cæterum ſi timidus lepus eſt, ſi oculos magnos, & expanſos habet, manifeſtum eſt magnos oculos, vel auctoritate etiam Portæ, qui Ariſtotelem habere auctorem dicit, non eſſe moderati proprios, neque moderatum pro verecundo capiendum. Porta enim, cum quid portendant oculi magni exponeret, hos ait inuidiam, impudentiam, pigritiam, & inobedientiam ſignificare. At cur id fiat, nequaquam dicit.

Qui vero clauſos gerunt oculos, & vix illos, vt cõſpiciatur albedo aperiunt, quique continuo claudunt, venerei, inſanientes, vani, voraces, iniuſti, feri dicũtur. Quare cum verecundus non ſit inter hos medius, non accedo Sueſs. qui de verecundo nunc ab Ariſtotele tractari dicit, non autem de moderato; Et q̃ idem Sueſs. ait Nunc Ariſtotelem explicare naturam eorum, in quibus prædominatur frigus, & frigidum eſſe verecundum, ſiquidem timidum; nõ poſſum, non mirari, nam ſi timido colligitur circum præcordia ſanguis, & à circumferentia ad centrum feruntur ſpiritus, verecundanti autem, & erubeſcenti ex aduerſo à centro ad circumferentiam ſanguis excurrat, non poſſum, non oppoſitas paſſiones timorem, & verecundiam putare, niſi quoniam ſolis motus facit diem, & noctem, eandem putemus noctem, & diem, & cum ſint ab eadem cauſa, nihil eſſe diſcriminis inter calorem, & frigus, lucem, & tenebras.

Deinde quomodo paſſio, ſiue accidens quod hoc loco exponitur, poteſt à frigore pendere, cum vox, quæ in hoc homine de quo loquimur ſit ſonora, & plena ſpiritu? Et ſi ſubdit

ſuauita-

suauitatem, vt ille loquitur, à frigore oriri, quid nam id sibi velit, & vnde hoc cæperit, non video, si enim frigidi est constipare, & constringere, qua ratione plena spiritu sit vox facta à frigore, intellectu est difficile, & in frigoribus maximis quoniam crassior, & immobilior est aer, minus rationabiliter auditur, quo fit vt dum ningit, vix campanarum percipiatur sonitus, amplius si vox, & sonus est motus, vel non sine motu, & omnis motus natus est calefacere, & quæ calefaciunt, aut actu, aut potestate calorem habent, patet igitur quod motus erit à calido, quare, & sonus, & quo maior calor mouens fuerit, vel à motore in mouendo excitabitur, probabiliter eo maior etiam sonus erit, sic vehementissimum, & calidissimum austrum sonare magis, quam aquilonem percipimus, sic quę igne disploduntur ænea tormenta vehementissime sonant, quoniam mouens velocissime, & maxime mouet, mouens autem est ignis primus calidorum.

Quod demum addit, nullam doceri posse causam, cur hæc signa verecundiam, aut modestiam significent, crederem illum potuisse commodius loqui, si dixisset sibi non apparere; non enim vllus est naturalis effectus, si modo effectus est, qui causam non habeat, aliter naturalis effectus non esset, effectus enim, & causa sunt ad aliquid; quod vero ait has esse proprietates, & apparentias, & obseruationes tantum, non secus atque in astrologia factum est, credo ipsum errare, nam in astrologia nulla sanè potest assignari causa, cur qui in medio cœli Saturnum directum habuerit, aut Iouem in Horoscopo ille tristis seuerus, & curiosus sit, hic nobilis, & fortunatus, at horum, quæ dixi, certa ratio, ni fallor, aut probabilis saltem afferri potest.

Conniuens tarde.

Conniuens tarde.

Vltima hæc oculorum passio, eademque affirmatiue prolata, quæ moderationem significat, conniuere, est palpebras oculorum alternatim claudere, & aperire, magis autem claudere, aut ad claudendum propensionem quandam habere significat, & conniuere per translationem dicitur non videre, passio igitur oculorum est conniuentia, quæ nihil aliud significat, nisi illum naturalem palpebrarum motum, quo aperiuntur, & claudunturoculi vigilantium, momento ferè temporis, quæ passio cum motus sit, de ea tarditas etiam, & celeritas, & frequentia, & raritas dicitur, quorum igitur oculi non frequenter, sed raro, & temperate nictant, & conniuent, illos vocat moderatos Aristoteles.

Cuius passionis quòd sit vera; affert rationem dicens; qui celeriter conniuent, vel timidi sunt, vel præcipites, & calidi, hoc est feruidiores, quam temperatum deceat, vel eodem minus, timido enim promptè clauduntut oculi deficiente calore, præcipiti promptè aperiuntur, ob eiusdem excessum; His adde moderati, neque sunt timidi, neque feruidi, & præcipites (non enim essent moderati) ergo moderati non celeriter conniuent, tardè igitur, vel mediocriter, sed propter quid moderati tarde conniuent? iam enim quod hoc sit verum patet, nunc propter quid hoc contingere possit speculemur.

Profecto tarde conniuere est raro palpebras oculorum mouere; abest igitur causa propter quam frequenter moueãtur, quare eius causæ oppositum, siue sit priuatio præsens erit, sæpè nictant, & palpebras mouent, qui enixè, & vt dicitur intensiuè sunt calidi; ergo qui raro conniuent non sunt calidi intensiue, hoc est non sunt ignei, & bilioſi, poterunt tamen extensiue multum caloris habere, & possunt diutius perdurare in operationibus, hoc ergo frequenter conniuere accidit respectu causæ mouentis, quæ robusta est, & valida, caloris scilicet ignei subtilis, & valde secundum sè motiui ceu flamma est, quæ stare nescit, & qui frequenter ita conniuet præceps est, & calidus, vt dicit Aristoteles, & sic enunciabimus cum à causa efficiente hanc passionem pendere cognoscemus.

At quoniam idem effectus etiam accidere potest ratione causæ materialis, & rei motæ, & sic timorem indicat, quomodo id fiat dicamus. Cum igitur quod mouetur graue fuerit, vt

rit,vt vix ipſum ſuperet virtus mouens ſit creber motus,quod docuit Galenus cauſam palpitationis,& tremoris membrorum aſſignans,cum enim mox virtus mouens ſuperet, mox ſuperetur,effectum eſt,vt membrum attolli,ac ſtatim deprimi,& deponi videatur,qui creber motus dicitur tremor, cum igitur in timido ſit parum caloris, & hic frequenter circa cor verſetur,& externa deſerat,quales ſunt palpebræ oculorum,effectum eſt,vt propter caloris inopiam eoſdem attolli, & ſubito deponi videantur; at caloris inopia non adeſt in viro moderato quoniam temperatus eſt, & ſecundum naturam diſpoſitus, non igitur, etiam propter hanc cauſam,moderatus frequenter conniuebit,ſi igitur neque ratione cauſæ efficientis,aut materialis illi adeſt frequens conniuentia,ergo tarda, quæ frequenti opponitur,illi inerit, quare moderatus tardè,& rarò conniuet, quoniam tantum habet caloris innati,& adeo valentis,& robuſti,vt omnino poſſit ſecundum naturam omnes exercere operationes vitæ, & omnia rectè, & prout ratio poſtulat exactè diſponere, quare ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis,& negatio negationis,ſita ſi negatio erit cauſa affirmationis, affirmatio etiam negationem cauſabit, quare ſi deffectus, ſiuè ex ceſſus multi caloris facit frequenter conniuere, ergo mediocritas non frequenter conninentiam cauſabit.

DE IVCVNDO, SIVE BENIGNO. Cap. XII.

Iucundi ſigna. Frons ingens, & carnoſa, & lenis: quæ ſunt circa oculos humiliora apparent, & facies ſomnolentior, neque intensè aſpiciens, neque remiſsè, & in motibus tardus erit, & remiſſus: figura, & more, qui eſt in facie, non præceps, ſed videtur bonus.

QVi vocem εὔθυμον, qua Ariſtoteles vſus eſt interpretati ſunt, varij,vario modo tranſtulerunt,quidã enim animoſum,alij iucundũ, nonnulli hilarem,& lætum,ſunt qui benignum,ſunt etiam, qui ſecurum, & tranquillum exponant, & certè Dictionario, quod Theſaurum vocant,vox, εὔθυμος tranquillum, & benignum ſignificat, hoc eſt qui bonum habet animum, & promptum ad benefaciendum alijs, Primùm autem animoſum non poſſum admittere, nam & ſignificatio obſtat, & quæ ab Ariſtotele ſigna afferuntur nullo modo ad animi motum poſſunt pertinere,eſt animoſus, qui in sè animi vehementiam habet, Cicero fortem,& animoſum ferè idem,& in tuſcul.& pro milone ſignificare autumat, quin etiam animoſum dicimus ſuperbum,& inflatum, & iracundum, ſic Ouidius.

Pyrrhus Achilleides animoſus imagine patris.

Hoc eſt ſuperbus,& iracundus ad ſimilitudinem Achillis patris, & animoſitatem latini vocant animi impetum, ac vehementiam in corde ſedem habẽtem, quam Speuſippus definiens,ait eſſe impetum violentum partis animæ irrationalis procedentis abſque ordine mentis ad actionem, & ſi animoſitas hæc eſt, quam diximus, quomodo animoſus poterit eſſe tardus in motibus? quomodo ſomnolentiorem habere faciem? cum ex oppoſito totus ferueat,totus in actione conſtitutus ſit?

Non ergo animoſi ſigna ab Ariſtotele, nunc tradi dicemus, nunquid iucundi, & læti? verum neque lætus ſomnolentus eſt,neque in motibus tardus,videmus enim lætos ſaltare, & tripudiari,& sè loco cõtinere nequire,quod eſt in Clinia Terentij, qui geſtiens præ lẽtitia, apud sè non eſſe, Syro teſtatur, neque sè cohibere poſſe, adde qui magna aliqua lætitia,aut

tia, aut voluptate affecti sunt, necesse est, vt illam ostendant, amicisque communicent, adaucto enim calore adaugeri virtutem motricem animalis oportet, qua adaucta promptius etiam ad motum fit animal, non igitur iucundum dicemus esse cuius signa prosequitur Aristoteles. Nisi per iucundum intelligamus benignum, & humanum, & paratum nulli dispendium, at omnibus cõpendium facere, tranquillumque, & securũ, qualis ille est, qui, cum nemini noceat nulliusque sibi sit sceleris conscius, tranquillo, & ocioso viuit animo.

Quare ego de tranquillo, & benigno homine sermonem habere opinor, hoc est de eo, qui propensionem habet à natura talem, vt tranquillus sit, benignus, & humanus, qui nemini noceat, non ira, non ambitione, non libidine agitetur; cur autem viri huiusmodi post moderatum facta sit mentiò, videtur esse harum duarum vocum affinitas, ferè enim, qui moderatus est, ille idem benignus, & tranquillus existit; nam si moderatus rectæ rationis metas non transit; facit igitur, quod decet, laudabiliſque est, neminem igitur offendit neminem etiam probabiliter timebit, securus igitur, ac tranquillus viuet, quin etiam, quoniam secundum naturam dispositus est, natura autem hominis est, vt sit humanus, & benignus, ergo moderatus benignus erit. Benignum igitur, & tranquillum, de quo nunc futurus est sermo, eum dicimus, qui bono animo præditus est erga omnes homines, talis autem placidus est, & qui amicam quandam propensionem in omnes habet, quare neque multa bile abundabit, (amara enim est hæc,) neque multa melancholia, siquidem hæc acerba, & austera est, ergo sanguine, & pituita, cui igitur circa cor, ac cordis vẽtriculos prædominabitur sanguis purus cum pituitæ naturalis subdominio illum benignum, & tranquillum dicemus; aerem enim, & aquam, quæ promptissimè alienas suscipiunt, ac deserũt qualitates, imitabitur.

Quis sit benignus.

,, *Frons ingens.*

Frons ingens.

Ingentem frontem dico, quæ in longitudine, & in latitudine multum protenditur, hanc frontis magnitudinem Gal. significare segnitiem, & tarditatẽ dicit. Porta ad boues refert ex Aristotele infra excerptum; at sanè sic persuaderi potest, si magna est frons, etiam magna sunt ossa sincipitis, quare, & magnum cerebrum, ergo principium frigoris, & humoris naturalis magnum est, ergo eorumdem multa copia; quare, & animal in actionibus tardum, pacatum, non feruens, ergo non iracundum, neque ferum, benignum igitur, & tranquillum, quapropter, cum benignus non sit iracundus, neque ferus, neque ad nocendum paratus, rationabiliter magnam frontem habebit, quoniam magnum sinciput, ergo magnum cerebrum, quare, & promptum instrumentum, quo bilis feruor, & melancholiæ temperetur durities, austeritas, & acerbitas, & spiritus vehemens, qui ex vtrisque, cum aduruntur, eleuari solet.

,, *Et carnosa.*

Carnosa.

Carnosa etiam frons est, quoniam totum corpus supponimus abundare sanguine puro, & pituita naturali, quibus vtrisque humoribus præcipuè constat, & paratur caro corporis.

,, *Lenis.*

Lenis.

Lenem appello cutem læuigatam, & quæ tactui non sit aspera, qualis est caro rusticorum senum, & eorum, qui laboribus multis, multisque vigilijs corpus exercent; dico igitur, quod frons benigni est lenis, quoniam benignus carnosus est, & multo sanguine puro, multaque pituita abundat, pituitæ autem proprium est, lentorem quendam

rebus

rebus inferre, etenim lene ad humidum refertur, ſicut aſperum ad ſiccum, quare quibus adeſt multa pituitæ naturalis copia cum puro ſanguine, illorum cutis eſt lenis, & tactu mollis, & æqualis, quod videre licet in delicioſarum puellarum tactu, quarum carnes ſunt leniſſimæ.

,, *Quæ circa oculos humiliora.* *Oculi humiliores.*

Sueſs. hoc explicat, quòd Ariſtoteles velit benignum gerere ſupercilia, & palpebras demiſſiores, credo ego ſanè ſicut ſuperbus erecta, & ſurſum eleuata gerit ſupercilia, ita benignum (qui manſuetus eſt) depreſſa naturaliter habere, non tamen contracta, ſicuti, qui admiratur, in arcũ ſupercilia, ſed demittere naturaliter ſupercilia, eo modo, quo cõſueuere demittere, qui in ſomnum labuntur, neque oculos continere poſſunt apertos, ſic ergo quæ circa oculos; hoc eſt palpebræ, & ſupercilia, & genæ, ſunt humiliores, hoc eſt ſunt paulo depreſſæ, ac demiſſæ magis, quam naturaliter, & communiter in hominibus ſecundum naturam diſpoſitis ſolent apparere. Cauſam eſſe puto, quoniam partes illæ carnoſæ ſunt, pituita abundantes, & valde laxæ mediocribus ſpiritibus, & illis remiſſioribus præditæ, collabuntur igitur, & deſcendunt, quare humiliores exiſtunt.

,, *Et facies ſomnolentior.* *Facies ſomnolentior.*

Si ergo ſupercilia demiſſa ſunt, ſi palpebræ conniuent, profecto facies ſomnolenta apparet, qui enim ſomnum appetunt, & ad ſomnum inclinant hac ratione afficiuntur, cauſa verò propter quam ſomno dediti, & ſomni ſint grauioris, & profundioris eſt, quoniam ſunt paulo pituitoſiores, & cerebrum habent humidius aliquanto, & frigidius, qua ratione ſomnus ſolet conciliari, quod in pueris, & in his patet, qui lethargo oppreſſi propterea male afficiuntur, quoniam pituita nimia cerebrum abundat, quæ iuſto frigidior eſt, & humidior.

,, *Neque intensè reſpiciens, neque remiſſe.* *Nõ intẽſe, nõ remiſſe intuẽs.*

Intento, qui reſpiciunt obtutu, hi vel impudentes ſunt, vel admirabundi, impudentes quidem quoniam contemnere sè profitentur, quos ſpectant, ideo intente, apertiſque oculis illos ſpectant, vt ſupra dictum eſt, qui vero admiratione tenentur contractis internè ſpiritibus, & circa obiectum admirabile occupatis, quaſi oculi, & palpebræ conuellantur, illorum nerui verſus ſuum principium retrahuntur ſequentes ſpiritus, qui circa medium cerebri, aut eo in loco, vbi contemplantur phantaſmata collecti ſunt, & ſic ipſi quoque intentos tenent oculos, ceu ſtupidi ſolent, at benignorum, & tranquillè viuentium oculi, non poſſunt eſſe hoc modo intenti, quoniam, neque impudentia, neque admiratione tenentur, neque remiſſi plus iuſto, & conniuentes aſpectant, nam, qui verecundia afficiuntur ſic tueri ſolent, ab vtroque igitur extremo benigni ſunt remoti, quoniam, neque impudentes ſunt, neque erubeſcunt.

Quod ſi ad materiale principium rem referemus, hunc eſſe effectum ſanguinis, & pituitæ, ac ſpirituum, qui ex tali maſſa oriuntur, reperiemus, & qui tranquilli ſunt, & nulla cura prẽmuntur hoc modo præcipuè diſpoſiti apparent, non enim circa cor feruor vllus, vt furibundi, neque nimium frigido ſanguine aggrauantur, vt inſenſati videantur, & ſtupidi.

,, *Et in motibus tardus erit, & remiſſus.* *Motus tardus, & remiſſus.*

Non ſolum de motu progreſſiuo putarem id intelligendum eſſe, ſed indiſtinctè de omni motu locali, ſiuè hic pedibus, ſiuè manibus fiat à benigno, & tranquillo homine.

est autem differentia inter tardum, & remissum motum, siuè gressum, nam tardus dicitur motus, qui multum temporis insumit in paruo spacio prætergrediendo, sicuti celer, qui paruo temporis spacio multam magnitudinem pertransit, & motus remissus intento opponitur, & cochlea, & testudo potest intentè, & remissè moueri, tardè tamen semper mouebitur, remissusque præsens motus, dè quo agitur, videtur dici in comparatione ad præcedentem, quare remissus est ille motus in quo peragendo minus spirituum, minusque diligentiæ ponit mouens, minorique studio affectat finem, ad quem dirigitur motus, quam prius faceret, cum autem maius adhibet studium, maioremque curam, ac sedulitatem ponit, ille motus dicitur intentus.

Quoniam autem factum est, vt qui maius adhibet studium in suo motu, ille videatur, & moueri celerius, ideo sæpè dicimus idem esse cursum intendere, & motum accelerare, & remissè procedere, & tarde præteruehi, propriè tamen duo hi termini, vt dictum est inter sè distinguuntur, quare sensus hic esse videtur; Benignus habet motum tardum, hoc est non mouetur celeriter, cum graditur, aut cum aliquid agit; at in suo motu est remissus, ideſt, non ponit multum studij multumque curæ, & intensionis in perficiendo eo, quem incepit motu, sed facit sedatè, & tranquillè, quæcunque facere instituit, in quo videtur bouis motum referre, qui sedatè, ac tardè mouetur, etiam si omni solutus sit labore, & pastum, aut potum eat; motus hic sanè à principijs proprijs benigni videtur pendere, namque si verum est, quod benignus sit sanguineæ temperaturæ, cum pituitæ subdominio, profecto, neque celer, neque intensus erit, celeritas enim, & motus contentio bilis flauæ, ac multi caloris intensi effectus est, qui non reperitur in benigno, amplius pituitosus frigidus est, frigidus non est celer, sed tardus, & animalia multa pituita cum terrestri qualitate abundantia, vt cochleæ, & hyemali tempore glires serpentesque tardo, & torpido quodam motu mouentur, nam frigidi proprium est sistere, & quietè inducere, sicuti calidi, est agitare, & motum facere; videmus etiam in vita communi, & humanis actionibus remissa esse, quod qui tranquillo, atque ocioso animo sunt, illi remisso, ac tardo gradu mouentur, si vero aliqua cura, aut negocio contingat premi, & agitari, eosdem videmus, intensius, & celerius moueri, quasi quærant onus deponere citius, quod apparet in baiulis, illorum enim plurimi, cum grauiori premuntur onere; tunc celerius, & contentiori gradu mouentur, & quasi præcipitanter pes pedem vrget, sic enim, & minus premi credunt, & minori tempore durare laborem, bene igitur dictum est, horum hominum gressus, ac motus esse tardos, & remissos, quod fuerat probandum.

,, *Figura, & more, qui est in facie non videtur præceps, sed probus.*

Secũdũ figurã, & faciei apparentiã probus.

Figuram philosophi esse genus vnum qualitatis ponunt, quam definiunt mathematici esse superficiem, quæ linea vna, vel pluribus continetur, quo modo dicimus circulum, triangulum, & huiusmodi rerum species esse figuras, sed figura etiam dicitur inanimatorum corporum externa circumscriptio, secundum quam illa terminantur; At Simplicio videtur, quod tam de animatis, quam de inanimatis dici possit figura, quæ propriè qualitas est, vt figura, & accidentalis forma sitidem, est autem forma hæc accidentalis qualitas quædam, quæ corpora naturalia, & artificialia certis extensionibus, & coloribus terminat, & circumscribit, vnde res naturales formosæ, aut deformes dici solent; ex quibus lineis partium, & coloribus resultat pulchritudo, aut turpitudo, secundum quod magis, vel minus seruatur naturalis mos, & proportio, proprium est formarum, quæ in corpore, & facie præsertim sè sè offerunt, vt quædam placeant, aliæ displiceant, quædam simpliciter, aliquibus tantum aliæ, & earum, quæ placent,

aliæ

aliæ honorē, & reuerentiam pariunt, vt de Priami forma legitur, aliæ amorem excitant, & libidinem, vt de Helena, & de Paride ſcribitur, quædam gaudium, & lætitiam quandam, ſiuè delectationem, vt de Alcibiade, quædam amorem cum quodam timore ingenuo, vt de Scipione Africano, & Ageſilao dicitur, & de Alexandro Magno, quorum aſpectus alacritatem, quandam, & lætitiam in militibus ſuis generabat.

Quædam aliæ ſpecies, & formæ odium, nonnullæ contemptum, & riſum mouent, ſicuti de Philopæmene notatur Achæorum duce, qui adeò turpis, & deformis erat, vt quædam matrona eum lixam, aut calonem, aut quendam ſeruum mediaſtimum crederet, quid ergo ſibi velit figura, quæ in facie apparet, & quomodo ſecundum ipſam pulchri, aut deformes dicamur, & quotuplex eſſe poſſit, ex his patet. In hac ſignificatione, ſunt verſus quidam antiqui de forma, & figura accidentali diuorum loquentes, illarumque diſcrimen inſinuantes.

Forma Mercurius poteſt placere,
Forma conſpiciendus eſt Apollo,
Formoſus quoque pingitur Lyæus,
Formoſiſſimus omnium eſt Cupido.

Huius formæ proprium eſt, vt in facie, oculis, genis, & fronte precipuè apppareat, & conſpiciatur. Cæterum mos, de quo loquitur Ariſtoteles, inueteratus habitus ſecundum quem aliquid promptè agimus, vel patimur, à quibuſdam ſolet definiri. Varro morem vocat animi inſtitutum, quod ſequi debeat conſuetudo, at Feſtus morem dicit inſtitutum ad religionem, & diuorum cultum pertinens, videtur igitur præcedere morem, deinde conſuetudinem ſequi, & dicitur mos quaſi modus per ſyncopen. At quoniam cum aliquis ſecundum aliquem morem, & habitum operatur, vt cum iraſcitur, aut miſeretur, aut amat, aut cupit, quodam certo modo afficit os vultumque ſuum, illumque ipſum variat, & diuerſificat, efficitur, vt hanc diſpoſitionem vocemus morem in facie apparentem, hoc eſt moris ſignum, eadem voce ſignum, & rem ſignatam denotantes, vt quoniam, dum iraſcitur homo, contorquentur oculi, frons criſpatur, genæ fiunt rubræ, tumeſcunt labia, ſi talem in facie apparentiam, ſiuè diſpoſitionem conſpiciamus, illum in morem irati diſpoſitam habere faciem dicemus; quam uis nulla correptus ſit ira; ſimili modo, ſi aliquem demittentem viſum, & ſuſpirantem leuiter, atque oculos, ſub claudentem, & auerſantem sè sè, eum in morem miſericordis diſponi aſſeremus.

Huiuſmodi igitur figuram, & morem, & in hac ſignificatione captum reperiri in facie benigni dicit Ariſtoteles, eſt igitur ſenſus; Qui benignus, & placidus eſt, habet faciem certo modo compoſitam, ac delineatam, vt in ipſa appareat, & eluceſcat bonitas quædam, & conſideratio in ſuis actionibus, vt neque præceps ſit, neque agat celeriter, & confeſtim, quod mox laboret mutare, huius ratio hinc peti poteſt, quoniam ſi anima cauſa eſt in triplici genere cauſæ, vt ſecundo de anima dictum eſt, atque potentiæ ſint eiuſdem accidentia, quoniam omne agens aſſimilat ſibi paſſum in quod agit, ſecundum quod pati poteſt, & volens finem, facit etiam ea, quæ ad finem requiruntur, probabile eſt miſericordem, aut iracundam, aut benignam animam, hoc eſt ad has qualitates propenſam, ſecundum naturales illas potentias, quas dicimus eſſe de ſecundo genere qualitatis, etiam corpus, corporiſque organa, & partes ad miſericorditer, aut iracundè agendum diſpoſitas eſſe, & ſi natura vult finem iræ, aut miſericordiæ, & niſi per inſtrumenta corporea operetur, nullaque alia ſuppetant, neceſſe eſt etiam ad miſerandum, & ad iraſcendum diſpoſita eſſe corporis membra, quare & in corpore veſtigia harum paſſionum, ſiuè potentiarum apparere, & conſpici rationabile eſt, quæ magis

quam aliæ ad actum ſecundum accedunt; ſic ſi quis vult ſecare neceſſe eſt ſerram ſibi paret, & quæ parata eſt, neceſſe eſt finem quodāmodo referat, cui dirigitur, & in quem vſum eſt comparata.

Dub. Sed dubitabit aliquis qualis naturā debeat eſſe facies in morem boni viri, & non præcipitis compoſita? non pulchram dices, nam multi pulchri peſſimi, vt de Commodo, & de Macrini filio, de Abſalone lēgimus, non turpem, nam turpis odioſa eſt, odioſum bonum, non vocabis, ſiquidem bonum eſt amabile, odioſum verò nullum amatur, non medio modo diſpoſitum, nam quamplurimi horum, & mali, & boni, & neutri reperti ſunt.

Reſp. Ego boni viri ætate florentis talē eſſe putarē faciē in noſtris regionibus, vt frōs ſit alba, æqualis, quadrata, non depreſſa, non tumida, non globoſa, tpa macriora, oculi mediocres, concaui, placidi, non toruè tuentes, non turbidi, non ſplendidi, ſed neque obſcuri, naſus rectus in fine rotundus, non ſimus, neque aduncus, albus mediocriter, genæ ſubroſeæ, facies ad longitudinem deflectens, labia ſubtilia, rubra, æqualiter ſibi cohærentia, dentes parui, candidi, mediocriter inter sè diſtantes, oris ſiſcura mediocris, magis tamen ad magnitudinem accedens, quam ad paruitatem, barba ſubænea, non rara, non criſpa, genas, & mētum veſtiens, mentumque ſit oblongum, bifidum, oſſa maxillarum mediocria, non magna, ſed neque iuſto minora; aſpectus deinde remiſſus, benignus, & facilis, ad quandam humilitatem accedens, vt in facie nulla ſuperbia, nulla iactantia, ſed ſola placiditas, & ad benedicendum, & benefaciendum alijs propenſio quædam ſpectetur; quam faciem in hunc morem, & figuram compoſitam dico fieri ab anima talem propēſionem habente, & iam perfectionem ſuſcipiente, quoniam reperit corporis temperiem, & humorum quattuor craſſim apriorem ad hanc, quam oppoſitam pariendum operationem, vt ſi quis quærat cur potius ſerra ego diuidam lignum, quam alcia, reſpondero, quoniam ſerram habeo in prōptu, aſciam non habeo, & ſic ſector vocabor, cur autem talem craſſim, & temperiem ſortitus fuero, id iam à Dei voluntate pendet, neque eſt, quod humana vis eò peruenire poſſit, qui vero id cœlo, cœlorumque diſpoſitionibus, aut patris, matriſque affectionibus tribuunt, ſimiles ſunt illis, qui interrogati quiſnam fecerit ſtatuam, reſpondent malleum, & ſcalpellum cauſas fuiſſe.

Bonum itaque virum dicimus maxime ſecundum naturam humanam diſpoſitum, temperamentumq. habere aò extremis æque remotū, moderatum igitur, quare, & benignum; at bonus, in facie morem, & figuram boni prę sè fert, quare, & benignus morem boni oſtentat, quod fuit probandum.

Dub. Sed quærendum videtur, nunquid omnes boni figuram, moremque boni in facie gerant, an nulli, aut tantum quidam, & quidam non; primum enim, quod omnes boni morem, & figuram in vultu habere debeant ſuæ diſpoſitionis, ſuperiori ratione poteſt confirmari, nam ſi bonus ſecundum naturam eſt diſpoſitus, ergo, & ſibi omnino ſimilis, facies igitur etiam diſpoſita erit ſecundum naturam, in facie igitur bonitatis figura apparebit, omnes igitur boni ſpecimen bonitatis in facie habebunt, & quaſi monetæ characterem, quo cognoſcuntur quid valeant, & poſſint, rarò enim fit, vt pulchri non ſint boni, & vt ait Plutarchus, qui formam culpat, in animam quoque, vt humanæ pulchritudinis cauſam cōtumelioſus eſt, & ſanè, vt dicebat Plato, pulchritudo, res eſt iucunda viſu, delectabilis auditu, & ſenſus omnes iuuat, captat, ligat, & quidam antiquus pythagoricus formoſos, vel deos, vel deorum vocabat ſtatuas, quoniam illos cæteri homines colebāt, quibus hoc vno, quod pulchri ſunt, ſi quando benefecerint, gratiam non repoſcunt, ſed ſibi ſatis gratiæ relatum putant, quod illi paſſi fuerint ſibi gratificari; quare ſi formoſus talis eſt, operæ prætiū igitur eſt, vt omnis formoſus ſit bonus, & omnis bonus ſit formoſus, quod enim omnia appetunt, id bonum eſt, quod ſi omnes pulchram formam appetunt, & pulchritudine lætantur, & gaudent, formoſoque gratificari cupiunt, omnes igitur pulchri ſunt boni, nec bonus eſſe potetit

An viri probi facies probitatem quæ in anima eſt demōſtret

terit,qui non ſit pulcher,nam ſi amantur amabiles, amabileſque ſunt, qui placent,placent, autem pulchri,amantur,igitur pulchri. Quod ſi quidam optimi non ſunt pulchri,quidam igitur optimi non amantur,quod non amatur,nec amabile eſt, neque bonum, igitur optimi, niſi ſimul & pulchri erunt,non amabuntur, ſi non amabuntur, neque amabiles, neque boni iudicabuntur, iure igitur pulchri ſunt boni, & boni pulchri, & qui ſecus ſunt, neque boni, neque pulchri dicentur.

Ex altera parte, qui mentem ad Helenæ, ad Paridis eximiam conuerterit pulchritudinem, qua vna Europa, atque Aſia longo colliſa duello penè interiere, nihil boni cum pulchritudine iungi animaduertent. Pulcherrimus Maximini filius,pulcherrimus Diadumænus,nec ipſis pulchri minus fuere Adonis,Atys,& Ganymedes Endimion,Narciſſus,Hylas,& Phaon, quem Sappho poetria deperijt, at ſua purchritudine boni viri nomen nuſquam aſſecuti ſunt. Si enim boni viri eſt bene agere, hoc eſt cum recta ratione operari,& propter hoc laudari, nulli horum, quidquam boni egiſſe reperietur, niſi quod degerint more ferarum in ſummo ocio, ſummaque laſciuia, quod nunquam bene agere, beneque viuere dixerimus. Non igitur omnes boni ſunt pulchri, neque credendum,quod ſimul atque aliquis pulcher eſt, idem ſit bonus, neque ſi bonus eſt, ideo pulcher erit; quis enim Aeſopo turpior, quis Epitecto deformior, atque ſtrigoſior, quis Ariſtotele fœdior, quem recaluaſtrum fuiſſe ferunt,fronte magna,oculis perparuis, facie pallida, barba rara, ventre prominente, exilibus cruribus, vt præ pudore veſtem longã, talarem ſemper indueret,quod ſi tot ſapientiæ,ac bonitatis proceres fuere turpes, nihil cõmune videtur pulchritudinem cum bonitate habere,neque inferri poteſt, pulcher eſt, igitur bonus, neque ſi bonus eſt,ergo pulcher,nam,& reperiuntur pulchri mali, & mali, qui turpes ſunt, & quidam boni pulchri,quidam etiam turpes mali;ratio etiã,ni fallor, id perſuadere videtur,vt multo plures ſint turpes boni, quam mali, & quod plerunque pluchri ſint mali, non ſolum ſecundum naturam; ſed etiam ſecundum habitum, & conſuetudinem, iam ſuperius dictum fuit.

Cæterum itanatura rerum fert,vt quæ apud nos ſunt, non omnino, & ſimpliciter bona ſint,quoniam participant materia,quæ omnis imperfectionis radix eſt, & principium, ſed neque omnino mala, quoniam formam poſſident, quæ rationem habet boni ſecundum cuius cõmunicationem hæc,vel illa in ſuo genere, aut etiam ſimpliciter meliora,vel peiora dicentur,vt homo ſimpliciter melior eſt cæteris animantibus,quoniam magis forma,& ipſo eſſe participat, in genere autem ſuo Socrates videtur melior Callia, & vir fœmina, quoniam in eò rationis operationes, & virtutes magis eluceſcunt, certum eſt igitur, apud nos nihil eſſe poſſe ex omni parte beatum, in omni igitur ſubiecto naturali ſuſceptibili erit aliquid,quod rationem bonitatis habebit,& aliquid,quod malum poterit dici,non tamen in eadem parte ſubiecti, neque ſecundum eandem conſiderationem, erit Socrates bonus, & malus, quare ſi pulchritudo eſt bonitas quædam, & exterior illa ſit,non ob hoc eadem etiam interior,& ſi bene formata ſunt interiora,non neceſſario bene etiam erunt exteriora elaborata,cui autem non ſecundum rationem interna diſpoſita ſunt,ille bonus non eſt naturà,ſed neceſſe eſt,vt aſſuetudine,& diſciplina talis fiat,rarò igitur,vel vix pulchrum, qui bonus ſit,reperies,& bonum,qui ſit pulcher,non enim ſimpliciter perfectum poteſt facere natura,ſed cum vnam perficit partem in altera deficit, quare ſi pars, quæ magis formam recepit perfectior erit,quæ materiam refert è contrario,plerunque male affecta apparebit; ſiquidem minus elaborata erit, quod exemplo patet ab omni penè rerum genere deſumpto, omne enim genus habet duo extrema, quorum vnum perfectionis, & bonitatis, alterum priuationis,imperfectionis,& malitiæ rationem habet,vt in coloribus, ſaporibus, in odoribus,in omni demum natura conſpicere licet,quare,& quæ ex his conſtant, ſi ex vna parte perfecta ſunt,ex oppoſita talia eſſe non poſſe manifeſtum eſt.

Hoc

Hoc enim in fructibus certissimum est, melopepones si sapidissimam, & optimam carnem habuerint, vana plerunque, & irrita semina sortita sunt, si ex aduerso sint optimo pleni semine, ipsi insipidi, & inepti ad cibum existũt, similiter quæ poma, quæ pyra, quæ denique pruna sunt intus à vermibus exesa, & carie, ac situ affecta, & in externa parte pulchriora apparent, & maturitatem præcocem præ sè ferunt, odoratiora, & sapidiora gustui videntur, quare, neque bonum pulchrum est, neque pulchrum bonum, sed vnum ad apparentiam, & ad sensum, alterum vero ad essentiam, & ad intellectum pertinere videtur, vnum ad substantiam alterum ad accidens, vnum ad interna, alterum ad externa respicere, quæ singula inter sè distincta sunt, ac omnino diuersa, bonum propriè probatur ab intellectu, pulchrum iudicat sensus visus, & auditus, si de pulchro loquimur, quod in corporum naturalium superficiebus conspicitur, est enim pulchritudo dispositio partium externarum corporis secundum substantiam, quantitatem, & qualitatem, & situm, prout cuiusque natura maxime requirit, quare pulchrum hominem dicimus illum, cuius partes corporis secundum hæc prædicamenta, maximè dispositæ sunt, prout huius natura postulat. 10

Ad hanc igitur dubitationem dicendum est, quod duplex est animi bonitas, altera na-
Fol. turalis, & altera acquisita, pulchri secũdum corpus, hoc est, secundum naturam quo ad corporis requisita dispositi, plerunqne habent etiam bonitatem naturalem, ea autem est propensio, & habilitas quædam ad sequendum rationis imperium, cum enim natura sit internum agens, & quod à cẽtro incipit agere, ad circumferentiam mouens, probabile est, si exteriora perfecta sunt, etiam interna multo perfectiora esse, aliter enim ridiculum esset in necessarijs deficere, non necessaria autem diligenter procurare. Quæ vero vsu, & exercitatione, ac disciplina quęritur bonitas, ea nequaquam in pulchro, sed neq. in turpi adest, nisi illam, vtrique sibi labore, & studio parent. Plerunque autem accidit cum pulchri amentur, dum pueri sunt à parentibus, & ab ijs quibus eorum cura demandata est, leniter corripiantur, neque libenter ijs molestia ingeratur, quare quodammodo, vt de Alcibiade scribitur, cum ipsis liceat facere quodlibet, pulchri efficiuntur, & euadunt insolentes, superbi, petulantes, lasciui, contumelioſi, vt potè, qui præ pulchritudine sua omnia sibi conuenire putãt, neque vllius rei sè rationem reddere debere cogitant; sic igitur factum est, vt pulchri facie, plerunque sint ex habitu mali, qui verò sunt turpes, deformesque ex altera parte continuè, iurgijs, minis, reprehensionibus, verberib. dum pueri sunt, obtunduntur, & violenter quodammodo in viam virtutis detruduntur, neque à quoquam, nisi contigat eos esse bonos æstimantur, aut magni fiunt, hac de causa contingit turpes non secundum naturam, sed ex habitu, & educatione bonos esse, quod Socratis exemplo clarum est, sed de his alibi satis dictum est. 20 30

Naturaliter igitur homines, neque boni, neque mali sunt, vt pulchri, & deformes, sed bene verum est, aliquos magis ad bene agendum, aliquos minus esse dispositos, prout magis, aut minus impedita gerunt naturalia organa, sed tàm turpes, quàm pulchri sunt ipsi in manu arbitrij sui, & omnes habitus, secundum quos homo dicitur bonus, vel malus, vel medio modo dispositus ab humana pendẽt electione, & volũtate, vt tertio ethicorum dictum est, nosque nostrarum actionum principia sumus, vnde neque fortunam culpare debemus, si quid mali fecerimus, aut quid aduersi nobis contingerit, sed ignorantiam nostram, aut malitiam reprehendere oportet, tanquam malorum veram causam, quando nos nostris iniquis moribus, imprudentia, inuidia, ambitione, ira, & sexcentis alijs vitijs mala nobis asciſimus, & præ amore insano nostri, excusationes, & tegumenta semper nostris sceleribus obducimus, & iusti, boni, sanctique videri omninò volumus, Non enim Iuppiter, sed Epimetheus Pãdoræ vas aperuit, quod ergo pulchri non sint semper boni, & quomodo aliquando, ex his patet. 40

Ad benigni autem naturam iterum reuertentes, si ille sanè est, quem definiuimus supra;

nempè

nempè eum, qui bono animo eſt in omnes, & propenſionem quandam ad beneuolentiã erga omnes homines habet, & ſanguineum temperamentum cum pituita eſt ſortitus, iam ſanè certum eſt, quod placidus erit, manſuetus, non iracundus, non moroſus, ſed affabilis, & comis. Quoniam autem non multa bile abundat, neque exceſſum caloris habet, ideo non admodum erit audax, ſed timorem præ sè feret mediocrem temperatus, & continens in venereis erit, non eſt enim audax, neque immodeſtus, quoniam autem frigidioris, vt aiunt, ventriculi eſt, appetere cibum potumque, quandoque magis, quam poſſit cõcoquere, hac de cauſa, & ſomniculoſior fiet, & grauabitur caput, & minus vegeto, ac ſubtili præditus ingenio iudicabitur, & quando pituitoſus eſt, neque audax, neque magnanimus, neque magnificus, ſed mediocritate contentus, & modeſtus, & blandus item, potius, quam officioſus erit, nam laborem ſubterfugit libenter, quoniam pituitoſus, ac ſubfrigidus eſt, blandus autem quoniam placidus, & nullis diſplicere cogitat, & quoniam blandus, ideo non ſemper verax, ſed multo plura pollicebitur, quam re vera præſtet, uel etiam præſtare poſſit, quare apud multos male audiet, tanquam homo verſutus, & callidus, cum tamen ex oppoſito ſit imprudens, cuius indicium eſt, quod neque de paupere diues vnquam fiet, & ſi fuerit non augebit rem familiarem.

Vanus etiam erit, & multa cogitans, quæ non exequetur, obliuioſus etiam, etenim frigidus, & ad laborem ineptus, & quia vanus multa etiam promittet, multaque dicet, & ſuorum ſecretorum futilis auctor, nam pituita, & ſanguine abundans, quod ſcit, retinere nequibit, & quoniam garrulus eſt, etiam alienorum erit percontator, non vt alijs noceat, ſed tantum vt loqui poſſit, garrulitatis enim materiam quærit, & cum garrulus percontator ſit, idem etiam erit fatuus, ſiquidem pituitoſus eſt, & ſanguineus, pituita enim aqua eſt, aqua quas recipit non retinet formas, ſanguis refert aerem maximè omnium mobilẽ, & in omnem partem uerſatilem, & quoniam talem habet temperiem, ideo etiam erit in rebus agendis ſecundum sè inefficax, quoniam efficaciam producit multus calor, & ſanguis bilioſus, & melancholicus, quare neque beneficium rogare ſciet, neque neganti replicare, neque ſi ipſe rogabitur, quod facere non vult, inficiari valebit, audacia enim, & calore carere diximus, cuius hæc ſunt opera, tardus erit ingenio, ſiquidem pituitoſus, & ſubfrigidus, & tardus etiam in loquendo, quamuis loquax ſit, deficit enim calor, quare neque clamoſus, neque iurgioſus, quoniam benignus, & mitis, ſubfrigidusque, & tardus, ludorum amator, ocio enim delectatur, ſi quidem laborem refugit, neque mentem exercere affectat, mediocriter tamen victoria lætabitur, quoniam ſanguineus, attamen non eſt ambitioſus, & quoniam mitis eſt, ideo etiam miſericors, & pius, non inuidus, non maledicus, benignus enim eſt, credulus tamen plus iuſto, proprium autem hoc eſt temperaturæ ſanguineæ, & pituitoſæ referentis aquam, & aerem, & cum ſit credulus, etiam obſequioſus eſt, perſuadeturque nullo negocio, neque enim callidus eſt, & aſtutus, & quoniam eſt talis, ideo plerunq; ſuſpicioſus, qñ pituitoſus ideo ſegnis, & ſomnolentus, non il liberalis eſt, neque lucri cupidus, ſed officioſus, quare neq. inflatus, aut ſuperbus; & obliuioſus, quare ſtudijs ſcientiarum non aptus, non enim ſpiritus ſubtiles, & vniformes, & multos, & calidos, & ſtabiles habet, prout requiritur ijs, qui ſcientijs dant operam.

Hæc igitur, & huiuſmodi ſecundum rationem videntur eſſe accidentia eius uiri, quem benignum, & iucundum, ſiue bene moratum diximus, vel placidum, & de quo in præſentia loquitur Ariſtoteles; Mihi tamen uidetur, quod hic deſcriptus nuſquam uere iucũdus dici poſſit, iucunditas enim non eſt in vino eo, quod ſit tantum ſuaue, ac dulcedinem in sè habeat, ſic etiam aqua mulſa eſſet iucunda, & ſuauis, ſed ideo dicimus ſuaue vinum, quoniam cum dulcedine coniunctum habet nonnihil generoſitatis cum ſtipticitate quadam blanda, & nõ ini ucunda, ſic iucundus homo nõ eſt ſimpliciter blãdus, & obſequioſus, ſed qui cũ obſequio, & placiditate, atq; humanitate iunctã habet virilitatẽ, ac mẽtis acumẽ.

At bene cognoscit quid distent ara lupinis.

Et quibus benefaciendum, à quibus abstinendum, & quomodo vnumquodque pertractandum sit exactè nouit, & quod scit etiam exequitur, & in vsum reuocat, adhibita tamen quadam ratione, ac modo.

DE TRISTI.
Cap. XII.

„ *Tristis Signa: Rugosa facies: & macri oculi, confracti, simul autem & confractiones oculorum duo significant, hoc quidem mollem, & fœmininum, illud vero demissum, triste, & in figura humilis, & motibus remissus.*

TRristis, ac morosus benigno, & miti quodāmodo opponitur, quare cum de vno dictum sit, de altero etiam quædam dicere Aristoteles instituit, Triste dicitur, & quod tristitiā adfert, & quod tristitia præmitur. priori modo sic dixit ille, Triste lupus stabulis, & tristes iras Amarillidis, & triste sydus Mineruæ, at posteriori significatione vocat tristem Aristeum, & tristem Palinurum; quare tristitia videtur esse animi ægritudo ob mali præsentiam, ægritudo verò quandam contractionem dicit, quare qui dolent; ac tristes sunt illis calor, & spiritus contrahuntur circa cor quare palleſcunt; mihi autem videtur, quod duplex sit tristis, alter ex causa, & ex affectu, alter vero ex habitu, & qui ex habitu, vel naturali, vel acquisito, ille dicitur ex affectu tristis, & mœstus, qui præsens habet malum à quo premitur, & malè afficitur, ex habitu vero illi dicentur tristes, quorum pectora (vt ait Seneca) sunt longis hebetata malis, & qui iam dolentis consuetudinē contraxerunt, quo habitu designantur à Virgilio Aeneæ socij, quos eiectos in lybico littore ad bene sperandum ille hortatur, Talem etiam ex habitu figurat Achemenidem, erat enim, vt ait.

— Macie confecta suprema
Ignoti noua forma viri, miseranda que cultu. & paulò post.
Dira illuuies, immissaque barba.

Secundum naturam autem illi tristes sunt, qui contracto in seuerum morem vultu, nulla de causa externa, acerbi, morosi ab omni lætitia, & iucunditate sunt auersi, qualem dicunt fuisse Cassium, vnum ex Cæsaris percussoribus, & Catonem Vticensem.

De his igitur, qui à natura, siue naturali dispositione, tristes sunt loquitur Aristoteles; sic ergo tristitia est contractio quędam caloris, & spirituum ad interiora, & lætitiæ, lætoq; habitui opponetur, quæ est extensio quædam, vt autem in sanguine puro consistit lætitia, ita mœror humorem melancholicum sibi uendicat, qui cum à multo calore affectus accenditur sitim, suspiria, amaritiem in ore causat, & cum hinc fiat uapor salsus petens caput, & cerebrum, illudque uellicet, lachrymas educit; quid igitur sit tristitia, & quæ sit materia illius patet, causa vero primaria efficiens est præsens malum, uel præsentis mali opinio, qui uero naturaliter tristis est, interiorem habet causam melancholicum tetrum, & obscurum humorem, qui illi uapores continuè suggerit, naturalibus spiritibus aduersos, quibus cum præter naturam afficiatur, se quodammodo miserum putat, mœstusque permanens, quid uelit, & cur doleat, ipse nescit; Animi tristis in corpore certa signa apparent, quorū nonnulla hoc loco Aristoteles recensēt, primum est rugosa facies, quod, ni fallor, propriū est signum tristium; senectus enim tristis est, eademque rugosa, tristis igitur rugosus, sed etiam ratio id persuadet, nam tristitia contractio quædam est; ergo & tristis contractus

Rugosa facies.

est,

est, cui autem contrahitur cutis, illi adsunt rugæ, ac fit rugosus, ergo tristis est rugosus, recurrente enim circa cor sanguine, & spiritu partes externæ, & præsertim facies pallidæ, & vacuæ spiritu, sanguineque fiunt, quare, & rugosæ apparent, quod fuerat ostendendum.

,, *Et macri oculi.* *Oculi macri.*

Sicut, qui ex affectu tristes sunt, illi rugosam habent faciem, ita, qui secundum naturam ad hanc passionem propensi sunt, talem habitudinem possident, neque solum faciem rugosam habent, sed etiam oculos macros, quę eadem proprietas ab ijsdem causatur principijs, nam si rugosa est in tristibus facies, quoniam deficit omnis succus, deficit autem, quoniam ad partes internas calor, & sanguis contrahuntur, necessarium etiam est oculos carere succo, quare macros apparere; amplius, aut propter fletum macri sunt oculi, aut propterea quod tristes parum dormiunt, sicciores enim, aut quoniam vitiata concoctione non nutriuntur, vtcunque autem res sit, passionem imitantur, qui enim ex causa diù tristantur, & rugosam frontẽ, & concauos habent oculos; quare quib. hæc insunt, quamuis nõ mereant, eandem tamen ad mœrorem, & tristitiam propensionem habere est probabile, tales sunt, qui atra bile laborant, quare mœroris materiam atram bilem, & eam præcipuè, quæ non incalescit, vel quæ ex aliorũ humorũ, & præcipuè flauæ bilis assatione genita est, dicere merito possumus, quibus enim adest, ac prædominatur, illi sunt mæsti, quibus autem abest, atque prædominatur sanguis, & si quæ portio inest melancholiæ naturalis, illa tamen frequenter incalescit, sunt læti, hilares, optima spe præditi ridentes, & iucundi.

,, *Confracti.* *Confracti.*

Quidam legunt distorti, quæ passio in lugentibus, & graui mærore detentis plerunque contingit, huius passionis meminit Hipp. in libro de prędagijs primo, si enim peruertantur, aut caui nimis sint, exitiosum censet signum, id enim videtur accidere, quando musculi oculum mouentes conuelluntur, ac retrahuntur, quòd si fit propter siccitatem, id sanè pessimum est si verò accidat propter vaporem acrem, & salsum, qualem contingit eleuari ab atra bile circa cor exæstuante, & quæ calorem quendam præter naturalem conceperit, non sanè mortem in proximo esse ostendit, sed bene temperamentum denotat siccum, & hominem tristem, & vt ille ait, malè feriatum, Timonis æmulum, hominibus odiosum, & quem mori velint vxor, mater, pater, tales igitur oculi in mæsto naturaliter, ex hac causa proueniunt.

Qui verò legunt confractos, vel refractos, quasi demissos, & in sè ipsos recidentes interpretantur, quod etiam intelligi potest ex eadem passione prouenire, mæsti enim, atque ab atra bile circum præcordia obsessi lucem, & lætas res, & omnia vim habentia dilatandi, & calefaciendi moderatè quodammodo, tanquam rem interioribus suis spiritibus contrariam fugiunt, quare, & instrumẽta, quibus lucem hauriunt, oculos nimirum demittunt, & occludunt, ac noctu potius, quam inter diù incedũt, simile enim simili delectatur, eo enim conseruatur, vt contrario tollitur, hinc factum est, vt illos dicamus habere oculos confractos, & remissos, concluſos, & introcedentes, quo facilius oppositam fugiant lucem, internis tenebris spiritus vitales obsidentibus omnino aduersam.

,, *Et confractiones oculorum duo significant.*

Hoc est oculorum confractio, & demissio est passio, quæ homini accidit dupliciter, aut propterea quod mollis est, & effœminatus, aut propterea quod est demissus, & mitis.

Suess. documentum hoc esse per sè notum, & patens ait, mihi multam videtur habere difficultatem; primum enim, quid sit oculus confractus non docet, deinde qua ratione fieri possit, vt idem signum duo denotet, ac duas causas significet non explicat, tandem ratio

erat

erat afferenda, qua constaret confractionem oculorum, vtramque passionem designare, ac demum quomodo cognoscere possemus, nunc mollitiem, nunc tristitiam significari, quæ cum ille nequaquam fecerit, nobis, quibus hæc non sunt nota, omnino facere, tentandum erit.

Confractionem oculorum, demissionem, & constrictionem quandam, siuè conniuentiam significare diximus, in fœminis hoc apparet, quæ cum honestæ, & pudicæ sunt, aut esse simulant, illæ demittunt oculos, & ipsos cohibent, lumenque non emittunt, sed terram aspiciunt, & vix attollentes in angulis angustè pupillam trudunt, & ita subtuentur, qua ratione aliquando amantes tueri solent virgines, sic Dido cum honestissima esset, Ilioneo responsura.

Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.

Etiam hæc oculorum remissio, & confractio potest suspicari in Sinone, & in Achemenide, nec non, & in ipso Aenea, cum Didonem apud inferos alloqui tentaret, certe Sinon id insinuat,

Namque, vt conspectu in medio turbatus inermis
Constitit, atque oculis phrigia agmina circumspexit,
Heù quænam tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere. Aeneas verò
Demisit lacrimas, dulcique ita fatus amore est.

Vt præ sè quandam commiserationem, & tristitiam ferret; ex his igitur, quid oculorum confractio significat patet, est enim oculos ad sè retrahere obtutumq. cohibere, quod probabile est fecisse Sinonem, cum primum circumspexisset agmina Troiana.

Quod autem idem signum possit duo etiam opposita designare patet, quoniam oppositæ etiam causæ possunt eundem producere effectum, nam paupertas, & diuitiæ possunt causare lætitiam, paupertas nimirum absens, & præsentes diuitiæ, sed & vnus solis motus causat hyemem, & æstatem, diem, & noctem, & vnum, & idem signum, vt pallor timorem, & amorem indicat, non est ergo absurdum idem signum duo diuersa, & opposita designare, & eundem effectum à diuersis causis posse oriri, vt cum calore, & frigore arbores, & plantæ exarescunt, & eodem igne limus durescit, & cæra liquescit.

Oculorum igitur demissio, & vt ait Aristoteles, confractio mollem, & fœmineam significat propensionem, & animum pauidum, & humilem, ceù vt plurimum habent fœminæ, causa est, quoniam huiusmodi demissio est effectus, quem faciunt, qui timent dedecus, & facile erubescunt, recurrentibus quidem ad oculos sanguine, & humoribus, atque illos grauantibus, quare demittunt, vel quoniam fœminæ non sunt audaces, & molles, facile igitur patiuntur, & dolent, refugiunt igitur, ergo qui molles sunt, & misericordes, & fœminæ facile oculos demittunt, ergo hæc oculorum demissio molle, & fœmineum arguit ingenium, idem signum tristem etiam animum denotat, quoniam qui tristes sunt multa melancholia occupantur circa cor, quare vapores atri quamplures attolluntur, ac in caput feruntur, qui cum terrestres, & graues sint, & atri oculos inficiunt, aggrauãt, & lucem odisse cogunt, qua ratione demittuntur oculi, sic igitur signum hoc tristitiam denotat, & animi quandam desponsionem.

Qui enim tristes illi melancholici sunt, quare admodum sè infelices iudicant, atque auxilijs omnibus destituti, qui tales sunt illi abiecti, humiles, & demissi existunt, ergo oculorum cõfractio, vel fœmineum, & mollem animum, vel tristem, & pauidum, & abiectum significat, cognosces autem quando passio hæc fœmineum animum significabit, si caro fuerit mollis, si cutis alba cum rubore suffusa, si frons sinè rugis, si labia rubra, & aures subtiles, & subrubeæ; è contra dices animum humilem, tristem, & remissum ostendi, si frons fuerit rugosa,

rugoſa, ſi facies macra, ſi color pallidus, ſi oculi concaui, ſi vox balbutiens, & impedita, labia exilia, & ſubalbida, ſic igitur inter fœmineum, & abiectum animũ ponetur diſcrimen.

Species humilis, & remiſſa

„ *Et in figura humilis, & in motibus remiſſus.*

Hominis ad triſtitiam nati hic vltimus eſt character, quem nempè videbimus in figura, hoc eſt corporis ſpecie, poſitione, & habitudine eſſe humilem, demiſſumque, & in motibus, ideſt in operationibus remiſſum, tardum ſcilicet, non contumacem, non contradicentem alijs, non volentem tueri ſuam põſitionem, talis igitur erit triſtis, quoniam timidus eſt, omnis autem timidus ſibi metuit, neque alios contra ſe irritare vult; qui autem elatus eſt figuram gerit ſuperbi, ſuperbia odium prouocat hominum, & eos in ſe irritat, ergo triſtis non eſt elatus, & ſuperbus, ſed humilis, & demiſſus exiſtit, ergo figuram, & ſpeciem demiſſi, & humilis repræſentat vir triſtis; pauorem autem humiles facere homines, docet Poeta dum inquit.

— *Mortalia corda.*
Per gentes hnmilis ſtrauit pauor. Et alibi victus Turnus humilis, ſupplexque oculos, dextramque precantem protendit; triſtis igitur, eſt ſecuudum mores remiſſus, hoc eſt non habet mores, hoc eſt inceſſum, non habitum oris, & corporis, non voces elatas, & ſuperbas, non minitatur, non blaſphemat, non cõuiciatur, ſed dolet, aut tacens muſſitat, & tot de triſti dicta ſint.

Dub.

An triſtis ſit melancholicus.

Sed dubitabitur, an ſit verum, quod triſtis ſit melãcholicus, videtur enim quod nõ, nam pueri, & fœminæ facili negotio mærent, lugent, & dolent, neque tamen melancholici ſunt amplius, neque videtur verum, quod melancholico habitu præditi ſint triſtes, quamplures enim nouimus melancholichos, qui ijdem adeo læti, & iucundi erant, vt plerunque in ſcurras degenerarent; Franciſcum Bernam legimus fuiſſe habitu melancholico præditum, ille tamen multis ſalibus, iocis, luſibuſque abundabat, melancholicus Cicero, cuius tamen iucundiſſima quam plura leguntur apophtegmata, & quidam noſtris temporibus, qui comędias faciebat, facetiſſimus erat in ſcæna, dum perſonam gerebat, & in theatro recitabat, ille idem depoſita perſona, adeo triſtis erat, adeo demiſſus, vt lætitiæ mærorem incutere potuiſſet, ac neſcire ſe qua ratione id ſibi contingeret dicebat, vt nihil non perſonato læti, & iucundi ſuccurreret, cum autem perſonam ſuſciperet nunquam ceſſaret, rapidoque amni feruentior in iocos, & ſales ferretur, dicebat autem ſe, cum primum loqui inciperet in ſcæna, quandam horripilationem ſentire, aliquando maiorem, aliquando minorem.

Sol.

Cui dubitationi, quo ad primam partem reſpondentes dicamus Pueros, & fœminas facile dolere, non quoniam ſunt melancholici habitus, ſed quoniam ſunt molles, quare facile afficiuntur, & quãtumuis paruum dolorem ſuſtinere nequeant, & quoniam molles, ideo humidi, quare in lachrimas citò abeunt; qui verò melancholici ſunt non omnes lugent, neque enim molles ſunt, & melancholia terram refert, quæ primum eſt principium ſiccorum.

Notandum deinde, quod duplex eſt triſtitia, altera ex affectu, & propter cauſam externam, & ſic plerunque mulieres, & pueri facilè triſtantur, eodemque temporis momento rident, & plorant, vernæ ſimiles tempeſtati, quæ eadem die ſolem, & pluuiam æſtum, & frigus promit, altera vero eſt triſtitia naturalis ſine vlla cauſa, quæ dicitur potius propẽſio ad mærorem, & triſtitiam, quam vera triſtitia, & hæc neque in pueris, neq. in fœminis exiſtit, ea eſt, quæ naſcitur ex habitu melancholico, priorem triſtitiam, cum exceſſerit, excipit riſus, iocuſque, at hanc poſteriorem, neque riſus, neque iocus vllus ſecundum ſe delectat.

Quærebat ſecunda pars, cur multi melancholici ſint adeo feſtiui, & faceti, videtur

etenim debere esse oppositum, tristis enim, & iucundus habitus opponuntur, quare si iucundus festiuus est, talem non posse esse tristem, & melancholicum certum est, hoc sanè confirmauit experientia, quod multi melancholici sunt festiuissimi.

An dicendum melancholico habitu præditos posse capi dupliciter, aut cum aduritur, & incalescit humor, & cum eleuantur vapores, & spiritus subtiles, & clari, tuncque sunt festiui, dicaces, & ad lusus, iocosque paratissimi, eodem humore desinente, eoque refrigerato concidit omnis festiuitas, & lepor omnis abit, hoc idem alias vidimus in quodam, qui amore Heroico, (vt aiunt) detinebatur, & per vices, & typos quosdam insaniebat, & præcipuè circa vesperas; primum enim ille loquebatur serio, & cum foret catenis ligatus suam dolebat sortem, sequè infælicem vocabat, deinde anxiè, & cum quodam vehementi studio historiam suorum malorum semper eandem, atque eodem modo narratam audire astantes volebat, & siue illi aures præberent, siuè non, incipiebat maledicere amasiæ, deinde etiam vocabat, iactabat manus, pedesque, & caput quassabat, totusque flameus fiebat, oculi splendebant, intorquebatur vultus, & os, vt timorem spectantibus incuteret, deinde cum multum, diuque furijs agitatus fuisset, tandem deficiens sudore madebat, & in soporem resoluebatur, spumam ex ore emittebat, deinde submisse loqui incipiebat, dictorum, factorumque pudebat, quorum tamen sè non dicebat meminisse, nisi in confuso, sub nube; hac ratione etiam probabiliter afficiebatur Sybilla, cui non vultus non color vnus; Non compte manere come.

Inflammato igitur, & ardescente illo humore hæc fiunt, eodem deficiente, rabida ora quiescunt, & cædit furor, & remisse loquuntur, qui prius elati, ac furiosi videbantur, si igitur frigidus sit circum præcordia sanguis, melancholichus homo tristis, remissus, spe bona destitutus iacet, tacitus, difidens, timens. At cum ab externis obiectis, & sensibilium conceptis imaginibus calor reuocatus fuerit, qui operationem aggrediens, & suadens motum agitare incipiat atrabiliarium sanguinem, eo incalescente surgunt vapores tandem clari, lucidi, calidi, qui in cerebrum delati illud ipsum ad propria munia exactè perficienda excitant, inde homo spes iubet esse ratas, sollicitudines animi deponit, cantat, saltat totus lætus, ceu vino madeat, & ebrius sit exultat, & tunc disertus est, & facundus, iucundus, & festiuus.

At si adaucto calore amplior, & feruidior ascendat in caput spiritus, non solum confidens, & audax, sed furiosus efficitur, & manu promptus, neque sibi constat, neque sè agnoscit, deficiente demum calore, & remanente tantum cinere humoris iam combusti, ad sè redit homo, & frigefacto sanguine tristior efficitur, & iterum dolet, & factorum, ac dictorum per errorem, & insaniam piget, talis erat ille, qui amabat, nam frigescente, & immota materia cuius passio, & accidens erat amor, ille quiescebat, & sapiebat, verum cum primum agitari cæperat, tunc pro agitationis magnitudine eleuatis vaporibus in furias, & rabiem ruebat, quod idem de Horeste intelligendum est; Quodq. vera sint quæ dicuntur, indicio sit, quoniam euacuata bile atra, & humore peccante, aut pœnitus ad primam reuertuntur sanitatem, nisi impressio facta sit in cerebro, & per essentiam ibi iam adsit causa morbi, aut saltem affectus valde mitigatur; neque ab his multum puto distare comedi, siue histrionis supradicti historiam, ille enim, ceu Pythia sinè tripode, cortina, & sacrificio diuinare non poterat, similis, in hoc illis, qui ex tempore canere solent, hi namque sinè lyræ, vel testudinis sono nesciunt cantum exordiri, ita ille histrio, nisi personam susciperet, nisi ascenderet in scænam penitus, nihil salis, nihil facetiarum sua habebant dicta, imò neque loqui scire videbatur, enthusiasmo igitur quodam, tunc occupabatur, & huius rei signum est illa horripilatio, & frigus, quod per artus sibi permeare sentiebat; hic itaque cum naturaliter esset tristis, & ideo melancholichus stabat tacitus; cum

sumebat

ſumebat perſonam, & in theatrum deſcendebat, quaſi ſigno dato calor ad interiora recurrebat, quod notabat illa horripilatio, caloreque reuocato ſecundum habitum iam acquiſitum mouebatur maſſa illa, in qua bilis atra præualebat, & ſic ad caput vapores calidi, & lucidi aſcendebant, quibus ille agitatus facetias, & ſales effundebat, ſic etiam qui amabat, certis horis, in quibus ſolitus erat videre amaſiam, aduenientibus mente mouebatur, & ea furioſus dicebat, atque faciebat, quorum ſupra facta eſt mentio.

Nec minus cæteri amantes etiam, qui lapides nondum iactant, horas, & momenta ſentiunt, nam cum adeſt hora, in qua ſolent ire ſpectatum amaſias ſuas, illam probè recognoſcunt, neque excidere poteſt de memoria etiam ſi vellent, & vt lapides deorſum ferri ſemper nituntur, ita adueniente eo tempore omnia impedimenta, & omnia faſtidia ſuperant, vt illas conueniant, cauſam puto, quoniam habitus ſecundum quem agunt eſt forma quædam particularis in materia certa, & determinata exiſtens, ſecundum quam componitur quoddam particulare compoſitum, at omne compoſitum ſingulare agens ſuæ actionis habet determinatum tempus, & locum, quare certo tempore, & loco habitus agit eam actionem, & motum cuius eſt principium, amplius ſi habitus introductus eſt à reiteratis actionibus, quæ impreſſionem fecerunt in prædictam ſanguinis maſſam, cum illæ actiones tempus, & locum determinatum ſui eſſe habeant, neceſſe eſt etiam temporis, & loci impreſſionem, & ſignum in habitu introducto relinquant; nam quod dat formam, dat etiam conſequentia formam, quam introducit.

DE CYNAEDO. Cap. XIV.

Cynædi ſigna. Oculus confractus, genu flexibilis, inclinatio capitis ad dextram, motus manuum ſupini & diſſoluti, & ambulationes duplices, hæc quidem circunclinantis, alia vero tenentis lumbos, & oculorum circunſpectiones, qualis vtique fuit Dionyſius Sophiſta. *Impudici ſigna*

EGo cynædum hoc loco non puto intelligendum hominem, qui patiatur muliebria, ſed mollem, & diſſolutum, quales plerunque ſunt, qui hoc turpiſſimo vitio laborant, cur autem de his nunc loquatur Ariſtoteles videtur ex ſuperioribus cauſam afferri poſſe, quoniam cum ſupra dixiſſet confractionem, ſiue demiſſionem oculorum duo ſignificare, triſtitiam, ſcilicet, & mollitiem, quando, & qua ratione triſtitiam, & naturalem mærorem notet dictum fuerit, nunc quomodo eadem paſſio mollitiem indicet declarabitur.

Mollem autem hominem eum non voco, cuius caro ſit humidior, aut qui tactu polleat, aut qui aptior ſit ad ſentiendum, & patiendum, ſed mollem dico hominem voluptatibus deditum, quales erant corybantes, quales Sacerdotes cybeles, & qui glabelli ſunt, qui crines cincinnatos odoribus ſparſos ferunt, qui ſibi frontem, faciemque vellicant, & pingunt, qui comam molliter alunt, qui toti laſciuia diſſluentes, calorem, aut frigus, vel minimum pati nequeunt, qui pedibus ire per ſtadium non poſſunt, quibus & hæc, & illa faſtidium inducunt, & quales ſunt quædam noſtrates mulieres, quę incedere nequeunt, niſi duo, vtrinque famuli illas ſuſtineant, tales olim dicebantur eſſe Sybaritæ, tales etiam apud Virgilium Phryges vocat Numanus dicens,

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis
Deſidia cordi: iuuat indulgere choreis.

Homerus fuisse procos Penelopes recenset, quorum meminit etiam Horatius eos dicens fruges esse natos consumere, nebulones, & Alcinoos.

In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad sonitum cytharæ cessatum ducere curam:

Hos ad viuum pinxit Apuleius in suo de asino aureo libro, cum Sacerdotum deæ Isidis mentionem facit, qui nequissimè, ac turpissimè viuebant. Mollities igitur est naturalis quædam impotentia ad omnem laborem sustinendum, cum procliuitate, ac propensione maxima ad voluptates omnes corporeas, impatientia igitur quædam est laborum, & propensio tolerantiæ oppositа, sed tolerantes, & patientes sunt, vel quorum corporis habitudo est solida, & robusta, vel quorum temperies interna est melancholica cum bilis flauæ subdominio, quare ex opposito, qui molles sunt, pituitoso crederem præditos temperamento cum sanguinis, & paucæ bilis subdominio, vnde fit, vt colorem quendam roseum sortiti sint, & propter paucam bilem facile excandescant, facileque ira euanescat, naturalem hanc inclinationem secundum sè, non admodum malam puto, at si educatio, & institutio inclinationi consimilis accesserit, facile in maximum vitium crescere posse arbitror, ita enim homines à labore ad libidem sunt procliues, vt igitur stipula, vel pyrius puluis naturaliter, quidem ex sè non ardet, si tamen ignem exceperit, continuo flamma attollitur, & furit æstus ad auras, sic ille, qui promptus est naturaliter ad mollitiem, si semel ad has deflexerit voluptates, & eas gustauerit,

Vt canis à corio non abstinebitur vncto.

Dicit igitur Aristoteles, homo mollis habet oculos remissos, & confractos, hoc est compositos, & in semetipsos conuersos, non autem huc, & illuc peruagantes, sed cum quadam arte, & quasi ex insidijs circumspectantes, quales solent esse oculi meretricij, qui lenes, & subridentes compositi in morem amantium, modestè, & latenter subtueri simulant prætergradientes, & illarum formam spectantes, vel laudantes.

Quod ita affecti sint molles dictum est; propter quid autem, quamuis ex dictis colligi possit, addamus tamen iterum, molles pituita, & sanguine abundant, qui sunt huiusmodi existunt subfrigidi, & tolerantia omni priuati sunt, fugiunt igitur omnem laborandi occasionem, ocioſi libenter sedent, & somniculosi, oculi igitur eorum graues sunt, neque multis spiritibus pleni, cumque sic affecti sint, in sè ipsos concidunt, neque huc, atque illuc pererrant, quoniam hæc irati dispositio est, vt testatur Virgilius in Didone, quæ ira æstuans huc illuc voluebat oculos, totumque pererrabat luminibus tacitis. Molles igitur viri habent oculos in sè ipsos concidentes, & remissos, ergo confractos, quod erat probandum, remissos autem, & in sè ipsos concidentes oculos, supra dicebamus etiam confractos.

Genua flexibilia.

„ *Genu flexibilis.*

Modus loquendi græcus, vel poetica Synecdoche, genu dicitur pars, qua iungitur ossi femoris os tibiæ, cui super ponitur patella, nempè osſiculum illud rotundum, quod est in fine femoris, & in principio tibiæ, vel dicemus genu esse de articulationem, qua simul iunguntur ossa femorum, & tibiarum, quidam genua dicta volunt, quoniam in ventre matris existentè fætu genis applicantur, at hoc videtur omnino falsum, neque ad genas, & faciem vsque, aut perueniunt, aut peruenire possunt fætus genua, quidam à generando dicta volunt genua, quoniam ibi vis generatiua contineatur, quod puto ridendum, & si in timore, aut syncope, & animi deliquio, & in quibusdam venereis congressibus genua labant, non ideo dicemus vim vitalem, aut generatiuam

riuam ibi cõsistere, sed causa est, quoniam pars illa exanguis est, & totum corporis pondus sustinet; quæ si quando à copia spiritus destituantur, & calore, tunc necesse est eã labare, & tremere, at vnde dicatur, quamuis parum referat, si tamen ambitiosius id quærere vellem à voce græca putarem deductum, flexibile autem dicitur, quod facile flecti potest, sic digitos flexibiles dicimus, qui facile flectuntur, & homines flexibiles, qui nullo, aut saltem paruo negotio sibi persuaderi sinunt, flexibilitas igitur iuncturarum, laxitatem ligamentorum importat, laxitas ab humoris abundantia producitur, humor exuperans molle facit corpus, hac ergo ratione, qui corpus molle, & delicatũ habent, quoniam laxas sortiti sunt iuncturas, necessario etiam, & genua multum flexibilia possident, & non solum in anteriorem partem, sed etiam in latera; Quidam cynędos, proprieque pathicos credũt eos, quorum genua, cum incedunt crepitant, sed nulla est ratio, præter vnicam mollitiem, cum enim laxa admodum dearticulatio sit, efficitur, vt modo superius, modo inferius ossa aliquantisper de proprio loco decedant; & subluxari quodammodo videantur, cum autem ad locũ suum reuertuntur ossa, tunc sentitur ille strepitus, & ridiculi sunt, qui credũt, quod semen eorum, qui muliebria patiuntur eò traductum genua soluat, & talem crepitum faciat, neque enim vlla ratio est, quæ id vnquam possit persuadere.

,, *Inclinatio capitis ad dextram.*

Nullo modo adduci possum, vt credam huius affectus naturalem causam verè posse reddi, quod enim molles caput inclinent, id sanè probabile est, at quod magis ad dextram, quam ad sinistram partem incuruent, ego planè non video, & memini me duos medicos eximios cognouisse, qui vtrique caput, alter ad dextras, alter ad sinistras inclinabant, neuter tamen erat omnino mollis, sed alter ambitiosus, veterator, dissimulator, & nemini amicus, sibi ipsi tantum commodus; alter superbus, arrogans, neminem præter sè vnicum scire putans, iactator propriorum bonorum, & scientiæ suæ, alienæ autem obtrectator, at amicis maximè beneuolus, & officiosus, quamuis iracũdus, ac seuus esset valde, factũ autem est, vt posterior atrę bilis morbo periret, alter languescẽte calore ex aqua inter cutẽ decederet. *Inclinatio capitis ad dextrã.*

Vt igitur etiam Suess. ait, nulla videtur ratio, propter quam inclinatio capitis ad dextram dicat mollitiem; sed cum Adamantio legerem collum inclinatum, simpliciter hoc ipsum docere, nisi velimus magis ad partem dextram, quam ad sinistram inclinari caput, quoniam facilius est resolui musculos sinistros, quam dextros, siquidem pars sinistra debilior est, quam dextra, vt potè quæ minus nutritur, quoniam minus calida est, quod illi accidit, quoniã minus mouetur, & minus exercetur. Sed iterum propositũ examinantes theorema, videamus propter, quid molles collum inclinent ad dextram, aut ad sinistram; primum enim ad partem posteriorem non possunt, vetantibus id vertebris, ac fortissimis musculis anterioribus, qui in processibus ossium iugali, & pectoris sunt implantati, tristes autem, & cogitabundi ad partem anteriorem conuertuntur, & inclinant caput, quoniam, vel lucem fugiunt, vel timent, nè eorum cogitationes à visibilibus occurrẽtibus impediantur, reliquum igitur est, vt qui molles sunt, cum laxos habeant musculos, plus iustoque humore redundantes, vel ad dextram, vel ad sinistram, ceù dormitabundi caput inclinent, adde, quod horum capita multo plena humore excrementitio sustineri non possunt, quin sic inclinentur, & fortè magis ad dextram, quam ad sinistram, propter supra dictam causam.

,, *Motus manuum supini, & dissoluti.*

Adderem ego etiam lenti, & tardi, hoc enim experientia comprobat, molles enim, & quales hic delineantur, videre poteris, dum manus mouent, adeo lentè, adeo tardè mouere, vt mirum in modum offendere, & displicere videantur. Dicit igitur, quod molles habent motus manuum, supinos, & dissolutos; manuum motus eos intelligo, qui fiunt ab homini- *Manuum motus dissoluti.*

minibus, dum loquuntur, aut cum aliquid tractant, vulgo gestus dicũtur, & si excedant, gesticulatores deinde vocantur, supinos appellat Porta, languidos, & benè, vt arbitror, nam qui supinos vocarunt, per quandam similitudinem, siuè translationem, vsi sunt voce supini, quæ vox propriè significat eum, qui iacet ventre cœlum versus.

Vnde manus ad cœlum tendere supinas, quod dixit Virgilius, est ad cœlum tollere palmas, ponitur autem pro ocioso, inertè, & negligenti, quod Iuuenalis, & alij quidam fecere, quare motus manuum supinos intelligerem ocioſos, inertes, negligentes, & remissos, quæ cum à temperamento molli, subfrigidoque procedant, iure etiam hominem hunc, de quo sermo est, consequuntur, quod sic demonstrabitur; si homo est mollis, ergo pituitosus, quare subfrigidus, ergo lentus, ergo in motibus iners, & negligens, ergo nõ celer, & vehemens, sed supinus, & remissus, quod fuerat probandum.

,, *Et ambulationes duplices, hæc quidem circumclinantis, aliæ verò tenentis lumbos.*

Ambul. duplex.

Quid sibi velit hoc loco Aristoteles facilius est diuinare, quam ex his, quæ ab expositoribus dicuntur, aut interpretibus afferuntur, intelligere, id ego sic exponendum puto, quod in quibusdam mollibus animaduerti, vt illorum ambulationes videantur duplices. ex hoc quoniam, dum tu aspicis illos motum velle incipere, dubitas, nũquid magis ad dextras, an ad sinistras sint facturi principium, & cum iam incedunt, modo ad hanc partem, modo ad illam mouent humeros, & cõtorquent, vt in humerorum motu referant eam agitationem, quam faciunt ferrariæ terebræ, cum perterebrant vrceos, & vasa scissa, quæ filo ferreo iungi tentantur, talem motum, & incessum memini habuisse virum quendam, molliſſimum, qui deinde ex vrbe pulsus perijt, hanc ergo puto esse duplicem ambulationem, hoc est compositam, & referentem lineam curuam, qualem faciunt angues, dum mouẽtur per puluerem, aut qualis est litera græca ξ, aut etiam S. & declarans Aristoteles, quomodo fiant dictæ ambulationes duplices, ait quod vna ambulatio, quæ incipit ab vna parte Ver. Gr. dextra videtur esse motus hominis circum inclinare, & circumducere volẽtis corpus ad sinistram, & cum iam corpus incipit inclinari ad sinistram, tunc videtur oriri alter motus à musculis lumborum dextræ partis ad sè trahẽtibus, & quasi retinentibus dorsum, & os fęmoris dextri ad læuã inclinãtis, qui motus, ni fallor, totus tribuendus est musculis sexti, & septimi paris mouentibus inæqualiter dorsum, & collum, motus autem hic non debet esse celer, neque præceps, sic enim mollitiem eam non ostenderet, quam nunc intendimus, sed est tardus, & in sè ipso inæqualis; causa huius motus est musculorum mollities, & ferè quædam resolutio, cum enim hi molles admodum sint, & tendones, ac fibras debiles habeant, rectà, & secundum naturam non possunt mouere, quare similes his, qui iam ætate, aut morbo, sunt confecti, mouentur, qui potius trahunt corpus, quam verè ferant, & moueant; sic ergo puto intelligendum Aristotelem, dum hos molles, & remissos, ait, duplices facere ambulationes, noto tamen hoc loco quosdam legere

,, *Aliæ verò tinentis lumbos.*

Sed vox græca videtur significare potius, imperantis, & superantis, vt sit sensus talem esse ambulationem, vt cum ad læuam incipiat contorqueri fęmur dextrum, & ad eam partem inclinari corpus, tunc dextri musculi lumborum vincant illum motum, & retineant fęmur, & corpus, ne eò vertatur, ad læuam scilicet, quo vergere videbatur.

Oculi circumspicientes.

,, *Et oculorum circumspectiones.*

Vltimum signum est delicatorum, qui qua ratione incedentes contorquent corpus, ita etiam

etiam mouent oculos, & hoc eſt, quod ait, circumſpectiones oculorum in delicatis, & mollibus eſſe duplices, hoc eſt, modo ad hanc, modo ad aliam partem, quæ circumſpectio ſic ſolet fieri, prout animaduertenti delicatorum, & mollium obtutum fiet clarum; hi caput tenent inclinatum ad alteram partem, illudque ipſum ſatis ſtabile, non enim collum frequenter mouent, aut torquent, laborem enim fugiunt, deinde collo, & capite immoto tenent oculos ſemiapertos, & ferè terram ſpectantes, deinde pupillam, & oculum, modo huc, modo illuc tenerè, & delicatè conuertunt, vt neſcio quandam laſſitudinem doceant.

Taſſus poeta Italus quandã mulierem deſcripſit totam laſciuia, & delitijs fluentẽ, quam ſic oculos mouere dixit; huius etiam motus cauſa eſt mollities, & ſuperflua humiditas excrementitia, quę aggrauans muſculos efficit nè poſſint grauia membra leuare, & cotinẽter, ac robuſtè mouere, quoniam autem, qui molles, ac delicati ſunt vndique voluptates perquirunt, & oculus aptum eſt inſtrumentum, neque in eò mouendo multus ſit labor, factum eſt, vt perquirentes, quod placeat, huc, atque illuc oculos cõtorqueant, neque tamen caput moueant. Talem autem fuiſſe, ait Ariſtoteles quendam Dyoniſium Sophiſtam, nimirum homo illis temporibus notus, in quo licebat intueri ſigna, quæ hic Ariſtoteles expreſſit, huius notitiam nullam reperi, plures enim Dyoniſij, quorum meminit Suidas poſt Ariſtotelem, fuere, & nullus, præter tyrannum delicatè vixit, de quo probabile eſt Ariſtotelem, nunc non loqui, nam tyrannum non Sophiſtam dixiſſet.

Cæterum præter has notas multæ aliæ etiam corporeæ ſunt, quibus molles, ac delicatos cognoſcere licet; vna eſt delicatorum, ſi ſæpè frontem, & genas contrahant immotis ſupercilijs, quem motum in quibuſdam mulieribus, quæ sè pulchras, & delicatas credunt facile eſt inuenire, eſt autem, adeo paruus motus hic, vt niſi animum adhibeas, non agnoſcas; cauſa eſt, quoniam omnia illis præ mollitiæ putere, ac diſplicere videntur, quare ſic contrahũt frontem, & genas, vt aliquid, quod diſpliceat, & à quo offendantur, ſibi occurriſſe præ sè ferant; amplius abominantur, & dicta, & facta aliorum, & ſi quid turpe, putre, aut aliqua ratione iniucundũ, viderint, audierint, tetigerint, illud ipſum execrantur, & ſubitò sè aqua fluuiali luſtrant, purgant, abſtergunt, excreant, vt vix pati poſſint, ideò riſum, & ſtomachũ ſpectantibus mouent.

Habẽt inſuper vocem exilem, infractam, acutam, inæqualem, tremulam, canoram qualem habent luſciniæ, vel cardueles, molles enim, & delicati cum ſint, parum aperiunt laringem parum caloris habent, quare paucum mouent aerem, eumque imperfectè, vnde vox exilis, & tremula exit, ferunt, item pedes extra conuerſos, & crura etiam ad exteriora vergentia, ſuras ad interiora, & quem Itali vident, ità ambulantem, vt pollices pedum ad exteriora conuerſi ſint, & exteriora reſpectent, illum tanquam mollem hominem, & nimis delicatum rident, cauſa huius affectus eſt quędam reſolutio muſculorum, qui pedem mouẽt, & ad interiora trahunt, facilius autem hi, quam cæteri videntur poſſe reſolui, quoniam minus caloris innati poſſident, ſiquidem ſupra omnes ſiti ſunt, & ſolam cutim ſuperpoſitam habent, quare etiam ab externo frigore facilius affici poſſunt, neque collum firmum habent, ſed quaſi, cum tarditate tremula, modo ad vnã partem, modo ad alteram leuiter conuertunt, eundemque referunt motum, quem videmus aliquando fieri à quibuſdam cantoribus, ac ſonatoribus plebeis, qui mirificè ſuo cantu, ac ſono delectantur, & præ voluptate molleſcentes, ac diſſluentes, modo ad vnam, modo ad alteram partem caput, & oculos torquent, iactant, & vertunt, eadem cauſa eſt defectus ſpirituum æqualium, & ſiccorum, quales ſunt, qui ab atra bile naturali eleuantur, hi autem abſunt, quoniam temperamentum mollium, & delicatorum nullo modo eſt melancholicum.

Labiorum contractionem addit Porta, dicerem ego labiorum morſum quendam, videntur enim molles meretriculæ perpetuò cum labijs ludere, & illa ſuauiter mordere, id fortè à conſuetudine traductum eſt, quam laſciuientes induxere ſibi ipſis, dum enim, cum

amaſijs

amasijs ludunt, sic labra labris mordere, sibi inuicem, & fugere solent; at vocis clangorem simpliciter non agnosco, id enim vocis genus ad aquilam, ac fortes videtur referendum, sed benè verum est, quod dum huiusmodi homines irascuntur, aut irasci simulant, nescio quendam sonitum faciunt, qui similis est sturnorum stridori, aut illi sono, quem facit serra, cum acuitur, & cum lima ad extremum tractus motum peruenit, quod fit spiritu violenter per loca stricta educto, violentia vero fit ab ira; si illos irasci aliquando contingat.

Cur autem mentum habere debeant longum molles non video, nam hi referuntur ad fœminas, at fœminarū propriū est habere rotundam faciem, qui verò rotūdam habent, non habent longum mentum, cum, & hoc membrum sit pars vna faciem constituens, quod autem cómati sint, quod cincinnis ornentur, hoc profectò verum est animi mollis signum; quare non potui, nō valdè mirari, quosdam nostrates, qui cum martiales, ac bellicosi videri velint, & ensem diù, noctuque appensum ferant, omnibusque timorē incutere profiteantur, tamen alunt comam, cincinulos ferunt, crispantque extrema crinium, quasi meretriculæ, quapropter probabile est vt quam contradictionē hæc signa ferunt in corpore, eandem in animo habeant; at sanè nullam habent, sed Martem simulant, Bacchum, ac Venerem viuunt; Horum hominum ignauissimorum exemplar expressit Apuleius in eò milite armato, quem quidam olitor adeo pugnis, & calcibus malè accepit, maleque mulctauit, vt nisi mortuum simulasset, mortuus verè fuisset.

Suspirant etiam plerunque, suspiria tamen non magna, non densa sunt, hos græcari dicebant antiqui, quod lasciuire possumus appellare, quam passionem in libro magnorum moralium delineauit Aristoteles, hos dicens trahere potius pallium, quam de terra velle tollere, quoniam nimis laborem fugitant, ægrotantesque imitantur, & sè miseros non esse quidem credunt, sunt tamen, & sè esse dicunt, atque apparere quandoque volunt, sic enim hominum amorem per speciem quandam misericordiæ sè captare posse autumāt; tandem his oculi tremunt, sæpeque alterum occludunt, molliter tuentur, palpebras continuè motant, pupillas ad angulos reducunt, & venereum nescio quid, aut magis meretricium spirant, quæ omnia ferè signa in his, qui sè muliebria pati non inficiantur videre licet, natura nè, aut electione id suadente obscurum est.

Dub. An sint q à natura ad muliebria patienda inclinē tur.

Vtrum igitur aliqui ad præposteram venerem patiendam à natura fuere instituti? Sicut ad iram, ad misericordiam, ad seruitutem, ad dominium? at sanè si audiamus Aristotelem in prob. sectione 4. prob. 27. reperiri quidam videbuntur nati ad patiendum, quales sunt, qui cum occlusos habeant meatus, qui in penem feruntur, ijs circa sedem in glandoso parastate, & circa locum, qui peni, atque intestino recto cōmunis est, remanet, ac colligitur materia seminalis, quæ ibi collecta, dum excretionem excitat sui, pruritū quendam ciet, vnde tenentur huius turpis concubitus desiderio, existunt tales, qui spadonum, & exectorum statum referunt; Verum parte altera, absit, quod dicamus vllo homini à natura datū esse pati muliebria, hoc enim est virili naturæ nimis magnam facere iniuriam, illam culpando turpissimi sceleris, quod à nequissima, & iniuriosissima exoritur consuetudine. Nemo enim est adeo improbus, atque adeo male feriatus, qui pati hęc turpia velit, nisi aut mente, aut corpore toto sit penitus æger, neminemque puto nisi turpi, & infami lucro delinitum, ad hæc infanda sustinenda persuaderi, idque adeo dirum, & execrabile facinus apud viros probos habetur, vt quidam Sanctissimus Sacerdos maluerit Idolis sacrificare, quam muliebria pati, neque id ab Aristotelis sententia remotum est, quos enim ait naturà esse tales non vocat eos secundum naturam dispositos, sed monstra, nam verè monstra hæc sunt, & præter naturam facta vocari debent, & sicuti in ignē, aut pelagus antiqui proijciebant Androginos istos etiam multo magis proijcere oporteret; hi enim primum (quantum in sè est) humanum genus perdunt, aut perdendi præstant occasionem, deinde naturę imponunt, quæ cum illos masculos fecerit, sè ipsos fœminas esse mentiuntur, sed quamuis

turpes,

turpes, & deteſtabiles ſint, qui deprauatum huiuſmodi ſortiti ſunt morem, at multo tamen magis deteſtandi ſunt, omnique pœna, & ignominia digni, qui electione, & habitu tales ſunt effecti, quorum ſi mores ſpectemus omnino communione, & comercio bonorum, quin & hominum ſimpliciter indignos iudicabimus, Hos enim æque male audire, ac dicere paratos reperies, conuicijs alios laceſſere, turpia ſemper dicere, intemperantiam non ſolum veneris, ſed cibi, potuſque profiteri, petulanter, ac procaciter ſtipem dono petere, ſi donantur irridere donatorem, ſi non acceperint conuintijs proſcindere, lenocinium promptè offerre, ſecreto quid ille, vel ille dixerit deferre, furari cum licet, aleis libentiſſime ludere, ſi decipere poſſint non erubeſcere, inſolentes, temerarij, arrogantes, cum enim aliquando sè quibuſdam nominibus amatorijs vocari ſentiant, verè sè amari credunt, & sè magnos, ac honorabiles putant, talibus igitur, & ſexcentis alijs turpibus vitijs, huiuſmodi genus cynedorum inſignitum eſt, neque à natura vllum ad hoc turpiſſimum vitij genus factum eſſe putandum eſt, ſed vt dictũ eſt, vt quamplura alia monſtra, ſic contingere aliquando quoſdam naſci ita male diſpoſitos, quos tamen non agnoſces, niſi iam ex habitu tales facti fuerint, iterata enim turpi operatione actu mollitiem præter naturalẽ acquirentes, actu etiam mores, qui talem ſequuntur turpitudinem aſſumunt, ſed de his fortè pluſquam deceat dictum eſt, & tum ſecundum animam, tum ſecundum corpus horum ſigna, & characteres expoſiti fuere, nunc ad amarum ſiuè acerbum, & acerbitatis indicia exponenda veniamus.

DE ACERBO.

Cap. XV.

Acerbi ſigna: Faciæ remiſſus, nigri coloris, macer, quæ ſunt circa faciem quaſi abraſa: facies rugoſa, non carnoſus, recti crinis, & nigri.

AMarum quidam hoc loco ponũt pro acerbo, neque propriè, ſed metaphoricè dictum capiunt vocabulum, eſt autem ptopriè amaricies ſapor, q guſtui humano inimicus eſt, opponitur enim dulci, qui congeneus eſt, & quo nutrimur, nutriri enim putãtur animalia dulci penè omnia, ſalſo autem, & amaro nulla, quod ſi veratrum coturnicibus, & ſalix capris cibus eſt, quæ vtræque plantæ nihil ſaporis dulcis, ſed potius ſalſi, & amari præ sè ferunt, id genus ſaporis condimenti rationem habere dicunt, aut fortè, quod nobis videtur ingratum, illis, illorumque naturæ conſonum, & gratum exiſtit; fit autem amaricies à ſicco terreo aduſto, nam ſic mel, cum vritur efficitur amarum, & quæ putreſcunt, dum exſiccantur amara fiunt; hac ratione abſynthij corticem vocant medici amarum, & aloes ſuccum concretum, in his enim omnibus prævalet ſiccitas à calore paſſa, videturque eſſe ſalſedo via ad amaritiem, cuius indicium eſt, quod amarum dicitur mare, cum tamen ſalſum ſit, & ita comparatum eſſe, vt ab acre ad ſalſum, ab hoc ad amarũ procedat natura, manifeſtumque fiet lixiuium contemplantibus, hoc enim primum aqua eſt inſipida, deinde coquitur, cui cum parum cineris fuerit additum dulcedinis imaginem præ sè fert, deinde fit acrius addita maiore cineris copia, procedente tandem coctione, atque adaucto cinere fit ſalſum, demum in amaritiem degenerat, cum adeo exuſtum fuerit, & ex quernis lignis factum, vt poſſit ſal ex ipſo coagulari; quid igitur ſit amarus ſapor, & quomodo fiat, ex his patet. *Acerbi indicia*

Per tranſlationem ẽt dicitur de hominũ moribus, & ſic eos, qui plus iuſto ſunt iracundi, & feri amaros vocauit Ariſtoteles in ethicis, quorum igitur mores ſunt iniucũdi, importuni, & ſuperbi, qui odio, & vltionis cupidine ardent, ij omnes vocantur amari, ſic Virgilius amaros hoſtes, & hoc nomine Mezentius vocat Aeneam, ſic amarulentum dicit Plutarchus

chus Coriolanum, cuius etiam moris erat Marius, ac præcipuè in ſenectute, neque ab hoc etiam abhorrebat Sylla, omnes enim hos amariores fuiſſe dicimus, ſicut etiã de Pompeio ſentit Cicero, quem iam Syllaturire dicebat, hoc eſt incipere imitari Syllæ amaritiem, & ſæuitiam.

At, vt arbitror, ſicut eſt magnum diſcrimen inter ſaporem acerbum, & amarum, nam acerbas appellamus vuas immaturas, & poma, & limoniorum ſuccum, amarum aloen, & abſynthium, ita inter amarum, & acerbum hominem; nam amarus celerrimè iraſcitur, acerrimè iram perſequitur, cito placatur tamen, & iram deponit, Acerbus non cito iraſcitur, iratus ſæuiſſimè iram exercet, neque facilè illam deponit; hic frigoris eſt ſoboles, in amaro calor ſuperat. Nunc igitur acerbum deſcribentes dicemus, illum eſſe, qui per multum temporis iraſcitur, & deſiderium vltionis ſeruat diutius, & nuſquam iram videtur deponere, niſi poſt vindictam, & in rhetoricis acerbum peccare dicit, eo quod nimis ardeat ſumendæ pœnæ deſiderio, neque placatur niſi poſt vindictam, quare acerbitas morum, de qua hic agi puto, ſic definiri poterit, vt ſit qualitas ſiue potẽtia facilè ſuſcipiendi iram, & eam diutiſſimè retinendi, neque remittendi, niſi poſt vltionis conſecutionem. Duplex autem eſſe videtur, hæc quæ eſt in moribus odioſa qualitas, altera, quæ iram acutã ſignificat, facilem ſcilicet ad iraſcendum propenſionem, ita vt minimo negotio exaſperetur animus, & ira exardeſcat; ſed quę deinde cito etiam deponatur, & hæc videtur ignis naturam ſapere; altera vero eſt, quæ non facile ſumitur, & difficile ponitur, & nunquam niſi vnica vindicta lenitur terræ naturam referre putant quidam, hanc vocant acerbam, priorem amaram; poſterior ad atram bilem, amara ad flauam magis refertur. Amaras puellas facile reperies, non facile acerbas, amarities iuuenum, acerbitas magis eſt ſenum.

Ariſtotelem de prima ſpecie iracundorum certum eſt non loqui, ſed de ſecunda, de ijs ſcilicet, qui ex atra bile tales exiſtunt, cuius indicium eſt, quod triſtes, & ſubnigri, & remiſſi ſunt, qui bilis atræ ſunt effectus, quid igitur ſit acerbitas, de qua nũc ſumus acturi, & quę nam ſit eiuſdem materia patet, dicimus enim, eſſe bilem atram accenſam circa cor excalefactum ob imaginem apparentis contemptus cum damno, & dolore, mihi enim videtur acerbitatem protinus damni opinionem includere, multoſque acerbos, & moroſos notaui nunquam valde excandeſcere niſi quando cõtemptui ſubeſt damnum, quod ſi hoc non adeſſe cognouerint, lenitur dolor, & ira multum remittitur, hæc autẽ, de qua agimus actus non eſt, ſed habilitas, & potentia quædam, quæ eandem cum actu materiam habet, ſed tamen in hoc eſt differentia, quod habilitas materiam potentia talem, affectus nõ ſolum potentiam ſed etiam actum requirit. Dicimus igitur, quod, qui hanc habent potentiam, ſiue propenſionem ad acerbitatem, & moroſitatem, ſunt temperie melancholica præditi cum bilis ſubdominio, hæc enim ignem concipit, illa retinet conceptum.

,, *Facie remiſſus.*

Primũ igitur acerbi facies remiſſa, apparet, nam acerbus eſt melancholicus, igitur frigidus, at frigidus omnis remiſſus eſt, ergo, & acerbus eſt remiſſus, profecto minor difficultatem nõ habet, ſed neque, quod melancholicus ſit frigidus, nam hæc melancholiæ ratio eſt, at frigidus remiſſus eſt, ſiquidem calidus, & æſtuans, celer eſt, & concitus; eum remiſſum vocamus, cuius operationes ſunt tardæ, & ſegnes, cuius autem operationes ſegnes ſunt, eiuſdem facies contrahit morem, & animi characterem ab ipſo impreſſum gerit in facie.

Color niger. ,, *Nigri coloris.*

Acerbus eſt nigri coloris, non dico illum eſſe Aethiopem, ſed ſi comparaueris, cum alijs ſuæ regionis, & patriæ, illum ijſdem futurum nigriorem, neque ſecũdum capillos tantum, ſed ſecundum cutem faciei, manuum, & totius penè corporis videbis; magnopere tamen

hæc

hæc nigredo ſolet apparere circa hyppocondria, & præcipuè dextrum, quod videri abſurdum poteſt, cum atra bilis colligatur in liene, qui occupat latus ſiniſtrum, cauſam autem propter quam ſint nigriora hyppocõdria etiam eſſe puto, quoniam ijs in locis ſanguis generatur, qui cum nigrior ſit, partes etiam illas magis fuſcas facit, & magis circa dextrum latus id contingit, quoniam eo in loco ſubeſt Iecur totius ſanguinis fons, & origo, qui primo illum nigrorem facit, ſi ergo acerbus atrabiliarius eſt, & hic niger eſt, quoniam atra bilis ſecundum sè talem, vt vox ſonat, habet calorem, ergo colligendum eſt acerbum colore nigro præditum eſſe.

Hoc, vt plurimum colore præditos videmus Hiſpanos, quorum forſan nonnulli, & hoc vitio ſæpè laborant, acerbi enim proprium eſt, quam paſſus eſt contumeliam non proferre, animoque retinere, donec occaſio venerit ſumendi vindictam, non enim præcipites, & furioſi ſunt, vt Galli, ſed tempus locumque expectant, quo ſuam voluntatem exequantur.

Macer. *Macri.*

Tertia hæc paſſio eſt acerbi; Eos dicimus eſſe macros, qui non ſolum carent pinguedine, & ſæuo, ſed etiam carne ſuut priuati, & quorum muſculi conſumpti ſunt, & præter cutem, & fibras nihil ferè oſſa cooperit, caro fit ex ſanguine concocto, & à tertia digeſtione conuerſo in eam ſubſtantiam, quam rorem appellant, qui fibris circumpoſitus ſiue interpoſitus carnem facit, & muſculum incraſſat, & adauget; ſi ergo id verum eſt, colligere debemus acerbos, cum melancholici ſint, & remiſſo calore, & pauco humore dulci præditi, eoſdem etiam male nutriri, naturaliter enim melancholici, & præcipuè, qui tales ſunt ob eam, quę ex aduſtione orta eſt, melancholiam malè nutriũtur, omneſque macri ſunt, quod in ægrotis videre licet; ergo dicemus acerbos omnes non ſolũ remiſſos, & nigros, ſed etiam macros eſſe.

Quæ ſunt circa faciem quaſi abraſa. *Facies abraſa.*

Hoc eſt, acerbi habent partes, & membra faciei, quæ ſolent in alijs eſſe multis pilis veſtitæ ferè nudas, vt mentũ, cilia, ſupercilia, naſi extremę partes internæ, & aurium foramina, has enim partes faciei plerunque videmus eſſe piloſas in his, qui ſecundum naturalem temperiem ſunt diſpoſiti, iſti autem paucos omnino pilos habent.

Primum igitur, quod hoc ſit verum, vulgari quodam prouerbio Italico poteſt confirmari, quo monemur, cauere iram illorum, qui raram habent barbam, & cutem fuſcam, cauſa eſt, quoniam hi ſunt multa bile aduſta præditi, qui quem conceperint calorem iræ, illũ ipſum diutiſſime retinẽt, cur autem id accidat, nunc exponendũ; Acerbos iam atra bile abundare, & remiſſum calorem naturalem habere diximus, ſiccam igitur terram, & frigidam referunt, quæ ferè nullas parit herbas qualia ſunt quædam loca montana appenini, quæ vulgo ſalſa vocantur, ſqualida, omni virore priuata; quare ita etiam hæc temperies pilos non producit, ſi enim pili ex viſcida, & vnctuoſa fuligine fiunt à multo calore eleuata, quæ poros cutis petẽs eos perterebrat, & ab externo frigore coarctata in pilum vertebatur, vbi non erit calor multus ibi non erit cauſa efficiens, quare neque pilus, ſed in melãcholico ex aduſtione non eſt multus calor naturalis, quamuis igneus quandoque, & extraneus abundet, ergo neque erit cauſa effectiua pilorum, ergo neq. pili, & præcipuè circa faciem, quæ cum ſit macra, & oſſea caret ea materia, nempè fuligine viſcida, & vnctuoſa ex qua fit pilus, ſic ergo deficit materia pilorum.

Sed dices vnde fit, quod iſti atrabiliarij ferè ſemper calidi ſunt, & illis naſus, & caput feruet, atque vnctuoſum exiſtit, adde quod etiam videntur raræ texturę, at totum oppoſitum eſſe deberet, nam frigidi ſunt, neq. poteſt eſſe vnctuoſa facies, & caput, quoniam ſunt macri, neque laxos habere deberent poros quoniam frigidi, frigoris enim eſt conſtipare, & *Dubit.*

con-

Resp. constringere, non autem laxare, & aperire. An respondendum, quod duplex est calor, alter naturalis conseruatiuus, & proportione respondens elemento stellarum. Alter vero est præter naturalis, & cui adest, eiusdem destructiuus, & respondet elemento ignis, quod omnia miscet, omniaque destruit, corrumpit, & in propriam (nempè igneam) naturam vertere tentat, primo calore eget melancholicus, secundo aliquando ex accidēti potest abundare, sic secundum sè terra calorem non habet, aliquando tamen calidior est igne, qui innatum habet calorem, hoc autem præter naturali calore abundat, si contingerit semel humorem illum nigrum incalescere, & ignem concipere.

Cum autem id fiet, & feruescat humor, tunc ácres vapores ad caput tolluntur, sicque prohibetur somnus, pori laxiores fiunt, vel necessario eo dissipato succo, qui facié, & caput nutrire debebat, propter caloris præter naturalis acredinem, & violentiam macra remanet facies, pili rari, nasus, caputque, vnctuosum, resoluta scilicet in vaporem ea parte destinata nutritioni membrorum superiorū, eadem etiam ratione, quamuis homines hi calidius habeant caput, & plerunque calueścant, ferè tamen semper laborant catharro, caluescunt sanè, quoniam sicci sunt, & vapor ille, qui ex atra bile eleuatus sursum petit caput exsiccat, & poros laxat, vnde primum non adest materia pilorum, deinde etiam si adessent propter laxitatem meatuū pili non starent, canescunt citissimè, deficiente naturali humido, sic enim factum est, vt cum herbis deest alimentum arescant, dum autē fiunt aridæ simul etiam albescant, catarrho etiam tentantur, nam caloris illius præternaturalis propriū est, ad sè materiam trahere, & tractam non coquere, sed liquefacere, consumere, & partibus non appoponere, quæ cum fiant, necesse est præcipitari in subiectas partes (neque enim cerebri calor naturalis errores præternaturalis ignis potest corrigere) quæ præcipitatio humoris excrementitij propriè dicitur catarrhus, siue fluxio, cum à superioribus ad inferiora fluat.

Hunc morbum, qui passione hyppocondriaca laborant, plerunquè patiuntur, rarique sunt, qui calui, cani, & fluxionibus obnoxij non sint, propter obstructiones circa membra principalia generatas ab humore crasso, facto à cruditatibus, quas debilitas caloris innati, & præternaturalis prædominium produxit. Nihil igitur absurdi ex his sequitur, & præsertim, cum positum sit naturalem calorem esse quandā medietatem, qui cum excedit, aut deficit iam præternaturalis vocatur.

Rugosa facies. „ *Facies rugosa.*

Nullam etiam difficultatem id habet, Nam si mestus, ergo etiam acerbus rugosam habebit faciem. Verum ego non de facie omnino hæc crederem dici, sed potissimum de fronte, id enim est proprium viri acerbi, vt rugosam, & contractam fontem gerat, siquidem, vt dixi, omnis acerbus, tristis est, quamuis non omnis tristis sit acerbus, causa eadem est, nam si acerbus con nutritur secundum faciem, & caput; qui non nutritur rugosam habet pellem, necesse est igitur, vt rugosam faciem, & præcipuè frontem habeat qui est acerbus, videtur autem, hæc propria passio illorum, qui animo vindictam agitāt, & cum aliqua difficultate se voti compotes posse fieri dubitat, illietenim animum, nunc huc, nunc diuidunt illuc.

Vultus autem, qui animum sequitur, nunc contrahitur, cum res dura, & difficilis apparet, nunc distenditur, & rugæ abeunt, cum spes aliqua eluceścit; qui enim spem supponit, boni expectationem dicit, hæc autem quædam est lætitiæ species, at lætitia ad calorem refertur, cuius proprium est dilatare, vnde propter lætitiam duæ illæ fœminæ apud Iuuium mortuæ dicuntur, quibus insperato superuenerunt filij, quos mortuos in pugna lugebant.

An acerb. & tristis differāt Sed videtur, quod inter acerbum, & tristem non adsit differentia, siquidem tristis etiam rugosam habet faciem, est macer, est remissus, quæ omnia diximus in acerbo reperiri.

An di-

An dicendum eſt, non ex hoc ſequi quod acerbus, & triſtis ſint ijdem ſecundum ſubſtantiam, quamuis vtrumque eadem conſequantur, & equm eſſe animal, & bouem, & vtrumque conſtat eſſe quadrupedem, non tamen bos eſt equs; At ſupra etiam diximus omnem acerbum eſſe triſtem, non tamen omnis triſtis eſt acerbus, Imò plures ſunt triſtes, qui neque amari ſunt, neque acerbi, quinimo inter vtramque paſſionem multa intercedit differentia, quam in contemplando actum vtriuſque potentiæ, ſiue habilitatis cognoſcemus, ita enim contingit, vt ex actibus, atque actuum differentia, cognoſcatur, & potentiarum natura, & diuerſitas, ſic auditiuam potentiam a viſiua diſtinguimus, quoniam aliud eſt videre, aliud audire, aliud ſonus, aliud color, vnus oculis, alter auribus obijcitur, contingitque videre non audientes, & non videntes audire. *Reſp.*

Triſtes igitur ſunt, qui mœrent propter aliquem præſentem dolorem, aut propter mortem filij, aut amiſſionem bonorum, aut timorem mortis, aut alicuius alterius rei, quæ rationem mali habeat, quare humiles ſunt, & remiſſi, neminique, quatenus triſtes ſunt, nocere affectant, ſed modo hos, modo illos orant, & obſecrant, auxiliumque vndique implorant, præcipueque Deum diuorumque opem ſuppliciter inuocant, & vt ait Lucretius.

Et quocunque tamen miſeri venere parentant,
Et nigras mactant pecudes, quas manibus diuis
Inferias mittant.

Horum proprium eſt, vt ſe miſeros omnino putent, & continuè doleant, nunc timore, nunc inuidia macerati, & vt ille dicit.

Ipſi ſe in tenebris volui, cæcoque queruntur.

At parte altera acerbitas iræ affectus eſt, & vltionem vnam proſequitur, & quærit, non ergo mæret, quoniam hic, vel ille in præſentia commodo, aut incommodo afficiatur, ſed quoniam non poteſt, prout vellet, ſuam exequi vltionem dolet, neque humilis eſt, ſed inflatus, ſibique ipſi perſuadet turpem eſſe animi abiectionem, & humilitatem, neque ſupplices vlli manus, & præcipuè inimico, vllo vnquam tempore porrigeret, ſed mallet mori, & ſemper eos à quibus iniuria fuit affectus lędere cogitat, & cupit, neque ad Deum, diuoſque ſupplex recurrit, quoniam continuo deſiderio vltionis ægrotat, nuſquam memor, quod dixerit Dominus, Mihi vindictam, & ego retribuam. Cum igitur acerbi, & triſtis actus, & paſſiones omnino inter ſe diſtinguantur, rationabiliter etiam potentiæ, & habilitates, quæ vtrumque reſpiciunt actum, ſunt inter ſe diſtinctæ, quare idem neque ab Ariſtotele repetitur, neque, etſi in vno, aut altero accidenti conueniunt duo, vel plura genera rerum ſequitur, quod ſubito illa ſint eadem omnino ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam.

Non carnoſus.

Quod faciem carnoſam non haberet ſupra oſtenſum eſt, ſed neque ſecundum totum corpus, qui acerbus eſt carnoſus dici poteſt, cauſa eſt, quoniam acerbum caloris eſſe remiſſi dictum eſt, eumque temperaturæ melancholicæ, & abundare atra bile aduſta, quæ nutritioni inepta eſt. Si ergo acerbus talis eſt, ergo temperaturam habet frigidam, & ſiccam, ergo non calidam, & humidam, at ſi acerbus non habet calidam, & humidam temperaturam, cum carnoſus habeat talem temperaturam (ratio enim carnis in calido, & humido poſita eſt, ſiquidem caro ſanguinis ſoboles eſt) ergo colligemus acerbum non eſſe carnoſum, quod fuerat propoſitum, & ſi non eſt carnoſus, ergo neque muſculoſus, ergo neque robuſtus, debilis igitur corporeis viribus, neque aptus erit ad tolerandos graues labores, quare ſæpè voluntas eſt ſupra vires, & plura vult quam poſſit perficere, rabieque, & malevolentia longè ſuperabit inimicos ſuos, quos vigore, & virtute vincere non poteſt, & quoniam, neque carnoſus, neque ſanguineus eſt, ſed macer, formoſus non erit, *Nõ carnoſus acerbus.*

quare, neque amabilis primo aſpectu, neque vllo alio modo iucundus, ſiquidem triſtis eſt.

Nigri crines recti.

„ *Crines recti, & nigri.*

Per rectos intelligit Sueſſ. non criſpos, neque cincinnatos, ſed extenſos, ego puto crines rectos intelligendos, ſurſum eleuatos, quales ſunt crines eorum, qui timent, illis enim comæ arriguntur, & id ratio videtur ſuadere, ſiquidem acerbis recurrit ſanguis circum præcordia, neque multus eſt, his autem comas arrigi probatur exemplo timẽtium, quibus crines arriguntur, cedente nimirum ad interna calore, & ſanguine; dicamus igitur, acerbi ſunt melancholici ex bile aduſta, ſiue ea flaua ſit, ſiue atra (vtraque enim aduritur promptè) qui tales ſunt craſſos habent pilos, & hirtos, pili hirti, & craſſi ſunt recti, ergo acerbi rectos habent pilos; quod autem maior vera ſit, ex hoc patet, nam dictum eſt, quod qui atrabiliarij ſunt plerunque meatus habent cutis apertos, & cæteris laxiores, quare etiam ſunt aptiores ad fuligines, quas paucas habent emittendas, vnde craſſiores pili fiunt, cum autem craſſiores ſint, ideo etiam rectiores exiſtunt, vel dicamus frigus eſſe cauſam huius rectitudinis, nã quæ gelu affecta ſunt coniuguntur, frigidi enim eſt congregare, & conſtipare, quæ conſtipantur dureſcunt, dura rigida ſunt, quæ rigeſcunt, ſi nihil impedierit, rectam figuram obtinent, in acerbis igitur pili rigidi erunt, cum in illis frigida, & ſicca præualeat temperies, conſtat igitur quod rigidos, & rectos habebunt crines. 10

Nigros item quoniam atrabiliarij ſunt, cuius propria eſt nigredo, cum igitur humor hic ſit niger, & aduſtus, nigram, & aduſtam facit fuliginem, quare etiam, qui ex illa oriuntur crines erunt nigri, vt ipſamet docet experientia, dicimus igitur acerbum, & pilos capitis nigros, & rectos habere, tot ergo conditionibus corporeis, ex Ariſtotelis ſententia deſignatur, ac deſcribitur acerbus. 20

An acerbus bẽat caput paruũ.

His conditionibus addit Porta caput valde paruum, at neſcio qua ratione id contingere poſsit, nam capiti valde paruo, paruum etiam ineſt cerebrum, quare, & principium natiui frigoris erit neceſſario debile, nam in minori quãto minor eſt virtus, & eo magis ſi ſimilare ſit, aut quatenus ſimilare capiatur, ſi autem frigus minus eſt, ergo calor maior, vnde qui caput paruum habent, inſtabiles ſunt, & ceu folia volubiles; at diximus acerbos eſſe atrabiliares, & hos eſſe frigidos, & oppoſito modo diſpoſitos. 30

Amplius ex eodem Porta, auctoritate (vt ipſe ait) Auicennæ exiguum caput denotat imperfectionem omnis virtutis, & quod homo ille perfidus ſit, & velocis iræ. D. Thom. referente eodem Porta, vocat eos, quorum caput paruum eſt, impetuoſos, violentos, inſtabiles, alibi etiam dubios, & irreſolutos, & nihil vnquam perficiẽtes eorum, quæ aſſumpſerũt. Alt horum nullum omnino tribuendum eſt illi de quo loquimur acerbo, non enim eſt impetuoſus, neque violentus, ſed tempus, locumque expectat, non eſt inſtabilis, ſed nimium, & plus iuſto in ſua ira obſtinatus, neque eſt dubioſus, ſed nimium reſolutus, ita vt nulla alia ratione, niſi per vindictam quieſcat, Non igitur bene datur caput paruũm acerbo, & ei, qui ſæuæ, & diuturnæ eſt iræ, quod ſi dixeris eſſe inſani ſignum, at tunc tanto minus acerbo eõ ueniet, nam certè ſtruthio camelus, cui datur paruum caput acerbæ iræ non eſt. 40

Subdit ille, inconcinnam habet figuram, at figuram hãc amaros quidem indicare, hoc eſt promptos ad iram, non tamen acerbos putarem, cognoui enim, quamplures gibbos, & diſtortos, qui erant ſæuæ, & præcipitis iræ, non tamen acerbæ, quales deſcripſimus.

Nares addit patulas, hoc etiam ſignum eſt iracundi, & ad equos referri dicebat, eoſque animoſos, qui dum iraſcuntur patefaciunt admodum nares, at hoc etiam caloris magnitudinẽ docet, dicebamus aũt acerbos eſſe frigidos, & atræ bilis humore detineri, quare neq. ſpiritũ fortẽ, velocẽ, & ſpiſsũ habebũt hmõi acerbi hoĩes, niſi cũ affectu iræ detinebũtur, &

ſimul

ſimul contingat atram bilem exuri, tunc enim fortè ſpiritus incaleſcent, & anhelitus erit ſpiſſus, & fortis, at nos hominem ſecundum potentiam, & habilitatem ad acerbitatem, non autem in actu exiſtentem contemplamur, addit ille loquelam ſubflauidam, Hoc certè mendum eſt, nam qua ratione flauam, aut ſubflauam poſſit dicere loquelam neſcio, inter ſapores enim, & odores eſt quidem aliqua cognatio, & Cardanus etiam ſaporibus, quamuis ſatis audacter, & colores nectit, at quid commune habeat color, cum ſono nondum audiui, vt à coloribus ad ſonos poſſint nomina traduci, vt dicamus aliquem habere vocem albam, vel rubram, vel cęruleam, aut flauam, ſi vero legeudum eſt, fluidum, vt vox appelletur fluida, hoc eſt fluens, at vox omnis, & fluit, & alata ſunt verba.

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Neque quomodo alia fluida, alia ſtãtia verba poſſint dici, video, ſed neque legemus flaccidam, hoc eſt debilem, & eneruatam, nam cynædi hæc vox eſt, & mollis non autem acerbi, Oculos deinde ponit ficcos, & ſanguineos, quod fortè verum eſt; At neſcio, cur deinde dicat oculos eſſe fuluos, nam ſi ſanguinei quomodo ſunt fului ſiquidem fuluum dicit colorem auri, aut iubarum leonis, aut qualem in cortice videmus dulcium malorum aurantiorum, niſi fortè velit oculos ſanguineos dici reſpectu adnatæ cui annexæ ſint ſanguineæ plures venulæ, at poſtea reſpectu pupillæ, an ſit oculus fuluus, ſaltem erat declarandum, ſed neque puto id admitti poſſe, cum ipſe agens in capite xi. de coloribus oculorum, dicat, ſplendentem, & ſanguineum oculum veſaniæ proximam audaciam ſignificare, & qui vehementiſſime iraſcuntur ſanguineos habere oculos, etiam teſtimonio Homeri certum eſt.

Quod vltimum addit pallidi, ſubrubri, ficci, vtrum de corpore, an de oculis acerborum loquatur incertum eſt; primo enim aſpectu de corpore loqui videtur, quoniam ſupra dixerat, quod ſupercilia, & frontem cõtrahunt, & ſurſum corpus ducunt, quæ ſanè operatio non videtur poſſe dari oculis, non enim ipſi ſurſum contrahent corpus, hoc enim non eſt oculorum, ſed hominis, & habentis corpus, officium; Si verò id accomodaueris oculis, quomodo dixeris acerbũ habere oculos pallidos ſubrubros, ſiccos, & paulo ſupra, oculos ſanguineos, & alibi fuluos, hæc enim ſimul eſſe nequeunt, neque eadem etiam ſignificare poſſunt, neque ſecundum ipſius mentem, quędam horum colorum ſignificationes poſſunt acerbo accommodari. Quare pace tanti viri qua ratione hæc, quæ diximus, poſuerit, ego ſanè non, video, ſed de his ſatis.

At hoc loco pro aris, focisque, quod dicitur, Phyſiognomo certandum eſt, ponit Sueſſ. Phyſiognomones, qui cauſam horum ſignorum quærunt, impudenter agere, quoniam (ait ille) hoc quærere eſt egredi facultatem phyſiognomicam; Atque ſatis eſſe Phyſiognomico ſigna ex obſeruatione colligere, & poſſe illa referre ad ea, ex quibus colliguntur, addit. que id ſupra ſic ab Ariſtotele fuiſſe definitum, vt phyſiognomonis ratio in hoc vno cõſiſteret, ſic ergo phyſiognomum eſſe empiricum quemdam, non autem ſcientificum putat, neque credit eam naturali philoſophiæ ſubalternatam eſſe, aut ab ipſa accipere principia, attamen, cum ita maledixerit phyſiognomiæ, laborem ſuſcepiſſe interpretandi phyſiomica placita, ipſum non pudet, & qui tantus eſt philoſophus manum appouere irrationabili ſermoni, & nugas phyſiognomicas, vt ipſi videtur contemplari. At ſanè nimis male meretur de hac facultate vir ille. *Dubit.*

An dicendum eſt, vt quidam, Phyſiognomiam eſſe artem, (coniecturalem tamen) cum circa particularia occupetur, & illorum propenſiones proſequatur, ſed ſi ars eſt omniſque ars habitus eſt, cum recta ratione, ſi rectam habet rationem phyſiognomia non ſine cauſæ cognitione procedere poteſt, ratio enim, ordo natura, & cauſa, aut idem ſunt, aut vnum ſine alijs eſſe nequit; amplius vbi ratio, ibi ſyllogiſmus quare neceſſario, & vniuerſale hoc autem cauſa eſt, vt ꝙſim bipes quoniam homo ſum; quod ſi id verum eſt, non omnino phyſiognomũ dicemus ignorare cãs eorũ, quæ dicũtur, qũ principia ſumit à naturali philoſophia, *Particularia*

An fortè melius dicendum eſt non eſſe artem ſimpliciter, nam omnis ferè ars eſt factiua
Phyſiognomia eſt ſcia. alicuius eorum, quę aliter eſſe poſſunt, at Phyſiognomia nihil facit, ſed eſſe ſciẽtiam, quoniam eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus, ſed duplex demonſtratio propter quid, & quia, vtitur autem demonſtratione quia, & dicemus eſſe ſcientiam ſubalternatam, & in ipſa demonſtrari quod. Aſt per principia in phyſiologia capta, aut oſtenſa demonſtrari propter quid, ſenſitiuorum enim eſt dicere quod ſit, ſuperioris autem propter quid, vt primo poſteriorum. Sicuti igitur ſe habet perſpectiua ad Geometriam, & muſica ad Arithmeticam, ita ſe habet Phiſiognomia ad naturalem ſcientiam, non igitur eſt mera conienctura, neque eſt ars, ſed ſcientia, verum dans quod, nõ autem propter quid, niſi per naturalem ſcientiam, neque officit, quod eius theoremata non ſint neceſſaria, nam ad ſcientiæ conſtitutionem ſufficit, quod theoremata habeant veritatem, vt plurimum, & non ex ſe, ſed ex accidenti, & per externam cauſam impedita, deficiant à neceſſario, vt Ariſtoteles primo Priorum docuit, ſcientia igitur, & demonſtratio eſſe poteſt huius, quod homo habet quinque digitos in manu, quamuis contingat reperiri, qui ſex habent, & qui quattuor tantum.

Si ergo à naturali Philoſophia principia ſumit Phyſiognomia, & dat quod, à phyſiologia ſanè propter quid mutuabitur, vt de perſpectiua, ac armonica dictum eſt. Non ergo excedit limites ſuæ cognitionis phiſiognomus, ſi cauſas requirit ſuorum ſignorum, ſi vniuerſalia ſtatuit theoremata, ſi dubitationes, quæ concluſiones ſuas labefactare vidẽtur, tollit, neque ſequitur ſi ex principiatis principijs procedat, ideo illi nomen nullum ſcientiæ tribuendum eſſe, & vt omnis facultas rationalis tam principia quam principiata habet, quorum hæc quidem probat, illa ſupponit, ſic et am phyſiognomia, & ipſa habet principia, & principiata, & ſi habet principia, ergo cauſas ſuarum concluſionum poterit affere, ergo non eſt contenta ipſo quod eſt, ſed etiam propter quid tentare poterit.

Neque obſtat quod primo poſteriorum dicitur, ſenſitiuos artifices, quod eſt docere, intellectiuos propter quid, nam cum ſenſitiua, & intellectiua cognitio ſimul iungantur, vt ſenſus, & intellectus, vt vniuerſalis, & particularis propoſitio, vt maior, & minor in prima figura, vt totum, & pars, neque pars ſine toto, neque minor ſine maiori, neque ſingularis ſine vniuerſali probè, & perfectè cognoſci poterit, ars autem omnis, & omnis ſcientia, vel notitia etiam de genere honorabilium bonorum eſt, ergo ſecundum ſe etiam perfectè haberi poteſt, quare ea ipſum propterquid habebit, ſi non omnino ex ſè, tamen à ſuperiori facultate petitum.

Nec verũ eſt, quod ille ait Ariſtotelem id affirmare, ſed Ariſtotelis ſententia eſt. In ſignorum inuentione, ac conſtitutione ipſius quod eſt, ad ſenſum recurrendum eſſe, vt hæc confirmetur poſitio, quod certa animi paſſio certum habeat in corpore ſignum, quod illam conſequitur, ſicut certam animam certum corpus ſequi ſolet, non enim corpus leonis animam ouis, aut cerui habet, ſed leoninam, ita pauor in anima, aut audacia in corpore habet, quod audaciæ, aut pauori reſpondeat, non igitur adeo male ſentiendum eſt de naturali phyſiognomia, vt illam penitus ratione vacantem, & cauſarum ignorantem eſſe dicamus, ſed illa explodenda eſt, quæ de futuris contingentibus, de humanis actionibus, aut cogitationibus certi aliquid aſſerere putat, ac promittit, illa inquam penitus reijcienda eſt, cum nihil in ſe veritatis, nihil rationabilitatis includat.

DE IRACVNDO SIVE' AMARO.

Cap. XV.

„ *Iracundi ſigna. Rectus corpore, figura bene coſtitutus, animoſus, ſubruffus: humeri diſtantes, & magni, et lati: extrema magna, & fortia: lenis, & circa pectus, & circa bubones: barbatus probe, capillorum ambitus floridus, deorſum tendens.*

Iracundi ſigna

AMaritiem iracũdię in genere ſupponi diximus; qui enim iraſcitur, aut qui promptus eſt ad iram, illã vel celeriter ſumit, ac ponit, vt accidit pueris, & dicitur amarus, at ille de quo ſupra egimus, qui ſiue celeriter, ſiue non, ſumit iram, & tardè ponit, dicitur acerbus, cum igitur de acerbo dictum ſit, nunc de amaro verba facit Ariſtoteles, ſic enim ſecundum partes totum ipſum iracundi genus nobis innoteſcet; hoc igitur loco per iracundum proprie intelligimus, & in ſpecie amarum, eum nempe, qui minima de cauſa promptè iram ſumit, præceps ad vindictam fertur, citò tamen quieſcit, & iram deponit, vt de sè ipſo teſtatur Horatius, quem dicit.

Iraſci celerem, tamen, vt placabilis eſſem.

Mihi autem ſimilis horũ ira videtur pulueri illi pyrio, quo vtimur ad explondẽdas bombardarum pilas, ille enim celerrimè ignem concipit, illumque ipſum celeriter etiam ponit, quamuis vehementiſſimo cum impetu, & terribili ſonitu, & fragore accendatur, & fumo, & flammis omnia repleat.

Amar' vir qualis ſit.

Dicitur amarus ducta metaphora à ſapore amaro, qui cum primum linguam attigerit, & guſtum mouerit, ſubito expuitur, & reijcitur; qualis igitur eſt ſapor amarus, ſi comparetur, cũ guſtu, qui ab illo abhorret, & ſubito reijcit, talis eſt vir hic celeris iracundiæ in communi hominum congreſſu, cum primũ enim sè ipſum manifeſtat, illum homines reſpuunt, & odioſè, cum illo conueniunt, vel dicitur amarus, qui hoc laborat vitio, quoniam in ipſo bilis, & humor amarus prædominatur, à quo paſſio hæc exoritur, eſt autem amarities ve hemẽs impetus bilis celerrimè accenſæ propter appetitũ vindictæ ob apparentem contemptum, quamtumuis paruum, quare eadem ipſius materia erit cum ira in vniuerſali, nempè bilioſus ſanguis, at ad incaleſcendum promptior, & ad remittẽdum etiam calorem aptior, tenuiſſima igitur erit bilis, nam tenuia promptè quidem recipiunt impreſſiones (quod videmus in aere puro, & ſubtili) ſed promptè etiam deponunt, & ſanguis bilioſus ſecundum sè, & naturam ſuam purus exiſtens, tenuis adeo eſt, & adeo ſpirituoſus, vt momento incaleſcat, & frigeſcat, patet igitur, quod tenuiſſimi, & multi ſanguinis bilioſi aptitudo ad ebulliendum circa cor ob appetitum vindictæ excitatum ab apparenti contemptu dicitur amarities, quid igitur hæc ſit, & in quanam materia, & quomodo, & à quo fiat clarum eſt.

Rectus corpore

Si hoc igitur verum eſt, huius viri penè tota complexio, & omnes ſpiritus erunt ignei, at ignis eſt recta ſurſum petere, & quæ ab igne ſurſum feruntur, eadem recta aſcendunt, amari igitur figura erit recta, & ſic bene dictum eſt, amarum hominem habere corpus rectum, cauſa eſt, quoniam in ipſo præualet humor, qui ignem refert, quod ignem refert, actiones etiam ignis repreſentat, inter quas eſt ſurſum petere, hoc eſt ſurſum erigi, quare amarus eſt corpore rectus.

„ *Figura bene conſtitutus.*

Species bene cõſtituta.

Alij bene coſtatum legunt, at profecto accedit magis ad græcum codicem hæc ſecunda lectio; nam vox διατεταγμένος nihil aliud ſignificat, niſi bene circa coſtas diſpoſitum, ſiue habentem bonas, & amplas coſtas.

Crederem posse intelligi, & latum haberet pectus, & magnum thoracem, qui vitio amarulentiæ, & promptitudine laborat ad iram, eam scilicet passionem, quam aliqui animositatem vocant, quod si ita est sentiendum, in promptu causa erit, nam amarus multum habet ignei caloris circa cor, & costas, caloris multi proprium est dilatare, iure igitur, qui amarus est, siue animosus latas, & firmas costas habebit, & pectus extensum.

Animosus. ,, *Animosus*.

Tertium est hoc signum, viri ad iram maximè prompti, sed vox hæc, quæ apud latinos vsurpatur, ni fallor, mihi non videtur reddere significationem græcę vocis, quę est θυμος, nam animosum vocamus eum, qui in sè vehementiã animi habet, impetum, & violentiam quandam, sic Ouidius Pyrrhum vocat animosum imagine patris, Magnanimum, fortem, & constantem, aliquando etiam iracũdum; quarum significationum nulla præsenti seruit considerationi; signa enim nos contemplamur sensibilia, per quæ ad insensibilia peruenimus, & accidentia corporis, quibus cognoscamus animę passiones, & quænam sensibilia signa, quibus respondeant animi propensionibus, at quãcunque cæperis animosi significationem, nullum sensibile accidẽs denotare inuenies, adde, quod nullum horum capitum, quæ inducta sunt, vllam continent vocem, quæ animi passionem indicet.

Obiect. Et si obieceris in capite modesti seu moderati, legi quòd sit mitis, quæ videtur significare quale quoddam accidens circa animam, Respondeo ibi non de animæ accidẽti, sed de qualitate vocis esse sermonem, & per mitem vocem indicari quandam qualitatem, quam iudicat auditus, non enim ibi dicitur, quod moderatus sit mitis animo, quamuis rè verà sit mitis, sic etiam non negarem per vocem hanc, animosi, quam interpretes attulerunt exponentes θυμον significare passiones proprias iracundi, verumtamen certum est, intentionem Aristotelis esse denotare aliquod accidens sensibile, quod inesse solet corpori, cui anima aduenit iracunda, & ad amaritiem prona, Sensibiliũ autem accidentium, ex sententia Aristotelis, triplex est genus, vnum proprium, alrerum commune, tertium per accidẽs, proprium est, vt color, & albedo respectu visus, commune, vt hominis motus, & figura, per accidens, vt risus, & hilaritas in facie, quod enim rideat Callias, quod lætus sit oculis vides non tamen per se, verum per accidens cognito tali motu, ac figura; Si ergo animosus non significat obiectum per se, & proprium sensuum, si neque forte commune, attamen significabit quoddam obiectum per accidens, ridentem enim Socratẽ sentio, non quod risus sit commune sensibile; sed quod per communia cognoscitur, quæ ridenti accidunt, Cum ergo animosum dicamus vehementem, alacrem, confidentem, magnanimum fortem, amplius securum hilarem, lætumque hominem, & prompto animo præditum, nullam harum significationum esse puto sensibilem magis, vehementia, & lætitia, & benignitate, quæ in facie conspicitur, apparet enim non minus hic mos in facie, quam tristitia, aut motuum tarditas, aut somnolentia, aut aliquis alius eorum, qui ab Aristotele in his capitibus enumerantur.

Dico igitur iracundum siue amarum esse animosum, hoc est in vultu præ se ferre vehementiam, lætitiam, ac benignitatem quandam, quam plurimi ex nostratibus olim in nobiliori quodam viro omnium iracundissimo agnoscere poterant, causa est, quoniam amarus ille est cuius circa cor adest magna copia humoris bilioſi, qui talis est, abundat sanguine subtili, & calido, subtilem, & calidum sanguinem sequitur spirituum multitudo, lætitia, & benignitas in facie apparens.

Iracundum igitur, & in amaram iracundiam propensum, dum quietus est vocabimus tranquillum, & benignum non minus quam spectantibus videatur mare, cum quietum, & nullis ventis agitatum est, nam, & in eo, & de illo omnia sperare, sibi omnia promittere, posse putabis, si autem ventis percelli, ac turbari contigat, tunc horribile, ac dictu ineffabile monstrum sè sè explicat, tot erynnis sibillat hydrias, totque facies crudeles offert mortis,

quid

quid ergo per animoſitatem, & quomodo mos iſte animoſus, hoc eſt hilaris vehemenſque cum quadã confidentia ſuimet ipſius, in vultu amari, & iracundi appareat, & propter quid, ex his dictum eſt; Noto, quod animoſum dixi à Sueſs. interpretari ſpirituoſum, & dum exponit ſuum hoc verbum ait, ſpirituoſum eſſe illum, qui magnum, & longũ facit anhelitum, vel reſpirationem, & inſpirationem, cauſam affert, quoniam iracundus eſt maximè calidus circa præcordia, ideo magnam facit reſpirationem, ſed quid vetaret dicere, hũc hominem eſſe magni anhelitus, & inſpirationis eò quod latas, & amplas habet coſtas, quæ cum magnam ſtatuant pectoris cauitatem, magnumque pulmonem neceſſe eſt etiam multum aerem inſpirari, vt illius cauitates impleantur. *Not.*

Vt tamen iſtam viri huius non refello ſententiam, ita etiam illi non adhæreo, nuſquam enim, cum Ariſtotelica voce cõuenire videtur, neque memini, quod vnquam græci vocem, quæ ſpiritum vocat loco eius, quæ animum ſignificat, aut è contra vſurparint, quamuis id latini, quandoque feciſſe videantur, qui animam non ſolum pro eo principio per quod viuimus vſurpant, ſed etiam animam ſpiritum, & flatum vocant, vt Virgilius.

— *Quantum ignes, animumque valent.* Sic Plautus, *Anima fatet vxori tua.*

Subruffus. *Subruffus color.*

Subruffus color ille eſt, qui inter fuſcedinem, & rubedinem medius eſt, fuſcus dicitur color, qui ad nigredinem accedit, fuſcas violas vocauit Claudianus, & proprius color eſt Indorum, & eorum, qui ſub æquinoctiali habitant, fuſci etiam vocantur Aegyptij, cum itaq. à cæruleo, & fuluo ad nigredinem fit tranſitus iam fuſcus color efficitur, ruffus uerò dicitur, qui non planè ruber eſt, ſed ad illum proximus eſt, impeditur enim à fuſco, ruffum autẽ uocamus colorem quem homines in capillis, & barba quandoque habent, qui cum ad æris colorem accedant ænobarbi dicentur; ſubruffi minus claritatis adepti ſunt, & referunt flammam multo fumo temperatam, quam cõſpicies in ſuperiore parte illius flammæ, quæ excitata in lignis antiquæ roboris, non diù durat, & ille color propriè dici poteſt ſubruffus, neque diuerſa ratione fit color ruffus in prædictæ flammæ parte, atque in homine de quo loquimur iracundo, Vtrum autẽ pili ſunt tantum ſubruffi, an caro, & cutis, aut tum pili, tum cutis? crederem hunc præſertim eſſe in pilis barbæ, & capitis colorem, at nihil prohibet, ſi reperiamus etiam in cute colorem ſubruffum, quin illum dicamus eſſe iracundum, nam tali præditos colore uidemus omnino iracundos, & ita ad iram pronos, ut neque aſpectum amicorum ſubridentium tolerare poſſint, quin motionem aliquam ſpirituum ſubito non præbeant.

Dico itaque primum, iracundum eſſe ſubruffum ſecundum pilos, deinde etiam ſecundum pilos, & cutem, & hunc eſſe iracundiſſimum, & præ iracundia penè amentem, & furioſum. *Subruffa cutis iracundi.*

Primum itaque, quod poſitio ſit uera, uel publico adagio, apud Italos cõfirmatur, quod eſt omnem ruffum habere malum aculeum, metaphora deſumpta à ueſpis, quæ aculeo feriunt obuios, cur autem id ſit, facile probari poteſt; nam ſi amarus, uel promptus ad iram abundat ſanguine bilioſo, & calido, cum ſanguis hic producat fuligines ſubruffas, ex quib. fiunt pili, rationabile eſt iracundum eſſe ſubruffum, atque ſyllogiſmi huius minor non habet difficultatem, iracundus enim bilioſo abundat humore, quare calido, & ficco ſanguine, quod autẽ ſanguis hic fuligines ſubruffas producat ex hoc probatur, nam rubor his adeſt propter ſanguinem, qui rubicundus eſt magnopere, fuſcedo autem propterea, quod aduritur, omne autem, quod rubrum exiſtens aduritur ſubfuſcum, & ſubruffum efficitur, quod in ligno barafiliano, & in rubrica fabrili, & in ochra patet, hanc enim ultimam, cum penè aureum referat colorem, ſi combuſtam ſpectes videbis eſſe ſubruffam, quod etiam in rubrica, & ligno ſupradicto ſpectabis, quamuis nõ ita clare, cum ergo tales fuligines ad cutis meatus

tus peruenerint, eo in loco in pilos formantur, quare qualis eſt fuligo, tales etiam eſſe pilos probabile eſt, Quatenus ergo ſignum dant pili huiuſmodi, multum ſubtilis, & bilioſi ſanguinis adeſſe, eatenus indicant hominem iracundum, non enim eſſet iracundus, qui tali careret materia, amplius, ſi caro ſiue cutis, & pilus eundem colorem fuerit adeptus, iam tandem totam corporis maſſam ex eo bilioſo ſanguine ali, & nihil in corpore eſſe, quod bilem non redoleat ſignum eſt, ſi enim extrema cutis, quæ ſecundum ſe temperata eſt, vel ſubfrigida, vel ſaltem externo remiſſa frigore nõ poteſt penitus mutare materiam ex qua alitur, neceſſe eſt fateri illam eſſe potentem admodum, quæ potius vincat, quam vincatur.

Cuius igitur faciem ſubruffam videris, capilloſque eiuſdem etiam coloris, illum maxime iracundum dices, ſi vero fuerit purpureus, iam ſanguineus eſt, at ſi ruffus bilioſus, ſi ſubruffus cum quadam fuſcedine, caloris excellẽtiam, à quo ferè vritur bilis ſignificat, & propriè, amari, & furentes fiunt hi viri, cum excanduerint, dulce enim, vt mel, & ſaccharum, cum exuritur amaritiem contrahit.

Si autem contingeret multam pituitam huic bili miſceri, vnde color, ſubalbus ſit, & cutis ſplendida, ceù ſi vncta foret, ſimilis læuori, quem relinquunt cochleæ, cum ſuper lapides tranſierint, vel ebori iam antiquiori, iſti homines horrenda, crudeli, & ſæua quadam rabie efferantur, & nullum eſt malum, quod illis minimum non videatur, leuique de cauſa iraſcuntur, iratique nulla ratione, niſi cruore pleni iram deponunt, & vix aut parum illam manifeſtant, pituita enim lentorem dat, bilis vero appetitum feruidum ſuppeditat vindictæ, nam cum vnumquodque natum ſit generare ſibi ſimile, cum materia adeſt, ceù ignis, cum ligna præſto ſunt, creſcit in immenſum, ſic iræ æſtus vehementiſſimè augetur, cum materia adeſt in quam recipiatur, ac diù permanet, cum ſuppeditatur quod eam retineat, & foueat.

Cutis ſplendida.

Memini virum quendam cuius barba, & capilli erant ruffi, facieſque ſubruffa cum quodam lentore, ac læuore, oculi ignei, frequenter aſpiciebat terram, non loquebatur, ſæpè Deum inuocabat, illique gratias agebat, vix ſecum loquentem intuebatur, lentè de inimicis conquerebatur, nunquam illis maledicebat, rugoſam, ac nubiloſam frontem, cum læui rubore habebat. Hic omnium hominum peſſimus, neque Deum, neque ſanctos verebatur, aut timebat, abutebatur religionis velo ad decipiẽdos homines, fratrem, & patrem occidit, ſororem ſtuprauit, eamque deinde necauit, Technas aſtutiſſimas cõſanguineis, amiciſque non minus quam inimicis conſtruxit, Vnde mortes, in fami e, diſcordiæque inteſtinæ multis contigere, quis igitur, & qualis ſit hic ſubruffus pilus, & quid portendat manifeſtum eſt.

,, *Humeri diſtantes, & magni, & lati.*

Humeri magni lati

Quinta amari, ſiue iracundi nota, quæ ferè eadem eſt in forti ſicuti, etiam, quæ ſequitur. Cauſam puto quoniam iram fortitudinis, ac roboris cotem vocant, perfectè igitur fortem, & robuſtum ad iracundi ſpeciem accedere neceſſe eſt, & ſi ira omni carebit non bene dicetur fortis, quare Virg. iure Aeneam facit iraſci dicens.

— Sæua, iamque altius iræ.
Dardanio ſurgunt ductori.

Si igitur fortis habet latos, magnos diſtantes humeros, & fortis eſt ad iram propenſus, quæ male dulcior per pectora virorum fortium excurrit, etiam neceſſe eſt, quod ad iram pronus habeat latos magnos, & diſtantes humeros, prout ratio infert, non tamen è contra, qui talis eſt, ſubito amarus, & iracundus dicetur, cauſa vero eadem eſt, & ex ijſdem principijs pendet, nam ſi iracundus multum caloris ignei habet circa cor, & pectus, cui multum ineſt caloris illi etiam ineſt multa vis extendens, & dilatans, vbi vis hæc adeſt, ibi fit dilatatio, & amplificatio, niſi quid impediat, reſtat igitur, vt iracundo dilatentur, & amplificentur

centur loca circa cor,& diaphragma,partes hæ ſunt pectus,& armi,& dorſum,iracundo igitur,& ad iram prompto adeſſe ſolet latitudo humerorum,quare, & diſtantia vnius ab altero,quare,& magnitudo,cum nihil ſit habere pectus magnum,niſi vnum humerum ab altero valde diſtare.

,, *Extrema magna, & fortia.*

Per fortia extrema intelligo robuſta, quod enim in animo forte eſt,illud in corpore robuſtum, ſicuti quæ in animo iuſtitia, in corpore ſanitas per ſimilitudinem poteſt dici. Hoc ſextum ſignum eſt, quod etiam forti conuenit, & propter eandem cauſam ad iracundum transfertur,nam ſi iracundus intensè calidus eſt,& ad ignis accedit calorem,cum multi caloris ſit dilatare, & multam ad sè materiam attrahere, neceſſario hos affectus in iracundo ſpectabimus,vbi enim eſt multa materia, & cauſa agens eſt potens, & robuſta, neceſſe eſt res magnas effici,& robuſtas etiam, hoc eſt ad agendum promptas. *Extrema magna.*

Cæterum fortè orietur alicui dubium,nunquid animoſus,vel amarus à forti,& robuſto differat, & videtur quod non, ſiquidem dicimus quod amarus habet fortia, & magna extrema,quæ eadem forti tribuuntur,amplius quod habet magnos, & latos humeros,quæ etiam omnia in forti ponebantur; at ſanè dicendum (quod ſæpè, ac ſæpius reiteratum eſt) non ſequi,ſi eadem accidẽtia duobus inſint,quod illa duo etiam ſint ſecundũ ſubſtantiam, aut ſpeciem eadem,nam,& bos, & homo mouentur,& reſpirant, nunquam tamen eadem eſſe dicentur. *Dubit.*

At bene verum eſt,quod inter ſe conueniunt ſecũdum partes quaſdam definitionis,fortis,& iracundus,quare,& rationabiliter ſi quæ in formæ partibus conueniunt,ea etiam in materię conuenire debẽt,ſunt.n.ad aliquid materia,& forma, cũ igitur viro forti cõueniat iracundia,neque ſine illa fortitudo sè promat,ſic enim Aeneam Virgilius facit iracundum, ſic Achillem dicit Homerus iracundum, & acrem. Si ſecundum animum fortis, & amarus conueniũt in aliquo vtriſque etiam eſſe idem ſecũdum aliquam partem ſubiectum corpus, eſt rationabile; Diſtingui tamen poteſt iracundus à forti,vt vegetatiua à ſenſu, nam datur vis vegetatiua ſine ſenſu,at ſenſitiua non dabitur ſine vegetatiua, ſic fortis nõ eſt ſine iracundia,datur tamen iracundus,& amarus ſine fortitudine.

Sed dices fortem fuiſſe Socratem,fortiſſimeque mortem ſuſtinuiſſe, fortem Scipionem Africanum, qui quamuis in exilium actus fuiſſet, populo tamen Romano non ſuccenſuit; neque minus fortis Sertorius, qui idem tamen mitiſſimus in omnes, ſi vnos exceperis Iberos obſides, & horum vnumquemque ita manſuetum, ita placidum legimus,vt nihil addi poſſit. *Obiect.*

An dicere poſſumus quod fortitudo duplex eſt, altera naturalis quædam propenſio ad repellenda pericula,quæ cum damno dedecus etiam adferũt,& cum hac ſemper iuncta eſt ira,ea enim præcipuè vtitur iracundiæ vigore tanquam inſtrumento, ad repellẽdum quod affligit. Altera eſt acquiſita,quæ ſecundum rectam rationem operatur,& hæc à modeſtia, à manſuetudine, & placiditate non ſeparatur, talem habuerunt viri ſupra memorati, at Achilles, Aiax,Telamonius priorem illam naturalem habebant, neq. ea plerunque ſecundum rationem vtebantur,vnde ſæuus,tam grẽcis quam Troianis fuit Achilles,& Aiax,tandem ſemetipſum occidit, cum prius furens oues trucidaſſet, Vliſſem, & Menelaum, & ipſum Agamemnonem ſe occidere clamans.

An etiam dicere poſſumus,quod duplex eſt fortitudo vna militaris,altera ciuilis, prior in agendo poſita eſt,& ſecum iram quaſi cotem requirit,eiuſque vſus eſt cum inimicis;poſterior in patiendo tota conſiſtit, & conſtantia, ſiue patientia dicitur, cuius vſus eſt præcipuus in pace, cum amicis, & conciuibus, & hæc iram non requirit,ſed potius manſuetudinem,& ab hac omnis iracundia,& omnis amarities longè abeſt,& diſiungitur. *Reſp.*

Mihi

Mihi autem videtur, quod ſecundum corpus, & ſecundum animam iracundus diſtinguatur à forti, quin & ſecundum rationem, ac definitionem, aliter enim definimus fortem, aliter iracundum, & amarum, Amplius materia fortis eſt naturalis melancholia, cum ſubdominio flauæ bilis, at iracundus puram bilem requirit cum ſanguinis ſubdominio, iracundus calidus eſt intenſiuè, ſed vt flamma facile mouetur, agitatur, & extinguitur, at fortis calidus eſt extenſiuè, & vt ignitum ferrum diù calorem accenſum ſeruat, iracundia præcipuè ſolet exerceri, cum domeſticis, cum amicis tenuioribus, cum familiaribus, at fortitudo reſpicit hoſtes, & ignotos, & in periculis gliſcit, iracundia turbat, & ſine perturbatione rationis non exercet actum ſuum, at fortitudo longe ab omni rationis turbatione poſita eſt; ex his igitur quod ſecundum actum, & formam differant clarum eſt, differunt etiam ſecundum corpus, nam caro fortis robuſta eſt, & dura, eiuſdem pectus piloſum, & crura incurua, & contractæ ſurſum carnes, quæ ſuram componunt, collum craſſum, & non vehementer carnoſum, ex aduerſo iracundus primum ſanè pectus habet glabrum, & carnem, cutimque lenem, & collum longius, neque à carne abhorrens, quare omnino inter ſe has duas paſſiones, & ſecundum animam, & ſecundum corpus differre certum eſt.

Glaber circa pectus.

„ *Lenis circa pectus, & inguina.*

Septima nota eſt, qua iracundum cognoſcere poſſimus, & hac etiam à forti præcipuè diſtinguitur, qui partes has multis opertas pilis habet, quoniam multa, lenta, & viſcida materia abundat, vt dictum fuit, ponemus igitur hanc eſſe paſſionem iracundi, ſiue amari, vt pectus habeat glabrum, & circa inguina etiam talis ſit, non quidem quod depilis ſit circa pubem, ſed inguina, vbi ſunt emunctoria iecoris nullis pilis ſunt veſtita, & ſub aſcellis vbi ponuntur, quæ cordi deſeruiunt pauci, ac rari omnino, & ſubtiles fient pili.

Sueſſanus inquit, quod qñ hæc loca ſunt glabra, denotant prædominium ſanguinis in principalibus membris, ſed quid ſibi velint, & cur id notent hęc ſigna, & quomodo ad propoſitam rem faciant, neque ille dicit, neque ego video, ac primũ ſanè ſi hæc depilatio prædominium ſanguinis denotet, nuquid deinde ſequitur, quod cui prædominatur ſanguis ille ſit amarus, & iracundus? An ex oppoſito ille eſt iucundus, mitis, & omnino placidus? Amplius in quibus prædominatur ſanguis purus, ac benignus, illos pilis refertos videmus in dictis partibus, nam calidi, & humidi ſunt, quare, & materia, & efficiens ſufficit pro pilorum generatione.

Aliam igitur, vt opinor, rationem oportet adducere, qua oſtendatur, quod iracundus, & amarus glabrum habeat pectus, & inguina, neque ſolum, credo legẽdum eſſe, glabrum, ſed etiam læuem, hoc eſt læuigatum, politum, deplumatum, non aſperum, & tactui iucundum ita vt ſit ſenſus, iracundus, & amarus, paucos, aut ferè nullos habet pilos in pectore, & circa inguina non multos, & partes has habet læues, ac politas, & non aſperas, ſed omnino tactui iucundas, & placidas, & æquales.

Quod pectus ſit depile, ac penè glabrum, & quod læuis ſit cutis, & tactio mollis, & delicata, ſic confirmari poteſt, & ex cauſa pilorum materiali, & ex cauſa etiam, quæ inſtrumentalis eſt, quæ deficit, ſi igitur cuius ſanguis eſt ſubtilis, ac lentus minimè, illi perpauce ſunt fuligines, quæ ſint craſſæ, & lentæ, & viſcidæ, cui id adeſt illi pauca materia pilorum ſuppeditatur, deficiente materia tollitur etiam effectus, ergo amaro, & iracundo non aderit pilorum multitudo, & eo magis, cum pori cutis fuerint valde laxi, nam ſic euaporat materia, neque reſtat vnde oriri poſſit pilus, cuius indicium eſt, quod qui naturaliter amari ſunt, ac admodum celeris iræ illorum dorſum ſemper vnctuoſum eſt, & pectus pariter, & inguina, quoniam ſubtilis materia eſt, quæ reſudat, & laxi meatus.

Quod autem circa pectus, & inguina ſint pori aperti admodum, cofirmatur, quoniam multum caloris ignei huiuſmodi homines habent circa præcordia, hic autem aperit, & dilatat

latat,quæ paſſio præcipuè contingit in læui,& polita cute,nam cum hæc ſit læuis, & æqualis,probabiliter etiã eſt ſubtilis,& tenſa,quare neceſſario, & apertiores in ipſa inſunt meatus; patet ergo hac duplici de cauſa, quod ſæuæ, & acutæ iræ homo glabrum habet pectus, & inguina,cutem ſimiliter læuem,& politam, & eam præſertim,quæ circa partes illas, poſita eſt, quod probare ſic poſſumus.

Primum quoniam ſubtilem habent ſanguinem,& calidum,ergo carnem laxam,& mollem,quare,& cutem læuem, & in his præſertim partibus, quæ multo calore abundant, ceu pectus,& inguina,ex quo patet hos eoſdem eſſe acutiſſimos in inuentionibus, & cogitationibus,ſed quam læuiſſimos,& in ſuis opinionibus mutabiles maximè, quæ paſſio illorum ſequitur materiam, quinimo, & timidos, & quæ phantaſmata, & nocturnos lemures plus iuſto timeant,plus iuſto etiam creduli ſunt, & qui velint ſibi alios credere, & iraſcãtur non credentibus,quæ ſunt proprietates eorum hominum,qui ſanguine bilioſo,ſubtilique abundant, & igneum calorem inſitum habent,vnde, & promptè etiam verecundantur, etenim iracundus contemptum abhoret,igitur honorẽ, & decus maximè appetit,vbi igitur timet, ne dedecus incurrat, oritur paſſio,quæ pudor dicitur.

Dubit.

An iracũdo sã guis ebulliat circa cor, dũ iraſcitur.

Sed dubitare vtique poſſet aliquis, an verum ſit quod dicitur iracundo recurrere ſanguinem,& calorem circa cor,eoque in loco ebullire,ſi igitur hoc verum eſt,vnde fit, quod irati quidam adeo clamãt,& rubri,imò punicei efficiuntur,& ſe cõtinere nequeunt, & ignem ſpirare videntur,quaſi furioſi labra diſtorquent,& loco ſtare neſciunt,hæc ſigna ſunt caloris externa corporis iam occupantis. Amplius ſi iracundo recurrit ſanguis circa cor, & eò fertur calor omnis,cũ hic recurſus caloris ad interiora, & ſanguinis timoris rationẽ intret, iratus igitur timebit,& eadem erit timoris,& iræ ratio, nam vterque affectus ſignificat recurſum, contractionem caloris circa cor, & eſſe hoc verum patet, nam eædem paſſiones vtrunque ſequuntur affectum, etenim, & tum timido ſiue actu timenti, tum maximè irato contigit ſitis,item ſilentium,vt vox exire nequeat,pallor etiam multis adeſt,pedumque multa inſtabilitas, ſunt etiam, qui in maxima ira nequeunt excrementa retinere, & præcipuè tenuiora,ſuſpirant vtriq.& metem habent turbatam,vt quid ſit ex illorum re, quid faciendum,quid petendum,vel fugiendum ſit,omnino ignorent,neque præuidere poſſint.

Ex aduerſo mihi toto genere diuerſi videntur affectus ira, & timor, diuerſæque vtriuſque potentiæ,nã ſi ex diſtinctione finis diſtinguuntur operationes, & diuerſæ operationes diuerſas potentias requirunt,quæ diuerſæ potentiæ à diuerſis formis naturalibus pendent, & cum diuerſæ formæ diuerſam etiam habeant materiam,& diuerſa corporea materia in loco diuerſo exiſtat,effectum eſt,quod nullo modo timor,& ira poſſint eſſe ſimul, aut eoſdem putari, aut ſaltem cognatos affectus, vt ſpes, & amor quorum alter,nempè amor vix vnquam,aut rarò(de venereo loquor)à ſpe diſiungitur,quam quidam poetæ amoris pabulum vocarunt,quo ſuſtinetur,ea ratione,qua ligna ignem alunt,& ſuſtinent.

Pro ſolutione huius dubitationis ſupponendum, quod qui ſanguinem habent bilioſum ſubtilem,& tenuem illi ſunt paratiores alijs ad patiẽdum,& ſeruiendum affectibus quamplurimis. Videmus enim miſericordem eundem eſſe iracundum, & ad amandum paratiſſimum,& cum amat mirificè pronum ad zelotypiam, & ad iram,& plurimum ſperare, eundemque facile timere,ita vt poſſit dicere ſe continuè,verſari

Inter ſpem,curamque timores inter,& iras.

Quinimo nõ puto ego vllũ eſſe,q ſperet,q idem nõ timeat,ſiquidẽ ſperare,eſt bonũ expectare,hoc aũt expectare eſt carere,q eſt dolere,qui vero dolet,ad iram promptus eſt; amplius,qui bonum expectat ſemper metuit ne impediatur, & ne de ſpe decidat, quare nõ eſt ſpes ſine metu,neque ira ſine dolore,adde nec erit ſpes ſine lætitia, putatur enim tanquam præſens, q ſperatur, quare plurium affectuum eadem videtur eſſe materia ſanguis tenuis, ac ſpiritus, forma vero diuerſa,prout ea materia diuerſimode afficitur, ac diuerſis etiam in

locis

locis existit. Primum igitur dicamus verum esse, quod irato recurrit sanguis circa cor, sicuti etiam timenti, sed magnopere differunt, quoniam irato sanguis accēditur, & ebullit, & sic æstuat, vt ex illa æstuatione dilatetur, & moueatur à centro calor ad circumferentiā, & secum trahat sanguinem omnem, vnde factum est, quod principium iræ, & pauoris videatur esse idem, & in vtroque affectu moueatur sanguis, & spiritus ad cor, sed in timore manet circa cor, imò circa partes inferiores, & imum vētrem calor coit, unde sequitur ventris, & urinæ fluxus, nempe calore, & spiritibus eas partes dilatantibus, & aperientibus, at in ira à corde ad superna recurrit calor, & sic ille pallor, qui in principio iræ in facie apparuit, subito euanescit, & in eius locum succedit calor, ac rubor multus.

Irator̄ passiões quæ, & cur.

Et quod quæritur, cur irati clament, maledicant, minitentur, rubri, & punicei efficiantur, oculos sistere non valeant, qui splendent, ut ignis, furiosique suspirent, labra torqueāt, stare loco nequeant, spumam ex ore, & anhelitum uehementem emittant, quod inferius excrementa exeant aliquibus, quod nonnulli attoniti uideantur, sitiant, sileāt, pallescant, Vna eademque distinctione his satisfit accidētibus, nam iram capere possumus, vel in principio cum incipit, vel cum est in fieri, uel demum quando iam facta est, & tota accensa est flamma, quæ iratum exurit, duplicemq. motum, ac duplicem statum sanguinis, & spiritū licet animaduertere; primus motus est accessus ad cor, quando nempe ex oborto damni, & contemptus phantasmate, ad cor spiritus, & sanguis recurrunt. Alter motus est, quando à corde ad faciem, & extrema feruntur, primus etiam status est quando circa cor manent, secundus quando sunt circa faciem, manus, pedes, & totum corporis ambitum occupant, quibus ita dispositis, cum quæritur cur irati clamant, minitentur, oculos contorqueant, & furiosi uideantur, inflammatamque faciem habeant, id accidit reuersis præcipitanter spiritibus, & sanguine à corde ad faciem, & secum ferētibus igneam illam inflammationem, quā circa cor cōceperūt, quę durat, donec deferbuerit; Eadē de causa agitatis spiritibus, & sanguine subtiliori, & calidiori torquentur, mordentque labra, iactant manus, & pedes, stare nequeunt, caloris enim ignei proprium est motum facere, vt frigus quietem, & statum inducit, at vehemens ille anhelitus, & suspiria, quæ in irato reperiūtur, & apparent, aliquando indicant multum caloris circa cor concipi, & hæc passio accidit, quando etiam stat calor, & sanguis circa cor, neque dum etiam totus ad extrema corporis translatus est, spumā per os, vrinam per inferiora aliquando emittunt; cum à corde spiritus, & calor affatim moueri incipit, & indistincte, tam ad superiora, quam ad inferiora uergit. Contingit igitur propellere quæ sese offerunt, dilatare, & aperire, vnde spuma, quibusdam etiam excrementa exeunt, aliquibus sudor salsus, nonnullis etiam lachrimæ, vt ait Virgilius de Gya.

Tum vero exarsit iuueni dolor ossibus ingens
Nec lachrimis caruere genæ.

Vellicat enim calor acris, & insuetus cerebri partes anteriores, & eliciuntur lachrimæ.

Si uero attoniti uidentur aliquando irati, & pleni pallore, id fit in principio, quando ad cor colligitur sanguis, & spiritus, & tunc etiam silēt, deficiunt enim circa linguam spiritus, quoniā ad cor recurrere congregati eo in loco, ubi est dolor, ut testatur Poeta quidam Italus de quodam marito, qui uxorem suam adulterium moliētem reperit, utrique (inquit) pallidi, utrique attoniti, & taciti stetere.

Irato, & timēti, quæ sint cō. mania.

Quæ igitur irato accidunt, quatenus illi sanguis, & calor fertur in cor, eadem etiam timēti eueniunt, ut pallor, & fitis, & urinæ emissio, utrique enim uehementer, ita afficiuntur, quoniam interna mirificè ex recursu spirituum ad cor incalescūt, utrisque enim cor dolet, quæ uero timētis sunt passiones quatenus sanguis, & spiritus circa cor coagulantur, & constipantur, ibique toti remanent, illæ nihil cum irato conueniunt, & quæ sunt timētis in irato non apparent, cui si quando excrementa exeunt id accidit, quoniam sub diaphragma, & in uentrem inferiorem recedit calor, unde pedes stare loco nequeunt iubente, siue monstrante

ſtrante natura, quænam debeant in timore particulariter exerceri membra, & ſi manus torpeſcunt, quæ è conuerſo in irato agitantur, pedibus tamen timor addit alas, quod ergo timidus, & iratus valdè differant patet; Bene verum eſt, quod iracundi, & timidi in ſanguinis promptitudine ad motum valde conueniunt, & aliquando iræ iunctus eſt metus, & vtrique colluctantur ſimul, & videntur circa eandem materiam fieri; ſed differunt, quoniam ſanguis in timidis currit ad cor, & ibi colligitur, vt infra feratur, in iratis ad cor colligitur, vt inde totus moueatur ſurſum; Item multus eſt calor iracundorum, paucus timidorum tenuis ſanguis eſt timidorum magis aquea tenuitate, at iracũdorum tenuitas potius ignem, & aerem refert; his igitur atque huiuſmodi differentijs, & paſſiones, & habentes paſſionem diſtinguuntur.

,, *Barbatus probè.*

Alij barbatum ſolummodo legunt, neque vocem probè adijciunt, mihi videtur Ariſtotelem voluiſſe afferre ſignum, quo iracundus amarus, ab eo qui acerbus eſt diſtingueretur, vtrique igitur tam acerbus, quam amarus prompti ſunt ad iram, ſed vnus facilè remittit, alter non facilè, diſtinguendi igitur inter ſe non ſolum aliquo ſigno ſecundum animam, ſed etiam alio aliquo ſecundum corpus, ſecundum animam ſigna ſunt, quod ille inexorabilis eſt, huius verò ira facilè miteſcit, ille triſtis eſt, hic lætus, & iucundus, ille malignus, ceù de Tyberio dicitur, hic benignus, & placidus, cum vacat ira, vt Alexander Magnus. *Barbatus.*

Item ſecundum corpus etiam probabiliter differunt, nam acerbus facie remiſſus eſt, coloris nigri, at amarus rectus eſt corpore, & colore ſubruffus, recti crinis, & nigri in acerbo, at hic, de quo, nunc agimus, capillos deorſum tendentes, & eorum ambitum florido colore, hoc eſt aureo præditum habet. Acerbi faciem, & mentum abraſum, & quaſi depilem habent, ex altera parte amari, vt pote ab illis oppoſita differentia ſecundum ſpeciem diſtincti habent mentum probè pilis veſtitum, dicimus igitur, quod amarus mentum, ac malas multa barba obſitas habet, & quod hoc ſit verum perſuaderi poteſt, quoniam contraria contrarijs concomitari probabile eſt, ſub eodem genere eſt acerbus, & amarus, & oppoſitis differentijs inter ſe diſtinguuntur, hic celeriter ponit iram, acerbus diutiſſimè ſeruat, acerbum ſequitur menti abraſio, & depiles malæ, & barbæ paucitas. Amarus verſa vice, barbam plenam, & mentum multis pilis refertum habet.

,, *Capillorum ambitus floridus deorſum tendens.*

Vltimum amari ſignum à capillis acceptum, cum proximum à barba deductum foret; capillorum dico extremitates eas, quæ frontem, & tempora, & ceruicem terminãt, horum natura eſt, vt interne nigrorem, & fuſcedinem quandam habeant, in parte autem extrema aureum quemdam colorem, quem floridum vocat, demonſtrent, cur autem vocet floridum colorem, hunc ſubaureum, ſiue ſubcroceum, quidam dicunt, quoniam talis color capillorum pulcher eſt, & decens, & talem colorem volunt eſſe in iubis leonum, flauos crines vocauit Virgilius additos Aeneæ à Venere; duo igitur in his capillis requiruntur, flauities nimirum, & extenſio, quas duas proprietates ſi cum tertia connectas pulchram facies cæſariem in homine maſculo; nam crines viriles debent eſſe nigri, aut ſubfuſci in medio, deinde in exremitatibus rutili, ſiue vt diximus aurei, demum criſpi mediocriter; quæ tertia conditio in pulchro, & manſueto viro exiſtit, at in iracundo deficit, horum cauſas, nunc afferamus. *Capillorũ ambitꝰ floridus.*

Omnia orta naturam ſuorum principiorum teſtantur, pili igitur, & capili ipſi, quoque id ſeruabunt, qui ex humorum maſſa eleuatis vaporibus à calore generantur, igitur referunt humores, ex quibus naſcuntur, qui ſunt ſanguis, & bilis flaua, hi humores, cum

purpurei sint,& ad ignitum aurum accedant,si amplius à calore passi fuerint capillos internè nigriores, externè magis ad croceum accedentes colorem facient, causam diuersi coloris puto esse,quoniam remotior est ab humido pars vltima capilli, quare siccior, & ob hoc minus nigra,ita enim natura factum est,vt quæ humore nigrescunt eadem, cum siccantur ad alborem accedant,quod in madefactis lateribus patet,atque in filo,& herbis,quæ siccari incipiunt,sic ergo,cũ interius,ac prius cutim sint subfusci,in extremo deinde flauescũt.

Dubit.

Cur in amaro non crispentur capilli.

Sed cur in amaro non crispantur,sed potius sunt plani,& extensi,at sanè cum multus, & igneus sit calor crispari deberent,ignis enim,& caloris ignei proprium est hoc,vt crispet,& corruget ea, quæ ab ipso exiccantur, quod in corio, & in hædina carta omnino patet.

Solut.

An dicendum crispari ab igneo calore intensiori quęcunque multum in se habent humoris aerei viscidi, & oleosi, qui dum ex sugitur, ne detur vacuum, necesse est corrugari meatus à, quibus exiuit exsuctus humor, at si contigerit, vel humorem non adesse in eo, quod ab igne patitur corpore, quare non educi, aut si fuerit ita probè mixtum,vt educi non possit,tunc non corrugatur corpus, aut demum si calor non fuerit adeo fortis,vt corpus omnino siccare possit; In his igitur iracũdis fortè dicere possumus,cum extremæ capillorum partes sint siccę,sed multum remotæ à calore illo vehementi, qui exsiccare potest, & calor, qui in iracundo est,quamuis sit intensus,quoniam tamen materiam habet tenuem,& ipse subtilis est, & facile remittitur, quare quo magis distat à suo principio eò minus agit, vt calor flammæ remissior est, quam prunæ, in extremo igitur capillorum,cum minimum agat calor,illos non crispat,sed planos relinquit.

Aut fortè melius dicemus,capillos fieri crispos propterea,quod meatus cutis, sunt intorti,in amaro non sunt intorti,in illo igitur capilli nõ sunt crispi,& probatur minor,quoniam in amaro calor est intensus, & subtilis admodum, celerrimè igitur fertur per poros cutis, eosque aperit, & extendit,rectos igitur facit, pili itaque sunt recti, namque exeunt per rectos meatus.

Dubit.

An ira. cũdi habeãt capillos crispos.

Sed mihi hoc valde dubium est,nam,& sensus,& ratio repugnare videtur, siquidem vidi quam plurimos iracundos, amarulentos, quorum pili in extremo erant crispi; amplius passio est præcipua puerorum, & puellarum, vt illis crispentur capilli, & hi promptissimi, sunt ad iram,quam præpropere sumunt,propereque ponunt,addatur,quod sicci est crispari,& ideo ferè omnes capilli,cum in extremo sint sicciores, non solum crispantur, & contrahũtur,sed diuiduntur,& subtiliores se ipsis fiunt;quando igitur siccissimi ferè sint capilli iracundorum, illos etiam maximè crispos dicemus, nunquid igitur mendum est in textu? An interpretabimur,quod capillorum ambitus deorsum tendens nõ denotet priuationem huius affectus,qui ponit capillos crispos,sed significet,quod hi homines,qui sunt valde iracundi paruam habeant frontem,& capillorum extremitas deorsum tendat, hoc est versus, aures,frontem,& oculos,non quod careant fronte,sed quod rotundior,& angustior in his, sit quam in acerbis,& diuturnæ iræ addictis,

Hoc idem etiam videtur cofirmari posse Aristotelis dicto,qui infra ait, qui magnã frontem habent, valde tardi sunt, referunt enim ad boues, ergo oppositio modo affecti iræ acutæ,celerisque admodum,& penè præcipitis in suis actionibus existent,& propter hoc non tardi necessario non magnam frontem habebunt, paruam ergo,& cum dicit Aristoteles in iracundo,siue amaro capillorum ambitum deorsum tẽdere,id significari interpretabimur, quod amarus paruam habeat frontem,& capillis supradictis terminatam,& si id ita intelligatur,fortè nihil aderit dubij,vt ambitus capillorũ deorsũ tẽdens quasi sit figura quędam semicircularis,& semicirculi pars cõuexa sit versus nasũ,& medius pũctus semicirculi naso ad perpendiculũ immineat extrema vero eiusdẽ iungant cũ terminis tpum, videtur aũt id respondere ẽt illi causæ,quæ facit iracundum probè barbatum,nam multus calor, multum vaporem eleuat, qui in partibus,vbi non admodum laxa est cutis, cum inciderit facile pilos mul-

los multos generat, & ſub fuluos quos floridos vocat, eſt enim quaſi flos capillorum flauus ille color, & dicetur floridus, quoniam, vel delectat, vel vt flos ornat capillos, & frontem. Qualis igitur, ex Ariſtotelis ſententia, ſit vir iucundus, & amarulentus, ex his eſt manifeſtum.

His ſignis addit Polemon, & Porta alia quædam, Polemon faciem rotundam, hoc enim mulierum, & puerorum videtur proprium, & fieri à virtute formatrice, quæ igne abundat, ignis enim aſcẽdere prohibitus, cum in ſe ipſum conuertitur globoſam facit figuram, item ſupercilia conuerſa, hoc eſt ſupercilia, ita diſpoſita, vt eorum pili quoſdam vortices, & gyros, ac circumuolutiones oſtendant, q̃ indicium eſt cauſam efficientem eſſe valde igneam, proprium enim ignis eſt, & flammæ ſuam extremitatem in gyrum conuertere, & quæ ab ipſo mouentur eadem ratione in circulum torqueri, quod aſpectanti flammam caminis brumali tempore accenſam conſtabit.

„ *Nares concauas.*

Patule nares.

Ego patulas legerem, quales habent generoſi, & iracundi equi, capita alta ferentes, hoc enim illorum proprium eſt, & caloris ignei prædominiũ circa cor mõſtrat, quare multum aeris, cum requirant ad refrigerandum multum cordis calorem, etiam inſtrumenta, quæ multum aerem poſſint recipere illis aſſignantur, adde etiam acutum naſum, quorum enim extremitas naſi eſt acuta illi ex ipſo met Ariſtotele, ſunt ſæuæ, & præcipitis iracundiæ, in acutum enim deſinit ignis, quare, & quæ ab ipſo non impedito fiunt, ea etiã acumen, quoddam referunt, hac eadem ratione quorum digiti ſunt acuti adamodum, & caput etiam, ſęua iracundia erunt præditi, hos vocat Ariſtoteles habere caput pineatum ad inſtar fructus pini arboris, & notat impudentia. Sed, qui impudens eſt, non videtur eſſe iracundus, nam deſpicit honorem, & infamiam impudens, qua potiſſimum mouetur iracundus.

An dicemus iracundum, & impudentem in hoc conuenire, quod vtrique ſunt audaces, & prompti ad petendum, & ad exequendum, quod concipiunt, valde tamen diferũt, quod impudens æquo animo propter admixtam melancholiam, vel pituitam tolerat repulſam, & vna atque altera deterreri nequit, at iracundus nullam repulſam pati poteſt, quatenus igitur in aliqua parte ſecundum formam conueniunt, eatenus etiam ſecundum materiam, & corpus conuenire non eſt difficile, multa alia addit Porta, quod frons ſit circularis ad medium ſui declinans, vt ſupra dicebamus, quando explicabatur Ariſtotelis textus dicentis, ambitus capillorum deorſum tendens, quod ſit tumida frons, & tempora, quod ſupercilia tortuoſa, quod in vorticem ſe ſe promant capilli in ſincipite, & quaſi criſtam effingãt, quod color carnis ſit mellinus, vel citrinus (ſed hos non puto iram facile deponere poſſe, vt faciũt qui candidi, cum rubore ſunt) quod dentes ſint admodum acuti, & recti, quod vox in principio ſit grauis in fine acuta, & intenſa, collum craſſiuſculum, longum, venis ſanguineis ap parentibus refertum, lingua velox, pectus flammeum ſiue rubeum, guttur aſperum, & lanringis bronchium ſiue angulus exterior prominens, huius etiam ait eſſe proprium inter loquendum maxime iactare digitos, oculos habere ſanguineos (dicerem rubros, & igneos, quales ſunt luporum, & leonum) ſplendidos, & ſiccos ex Plutarcho, idem Porta in iracundiam pronos eos appellat, quorum oculi ſunt truces, os turbidum, ac ſpumoſum, immaniter clamantes, ſermone præcipiti loquentes, manus iactantes, ſed quam dicit fædam viſu faciem Ariſtotelicis pictis conuenire non videtur, ſecundum ipſum enim, non eſt turpis omnino iracundus.

DE MANSVETO

Cap. XVI.

Mansueti signa. Grauis specie, carnosus, caro humida, & multa: bonæ magnitudinis, & commensuratus: figura curuus, cursus capillorum sursum vulsus.

Mansueti signa.

QVinque signis corporeis docet Aristoteles cognosere paratum ad mansuetudinem, at primum, cur de mansuetudine, nunc agitur, dicere possem, species iracundi contemplatæ tuerunt, nunc ad mansuetum se conuertit, contraria, namque sunt, at contrariorum est eadem ratio, ac scientia, aut certè non est necessarium inducenti per omnia discurrere singularia, sed quæcunq. se se offerunt illa concipit, magis autem ocurrunt, quę sunt cognata, quam diuersa: cognata autem sunt, quæ sunt ad aliquid, quæque sunt sub eodem genere posita, cèu contraria; iure igitur mansuetudinis, postquam de iracundia, atque ipsius speciebus tractauit, signa quædam affert.

Est mansuetudo virtus, quæ vsum ire moderat, atque cohibet secundum, quod recta ratio præscribit, ac postulat, recta ratio est, quæ laudabilem causam, & iustam nobis mõstrat irascendi, & iterum ab ira desistendi; hoc fit si rectè considerentur circumstantiæ, nempè quibus sit irascendum, propterquam causam, quomodo, vbi quando, & quousq. non enim irascendum est superioribus, & maioribus, aut rebus inanimatis, aut ratione carentibus, aut ijs, qui nolentes, & nascientes in nos peccarunt, & causa propter quam ille peccarit contemplanda est; non enim, qui Theophilum Imperatorem Constantinopolitanum, olim multis conuitijs, & contumelijs impetuit, cum insanus nesciret, quid ageret debuit ideo morte multari similiter, neque Romani quidam milites iure irascebantur, cũ illis rem Romanam deserere volentibus se se opposuit exerto ense Scipio, quomodo etiam, & quousq. nam cum sis mortalis non est seruanda ira immortalis.

Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Loci etiam, & temporis ratio habenda est, nam in templo, coram principe in propria, in aliena domo, aliter, atque aliter procedere debemus, de quibus alibi fusius dictum fuit. Quod igitur mansuetudo sit clarum, at si potentiam spectemus, hoc est naturalem habilitatem ad suscipiendam eam virtutem mansuetudinis, quæ dicitur acquisita, cum hæc potentia sit naturalis qualitas, ergo forma in materia, & si certa qualitas, & forma certam videtur etiam requirere materiam, quæ rationem, ac vim sustineat illam, secundum quam dicimur prompti, ac magnopere habiles ad capiendum habitum mansuetudinis.

Si ergo acerbitas in melãcholia, & bile posita est, amarities autem in prædominio bilis, cum sanguinis subdominio, sanguisque causet, quod bilis accensio non diu duret, sed retusa eius siccitatem propter præsentiam humidi benigni in sanguine reperti citò desinit, ac placidus efficitur amarus, restat igitur mediam dispositionem, non in pituitæ prædominio positam esse nam insulsa est pituita, non in atra bile, cum eadem pituita, sic enim fiet insensatus, & plumbeus æque, ac asinus, ergo in puro sanguine, cum subdominio bilis, & pituitæ in portione æquali ponetur ratio mansueti, parum declinantis ad oppositum iracundiæ, & ad defectum potius, quam ad excessum, quoniam sanguis calidus est facile accendi potest, sed quoniam humidus, & aereus facile ẽt refrigeratur, neq. vehemens est, siccitate enim calor acuitur, humiditate retunditur, at quoniam bilis non deficit, promptitudo non abest in actionibus, & deficiente quantitate melancholiæ, non permanet tristitia, & acerbitas, sed immemor est iniuriarũ mansuetus, neq. illos persequitur, nisi prout recta ratio postulat, &

efficiens

efficiens cauſa manſuetudinis ea eſt, quæ ita adamuſſim hanc materiam humorum miſcuit, vt hæc habilitas potius, quam oppoſita reſurgeret, de qua iam ſupra dictum fuit, & ſicuti virtutum omnium, ita huius habilitatis vna prima cauſa eſt Deus, ſecundariæ cœlum, cœlique diſpoſitiones, locus, regio, patris, matriſque temperatura, tum ſimpliciter, tum eo tempore, cum ſemen emiſerunt, & genuerunt hominem, adde cibum, & potum, & animi accidentia, adde educationem, atque inſtitutionem cuius eſt momentum maximum, & quęcunque corporis humani temperiem poſſunt alterare, & mutare animum, quibus principijs ſic conſtitutis; Nunc qua ratione demonſtrari poſſint paſſiones, quas Ariſtoteles ait reperiri in corpore hominis naturaliter inclinati ad ſuſcipiendam virtutem, & habitum acquirendum manſuetudinis dicamus.

Grauis ſpecie.

Eſt manſuetudo, de qua nos loquimur, potentia naturalis ad ſuſtinendas contumelias, & mala mediocriter, quæ in quiete ſanguinis puri, & bilioſi circa cor moderatè incaleſcentis conſiſtit, erit igitur grauis ſpecie, hoc eſt eius figura, & corporis effigies grauitatẽ quandam præ ſe feret; grauitatem in moribus appello ſecũdum apparentiam eſſe, quando in facie, geſtu, totaque perſona apparet quædam qualitas, qua aſpicientes perſuadentur, hominem non niſi ratione recta monſtrante, de propria opinione decedere, quando autem iam habituata eſt, dicitur firmitas, & conſtantia quædam animi in vultu, in ſermone, in motibus, in rebus agendis apparens, quæ propria eſt virorum, vt ferocitas iuuenum, inconſtantia puerorum. ex his igitur clarum eſt, quid ſit homo ſpecie grauis, quod ineſſe manſueto probabitur, nam manſuetus eſt ille cui quieſcit ſanguis circa cor, neque multo calore eius humores in ventriculis cordis agitantur, qui talis eſt de propria opinione leuiter non mouetur; illi igitur ineſt conſtantia, & firmitas in verbis, & in vultu hanc qualitatem diximus grauitatem referre, ergo manſuetus figuram grauẽ repręſentat, propoſitiones aſſumptæ, ex terminorum definitionibus confirmantur. *Grauis ſpecie.*

Carnoſus, caro, humida, & multa.

Secundũ ſignũ eſt, manſuetũ eſſe carnoſum, & multã, eamq. humidam habere carnem, id confirmatur; nã caro eſt ſoboles ſanguinis, & eius, qui maximè probus eſt, & ſm̃ naturã diſpoſitus, alimur. n. dulci tantum, dulcis autem in corpore humor ſanguis eſt, ubi igitur multus, & benignus ſanguis ibi multa caro, quare cum in eo, qui manſuetus eſt reperiatur multus ſanguis, & purus, ut diximus, patet illũ ẽt eſſe valde carnoſum, quoniã aũt tẽperies illius eſt ex prædominio ſanguinis cum pituitæ ſubdominio, patet humidum in ipſo præualere, eſt igitur, tũ ratione ſanguinis, tum ratione pituitæ temperies hæc paulo humidior, & cũ qualis eſt temperies talis ſit caro, neceſſe eſt manſuetum habere carnem non ſolum multam, ſed etiam humidiorem, quare non duram, manſuetus igitur non eſt robuſtus, ſed quoniam multus adeſt humor, & mediocris calor, manſuetus ad inſenſatum magis, quam ad ingenioſum accedet, ſpiritus enim acres (ut dictum eſt) ingenioſus requirit. *Caro multa.*

Bonæ magnitudinis, & commenſuratus.

Duo continet hoc ſignum, vnum reſpicit quantitatem, alterum qualitatem, manſuetus igitur dẽt eſſe bonæ magnitudinis, hoc eſt mediocris ſtaturæ, & magis uergens ad magnitudinẽ, quã ad paruitatẽ, qm̃ nimis magni sũt penè inſenſati, & quaſi caudices, uel aſini; unde fuit dictum, homo longus raro ſapiens, neq. n. facilè magna moles moueri poteſt, & qm̃ cor nimiũ à cerebro diſtat refrigerãtur ſpiritus, priuſquã ad ipſum perueniãt, & in tã lõgo motu fatiſcũt, neq. calor cordis tẽperat, pvt ipſi natura poſtulat, ſi vero iuſto minores fuerint in paruo corpore cõfundũtur ſpiritus, & plus iuſto incaleſcũt; reſtat igit̃, vt magnitudo *Mediocris molis, & cõmenſuratus*

debeat esse moderata, & ad excessum magis, quam ad deffectum accedens, in mansueto;

Et id quoniam sunt multæ carnis, multique nutrimẽti, & laxi, ac molles, materia autem mollis facile cædit calori, quare mansuetus necessario habet corpus mediocriter magnum, præualente scilicet temperato calore, & agente in humorem benignum, & obediẽtem materiam, est igitur bonæ magnitudinis mansuetus, Nec non etiam commensuratus, illum voco commensuratum, cuius partes corporis naturalem seruant inter se proportionem, id autem fit, quando vna alteram excedit, aut illi æqualis est, secundum quod, vt plurimum fieri solet à natura.

Mãsuetus cur sit cõmẽsurat'. Dico igitur sic mansuetum esse commensuratum, causam puto, quoniam mansuetus est ille, cuius materia calori naturali est obediens, & facile alterabilis, & mobilis secundum naturam, cuius materia talis est, ille efficitur commensuratus. Minorem supra confirmatam vidimus. Maior ex se clara est, nam incommensuratio, quæ in corpore humano, aut in animalibus etiam alijs ineſt, si ab interna causa oritur ea fit, vel propter agentis imbecillitatem, vel propter materiæ inobedientiam, vel demum propter vtrumque, quare si proposita causa propositum producit, oppositam oppositum facere probabile est, incommensuratus est immansuetus, mansuetus igitur est commensuratus.

,, *Figura curuus.*

Quartum est mansueti Signum. curuitas rectitudini opponitur, quamuis autem hominis, figura tam ad latera, quam ad posteriorem, & anteriorem partem incuruari possit, attamen, quoniam magis secundum naturam est incuruari ad anteriorem partem, quam ad alias vllas, & secundum naturam dispositus est mansuetus, ad anteriora incuruari, si futurus est curuus, non autem ad posteriora probabile est, neque curuatio est multa, neque circa scapulas sic enim videretur gibbus potius, quam curuus, sed incuruari solet circa principia, & vertebras lumborum, & vbi vltimæ costæ nothæ dorso, scilicet spinæ iunguntur.

Quod autem mansuetus sit curuus mediocriter, videmus, quoniam senes, qui minus iracundi sunt quam iuuenes, incuruati incedunt, amplius, qui irascuntur caput attollunt, & se ipsis videntur fieri rectiores, spiritibus scilicet, & multo calore caput, & faciem petentibus, qui igitur contraria dispositione afficiuntur probabile est, etiam circa corpus affici diuerso, & oppositio modo, sic ergo mansuetum incuruum esse credibile est, causam puto ex supradictis inferendam esse, nam si mansuetus plerunque magnum corpus habet, & molle, & calorem temperatum, cum qui tales sunt naturaliter incuruentur, mansuetum igitur curuum esse dicemus maiorem confirmare oportet, quæ tunc clara erit si cõsiderabimus, quia contingit homines naturaliter secundum figuram incuruari; certum est senes, qui grandiori, & longiori, sunt corpore incuruari, cum seneſcũt, senes autem fieri frigidiores secundum naturam, quam iuuenes essent, ergo propter defectum caloris incuruatur corpus, conspicimus etiam aliquos adolescẽtes, qui cum vix puberes sint, & multum excreuerint incuruari, aut quoniam corporis materia nimium mollis est, aut quoniam calor naturalis non possit totam illam corporis molem rectam sustinere; legimus, & audiuimus, cum Imperatore Carolo Quinto fuisse quemdam gigantem, qui excedebat mensuram septem pedum, hic vix incædere poterat, & incuruatus semper, in manibus Scipionem, quo se sustineret ferebat, ratio igitur hæc est, quoniam corpora longa, & ex molli materia constantia, quę multũ non excedunt in calore illa incuruantur, pondere nimirum ad terram vergente, & calore, ac spiritu præsui tenuitate illud ipsum non sustinente, nec erigente, quod si hoc verum est. Non solum propter caloris impotentiam, sed etiam propter materiæ mollitiem incuruari necesse est corpus, colligemus igitur iure dictũ fuisse corpora longa secundũ figuram, molliaq. secundum materiam, & temperata secundum calorem incuruari, ex quo sequitur, & mansuetum esse curuum secundum figuram, hoc est leniter, neque indecore curuari, quam pas-

Cur sit curuus.

sionem

ſionem in plurimis manſuetis videmus, neque fere vllum talem obſeruauimus vnquam, qui idem manſuetus non fuerit, & moderatus etiam, niſi ex catarrho, aut ex aliquo exter no accidenti incuruari illum contigerit.

„ *Curſus capillorum ſurſum vulſus.*

Vltimum ſignum, quod non parum dubium videtur, quid ſibi uelit curſum capillorum ſurſum velli, aut verti; Sueſſ. vt ſemper, nihil addit, niſi quod hoc ſignum refertur ad leporem, & ad ceruum, & ad oues, ſed qua ratione hæc animalia pilos habeant ſurſum verſos, neque ille, neque alius, nec minus ego vidi; certum eſt ouium eſſe pilos implexos, & annuloſos, leporũ autem, & cerurũ planos; alij ne uerbum quidẽ addunt, quod ſi aliquid diuinandum eſt, in memoriam reuocemus, in figura iracundi, & amari nos dixiſſe illum ipſum habere ambitum capillorum deorſum tendentem, cum autem iracundus ſit manſueto oppoſitus, an dicendum eſt iure manſuetum habere capillos ſurſum uerſos? qua ratione igitur expoſitum eſt ſuperius ſignum, & cõfirmatum, eadem ratione, ſed ex oppoſito nunc id, quod proponitur declarandum erit.

Cur mã ſueti capilli ſit ſurſum verſi.

Diximus ambitum capillorum deorſum tẽdere in iracundo, hoc eſt ante frontem incuruari, & deſcendere, & illam in medio præcipuè anguſtiorem facere, qua ſcilicet parte imminet naſo, rationem attulimus, quoniam id in leonibus, & in tauris conſpicimus, & cauſa eſt multus calor ad eam partem delatus, qui cum eo deducat materiam multam pilorum, neque rara admodum ſit cutis; nam ſicuti moderatus calor dilatat, ita multus, ſed non in ſummo, corrugat cutim; effectum eſt, ut eo in loco multus capillus naſcatur, multuſque promineat, unde etiam adoleſcentes noſtrates cum ſe pulchros, generoſoſque monſtrare velint, hanc partem crinium præcipuè alunt, & affectant, vtpotè qui ſe credunt ſic animoſiores, & magis uiriles apparere, quod ſi eſt, quod diximus verum, ex oppoſito per curſum capillorum ſurſum vulſum intelligemus, quod frons ſit magna, & capilli non deſcendant in frontem; ſed ſicuti in iracundo conuexum arcus, quod faciebant extremitates capillorum erat verſus naſum, & oculos, ita nunc ex oppoſito concauum arcus reſpiciat oculos, & frontem, & conuexum uerſus capitis apicem ſit poſitum, & hoc ſit, quod dicitur, curſum capillorum, hoc eſt extremitatem capillorum, vbi incipit frons eſſe ſurſum vulſam, ſiue conuerſam, hoc eſt oppoſito modo diſpoſitam ad ea, quæ in iracundo, & amaro exiſtebant.

Quod aũt manſuetus ſit talis patet, namq; animalia magnam frontẽ habentia manſueta ſunt, ut boues, ut cerui, & lepores quæque animalia ad manſuetudinem inclinant à frontis magnitudine non abhorrent, cãuſam autem huiuſmodi paſſionis talem poſſumus aſſignare; Quibus moderatus eſt calor, & circa cor, & circa faciem, ac cerebrũ illi non multum fuliginoſi uaporis eleuatur, quibus autem id contingit deficit materia capillorum, & præcipuè circa eas partes in quibus minor eſt naturalis aſcenſus talis fuliginis, hæc autem ſunt frons, & partes, quæ ſunt in extremo frontis, quæ primæ, & caneſcunt, & caluеſcunt: ergo manſuetus capillos ſurſum uerſos habebit, & frontem magnam, quod fuerat probandum.

His adiũguntur à nõnullis conſtans intuitus, tardus motus, uox grauis, tarda, & mollis, at de intuitu conſtanti, quid dicã non habeo, impudentis enim paſſio potius eſt, quam uiri manſueti, qui plerunque etiam modeſtus eſt, niſi per conſtantem intuitum intelligamus, eum, qui irato, & iram concipienti opponitur, quem intuitum expreſſit in Didone Virgilius, quæ dum Aeneam audiebat

—Iam dudum auerſa tuetur
Huc illuc voluens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis.

Quare ſicuti iratus oculos huc illuc uertere ſolet, ita ex aduerſo manſuetus conſtantes habet oculos, non quod in uno obtutu defixus hæreat, ſed in medio diſpoſitus, quæ aſpicit

quiete

quiete tuetur, tardus motus, à moderato calore prouenit, qui etiam uocem tardam, & mollem propter multam humiditatem facit, eandemque grauem, grauitas enim quieti, ut acumen uocis motui accedit, quæ enim sonum grauiorem faciunt tardiori motu feruntur, quã illa, quæ acutum producũt, quare cum mansuetus temperatum calorem cum humido iunctum habeat, iure dicimus illum etiam habere vocem mollem, tardam, & grauem.

Not. Notandum semper tamen, quod vna tantum nota, aut etiam duæ ex his non possunt inferre, quod homo sit mansuetus, neque enim hoc dicitur, sed quod mansueti omnes, vt plurimum, talibus sunt præditi qualitatibus, & signis circa corpus, quibus possunt cognosci, & hæc omnia obseruantes possunt putare esse verum, quod passiones animæ in corpore habeant aliquid, quod illis respondeat, & vt anima equi, vel bouis nõ habet corpus canis, vel cerui, sed certa anima certum requirit corpus, cuius sit actus, ita etiam passiones, & inclinationes animę certam corporis petunt dispositionem secundum quam passio illa, & sustineri, & exerceri possit, cum corpus animæ sit, & subiectum, & organum potentiarum eiusdem.

DE SIMVLATORE. Cap. XVII.

Simulator. Pinguia, quæ circa faciem, & quæ circa oculos rugosa, somnolenta facies de more videtur.

CVius figura hic describitur, εἴρων græcè dicitur, quem non simulatorem, sed potius dixeris dissimulatorem, cum nempè, qui cum alios iuuare possit, se posse negat, qui est, vt ait Horatius.

Dissimulator opis propriæ, sibi commodus vni.

Simulator enim profitetur esse, quæ non sunt, at dissimulator vult persuadere ea non esse, quæ sunt, cui opponitur insolens, & arrogãs, qui persuadere vult se posse, & scire ea, quæ neq. põt, neq. scit vllo mõ, ego tñ hoc loco non dissimulatorẽ tm̃, sed ẽt simulatorẽ, & extenuatorem rerum suarum, & aliena cum irrisione extollẽtem, & oĩno non vera dicentem, & cauillatorem notari censeo, & eum, qui res, ac verba cum irrisione in deteriorem partem capere solet, huius, ex Theophrasto, mores sunt, vt inimicos suos adire, & illos alloqui possit, coramque laudare, quibus insidiatur, quod de Domitiano scribit Suetonius, qui auctorem Summarum pridie, quam crucifigi mandaret in cubiculum vocauit, assidere in toro iuxta se coegit, securum, hilaremque dimisit, partibus etiam de cæna dignatum, quod pariter in alios, & in virum quemdam consularem fecit, nam cũ sequenti die illum capite esset damnaturus, secum tamen in rheda gestauit, & in maiori, quam prius gratia habuit, & cospecto eiusdem accusatore, vis, ait, cras hunc nequissimum seriũm audiamus? quis igitur sit dissimulator, & mẽdax, ex his patet; cur autem nunc Aristoteles potius meminerit huius, quam alicuius alterius potentiæ, vel dispositionis, ait Suessanus, quod hactenus oppositos habitus, aut per oppositas dispositiones processit, nunc alterum tãtum habitum explicat; at ego admittendum non puto Suessanum, quasi quod dissimulator non habeat contrarium, aut quod cynædi contrarium exposuerit, quare responsio nulla mihi videtur, Dicerẽ igitur, aut Aristotelem nullum seruasse ordinem, & illa assumpsisse, prout se se offerebant, vt suam statueret inductionem, Vel forte melius, cum passionum, & inclinationum, quæ in anima reperiuntur quædam clarè pendeant ab humorum massa, & mixtione, quædam autem obscure, & appareant à ratione, siue ab vsu, & instituto pendere potius, quoniam quamplures

earum

earum, quæ sunt prioris generis sumpsit Aristoteles, nunc ad alias quasdam, quæ potius secundum placitum, & ex habitu, quam secundum naturam nobis inesse videntur, enumerandas, & contemplandas se conuertit, vt sua inductio maiorem vim habeat, vel etiã dicemus, cum passionum, quæ nobis insunt, aliæ sint simplices, aliæ compositæ, & de simplicib. quasdam enumerauerit, nunc aliquam compositarum etiam attert, mihi autem videtur passionum, siue potentiarum materiam posse armonijs probè comparari, quarum quædam, sunt quodammodo primæ, vt diapason, & diapente, quædam vero ex his componuntur, atque in has resoluuntur, sic etiam iracundia, mansuetudo, iucunditas, & iustitia, timor, & audacia, & his cognatæ, & similes inclinationes, videntur esse simplices quodãmodo, nũ ex certa humorum simplicium mixtione oriuntur, at dissimulatio veracitas, promptitudo ad lu-
10 dendum, alienorum desiderium, munerum amor, & his opposita non ex vno humore, aut simplici humorum mixtione, sed multiplici, & composita videntur oriri, animaduertimus enim in amatore munerum esse auaritiam, & ambitionem, auaritia quatenus rei familiaris suæ amittendæ significat timorem, ponit frigus, & atram bilem, quatenus autem auiditatem rerum alienarum dicit calorem, calidi enim est attrahere, ambitio audaciam denotat, quæ timori contraria est, & honoris desiderium, quod nequaquam cum auaritia conuenit, vnde verissimum est, quod dicebat Plutarchus virtutem esse æqualitatem, & identitatem quamdam, quæ nullum contrarium secum admittit, vitium autem inæqualitatem, compositionem, & oppositorum mixtionem.

Hac forsan ratione dicere possumus, post enumerationem earum passionum, quæ sim-
20 pliciter à materia pendere certum est, ad has quæ materiæ compositionem requirũt etiam recensendas animum adiecisse Aristotelem, si ergo dissimulator ille est quem recẽsuimus, quænam eiusdem sit materia quærẽdum est, nam potentia quædam naturalis est, forma igitur in materia, iam enim supra etiam ex Aristotelis sententia confirmatum fuit omnes illas qualitates, quæ in anima apparent, & quatenus ope propriæ exercet operationes animæ esse in materia, & certam requirere materiam in qua existant. Hoc enim est omnis naturalis formæ proprium, vt sit alicuius materiæ actus, & perfectio, quæ igitur erit dissimulationis? si perpenderimus quid nam illa sit, & quomodo fiat, forte innotescet.

Descripsimus supra qualis esset dissimulator, & mẽdax, qui cum irrisione in deteriorem
30 partem semper aliena dicta factaque trahit, huius nunc definitionem, quæ demonstrationum futurarum sit principium afferre tentemus, dicentes dissimulatorem esse, qui quod potest in alienum commodum, se posse negat facere, aut dicere, non sine irrisione tacita, aut apparenti; mendax igitur est, quoniam irridet contemnit, & quoniã alios iuuare non vult, non est benignus, sed inuerecundus, & inhumanus, & cum contemnat alios, paratissimus est ad iram alijs excitandam, quare, & odio habetur, & quoniam irridet falsus est, quare, & aliquando iucunde auditur, fænum igitur, vt dicitur in cornu habet, & propterea quod ridet, nescias vnquam verum, an falsum, ioco, an serio loquatur, similiter eius propriũ est omnia sua occultare, aliena propalare, diffidere omnibus, neminẽ sibi vere amicum crede-
40 re, cum ille nullum amet, se à nullo amari, etiam sibi facile persuadet.

Dissimulationis materia.

Dissimulatoris proprietates.

Ita autem factum est, vt dissimulatoris viri, & mẽdacis hæc sit natura, vt nunquam rem dicat, prout est, augeat, alteret, minuat, semper excusationib. plenus, semper iudicium dat de rebus, quas refert, nec sibi constat, huius igitur ingenium, & natura non simplex, nõ aperta, sed astuta, & callida est, & ad decipiendum parata, vt huiusmodi homines magis, quam viperas, summopere fugere, & abhorrere debeamus, si igitur res ita se habet, vt Theophrasto etiam videtur, clarum est, quod nõ sine atra bile huiusmodi passio esse potest, hæc enim terram refert, vt autem plurimæ sunt terræ species, vt in primo cœli, & quarto mereororum dictum fuit alias, ita etiam plures sunt species, ac differentiæ melancholici humoris, terram autem videmus esse obscuram, grauem, frigidam, & quamdam densam tenacem fructus

sine

ſine labore non patientem, plerunque decipientem, & frugum ſpem mentiẽtem, quatenus igitur non eſt benignus, neque humanus, & alios contemnens, & deſpiciens aliorum iudi-
tium, & bonum nomen eatenus in ipſo abundat melancholia, & ea præcipuè, quæ ex amara, & flaua naſcitur bile cum aduritur, ſic enim refert terram illam, tenacem, duram, & ſal-
ſam in qua nihil ſucci dulcis, cum reperiatur, nullum etiam plantæ genus nutrit, eadem ratione probatur in hoc præualere melãcholiam, quoniam ſuâ occultat, & tenebras factis, ac dictis ſuis obducit, ſola enim terra inter omnia elementa obſcura eſt, & non diaphana, & quoniam irridet alios, hoc eſt alios in turpitudine ſe deprhẽdere putat, etiam ſolus ſibi ſapere videtur, ideo ſe præſtare cæteris credit, ſuperbus eſt igitur, & propter hoc etiam in eodem bilis flaua dominatur, ita vt ex vtriſque flaua ſcilicet, atque nigra exuſta fiat miſcel- 10
la intemperata, vbi aliquando hac, aliquando illa præualente, aut calorem ſuſcipiente, mo
do obſcurus ſuorum depreſſor videatur, modò irriſor, ac falſus alienorum ſubſannator ap-
pareat, in ipſo igitur hos duos humores melancholiã, & flauam bilem, ex aduſtione exu-
perare probabile eſt, cuius rei inditium quod melancholica laborantes paſſione, cũ con-
tingit illum ipſum humorem aduri, ſic irridentes, & ſubſannantes videmus ſine cauſa præ-
ſentes, & ſe valde extollentes, & multa fiducia plenos deſpicere omnes alios, ſicuti autem in laborantibus hæc per accidens contingere aſpicimus, ita & in his, qui cum ſani ſunt pro-
ximè tamen accedunt ad talium ægrotantium diſpoſitionem, eadem fieri poſſe ex tempe-
rie naturali putandum eſt, vt in prognoſticis Hipp. fuit dictum; prædominium igitur eſt melancholiæ cum flaua bile, quæ duo ſimul nectuntur mediante pituita craſſa, vitrea, & 20
frigida, & qui ſortitus eſt tempetiem hanc malignus eſt, & propoſiti mali tenax, & ratione frigoris agere non vult, quamuis ſuadente bile flaua multùm ſe poſſe putet; vnde effectum eſt, vt vitream faciem vulgo habere dicamus talẽ hominem, & quendam in eius vultu al-
borem, cum pallore lucenti iunctum aſpiciamus, quis igitur ſit diſſimulator, & quomodo hæc potentia poſita ſit in prædominio flauæ bilis amare, ſeu vitellinæ, quæ perexuſtionem deinde atra, & acerba fiat cum ſubdominio pituitæ vitreæ, ex his non omnino irrationabi liter colligi poteſt; quæ habilitas tunc ad actum exibit, cum ſenſus phantaſmata producet, quæ ad hanc potentiam mouendam ſint conuenientia, & niſi vetuerit ratio, aut inſtitutio, & educatio cum ad actum venerit operabitur, & ſi ſæpius id faciet introducetur habitus, ſecundum quem homo, diſſimulator, & mendax, & cauillator dicetur. 30

Pinguia, quæ circa faciem.

Huius igitur hominis, inquit Ariſtoteles, partes, quæ ſunt circa faciem, eſſe pingues, vt genas, mentum, collumque, ſiue gulam, non dicam autem frontem, quoniam id ad inſen-
ſatum referebatur, quod igitur diſſimulator talis exiſtat, exemplo Socratis, cuius hoc erat priuatum vitium, confirmari poteſt, & etiam Domitiani, vtrique autem pinguem habebãt faciem, & maxillas, & mentum, quod etiam viſum eſt in Vitellio eodem penè vitio ſecun-
dum animam, & ſecundum corpus laborante, quamuis huic præter pinguedinem accede-
ret etiam rubor quidam, qui illum ſemper ebrium eſſe dicebat.

Pinguem eum vocamus cuius calor cum multo humido alente eſt temperatus, quod e- 40
nim poſt nutrimentum reſudans ad membranas peruenerit frigore, ac denſitate illarum collectum, efficitur pingue, quare neceſſe eſt multo humore cum mediocri calore tempe-
ratam eſſe eam corporis partem, quam dicimus pingueſcere, hinc factum eſt, quod in quie
te animalia pingueſcunt, quoniam remittitur calor ſi probe nutriatur, & nutrimentum con
coqui contingat. Cum igitur diſſimulator, & mendax ille ſit, in quo bilis aduſta, & pitui-
ta præualeant, remiſſum ergo quodammodo habebit calorem naturalem, & cum inuere-
cundus ſit circa faciem non laborabit, neque multus eò feretur calor, quare diſſimulatori, & mendaci quies eſt ſecundum vultum, parti corporis cui accidit quies, illi etiam ineſt mo-

deratus

deratus calor, hic autem si tantus sit, qui possit attrahere, concoquere, & adiungere, non autem resoluere, facit partem cui adest pinguem, ergo dissimulator est secũdum faciem talis.

An fortè breuius? dissimulator, & mendax est circa faciem carnosus, quoniam multa pituita eademque crassa abundat? secundum cuius motum, & habitudinem varia mendacia fingit; proprium enim est aquæ si crassior est inæqualiter, imagines nunquam eodem modo, quo recipit reddere, vnde diuerso modo in aere, & in aqua apparent, quæ in vtroque elemento conspicere contingit, sic ergo, qui dissimulator est, ac mendax, circa faciem est pinguis.

,, *Et quæ circa oculos rugosa.*

Circũsita partes oculis rugosa.

Palpebras, & circum circa positas partes rugosas dicit, est ruga cutis duplicatio receden te eo, quod cutem extendebat, hoc autem, vel humor est, vel spiritus, quibus igitur circa oculos pauci sunt spiritus, & paucus sanguis subtilis illis insunt rugæ circa oculos, & oculorum angulos, quæ passio in senibus, & in his, qui non probe dormierunt, & in his qui multũ lachrimarunt aut veneri operã dederũt spectatur, deficiẽte sanè, vel humore, vel spiritu, vel vtroq. quib. partes prius distendebãtur, si ergo dissimulator, & mẽdax predictæ est temperaturę, ẽt inuerecũdus est, vnde nihil patitur circa faciẽ, ppabile est paucos spiritus ex se circa caput habere, & per accidens paucos ẽt eò ferri, quare factum est, vt rugosos habeat oculos.

Aut veneri operum dederũt.

Sed dubitandum est, an sit verum, quod dicitur, primum quod pars, quæ non mouetur, neque exercetur sit pinguior ea, quæ exercetur, & mouetur, nam videtur hoc esse falsum, apparet enim exerceri, & moueri dextram, quiescere sinistram, & tamen semper sinistra est tenuior, & minus pinguis quam dextra.

An dicendum, quod supra etiam tetigimus, nempè quod calor idem respectu earumdem partium, si illarum sit æqualis motus, & vsus, cæteris æqualiter se se habentibus secundum naturam, partes illas etiam æquè nutrit, & auget, at si contigerit motum vnius partis augeri inæqualiter magis nutrietur hæc altera pars manebit in suo statu, vel dico motum posse capi dupliciter, aut enim est proportionatus ei, quod mouetur instrumento, & membro, & sic membrum, quod exercetur crescit; aut improportionatus, est iustoque maior, & tunc tantum abest, quod vegetum magis, & robustũ reddatur membrum, quin strigosius, & tenuius apparet, quod in equis Claudianis, ac militibus notatum fuisse ab Asdrubale scribit Liuius. Cum ergo motus dextrę fuerit illi proportionatus calor fit magis vegetus, magis igitur attrahit, perfectius cõcoquit, & apponit membro, neque enim tantus est, vt resoluat nutrimentum, & extenuet, & huic determinationi accedit medicorum placitum, qui dicunt frictiones in principio calefacere, deinde in medio implere, ad extremum inanire membra, quæ multam frictionem sustinuere.

Sed dices, cum non resoluatur attractus ad oculos humor, quomodo rugosi sunt circa oculos? An diximus non multos spiritus, neque multum caloris ad eorum caput, & præcipuè anteriorem partem, atque oculos ascendere, qui vero ascenderunt spatio temporis flaccescunt, & sic rugæ fiunt cum enim mendacia, & dolos struant, circa cor, qui adsunt spiritus, & in partibus interioribus omnes stabulantur, vnde pars exterior his priuata concidit, & sic fiunt rugæ circa oculos, vt est dictum, ergo probabiliter mendax rugosus est secundum eas partes, quæ circum oculos positæ sunt, quæ passio in cogitabundis, & merentibus spectatur.

,, *Somnolenta facies de more videtur.*

Somnolenta facies.

Dissimulatores, & mendaces vocat Aristoteles habere faciem somnolentam de more, non sanè, quod hi homines sint somnolenti, & insensati, hoc enim nusquam est verum, sed dicit,

dicit, quod mendax', & dissimulator affectam gerit faciem eò more, & secundum eandem figuram, quam habet somnolentus; videamus igitur, quæ sit somnolenti figura primum. igitur somnolentus ferè claudit oculos, & si quid tuetur penè aperit, semi apertos igitur habet, & oblique, ac limis (vt aiunt) oculis spectat, caput etiam inclinat ad terram, vel ad latera, modo hoc, modo illud non audit, neque aduertit, aut non audire, & non aduertere simulat, & pallorem quendam splendidum præ se fert.

Talem igitur faciem dico habere virum dissimulatorem, fallacem, & mendacem, causa est, quoniam ad eius caput vapor pituitosus, cum atra bile iunctus scandit, vt ferè vigili comate affectam præ se ferat faciem, cum autem mendax sit, & sibi conscius mendaciorum, refugit nescio quo modo naturaliter alios aspectare, & lucem tueri, fortè iuxta illud diuinum dictum, quod qui male agit odit lucem, pessime autem omnium agit, qui mentitur, mendacium enim est per se malum, & omnis mendax malus, & veritatis inimicus, Dei est hostis, (Deus enim veritas ipsa est,) & omnium hominum, vel teste Theophrasto pessimus, si ergo, qui male agit lucem odit, & qui lucem odit oculos claudit, aut oculos in terram inclinat, hic autem morem somnolenti refert, ergo dissimulator, & mendax, qui male agit, morem somnolenti expressum in facie geret, quod fuerat propositum. Aspectum, & faciem elegantem his signis addunt quidam, qualem habuisse, ferunt, Domitiani, sed Tyberius omnium hominum maximus simulator, & dissimulator faciem multis tuberculis plenam gerebat, sed quatenus isti adulatorium ingenium nacti sunt, eatenus etiam faciem honestam præ se ferent, vocem similiter remissam, & tarde verba pronunciantem, quoniam cum atra bile pituita iuncta est, quę frigus naturale auget, cuius operatio tarda est, ad quietem enim accedit.

Quod autem hic, de quo agimus omnes se in facies sit facilis conuerti, quod etiam incessum, & motum omnem variabilem inæqualem, & versatilem habent, nusquam id nisi à flaua bile, & pituita habere potest, quarum vltima promptè agit, altera nata est promptissimè pati, & passiones etiam magis, quam aer retinere, & ex hoc propterea, quod cum atra bile iungitur. Notatum autē est, qui continue manus agitant, dum loquuntur, plerunque esse mendaces, ac præcipuè si digitum indicem ori apponunt, id enim signum esse aiunt, se tūc cogitare mendacium, ac fallaciam, qua audientem decipiant, videturque id contingere propter motum, quem in fingendis mendacijs interius faciunt, eorundem passio est, vt inæqualiter ambulent, modo tardo, modo concito gradu, amplius oculos paruos, concauos, & glaucos habeant, quod de Aristotele, apud Diogenem Laertium legitur, causam puto eandem, quam supra diximus similiter spirituum defectum, ac probi sanguinis, vel aquei humoris mixtionem, cum bile exusta; qui vero credunt oculos crassos, & prominentes simulatorem, aut dissimulatorem significare, illi fortè erant; nam duplex mendax, alter callidus, & astutus, & huius parui sunt oculi, cuius autem sunt ingentes oculi mendacem quidem aliquādo, sed vanum potius, nebulonem, ac blateronem dices, quam fallacem, & subdolum hominem.

DE

DE PVSILLANIMO.

Cap. XVIII.

„ *Pusillanimus. Paruorum membrorum, & paruorum articulorum, macer, & paruorum oculorum, & paruæ faciei, qualis vtique fuit Leucadius Corinthius.*

Pusillanimi signa.

PVsillanimo opponitur magnanimus, qui cum re vera sit magnis rebus dignus, se quoque ijsdem dignum putat; ast pusillanimum dico, qui minoribus, quam re vera sit, se dignum censet. Cur autem de pusillanimo, nunc agat eadem, quæ supra causa afferri potest, hæc enim quædam composita passio est, ex timore, & ambitionis vacuitate, nec non, & fatuitate, nam caret ingenio, atque iudicio, cum nesciat discernere, quid ipse valeat, & quid distent æra lupinis, timet autem, ne male audiat, & ne maiora quam par sit affectet, desiderat igitur honorem; sed quod faciunt stulti, dum vitat vicium, cadit in contrarium; huius materia est eadem, quæ timoris nempè atrabilis per se, & naturalis pauco prædita calore, cum pauca bile flaua, cuius auxilio honores contemplatur, sed vetante inopia caloris, non agit, quæ debet, nec se dignum censet ijs, quæ vere illum decent; talem fuisse Leucadium Corinthium dicit Aristoteles, sed quisnam hic esset, vt tunc erat clarum, nunc mihi est obscurissimum, at in eius locum Claudius Cæsar Imperator supponi potest, quem timidissimum, pusillanimem, ac omnino fatuum dicit Suetonius, cum igitur pusillanimus sit temperaturę melancholicæ, & simul paucum calorem habeat, necesse est omnino propter debilitatem causæ agentis, & propter duritiem, & siccitatem, & resistentiam causæ materialis parum distendi, ac dilatari secundum corpus, paruus est igitur, quæcunque enim aliqualiter minora sunt in suo genere alijs, quæ sibi sunt cognata, multo magis timida sunt, sic minor canis maiore timidior est, & puer viro; Si autem corpus pusillanimorum est paruum, necesse est etiam, vt membra sint parua, nam cum ex membris sit corpus, si membra forent magna, corpus esse paruum non posset, si modo proportionem, ac naturalem Symetriã habere deberet, huic videtur etiam rei allusisse Horatius, qui dum esset corporis exigui fatetur, & se paruum habere animum, dicit enim se corporis esse exigui, & alibi.

Dij bene fecerunt, me quod parui, quodque pusilli
Finxerunt animi,

Sic ergo, qui pusillanimus est parui corporis, & paruorum membrorum existit.

„ *Et paruorum articulorum.*

Articuli parui

Nodos, & iuncturas membrorum vocat Plinius articulos, vt digitorum nodos, vnde articularis dicitur morbus, qui nodos, & iuncturas membrorum, & ossium occupat. Dicit igitur, quod pusillanimus habet pauos articolos, & iurè si paruum corpus, paruaque membra, necesse est etiam paruos habere articulos, Nam si magnos haberet articulos, fortis esset, vt supra visum est, at qui pusillanimus est timet, neque fortis est, igitur non potest habere magnos articulos, si autem casu contingeret in paruo corpore, paruisque membris magnas esse dearticulationes monstrum magis, quam homo dici posset, neque sub vllam regulam redigeretur, sic igitur pusillanimus, & corpus, & membra parua habebit, siquidem, & animum habet paruum, probabile autem est formam suam sequi materia, & illi consentire.

,, *Macer.*

Macer Secundum pusillanimi signum: Macra animalia dicuntur tenuia, & exilia, aliqui à voce græca deductum putant vocabulum, quæ vox longum significat, quæ enim macra, & exilia sunt, longiora videtur, at Varro à marcore deductum putat, nam, quæ macra sunt, quasi marcida dicuntur, marcent autem, quæ iam ad corruptionem tendunt, & vt ait Plautus, misera conditione sunt tantum pellis, & ossa, quæ talia sunt, non nutriuntur, hæc qualitas solet triplici de causa accidere, aut propter imbecillitatem innati caloris, qui non potest mutare cibum, illumque concoquere, & apponere, aut propter cibi inobedientiam, duritiem, & contumaciam, qui non potest mutari, & hæc vna eadem est, improportio scilicet agentis in passum; secundo, id fieri solet propter caloris excessum, qui membra, carnemque liquat, vt in febrili ardore, & tandem propter vasorum obstructionem, cum calor impeditur, ne per corpus dilatetur, cum autem paruum corpus habeat, paruaque membra vir pusillanimus, probabile est non ex caloris excessu, sed neque ex obstructione venarum, sed ex eiusdem imbecillitate, quam deinde sequitur etiam obstructio macredinem corpori accidere, an fortè passio hæc est omnium, qui temperiem frigidam, & siccam nacti sunt, nam si pinguedo in calido, & humido posita est, macredo, quæ huic opposita est, in frigido, & sicco ponetur, cum ergo pusillanimus sit melancholicus cum pauco calore, ergo in ipso præualet frigiditas, & siccitas, at in quo præualet siccitas, & frigiditas, ille caret carne, carnisq. causa, quare macer est, ergo pusillanimus est macer, quam passionem si in suas cãs redigeri mus, non aliunde, q̃ à caloris debilitate, & à materiæ inobedientia pendere concludemus.

Paruõ rũ oculorum. ,, *Et paruorum oculorum.*

Est caloris opus extendere, frigoris corrugare, & terrestris materia frigida, & sicca est, difficile dilatatur, quare melancholicus, & pauco calore præditus parua omnia membra habebit, oculos etiam, sed pusillanimus est melancholicus, & pauco præditus calore, sequitur igitur, vt etiam paruos habeat oculos, neque solum paruos, sed etiam siccos, & quodammodo immobiles, & attonitos, vt videantur illius oculi quo ad statum, & colorem, & siccitatem referre oculos locustarum, & cicadarum, qui duri dicuntur.

,, *Et paruæ faciei.*

Paruã facies. Vltima passio pusillanimorum, eadem autem causa est huius, & cæterarum, nam cum totum corpus, membraque omnia sint parua, est etiam operæ pretium, vt parua sit facies, si facies membrum est corporis. Amplius melancholicus est pauco calore præditus, ergo magnas extremitates habere non potest, ergo neque nasum, neque os, neque demum oculos, genas, mentum, aut frontem, tota igitur facies erit parua; Sed dices si parua facies sequitur volubilem, & mobilem hominem, quomodo sequetur etiã pusillanimum. At iam dictum est, non esse absurdum, quod idem signum duas sequatur potentias, ampliùs cum pusillanimus sit timidus, paruo negotio de sententia decedit in peius semper omnia trahẽs, & ferè de quacunque re agenda dubitans, & desperans, quare non est absurdum si etiam mutabilitatis signum illi adsit.

An pusillanimus sit melancholic⁹. Dubitabitur iterum, quomodo fieri possit, vt pusillanimus sit melancholicus, nam si pusillanimus est mutabilis; melancholicus non est mutabilis, sed obstinatus, etenim ad terram refertur, qnæ dura est, & sicca, ergo pusillanimus non est melancholicus; An respondendum, melancholicum antequam susceperit vllam impressionem, & in potentia est ad oppositas, tunc paruo negotio mouetur, & qñ prior species nondum illi adhęsit, facile tollitur, est enim duræ, ac difficilis apprehensionis, at cũ deinde susceperit bene, diu susceptã retinet sententiam, sic ergo cum nondum persuasus vere est, (& si videtur alijs persuasus melancho-

lancholicus, quoniam non contradicit,) facile mouetur, cum autem vere perſuaſus eſt, & ſi non videatur perſuaſus, tunc difficile poteſt de ſententia moueri, ac mutari, vel dicemus, melancholicum non facile mutari ab his, cum quibus habet ſymbolum, ideo non facile à dolore, à mæſtitia, ad bene ſperandum, & ad lætitiam traducitur, ex aduerſo facile mutatur ad ea, ad quę habet inclinationē, facile enim de ſpe decidit, & facile ad timendū, & diffidendū, & ad dolendū traducitur, vel rurſus dicamus, nō ꝓp melācholiā, ſed ꝓp pituitā, quę cum melancholia iuncta eſt, puſillanimum facilè quandoque mutari, eo quod timidus eſt.

,, *Vt Corinthius Leucadius.*

Non poſſum non credere, quin mendum ſit in textu; nam quis eſt iſte Corinthius Leucadius? ſanè vtrumque nomen gentile eſt, alterum deductum à ciuitate, alterum à quadam Inſula, quam olim Neriton dicunt nonnulli appellatam, quamuis aliter videatur Virg. ſentire, ſed quomodocunque res ſit, nihil ad propoſitum noſtrum facit.

DE TALORVM AMATORIBVS. Cap. XIX.

,, *Talorum amatores. Iuſto breuiorem cubitū habentes gaudentes parta victoria.*

PArtem hanc diuerſi diuersè interpretantur, & textum eſſe mendoſum negari non poteſt, nec græcus minus, quam latinus, putat Sueſſ. illas eſſe tres conditiones puſillanimi, qui nempè ſint aleatores, iuſto breuiorem habeant cubitum, & ſint ſaltatores, in hoc ſatis oſcitanter loquens, nam ſupradictum eſt, quod nunc quęrimus, quæ ſigna in corpore ſint inclinationibus animæ reſpondentia, at ego ab eodem peterem, nunquid ſibi videatur, quod aleatores ſenſibili charactere in corpore apparente cognoſcātur, cum potant, vel dormitant, deinde qua ratione vellet aleatores eſſe puſillanimos? mihi videntur plus iuſto audaces, & præcipites, qui paruo temporis momento in diſcrimen ponunt quandoque omnes ſuas fortunas; item vbi nam inuenit, quod verbum illud grecum γαλεαγκῶνες, quod ipſe interpretatur alterum brachium puſillum habentes, id ſignificet? & cum alterum, cur non vtrumque? deinde quid cum puſillanimo cōuenit ſignum hoc, quod furacitatem egregie denotat? Si verò ſaltatores ſint puſillanimi, aut corpore parui ipſe viderit, memini, peritiſſimos ſaltatores, & magno corpore præditos, & audaciſſimos, & arrogantes, ac ſuperbos, putoque hanc eſſe paſſionem ferè propriam horum, qui ſaltationem exercent, ſaltandique, & choręas ducendi artem docent, non igitur illi accedo, Putat Porta Ariſtotelem poſuiſſe hoc loco figuras tres, nempè aleatoris, amatoris gloriæ, & ſaltatoris, ſed ſigna excidiſſe, ſolos titulos capitum remanſiſſe, ſed quomodo γαλεαγκῶνες interpretetur gloriæ amatores ipſe viderit? puto ego, verbum hoc cum gloria nihil commune habere, nam vulgo interpretatur habens cubitos breuiores iuſto, dicit igitur ex Polemone legēdum talorum amatores, hoc eſt, lucri cupidos, nam ſunt eędem paſſiones in cupidis lucri, quę in amatorib. talorum. Ego ſanè, vt nullo modo accedo Sueſſano literarum græcarum penè rudi, ita ꝓparte cum Porta conuenio, credo enim in tex. errorē eſſe, textumq. mendoſum, & mancū, & vnum eſſe titulum de amatorib. ludorū, ſiue hi ſint aleatores, ſiue talorum luſores. Dico q. vnum tantum ſignum huius paſſionis in corpore afferri ab Ariſtotele, quod vero ſubinngitur.

Aleatores.

,, *Gaudentes victoria.*

Puto alterius capitis eſſe titulum, in quo Ariſtoteles ſigna ponebat eorum, qui alios ſuperare, illiſque dominari cupiunt, quique imperioſi vocantur, ego aūt non agnoſco, q̄ ponitur de his, q̄ ſaltationib. & choręis erant dediti, q̄ ſiquis aliq̄d ꝓbabilioris afferet, illi libētiſ-

sime accedo Aleatores igitur (hoc est qui plus nimio delectantur aleis, vt de Vitellio Imperatore scriptum est, sunt qui iniusta quadam ratione à quibus non deberent, & quod non deberent lucrari quærunt, quare, & lucri cupidi dicuntur) habent hanc passionem, vt iusto breuiores cubitos habeant, hoc est dearticulationem, siue partem illam, quæ est à cubiti nodo, vsque ad pericarpium, siue vbi manus cubito, & radio iungitur, in his minorem apparere, si cum alijs comparentur hominibus, qui eandem habeant corporis staturam, quod sanè id sic ostendi potest, aleatores sunt lucri cupidi, neque modo iusto lucrari volunt, æris igitur, & pecuniarum auidi, alienorum igitur cupidi, propriorumque parci, contracti igitur, & secundum corpus ad dandum inepti; qui tales sunt, probabiliter dearticulationes breues habent, (nam ad melancholiam difficile extensibilem, & pauco calore sicco incalescentem talis passio reduci debet) ergo talorum amatores, & lucri cupidi probabiliter huiusmodi brachiorum breuitatem habebunt, & è conuerso, quorum brachia breuia sunt, illi cupidi lusores existunt, ac memini sanè, me vnum, atque alterum adolescentem vidisse, qui hanc brachiorum figuram habebant, & vtrique auariissimi; & aleatores promptissimi erant, vt nihil aliud meditarentur vnquam, præter ludum, & aleas.

His addit ille densos capillos, erectos, & nigros, quorum neutrum ponit Polemon in auari figura, sed densi fortè sunt capilli, & barba densa, at nigros pilos non puto, cum habeant colorem cutis subruffum; Porta addit oculos pingues, splendidos, & luridos, quod vix quomodo stare possit video, Polemon legit pro luridis, nitentes, quod puto magis esse probabile; Quod vero diximus.

Gaudentes parta victoria, alij legunt saltatores, sanè qua ratione id etiam ponatur, non video, & vox græca quamuis mendosa sit, nusquam gaudentem victoria virum, sed saltatorem significabit, huius ego sanè tituli signa omnia deperdita esse puto, quare si nihil adest, neque quidquam addemus, videtur autem mihi, quod qui saltationibus, & choræis gaudent; sint amatores mulierum, lasciui, & propter hoc formam colant, flauos crines habeant, faciem decoram, subroseam, nasum longum, in extremo crassiusculum, oculos habeant ridentes, mediocres, humidos, & calidam, & humidam complexionem sint sortiti, vt tamen calor humorem superet, illumque adurens, plerunque ad salsedinem inducat.

Choræis gaudentiũ signa.

DE AMATORIB. MVNERVM.

Cap. XX.

„ *Amatores munerum. Quibuscunque est superius labium eleuatum, & forma proni, & rubicundi.*

Dona ambientium signa.

NIhil penitus commune habet titulus latinus cum græca voce, & quæ signa in textu afferuntur, neque cum græca, neque cum latina possunt accomodari interpretatione, adeo omnia manca, & mutila, perplexa, & confusa existunt, vox græca significat liberalem, largum, & ad donandum paratum, interprætes quidam dixerunt donorum amatorem, non quod dare, & donare, sed quod donari velit, & sit auarus simul, & ambitiosus, quem sanè titulum possibile est Aristotelem posuisse, verum vox illa nihil horum significat; puto ego sicut titulus, seù locus liberalis viri caret signis, ita signa, quæ sequuntur, omnino careant titulo, & ponendus sit titulus supradicto signo, amatoris controuersiarum, & litium, quod video etiam in quibusdam interpretibus textus Aristotelici

lici factum fuiſſe, quo autem loco id reperierint me latet; Porrò ſi amatoris munerum, hoc eſt liberalis, & optantis donare, & alijs benefacere aliqua ſigna ſunt afferenda, dicemus, ſi qui donare amant, & delectantur cum alijs bene fecerint, liberales ſunt, ergo & placidi, & benigni erunt, quare, & iucundi, & parati ad amandum; aſt in calido, & humido, & in ſanguine poſitum eſſe amorem, dictum eſt, ſangnuinei igitur erunt, cum ſubdominio pituitæ, quare, & colore albo prædíti, & magnos oculos, & humidos habebũt, & capillos ſubflauos, & frontem magnam, & raros dentes, præcipuè autem laxos manuum, & pedum articulos, longos, & candidos vngues, qui verò ex oppoſito ſunt amatores munerum, hoc eſt, quærũt donari, & muneribus affici; hi cum ambitione coniunctam habent auaritiam, & oppoſito modo ſunt diſpoſiti, nam cum bile flaua, atram quaſi æqualibus portionibus mixtam habent, (& dico flauam non autem bilioſum ſanguinem) qua adducuntur, vt alijs ſupereminere velint, & honorari, & magnifieri, indeque dona, vt honoris ſigna expetunt, & propter atram bilem, cum tenaces ſint, & duri, etiam alienorum appetitores, eo quod ſunt auari, ideo hac etiam ratione quærunt donari, & ſi ſuis æqualibus dona data viderint, inuidia afficiuntur, dolent, &

Liberalis ſigna, & proprietates.

Donari capiẽtis ſigna.

Ipſi ſe in tenebris volui, cænoque queruntur.

Ex bile igitur vtraque predominante hominem hirſutum videbis, prolixos crines, prolixamque barbam (mouet enim bilis flaua, mouetur atra) faciem ſubfuſcam, oculos concauos, mediocres, ſiccos, ſplendentes, ſupercilia inflexa, hi enim talis temperaturæ ſunt effectus, os latum potius, quam ſtrictum, ſed turpè, & hians, in ſpeciemque appetentis, & affectantis pueri aliquod cibi genus, diſpoſitum, humeri alti in ſe, & verſus collum contracti, & pectus mediocriter latum, catinatum, vt in auibus videmus, totumque corpus erectum, & parum in anteriorem partem inclinatum, vt vix niſi diligenter aduertas id cognoſcere poſſis, quod ſignum refertur ad paſſionem, & habitum, quem induunt homines, cum dona recipiunt, parum enim inclinantur, & aliquid blanditiarum in ipſorum facie ſpectatur, quaſi donatori applaudentes, ſe dono lætari doceant, addunt quidam, quod homines huiuſmodi habent aures, naſum, & manus valde paruas, & referunt ad lupos, vel aues rapaces, adde colorem ſubfuſcum faciei, ſiue ſubcinericium, ſplendẽtem, oculos cum rubore igneo huius paſſionis proprium eſſe ſignum, quandoquidem in Turcarum genere ſeù Maurorum, & eorum, qui ad meridiem accedunt, ferè hic color, & habitus eſt, ex vtraque bile conflatus, & hi maximopere ſunt munerum amatores, & ambitioſi adeo, vt piaculum ſit ad principes, & magnates Turcas, Mauros, Perſas, & Arabas manibus vacuis accedere, quod etiã olim in vſu fuit apud Reges Perſarum, qui regem enim adituri, atque allocuturi erant, ſemper aliquid muneris ſecum ferebant, quales igitur ſint, & datores, & captatores munerum, ex his eſſe poteſt manifeſtum.

Sed oritur dubitatio quomodo fieri poſſit, & ſit verum quod diximus, nempè puſillanimi temperiem eſſe ex prædominio atræ bilis, ſimiliter, & amatorem munerum, eadem ponimus temperie affectum, & quod magis eſt amarum diximus bilioſum, & ſuperbum etiam, & paulo poſt miſericordem, an hoc eſt impoſſibile? quomodo enim vna materia plures habebit ſimul formas, & quomodo diuerſæ formæ diuerſam non habebunt operationem, & materiam? ſiquidem dictum eſt, quod materia, & forma ſunt ad aliquid, vt facta mutatione in vna, neceſſario fiat in altera, An dicimus iram, miſericordiam, amorẽ, odium, & huiuſmodi paſſiones poſſe tripliciter conſiderari, vel cum ſunt in energia, & operatione, & tunc neceſſe eſt vnã particularẽ fieri operationẽ, & particulari, ac determinato mõ affectam adeſſe materiã, bilẽ ſcilicet flauam, & eam aduri ab excitato calore pp apparẽtem contemptum, & offenſionẽ imminentem, vt prõptius corporis organa, quod moleſtiam affert, ac viuidius repellere poſſint, & niſi talis adeſſet materia, (flaua nempè bilis circa cor) quamuis calor excitaretur, quamuis dolor, ac contemptus perciperetur, non tamen ideo

Dubit.

An captator munerum, et puſillanimus, ſit eiuſdẽ temperamẽti.

insurgeret offensus ad propulsandum, quod dolorem affert, videmus enim, qui multo sanguine abundant, qui stolidi sunt, quamuis despiciantur, & offendātur, & se offendi doleāt aliquando, rident tamen, neque irascuntur, deficiente nimirum bile, quod etiam in lethargicis conspicitur, quos ad iram prouocari volunt medici, vt detergere possint hac ratione spiritus, seù vapores pituitosos, qui cerebrum, & partes corporis internas occupant, sic igitur cum in energia sunt affectus necessarium est, talem materiam non simpliciter, sed tali quodammodo affectam circa cor, & in eius ventriculis reperiri, tātumque caloris tali modo recipere. At si fuerint in entelechia, & in habitu, nihil aliud docent, nisi præualere materiam, in qua solet esse propria ratio illius affectus, vt si quem video habentem habitum iracundiæ, dicam illum abundare bilioso, & subtili humore, in hoc enim residet habitus, hoc est, anima dum in iram ruit, & ex ira operatur spiritibus ex hoc humore generatis vtitur ad suas operationes iracundas, vt faber vtitur ascia, vel serra ad lignum diuidēdum, & sic ad energiam cum venimus, vt vnum perficiatur opus vno egemus, & vtimur præcipuè instrumento, vt oculo ad videndum, lingua ad gustandum, & tunc cum gustamus, non loquimur, nihil tamen vetat, quin ascia, & serra cum non secamus, & non secamus, & non diuidimus possimus etiam vti ad aliquod aliud opus, nempè ad poliendum, aut etiam ad pellendum inimicum, qui nobis vim inferre vult, at si iram, & odium, & huiusmodi passiones contemplati fuerimus, quatenus neque in energia sunt, neque quatenus sunt in entelechia, & habitu, sed tantum quatenus dicunt potentiam, inclinationem, & propensionem quandam secundum magis, & minus, (in omnibus enim sunt omnes potentiæ, & inclinationes homini naturales, potest enim fieri omnia homo, potest etiā omnia facere) si inquam iram, & odium capias, vt potentias, & inclinationes quasdam dicunt, tunc non determināt sibi certam, priuatamque materiam, sed vt ipsæ sunt in inchoatione, & rudimento cōmuni ita etiam materia communis adest, neque ad hanc magis, quam ad illam formam determinata, & actuata, quamuis facilius hanc, quam illam possit suscipere, vt si in taberna fabri lignarij videro multas asseres, & multa ligna, nusquam dixero arcas, vel scamna hæc esse, sed bene illam esse paratiorem, & aptiorem materiam ad faciendas arcas, quam sint tigna, & trabes quędam, sic etiam cum talia in homine, ceù in Callia video signa, vt nasum acutum, & oculos flammeos, in illo dico esse aptiorem materiam ad habitum iracundiæ suscipiendum, quam mansuetudinis, aut liberalitatis, at sicuti ex illis asseribus potest contingere, vt faber arcas non faciat, sed potius paret nauim, aut tabulam, sic etiam intellectus, & anima ex temperie humorum pro libito, hanc vel illam potest educere formam, & operationem, cum humores illi sint talium participes formarum, & materia humorum secundum naturam humanam dispositā sit talis, vt naturaliter omnes suscipere valeat, hęc enim naturalis, humorum temperies refert musicum organum, & simile est illi instrumento, quod vulgari nomine harpichordum vocant, in hoc enim multæ sunt chordæ inter se certo modo cōcordes, non sonant tamen, nisi pulsentur, cum autem tanguntur à sonatore secundum artem operante, variæ modulationes pro tangentis libito exoriuntur, ita cum secundum virtutem intellectus, & voluntas humorum illam tangit temperiem, armonicos excitat habitus, & laudabiles facit operationes, vt autem contingit quosdam sonatores magis partem vocum acutarum, alios autem magis partem grauem exercere, ita accidit quosdam homines magis vti bilioſis, alios magis melancholicis spiritibus, & sicuti eorum instrumentorum quædam sunt aptiora ad sonitum acutum, quædam ad grauiorem, ita humanorum corporum quædam ad hos, quædam ad illos affectus, & operationes exercendas sunt magis idonea, & sicuti supra idem musicum instrumentum contingit, sonatorem diuersas cantilenas, & melodias etiam quodāmodo oppositas mouere, ita non est absurdum animam humanam pro libito ex hoc instrumento corporeo ita affabre facto varias, & omnino diuersas ciere actiones, & affectus, hoc ergo modo fortè nihil absurdi sequetur, si dixerimus. Neque mirum

rum est cũ contingat vnam, & eandem animam pro diuersis externis instrumentis varias actiones facere, eandem etiam pro internorum, & non visorum instrumentorum diuersitate diuersas, & oppositas moliri operationes.

DE CONTROVERSIARVM Amatoribus. Cap. XXI.

Amatores munerum. Quibuscunque est superius labium eleuatum, & forma proni, & rubicundi.

CVr id reponam tituli in locum eius, qui ait amatores munerum, dictum est, nam quæ afferuntur signa, neque amatori munerum hoc est liberali, neque eidem munera appetenti, & auido conueniunt, adde quod quidam latini textus hunc habent titulum, quo factum est, vt supradictos titulos carere signis, & signa hæc carere titulo crediderim. Porrò lis, controuersia, & disceptatio videntur idem, vel propè significare, est controuersia, vt Plautus, certarum personarum de re aliqua disceptatio, & contentio, aut propter existimationem, aut propter vtilitatem, & commodum, aut propter voluptatem etiam, nam contendunt, & rixantur propter hoc etiam quandoque homines, quamuis id potius brutorum quam hominis esse deberet passio.

Si ergo qui certant alterum alteri superemínere, illumque superare contendunt, neque est contentio sine ira, neque ira sine bile, amatorem controuersiarum bilio sum esse probabile est, & quoniam cedere non vult, obstinatum quoque, nam si cederet non contenderet, ergo etiam atra bile non caret, vtraque igitur bilis dominatur, cum subdominio sanguinis, cuius causa in victoria exultat, nam hæc passio est iuuenum, in iuuenibus autem promptus est sanguis. Cum igitur talis sit amator controuersiarum qualem etiam ait Agamemnon, fuisse Achillem apud Homerum, cui semper erant cordi contentiones, & pugnæ, & bella, probabile est, virum hunc esse superbum, inexorabilem, acrem, iracundum, impudentem, importunum, amarum, quandoque etiam dissimulatorem, & simulatorem, prout è re sua sibi esse videtur; quis igitur sit cõtrouersiarum, & litium amator, & quod nam sit illius temperamentum, ex his patere arbitror.

Cæterum posset dicere aliquis, nunquid igitur reperitur vllus, cui sit cordi contentio? sanè reperitur cui contendere placet, non tamen per se sed per accidens, per se enim quærit superare, & alijs præstare, cum autem vult quod alij etiam cupiunt, hinc factum est, vt per accidens dicatur aliquis amare contentiones, & controuersiarum amator; his tria signa adscribit Aristoteles, primum est quod superius labrum habent eleuatũ, quod sanè signum (mihi videtur) ad passionis speciem in actione existentem referri posse, quos enim cõtendentes si respexeris, cum aduersarium audiunt, illique respondere gestiunt, os aperiunt, & superius labium attollunt, nimirum non est contentio sine ira, vel iræ saltem aliquo calore, non est ira, nisi sanguinis ebullitio circa cor, quo bulliente attollitur copia vaporum, & spirituum, his sursum petentibus, sursum enim ferri certum est, quoniam ignei sunt, vnde illos, qui in iram ferri incipiunt, attollere brachia videmus, quosdam alios, vt de Socrate legitur iactare manus, & sibi vellere comas; Didonem inducit Virgilius, sibi pectus tundẽtem palmis, & comas flauentes abscindentem, quod si hoc verum est, probabile est etiam superius labium attolli, & ex habitu deinde, sublatum apparere, vt sit demonstratio. Amatores discordiarum, & contentionum sunt propensi ad iram, qui tales sunt his facile ebullit sanguis circa

An sit q cõtẽtionib. delectetur

circa cor, & multa copia ſpirituum calidorum fertur in caput, iſtis membra attolluntur, & motum ſpirituum ſequuntur ea quæ ita affecta ſunt, vt id pati poſſint; tale eſt ſuperius labium, & manus, & oculi, ergo amatores contentionum naturaliter habent labium ſuperius eleuatum, & caput etiam tollunt, & manus iactant, & eadem de cauſa colorem rubeum habent in facie, & propter præſentiam multi ſpiritus bilioſi oculos rubeos, paruos, & ignitos habent, & faciem ad rotunditatem accedentem, hæc enim eſt actio bilis, vt ſupradictum eſt.

,, *Et forma proni.*

Forma & ſpecies pna

Secunda eſt nota hominis contentioſi, hanc proprietatem vocat Porta alio modo, & ait, contentioſos eſſe forma, ſiue ſpecie præcipites, puto ego id ſibi velle Ariſtotelem, quod illi qui ſunt contentioſi, ſint tales, vt in ipſorum facie, & figura aſpiciẽtibus appareat quædam propenſio, atque promptitudo ad præcepitandas omnes actiones ſuas, immodeſtia, temeritas, & contumacia, & proterua quædam, & infrænis petulantia, paſſio hæc in nobilibus, diuitibuſque adoloſcentibus ſæpius eluceſcit; gerunt enim eleuatum caput, irrident alios, vel illis maledicunt, & depoſito pudore ſibi licere arbitrantur, quæ alijs ipſi magnopere vitio verterent, exſybilant, quos, alij ſuſpiciunt, dicta, & facta moliuntur præter rationem, vt oculos omnium in ſe ipſos conuertant, quos etiam, vel non nouerunt, vel alias offenderunt, aut offendere geſtiunt, conueniunt, ab illiſque officiũ flagitant, vt velequum, vel pallium, vel nũmos commodent, atque ſi caſu negarint, aut ſe non poſſe cauſauerint, ſubito conuitiantur, & illis vel præſentibus maledicunt, & ſe par pari relaturos ſpondent, ea demum ipſo vitia ſiue qualitates ſpectabis, quarum meminit Theophraſtus in libro de characteribus, vnde Sueſſanus ridiculus eſt, qui locum, hũc declarans ait, amatores munerum eſſe in figuris immodeſtos, quaſi qui donari deſiderant immodeſtas faciant ore, & vultu figuras, quod totum oppoſitum eſſe debet, promereri enim, non irritari homines volunt, à quibus donari expectant.

Qualitates corporis contentioſorum.

Sed nihil, vt arbitror, ſibi vult Ariſtoteles in hoc ſecundo ſigno, niſi quod contentiosi habentos, & faciem diſpoſitam, ita, vt proteruitas, & petulantia quædam, & præceps temeritas in ipſa ſpectantibus appareat.

,, *Et rubicundi.*

Rubor.

Tertium signum eſt, quo contentiosi dignoſcuntur, quod ſcilicet ſunt rubicundi, non eo rubore, qui roſam refert, ſed illo, qui in malorum punicorũ cortice deprehẽditur, neque ſolum genæ hoc colore infectæ ſunt, ſed frons, & pectus, cauſa eſt, quoniam bile, & ſanguine multo, vt dictum eſt abundant, cum ſubdominio melancholiæ, vnde factum eſt, vt eorum rubor ad quandam accedat fuſcedinem, & malorum granatorum cortices imitetur adultos, hæc Ariſtoteles, quibus, ſi libet, addamus alia, quibus adamuſſim contentionum, & iurgiorum, & iniuriarum amatorem delineatum habeamus, vt illum tanquam bouem in cornu fænum habentem euitare, & effugere poſſimus.

Contentioſi proprietates.

Huius capilli ſubnigri citò caneſcunt, in fronte medij deſcendunt, rugoſa frons, caperatam dixit Porta; quæ crebrò attollitur, multis lineis signata, aures mediocres, ſed patulæ, & inconcinnæ, oculi ignei, ſplendentes, sicci non magni, ſed neque parui, immobiliter, & procaciter tuentes, ſupercilia eleuata ferè iuncta, magna, in arcum tendentia, corrugata, genæ non minus, quam frons rubræ, ruberque naſus, acutus in fine, cum naribus patulis, collum carnoſum non minus, quam facies tota mediocriter carne plena, barba, quam ſupradiximus rara, extenſa ſubfuſca, cum quadam flauedinis ſuſpicione, caput eleuatum, facies lata, mentum craſſum, & carnoſum, & breue, manus craſſæ, & digiti breues, & vngues rotundi, & parui, brachiaque breuia potius, quam longa, totumque corpus rectum quidem

cum

cum ſcapulis tamen eleuatis ita, vt circa dorſum videatur adeſſe gibboſitas quædam, vox in principio magna, grauis, inæqualis, quæque deinde in acutum deſinat, præcipuum autem ſignum eſt illud, dum loquuntur exſibillatio in fine verborum, & quæ in facie apparet inſolens, proteruaque procacitas; Talem quendam nouimus omnium hominum amantiſſimum controuerſiarum, & contumeliarum, & iurgiorum, qui niſi alijs contradiceret, mortuus eſſet, quem (vt ille ait)

Odit, & ipſe pater Pluton, odere ſorores
Tartarea monſtrum.

DE MISERICORDIBVS. Cap. XXII.

Miſericordes. Quicunque pulchri, & albi coloris, & habent oculos pingues, & nares deorſum diſtantes, & ſemper plorant. Idem etiam amatores ſunt mulierum, & genitores fœminarum, & circa mores in amorem propenſi, & ſemper memores, & ingenioſi, & calidi. horum autem ſigna dicta ſunt. Miſericors eſt ſapiens, & timidus, & modeſtus. immiſericors inſipiens, & inuerecundus.

MIſericordiam definit Ariſtoteles in rhetoricis eſſe dolorem ex apparente malo corruptiuo, & nocente, quod in eum cadit, quem indignum putamus, quodque nos etiam, vel noſtrorum aliquem poſſe pati quandoque credimus ita, vt ferè propinquum eſſe dubitemus; ſed Viues non ſolum putat miſericordiam mouere, ea, quæ dicuntur mala corruptiua, & dolorem inferentia, ſed omne malorum genus, quale tamcunque ſit, aptum mouere miſericordiam dicit; miſeremur enim deformium tardorum rudium, & ſtultorum, quorum nullus dolorem ſentit, miſeremur ſimplicium, infantum, mulierum, ſenum, & ægrotorum, quos videmus, illis quæ ſuſtinent, aut quæ imminent malis, eſſe impares, & qui magna deturbati fortuna fuere, & qui cum boni viri fuerint, ſuis votis ſecundum rationem inſtitutis potiri non potuere; nemò enim eſt, qui non miſereatur Bruti, Caſſij, Catonis, Sertorij, quinimmo Gneij Pompeij, & eius filij Sexti, quare, vt mihi videtur tam ad notos, quam ad ignotos, præſentes, & præteritos extenditur miſeratio, & tam ad eos, qui paſſi, quam ad eos qui paſſuri ſunt, aut nunc actu patiuntur malum, nam, & Dido miſeretur Troianorum defunctorum tot periculorum generibus. Miſeratus eſt Deiphobum Aeneas in inferno inuentum, in quem ſciebat nihil mali amplius caſurum eſſe, quin idem miſeratus eſt Didonem, eamque lachrimis proſequens, nihil reſpondentem, nihil curantem quid ille diceret.

Quid, & quorum ſit miſericordia ex his patet, Ageſilaus ſimul ſapere poſſe, & miſereri negabat virum bonum, & ſic Stoici, hunc etiam, vt alios omnes affectus ex humanis animis euellere conabantur; at ni fallor vt quidam ſentit Italicus ſcriptor, nihil eſt æque ſecundum hominis naturã, ac afflictorũ miſereſcere, naſcitur enim ex congruentia, & ſimilitudine humanorum animorum inter ſe, ſi enim vnum eſt ſummæ ſapientiæ, ſummæq. bonitatis præceptum, vt inuicem ſe homines diligant, & vnuſquiſque proximum ſuum, ſicut ſe ipſum, colat, nihilque à Deo dilectus Apoſtolus Ioãnes aliud cõtinuè ſonabat, & repetebat, quam Diligite vos filij ad inuicem, & peccatrici mulieri, quoniam multum dilexerat, multum etiam peccatorum remiſſum fuit, quare ſi amare optimum eſt, cum qui miſeretur, non poſſit non amare, optimum vtique eſt miſereri, & miſerebitur vir bonus alienorum malorum, errorum, infortuniorum, ſtultitiarum, neque vt Democritus ridebit, ſed potius, & humanius multo,

multo, vt Heraclitus in lachrymas, & fletum soluetur; Deme ex humanis animis misericordiam, quid in illius locum substitues, præter immanitatem, sæuitiem barbaram, & inhumanam? quare animis hominum auferre misericordiam, est ab hominibus humanitatem euellere, & illos in feras conuertere, dolenti igitur condolere, & cum flentibus flere, & cum possis, afflicto opem ferre, id officium est hominis probi, & secundum naturam dispositi; Mansuetissimus igitur est hic affectus, & parat animos ad amicitiam, & beneficentiã, est igitur quædam placida mollities cordis miseratio, nam duri, atque crudeles sunt, qui nec lachrimantur, neque alienis malis ingemiscunt, & possunt sine vlla motione pati, & interesse, & videre, miserijs magnis, tormentis, & doloribus grauibus hominem male haberi, quem malum non putant, neque ab illo vnquam offensi fuerunt, neque iniurios fuisse sciunt, hanc cordis mollitiem, & commiserationem tollit, ira, odium, consuetudo cruentãdi se, & sæuiendi, vt in militia, infima, item & depressa conditio, omnibus afflictata malis, ita, vt putes te non amplius ullo maiori malo posse affici, & suprema conditio, vt ex humanis te exemptum casibus, nihilque tibi nocere posse putes, cum igitur talis sit affectus misericordiæ, illum in puro, & dulci sanguine situm esse arbitror, cum subdominio tamen bilis puræ etiam, & naturalis, & quicunque tali præditus est tẽperie, vt sit sanguineus cum subdominio puræ, & naturalis bilis, eius nempe, quem subtilissimum sanguinem vocamus, ille vtique ad misericordiam propensus erit, & miserans lachrimas emittet, & nulli nocere sustinebit, cuius indicium, quod pueri, & puellæ, & virgines, quæ vt plurimum magis ad tale temperamentum accedunt, cæteris etiam sunt ad miserandum propensiores, amplius si amor sanguinis est passio, mouetur autem præcipuè affectus hic in ijs, qui amãt, eandem igitur materiam esse amoris, & misericordiæ probabile est.

Quoniam autem quicunque misericordia tanguntur, illi ijdem etiam irascuntur, & indignantur contra eos, qui doloris causa videntur, ideo non est misericordia sine ira, hæc autem non sine bile, igitur necesse est subdominium in misericorde bilem habere, sed miseretur, qui timet sibi, ac suis idem posse accidere, humanæ cõditionis memor, ergo & principium timoris in eodem est, quare & aliqua particula melancholiæ in hac misericordis temperie reperitur, at timor ad frigidum refertur, non ergo vehementi calore æstuat, qui miseretur, cuius indicium, quod irati, & furiosi, vt in bello, nusquam miserescere solent.

Causas miserationis habemus, nunc Aristotelica signa exponamus.

Pulchri & albi misericordes.

„ *Quicunque pulchri, & albi coloris.*

Pulchros vocamus eos, qui secundum quantitatem, & qualitatem corpus habent maxime secundum naturam dispositum, & pulchritudo corporis est dispositio, maxime secundum naturam ad omnia naturalia munera perfecte obeunda, quæ dispositio nihil aliud est, nisi proportio quædam mutua membrorum suis coloribus, distantijs, & figuris, & motibus naturalibus perfectè fabricatorum. Misericordes igitur sunt pulchri, quoniam sunt homines maxime humani, in quibus præualet sanguis cum subdominio bilis, at quoniam hi sunt dispositi secundum naturam, ergo pulchri, nam hominis natura in calido, & humido existit, & in calore temperato, cum itaque tales sint sanguinei, atque hi sint pulchri, misericordes, ergo dicemus iure esse pulchros.

„ *Et albi coloris.*

Iam dixi misericordes esse pulchros, at pulchri in quinto, & sexto climate sunt albi, cum rubore roseo mixti ergo misericordes sunt albi, vnde factum est, vt Arabas, Aethiopas, & Lybicos homines, quidam auctor nobilis, vocet crudelissimos, & immites, abundant enim atra bile, & parum sanguinis, nisi adusti habent, quare, quam semel receperunt impressionem retinent, & odium, atque iram, quam conceperint nunquam, nisi cum exterminio

eius,

eius, quem oderunt, deponunt, & propter id quando ſæuè, & immaniter ſe gerunt, cum quodam odio, & dolore id agunt; contra ſeptemtrionales, ridentes, & lętabundi in alienis malis laſciuiunt, & exultant, atque crudeli quadam ratione iocantur: Non enim putant idem ipſis ex ingenij habitudine, aut ex mala educatione obduratis, accidere poſſe.

,, *Et habent oculos pingues.*

Lippoſos legit Sueſſ. hoc eſt lippos vel ad lippitudinem propenſos, quam bene id faciat ipſe viderit, Dicit igitur ille, quod miſericordes habēt oculos lippoſos, quoniam cerebrum habent humidum, quaſi viderit ille cerebrum vllum ſiccum; at quomodo erunt lippi, & pulchri ſimul, qui miſericordes ſunt? & ſi lippitudo eſt morbus, deficiente morbo deſinent miſereri; quare relicta Sueſſ. expoſitione, & vulgari etiam, quæ ait miſericordium oculos eſſe pingues, cum Phauorino, & Budeo dicamus, eſſe tres proprietates miſericordis, quæ ab eodem veniunt principio, prima eſt, vt ſit pulcher, feſtiuus, & iucundus aſpectu, & qui vulgo appellatur mitis, & placidus, ſecunda eſt, vt ſit albi, ſiue cādidi, & roſei coloris ſimul mixti, qui color eſt pulchriorum fœminarum, quarum genæ, ſicuti candida mala autumno rubere ſolent, tertia verò eſt, vt pulchros, & placidos, & nitentes oculos habeat, quæ tres paſſiones ex eodem principio pendēt, nempè à ſanguineis ſpiritibus, cum pauca bile coniunctis, caput petentibus, & oculos, vnde, & feſtiuitas, & placiditas, & color, qui placet, tum in malis, tum in oculis eluceſcit, & ſe ſe promit.

,, *Et nares deorſum diſtantes.*

Surſum diſtantes legit Porta, quid ſibi velit non video, nam ſi ſurſum diſtantes erunt nares, ergo patulæ, at patulæ nares iracundi hominis, & immitis indicium eſt, ſi verò ſurſum diſtantes, hoc eſt ſurſum contractas ſignificare velit, iam hoc ſignum eſt irridentis, & alienas actiones, & dicta ſubſannantis, quod ſi dixeris vocem græcam ſignificare ſurſum, non autem deorſum, primum reſpondeo, non eſſe hoc vnum, & ſolum mendum in hoc textu, deinde dico etiam, nullum, ſi rectè perpendantur verba græca, mendum extare, nam id ſibi volunt, nempè, miſericordes habere nares ſurſum, hoc eſt ex ea parte, quæ verſus oculos eſt, politas, exculptas, abraſas, & tandem bene, & affabrè factas, & pulchras, iureque id intelligi hoc modo debet, nam miſericors eſt pulcher, & præcipuè ſecundum oculos feſtiuus, & iucundus, partes igitur, etiam illæ, quę ſub oculis poſitę ſunt, vbi primum naſus incipit, ſunt ſubtiles, quaſi abraſæ, & quodammodo expolitæ, & excauatæ, vt cauitatem quandam ſtatuere videantur, quæ figura eſt vt plurimum in his mulieribus, quæ longum, rectum, & pulchrum naſum habent, huius rei ratio eſt, quoniam miſericors pulcher eſt ſecundum faciem, quare, & bene factum habet naſum, & partes narium, quæ circa oculos bene fabricatas, & probè exculptas, molles, & delicatas, & quaſi abraſas, quæ omnia vox græca ſignificare poſſe videtur, ſine detrimento vllo propriæ ſignificationis.

Nares bene ſculptas.

,, *Et ſemper plorant.*

Non id intelligēdum eſt quod miſericordes plorent actu, nimium enim infelices eſſent, neque vlla pulchritudo, aut iucunditas in eorum eſſet aſpectu, ſed ſemper plorant, hoc eſt eorum facies neſcio quandam figuram in ſe habet hominis ad plorandum propenſi, & accommodati, vel ſemper plorāt, hoc eſt ſemper propenſi ſunt ad lachrimas, vt illis facile ſit lachrimas excutere non minus, quam riſum, ad vtrumque enim propter ſanguinem, qui in ipſis abundat, æque ſunt parati, hoc autem in puellis manifeſtum eſt, quæ eodem temporis momēto, minima de cauſa, & rident, & plorant, cauſa autem, propter quam miſericordes proni ſunt ad lugendum, quoniam ſunt humidi, & mediocriter calidi, facile igitur ex multo humore eleuantur vapores, qui cum ad cerebrum ferantur vertuntur in aquam, & lachrimas,

In ſpētie plorantis.

mas,& sic facile plorant,videtur autem,vt dixi passio,puerorum, amantiumq. puellarum, & quasi omnium,qui humido multo abundant,vnde & qui pituosi sunt,dumodo pituita sit naturalis, & dulcis,si modo modicum caloris amplioris conceperint m lachrimas funduntur; nam cum calore pituita aliquid salsi conceperit vellicãdo cerebri inferiores membranas per oculos, & nares, ceù aqua exit.

Amatores mulierum.

Idem etiam sunt amatores mulierum.

Hoc mihi non videtur esse signum corporeum, quod sensu cognosci possit, qualia sunt ea,quæ in superioribus recensuit, sed videtur potius esse quædam proprietas misericordis, vt sit mulierum amator;per amatorem mullerum intelligo,illum, qui pronus est in mulieres,quique illarum delectatur consuetudine,qui illis obsequitur, qui illas deperit,qui cum ijsdem libenter versatur,& iungitur,in hoc à lasciuo,& libidinoso distinctus,quod lasciuus est,qui in vita,& sermone mollis est,& plus teneri,& mollis,quam robusti,& virilis habet; & lasciuia dicitur mollities,cum petulantia quadam,animi virtutem, & probitatem non curantis,sed cum procacitate solam voluptatem affectantis;libidinosus,æque mares,ac fœminas cupit,non quod illas amet,sed tantum quod ex illis quærat voluptatem; quare libido erit effræuata quædam cupiditas venereæ voluptatis, at amatorij dicuntur, qui certas mulieres appetunt,& affræuato desiderio illas depereunt,& efflictim persequuntur,absentia dolent,præsentia summopere delectantnr. Amor igitur de quo loquimur est maximum quoddam desiderium potiendi, ac fruendi consuetudine personę amatæ,ac sumendi ex illa omnem cupitam voluptatem,promereri igitur gratiam amasiarum quærunt amatores, quod neque lasciui curant,neque admoduni inuestigant, misericordes igitur dico esse tales amatores, & fœminarum,non autem puerorum, nam qui pueros amant,præter naturam dispositi sunt,& valde melancholici,& frigidi,& turpes visu,quorum nullum est in miseri orde,amant igitur fœminas,& illis mirifice oblectantur,quoniam sunt calidi,& humidi, sit ergoratio talis. Misericordes sunt calidi, & humidi, & maximè secundum naturam dispositi,in calidis,& humidis,cum calore moderato reperitur propẽsio ad amorem fœminarum,cuius indicium est, quod eiecto semine, quod calidum est, & humidũ in amatum corpus,amor, aut extinguitur, aut delinitur, ergo misericordes sunt ad amandas fœminas propensi,& misericordiæ, & amoris maxima est familiaritas, amantes enim nihil aliud vnquam petunt, nisi, quod amasiæ illorum misereantur, & illarum misericordiam implorant, idem Dido apud Virgilium, nihil præter misericordiam Aeneæ petit,vt labentis domus misereatur,& mentem crudelem abeundi exuat,& eadem per Annam verba iterum, atque iterum referre facit, misericordiam ab amato Aenea quærens, sic igitur natura factum est, vt amor misericordiam moueat, & misericordia ad amorem sit aditus, & via.

Fœminarum genitores.

Et genitores fœminarum.

Secunda proprietas est misericordium, vt naturaliter sint aptiores ad fœminas, quam ad mares generandos, causam puto, quoniam propter humiditatem multo semine abundant,at quia mediocris est calor multitudinẽ seminis abunde concoquere nõ possunt; Vnde cum semicoctum sit semẽ imperfectius generat, imperfectior autem est mulieris,quam viri natura,& pauciori calore eget,quare hac de causa amatores mulierum,& qui maximè dant operam Veneri,aut nullum, aut fœminas tantum generant, idem videmus in his qui debiliores sunt,& subfrigidiores, nisi mulieris temperamẽtum semen mutet,atq. adiuuet, si modo id fieri potest, vt aliquando masculum generet, qui deinde totus matrem repræsentat.

Mihi igitur videtur misericordes esse viros molles, & effœminatos, & ad fœminam magis

magis quam ad virum accedere, cur ergo Virgilius heroem Aeneam inducit flentem, dicit enim cum Didonem uidisset in sylua, cum his qui impotenter ex amore sibi manum conscierant, illum emisisse lacrimas, & alibi de eodem;

Mens immota manet, lachrimæ voluuntur inanes

An dicemus maximè pium, & humanum à Poeta fieri Aeneam, quem dicit secum patrios portasse penates,

Quem subijsse humeris confectum ætate parentem.

At heros cum sit homo virtutes habens in excessu, humanitatem etiam in excessu habet, & alienis malis dolet, misericordiamque quoddam modo heroico, sicuti iram etiam aliquando exercet, Lausum etiam inimicũ, & sæuissimi Mezentij filium miseratus est, quare heros misericordia quidem tangitur, prout ipse valde humanus est, attamen mens manet immota, neque misericordia illum de recta ratione flectit, miseratum fuisse propriam filiam Agamemnonem est credibile, illam tamen, cum id crederet esse è Repub. Dianæ offerebat, & sacrificabat nulla habita ratione proprij, aut alieni doloris, quod igitur misericordes sint fœminarum amatores, & genitores ex prædictis satis patere posse arbitror.

Et circa mores in amorem propensi.

In amorem propensi.

Tertia passio, quæ naturam comitatur misericordis, ille enim est propensus in amorem, hoc est, natus est misericors ad amandum alios, ad humanitatem, & placiditatem, dictum enim est, quod maximè est secundum naturam hominis dispositus, natura hominis est humanitas, ad humanitatem igitur natus, & cum humanus sit placidus, & paratus ad benefaciẽdum alijs, benefacimus autem his quos amamus, quare mores habet amatorios talis homo, & ad amorem est propensus, amare enim, est bene velle, cui autem bene volumus, ei etiam prodesse quærimus, & dum prosumus lætamur, & hoc opus est officiosi viri, & eius qui sit, vt dixi, valde secũdum hominis naturam dispositus, ciuilis enim est homo, & sociabilis, quare, & nõ potest esse nisi cum alijs, & sic aliena sententia, & voluntate est terminabilis, quare obsequiosus, & humanus, iure igitur ratio, & temperies illius in humido, & calido aerem referẽte posita est, at calidus, & humidus ad amorem, & coniunctionem cum alijs propensus, est igitur ad amorem propẽsus est misericors, quod autem amor calidum, & humidum affectet, argumento est vernum tempus, etenim amori, generationi, cogressibus, & conuentibus dicatum est tempus, & ideo veneri sacratum est, & ab ea Aprilis etiam mensis cognominatus est, sic igitur ad amorẽ, qui circa mores est, hoc est ad placiditatem, & ad humanitatem nati sunt misericordes.

Et semper memores.

Memores.

Vel quod bene sint prompti ad memoriam, vel quod sua, & aliena facta, dictaque prom ptè memorent, vel quod grati sint, & beneficiorum memores, attamen videtur secunda sententia magis dictis Aristotelis quadrare, quin etiam naturæ misericordis, ille enim ceù, senex laudator est acti temporis, & sibi videntur semper, quæ præterierunt, siue bona sint, siue mala, esse prẽsentia, & prẽsentibus maiora, Verum etiam quod gratus sit, & acceptorum beneficiorum memor; primum igitur quod memor sit, hoc est aptus ad recordandum misericors probatur. Nam aptus ad memoriam ille est, qui facile imagines externorum sensibilium recipere, & retinere potest, hic autem necessario est humidus, nam humidi est recipere, & requirit modicum calorem, qui terminet, talis est dispositio misericordis, ergo misericors est memor, amplius, & semper aliquid rememorat, nam misericors paratus est ad patiendum, compatitur enim, quare, quoniam facile, & omnino patitur, illi inexistunt multæ impressiones, cui insunt multæ impressiones, & phantasmata, ille etiam multa didicit,

dicere autem referreque, quæ fuerunt, est memorare, quare misericors semper aliqua recen sere potest, semper igitur memor dicetur.

,, *Et ingeniosi, & calidi.*

Calidi ingeniosi.

Duas passiones vnam animæ, alteram corporis hoc loco affert, quod sanè ingeniosus sit misericors dubiũ est, nã humidus est, & memor, ingeniũ aũt in sicco posuimus, an sanè dicemus ingeniosum esse misericordem, quoniam mollis est, mollis autem carne, aptus est mente, mollis autem est, quoniam ad patiendum paratus est, dicendum igitur quod ingenij duplex est ratio, altera in percipiendo, & recipiendo, ac demum patiendo, altera vero in inquirendo, & iudicando, & omnino in agendo, misericors ingeniosus est, in recipiendo, in discendo, in cognoscendo, sed in inquirendo, & iudicando suo marte, quæ sint è re, non adeo est perfectus, amplius quid si dixerimus in actionibus ingenio valere, at in contemplationibus non adeo? prior tamen responsio magis fortè probabitur.

,, *Et calidi.*

Hæc est altera passio, quæ corporis est, misericors habet membra corporis tactu calida, quinimo non misereri poterit, nisi calor per externa corporis membra difundatur, nam misereri est aliorum malis pati, & illis desiderare ferre opem, in omni desiderio, quoniam est motus ad extra, probabile est calorem ab internis ad extra ferri, qui igitur miserantur in actu miserescendi secundum partes corporis externas calescunt, nisi timor aliquando huic passioni iunctus id impediat, quod idem in iratis accidit, illi enim multo etiam calore circa partes corporis externas replentur, cum igitur qui actu miserãtur sint calidi, ergo & qui propensi sunt ad misericordiam facile partes externas corporis calidas habebunt, & calidiores apparebunt alieno tactui.

,, *Horum autem signa dicta sunt.*

Epilogat quodammodo, quæ dixit, nempè se misericordis passiones, ac corporea signa explicasse, non quod alia non sint, nam misericors quoniam mollis est, habet suras pingues, & carnosas, collum inclinatum, carnosa, & fœminea genua, frontem demissam, pedes mediocres, & alia quam plura, quæ molli conueniunt, sed quoniam fortè quæ sunt præcipua, & maximè conuenientia proposito relata fuere, post hæc iam se ipsum colligens, & huic capiti finem imponẽs qualis sit misericors, & passiones, quæ ipsum sequuntur, etiam exppositis docebit, at puto ego, & in hoc loco præcipuè, & in toto libello multas esse lacunas, multa inuersa, puersa, mutata, & abolita esse, quare cõtinuationẽ vbiq. nõ expectabimus.

,, *Misericors est sapiens.*

Misericors sapiẽs est, timid', & modestus.

Hoc est bene cordatus, & cautus, non insensatus, non præceps, non delirus, non furiosus, quoniam in illo non abundat bilis, neque atra adeo comburitur, vt talis fiat, est enim mollis, & humidus, quare non potest esse furiosus, & præceps, cum igitur sit humidus, ergo mollis, quare bene sensatus, & ingeniosus, cautus igitur, & prudens, hoc est, qui etiam sibi prospicere possit, ne quidquam enim sapit qui sibi non sapit, Est & timidus misericors, nam frigidiusculus est, & mollis carne, amplius misericors dolet, cum videt aliquem ea mala pati, quæ putat sibi posse euenire, hoc autem est timere, sibi putare malum accidere posse, igitur timidus est vir misericors. Item est modestus, modestiam vocant cupiditatum moderationem, secundum quod recta ratio præscribit, & earum cupiditatum, quę hominis sunt proprię, quare neq. ambitiosus est, neq. superbus, & ex altera parte, neque despicit vllum honorem, sed verè modestus est, neq. multum irascitur ob paruas

contumelias,& offensiones, causa est,quoniam est temperatus humidus,& timidus,& qui sibi consulat, tales autem non sunt insolentes, neque ambitiosi, sed moderati,& temperantes,ergo modesti erunt,qui misericordes sunt,& modestos dico istos (vt sæpè) non quod habitum modestiæ consecuti sint, cum primum sunt misericordes, sed quod proni, ac propensi ad misericordiam,& ad dolendum de alienis malis, ijdem etiam parati sunt,& dispositi ad timorem,modestiam, & ad prudentiam,cuius indicium est quod

,, *Immisericors est insipiens, & inuerecundus.*

Insipientem voco furiosum, stultum, arrogantem plus iusto confidentem, quæ omnia illi ex immoderato calore inexistunt, secundum quem, & agitatur,& furit, est igitur, hic immisericors,& talem esse dico, qui non ex ira,non ex odio, non ex alio affectu, sed ex natura propria est talis, vt nullo modo moueatur, sed delectetur, & gaudeat alienis malis,vt de Caligula,& de Vitellio legitur quorum hic bene olere mortuum hostem dicebat,& melius ciuem, & coram sumpto supplicio noxiorum dicebat oculos se pascere velle, alter iugulari iubebat deprecantes, vt expirantium videret faciem quibus modis pallescerent.

Est etiam inuerecundus ille,qui misericordia caret, nam inuerecundus,vt diximus, in motibus est præceps, Misericors non est talis, ergo misericors non est inuerecundus, & inuerecundus non est misericors, quare immisericors inuerecundus, hoc est nulla tenetur verecundia, sed vt supra dictum est, petulans procax, & explodendus de communi hominum societate,vt potè cui deest verecũdia, illi non solum virtus,sed ad virtutem etiam deficit propensio,& habilitas.

DE VORACE.

Cap. XXIII.

,, *Voraces. Sunt hi quibus id, quod est ab vmbilico ad pectus, maius est, quàm quod inde est vsque ad collum.*

VOraces appello non gulosos,qui circa qualitatem tantum peccant, qui edere nolũt, nisi adsit pauo, aut peregrina lagois, sed voraces dico, qui in quantitate peccant, qui cenant quod tribus vrsis satis esset, vt de Mænio dicebat Horatius, quæ passio non solum animi est, sed corporis, hoc est quamuis omnes sint passiones compositi, nihilominus hanc magis ad corpus, quam ad animum pertinere certum est; Voraces igitur illi sunt, inquit Aristoteles, quorum portio corporis anterior, quæ est ab vmbilico ad pectus, (hoc est ad extremum eius ossis pectoris, quod dicitur à græcis Sternon, à latinis fortè os thoracis,vbi scilicet ensiformis connectitur cartilago) est alijs maior; concipias lineam rectam transuersa transeuntem per vmbilicum, quæ sit A. & alteram lineam,quæ transeat per principium ensiformis cartilaginis,vbi illa scilicet nectitur thoracis inferiori parti sit B.deinde protrahas aliam, quæ tertia sit, sub ossibus iuguli quæ sterno nectuntur, & sit C. sunt ergo tres lineæ A. B. C. Si ergo sit maior distantia ab A. ad B. quam ab ipso B. ad C. dico talem esse voracem,& multi cibi cupidum,quod probatur, si enim inter A, B. cadit ventriculus, & locus in quo ponitur magnus est,rationabiliter etiam ventriculus magnus est,& si magnus est ventriculus,opere, prætium est, cum hoc sit vas, & receptaculum cibi, in magno vase multum cibi poni posse,



Quis ſit vorax.

quare ſi cui magnus eſt ventriculus, illi multo cibo eſt opus, & qui multum cibi requirit, ille eſt vorax, ergo cui magnus eſt ventriculus ille vorax eſt, ſed cui maior eſt diſtantia ab A. ad B. quam a B. ad C. ille habet magnum ventriculum, ergo cui maior eſt diſtantia ab A. ad B. quam a B. ad C. erit vorax, igitur vorax ille eſt cui maior eſt diſtantia ab vmbelico ad principium ſterni quam ab eodem principio, vſque ad oſſa iuguli ſiuè ad finem ſuperiorem oſſis pectoris, ſic ergo talem hominem voracem dixeris, neque id ſolum, ſed ſimpliciter omnis cui longior, & latior ſit pars prædicta quam thorax, ſemper vorax eſt, idem magnum habet os, & deforme, & dentes magnos, & turpes, & os multa pituita ſemper plenum, vt ſerè, dum loquitur, audientes conſpurcet ſaliua, videtur autem huiuſmodi genus hominum debere referri ad lupos, ſues, & canes, vnde etiam morboſum quendam appetitum medici famem lupinam, vel caninam vocant, quoniam autem hic affectus ex atra bile ad ſtomachum regurgitante efficitur, qui naturaliter tali propenſione afficiuntur, eos eſſe atrabiliarios probabile eſt, & ideo ſtomachi frigidioris, frigidi enim ſtomachi eſt appetere plus quã digerere poſſit, & quoniam atrabilioſi ſunt, ergo & pallidi, & macri, & colore lurido prediti, & multo flatu abundãtes, tum quoniam hæc paſſio eſt atræ bilis, tum quoniam, cum plus edant, quam concoquere poſſint, à diminuto calore neceſſe eſt multam fieri cruditatum copiam, vnde multus eleuetur frigidus vapor, quem dicunt flatum, qui cum melancholicus ſit, & terreus, & ſtipticus difficile de inteſtinis exit, quare plerunque diſtendi, & diſrumpi videntur, aliquando autem putreſcentibus cruditatibus magnopere fætent, non feces ſolum, atque halitus inferiores, ſed pedes, caput, axillæ, ac demum oris etiam ſpiritus, quo affectu cum quidam nobilis iuuenis teneretur, nemo ſecum verſari poterat, aut illi ſe adiungere, habent etiam gutturis bronchium, ſiue laringem valde prominentem, vt œſophago multos cibos admiſſuro, detur etiam multum ſpacij; Vox grauis eſt, & tarda, & debilis, vt vix, & cum difficultate trahere ſpiritum videantur, coſtæ debiles, exiguæ ſubtiles, pectus glabrum, & conuexum, vt melius poſſit recipere pulmonem, ſi quando contingat propter nimium cibum in ſtomacho congeſtum, ſurſum trahi, & adaucto ventriculo cedere locum, manus graciles ſunt, quare, & longæ videntur, & tortuoſæ, hoc eſt laxæ, & extremi digitorum articuli ſurſum verſi, quod cauſatur à multa pituita, & ſanguine aquoſo, per totum corporis ambitum effuſo, vnde articulos laxari contingit, & ſic torqueri digitos, & diſiungi, multus enim, & copioſus cibus à mediocri calore male concoquitur, oculi etiam ſunt obſcuri propter atrabilioſum vaporem, ſunt magni quaſi de capite exeuntes, & ferè immobiliter tuentur, hoc idem fieri videtur quoniam impedita reſpiratione à nimio cibo ſequitur id ipſum accidens, ſuperiora enim caleſcunt, & exeri oculi, atque violenter elidi videntur, quid igitur ſit vorax, & qualis, ex his patet, cæterum qui talis eſt, homo nequam, neque ingenio, aut memoria plerunque valet, fortitudine, magnanimitate, humanitate, ac demum omni laudabili more ſpoliatus, ac priuatus viuit, vt ſibi, & alijs grauis ab omnib. aut deſpiciatur, aut odio habeatur, natus tantum conſumere fruges.

Voracis ſigna.

Qualis ſit vorax ſm animũ.

DE LVXVRIOSO.

Cap. XXIV.

Luxurioſus. Qui eſt albi coloris, & hirſutus: rectis capillis, & craſsis, & nigris: & tempora hirſuta, oculus pinguis, & laſcinus.

NON per luxurioſum iutelligo, quem latini vocant, nimis molliter, & delicatè viuentem, quod nomen à luxu deducitur, ſignificante ſuperfluam, & nimiam rerũ, ad vitam pertinentium profuſionem, deriuari autem videtur vox hæc, à luxo, deducto, à verbo luo, quod ſoluo ſignificat, vnde luxata vocantur, oſſa de proprio loco mota, & eiecta, & ſoluta, quare luxus, & luxuria eſt vita à recta viuendi ratione, & modo deiecta & verſus exceſsum excluſa; de hac igitur nunc non eſt propoſitum Ariſtotelis agere, ſed de libidinoſo, & de eo qui ſupra ab amatore contra diſtinctus fuit, illo ſcilicet, qui omnes ſequitur, omnes appetit mulieres, cum omnibus rem habere, in omnes arrigere, omnes quas uidet vehementer inire cupit, qualem Boccac. ſcribit fuiſſe quendam ſeruulum impoſtoris illius, qui oſtenſis carbonibus, & quibusdam pennis pſytaci populum deludere ſolebat, eſt igitur huiuſmodi luxuria nimia veneris libido, & intemperata, & immodeſta profundendi ſeminis auiditas; in quodcunq; ſe ſe offerat obiectum, ad hunc actum apparens habile, ergo in his neceſſe eſt non parum ſeminis reperiri, ſunt igitur humidi quidem, ſed & multo calore, multoque vapore ſpirituoſo, & flatulento abundant, quare & humore ſalſo; hæc enim omnia ijs qui veneri dant operam adeſſe certum eſt, niſi enim adsit ſemen, non erit quod eijciant, si deficiant flatus nonerigent, si abfuerit calor vaſa non dilatabuntur, neq. exibit ſemen, nisi preſto sit humor ſalſus, non erit quod titillet ſenſum, atque excitet ad venerem, igitur oportet pro ratione ſeminis calido, & humido, libidinoſum, si non simpliciter, ſaltem ſecundum partes corporis inferiores abundare, at propter flatus & ſalſum humorem, probabile eſt, hunc eſſe atra bile præditum, quare ratio libidinosi de quo loquimur, posita eſt in ſanguine cum ſubdominio atræ bilis præternaturalis, ex aſſatione tum flauæ bilis, tum ſanguinis exortæ, ac conſtitutæ; hæc igitur libido, eſt accensio maſſæ ſanguineæ, & melancholicæ ex aduſtione facta circa cor, & partes genitales propter appetitum emittendi ſemen ob apparentem, & sibi perſuaſam voluptatem, quam conſequi facile ſperat homo, qui libidine tentatur, quoniam igitur eſt multa ſpes ergo audacia, & in ſanguine calor, & ſine calore nihil efficietur, & ſi cupido eſt emittendi ſemen, neceſſe eſt ipſum etiam adeſſe, deponi autem curatur quod irritat, quod eſt, vel acre, vel amarum, vel ſalſum, hoc autem à pituita, vel aliquo alio aduſto fit humore, quare has omnes materiæ qualitates in hoc de quo loquimur aderunt, ex quo ſequitur quod libidinoſus ſit albi coloris, non vt ait Sueſſ. quoniam ſemen ſit album, nam ſi quæcumque habent ſemen album eſſent libidinoſa, omne ſane animal quoniam ſemen habet album, cum peponibus, & cucurbitis, quæ etiam albo ſemine ſunt plena, eſſet libidinoſum, quod videtur eſſe ridiculum, ſed dico ego libidinoſum, eſſe albi coloris, hoc eſt, pallidam, & ſubcinericiam habere faciem, qualem nimirum habent, qui plurimo abundant humore melancholico aduſto, qui cum ſecundum ſe ſit, vt Medici dicunt, incineratus, colorem etiam hunc in cute generat, cuius indicium ſunt morbi quidam cutanei, ut lepra, & ſcabies quædam alba, & elephantiaſis, qui omnes cum melancholiæ aduſtæ abundantiam ſignificent, ijdem tamen, & ſimul albedinem

Luxurioſi ſigna.

monſtrant, ſi ergo libidinoſus abundat atro humore aduſto & ſalſo, cum qui tali plenus eſt humore cutim habeat cinericiam, & pallidam, ergo libidinoſus pallidam, & cinericiã ſiue albam faciem habebit, quod fuerat omnino probandum.

,, *Et hirſutus.*

Libidinoſi hirſuti.

Hæc ſecunda eſt libidinoſorum nota, & nulla alia ratione Satyri finguntur hirſuti, hoc eſt valde pilosi, niſi quoniam ſunt libidinoſi, dicitur autem hirſutum, quaſi ſetis horridũ, eſt ergo libidinoſus hirſutus, & præcipuè circa crura, & partes genitales, & ratio videtur in promptu, vbi enim eſt multus calor & multa materia fuliginoſa ibi multus eſt pilus, ſed in libidinoſo circa inferiora multus eſt calor igneus, & aſcititius, non tamen naturalis, & probus, & multa fuligo, ergo in libidinoſo multus eſt pilus, quare hirſutus eſt, maior dubitationem non habet, minor probanda eſt, nam in libidinoſo ſupra dictum eſt præualere humorem melancholicum, multumque flatus eſſe, qui nunquam niſi àdiminuto calore procedit, rationabile igitur eſt non adeſſe calorem, An dicendum quod duplex calor naturalis, qui eſt aereus, & proportionatus calori cæleſti, & hic eſt paucus, & propter hoc flatus fiunt, alter vero eſt igneus, & hic multus eſt, & cauſat pilos, in libidinoſo non eſt prior, ſed poſterior abundat, & quoniam hic calor multus eſt, ex ſanguine melancholico ab hoc calore præter naturali, (cum aduri contingat) fit multa fuligo, quæ materia eſt pilorum, & quoniam deficit caro, & ideo cutis in ſe ipſam concidit, & muto calore quoque corrugatur, effectum eſt, vt piloſa admodum fiant crura, & brachia etiam, & pudenda, & nates, neque ſolum pilus, ſed multus furfur etiam membra occupet qui ab eodem efficiente nempe extraneo, & præter naturali calore humorem ſalſum acurente generatur, hunc autem in libidinoſo multum reperiri, ſupradictum eſt, hoc enim excitatur eius appetitus ad uenerem.

,, *Rectis capillis, craſsis, & nigris.*

recti & craſſi capilli

Tres conditiones libidinoſorum capillis tribuit, quod ſint recti, quod craſſi, & quod nigri, capillorum hanc erectionem ſane non noui, nam potius timidi, aut aliquando in iram ruentis hominis eſt hoc ſignum; quoſdam enim, tanquam porcos nouimus, aut apros, quibus, cum in iram feruntur, attolli conſpiciuntur capilli craſi, & duri, quare crederem ita poſſe intelligi hoc ſignum, vt diceremus in libidinoſo pilos eſſe erectos, hoc eſt, vt quidam exponunt, non tortuoſos, non obliquos, non criſpos, ed planos, & recte extenſos, mihi enim videntur qui libidinoſi ſunt ex ipſo ſenſu tales habere capillos, in quibus multum melancholicæ, & terreæ materiæ eluceſcat, quæ materia cauſa eſt, vt & nigri ſint, & duri, non minus quam plani (vt dixi) & extenſi; ſi ergo libidinoſus aduſta melancholia abundat, quare & fuligine multa, & calorem habet igneum, neceſſe eſt attolli multos vapores viſcidos, qui multos generent capillos craſſos, quoniam craſſa eſt materia, & cutis capitis rarior, nigros quoniam materia eſt melancholica, & nigra, & recos, hoc eſt non ſurſum elatos, ſed planos, & extenſos, quoniam multa bile, & ſanguine puro non abundant, à quibus flaui, & criſpi fiunt capilli.

Sed dices, Aethiopes, & Mauri ferè omnes ſunt melancholici, & ijdem criſpos habent capillos, & ſemper nigros. At reſpondebo criſpari ab externo non autem ab interno calore, amplius videmus populos illos eſſe libidinoſos, & maxime Zelotypos, & quo quisque populus magis ad meridiem accedit Zelotypia magis laborat, quare ſi paſſio eſt hæc libidinoſi, clarum eſt, quod libidinoſus nigros habet capillos.

Et ſurſum erectos, hoc eſt criſpos, & ita criſpos vt ea pars vltima capillorum ſurſum vertatur, quod arguit tortuoſitatem cutis, ex qua exit, hæc autem tortuoſitas à multo calore cutim cogente, & corrugante ſolet oriri, aut à materiæ craſſitiæ, dum à calore agitatur,

lore

videmus enim fumũ picis, dum vritur tortuosè ſurſum ferri, quid ergo, ſi dicemus ſignum eſſe libidinoſi hoc vnũ, ſi quis criſpos, nigros, & craſſos habuerit pilos capitis? nam ſanè id veriſſimum eſt quod ſiue extenſi ſiue criſpi ſint capilli dummodo ſint craſſi duri, & nigri ſemper libidinoſum deſignant, Ad hoc dubium fortè dici poteſt in libidinoſo capilli extenſi ſunt, cum externus calor eſt minor, & internus non valde etiam intenſus, ſic Hiſpanos minus criſpos videbis, quam Mauros, & hos minus quam Aethiopas, at in locis magis ad ſeptentrionem accedentibus idem libidinis ſignũ eſt, quamuis capilli non ita criſpi exiſtant, quoniam externum ambiens non adeo calidum eſt, vt in primo, ſecundo, & tertio climate.

,, *Tempora hirſuta.*

Quartum ſignum eſt, quod libidinoſus habeat hirſuta tempora, & paſſio hæc omnino à ſuperioribus cauſis pendet; per tempora intelliguntur partes illę, quæ ſupra os iugale capitis poſitæ ſunt, ex vna parte frontem, ex altera aurem habentes; atque hæ ſunt, quæ primæ caneſcunt, temporalis muſculus hic poſitus, ſub oſſe iugali occultatur, hoc loco quędam, vę næ, & arteriæ quarum pulſus etiam tactu precipitur ſurſum feruntur, in libidinoſis igitur tempora ſunt hirſuta, ac multis plena pilis, eadem ratio eſt, quoniam multa ſuggeritur materia, ex illorum temperie, & illa præcipuè obſidet loca, ad quæ ampliora vaſa perueniunt, vt in temporibus, quorum natura eſt, vt rarò, vel nunquam pilis exuantur, & caluescant, niſi id fiat morbo ab externa cauſa exorto, vt lue gallica; valde igitur piloſa dico tempora libidinoſorum hac de cauſa quoniam multo craſſo, & melancholico abundant ſanguine, à quo multi ad illas partes peruenientes vapores craſſi, & viſcidi pilorum faciunt multitudinem, & copiam. *Hirſuta tẽpora.*

,, *Oculi pingues, & laſciui.*

Pingues, & laſciuos oculos quos vocant intrepretes, Polemon, & alij dicunt, ocellos pulchros, ſed ſtolidos, & malè ſanos, vocem, pulchros, dicerem, pætos, qualem habuiſſe venerem fingunt poetæ, & hoc modo ſanè intelligendum eſſe ratio ſuadet, laſciuum, & libidinoſum habere pætos oculos, hoc eſt, qui huc, atq. illuc velociter conuertuntur eſt, enim pætus, qui oculos habet tremulos, & ſe facillime in quamuis partem momento vertentes; ſic igitur dicimus intelligẽdam eſſe vocem græcam, quam illi, pinguis vocabulo reddunt, vel pætos hoc eſt, ſurſum verſos, & ductos, hoc enim proprium eſt oculi pæti, & venerei, vt ſurſum torqueat pupillam, vnde nata eſt Ariſtoteli occaſio in libro problematum quærendi, cur tum coeuntes, tum morientes ſurſum ducant oculos, paſſio hæc ad proprietatem coeuntium refertur, ratio autem propterquam libidinoſus pætos habet, & ſurſum contortos aliquantulum oculos, & bene mobiles eſt, nam diximus hos atra bile, cum ſanguine mediocri abundare, ab hac, cũ incaluerit, multi vapores calidi, & ſicci eleuantur, qui ad cerebrum cum peruenerint, & ad oculos præcipuè, vbi paſſio hęc originem habet, eo in loco calidam, & ſiccam faciunt impreſſionem, qua quodammodo conuelluntur, & contrahuntur nerui oculi mouentes pupillam, & ſic ſurſum torquetur, ſic ideo ocellos pætos habere dicit Ariſtoteles libidinoſum. *Oculus laſciuus pinguis hoc eſt pætus.*

,, *Et inſani.*

Alij laſciuos legunt; Sueſſ. declarans quid per inſanos oculos ſibi velit Ariſtoteles, ait, nihil aliud ſignificare niſi oculos ſurſum, & deorſum fluentes, ita vt inſani ſolent, quorum oculi ſic affecti ſunt, at Heſichius vocem græcam interpretatur ita, vt petulantem, proteruum, & improbè libidinoſum ſignificet, vt etiam per vocem diminutiuam deſignat Ariſtoteles, qui non oculos, ſed ocellos vocat pætos, & inſanos, hoc eſt pætulantia, & laſciuia diſſluentes, quorum meminit Ouidius ex Helena dicens. *Inſan⁹.*

Tu modo

Tu modo me spectas oculis lasciue proteruis
Quos vix instantes lumina nostra ferunt;

Cum itaque libidinosus atra bile abundet, & ea propter amasiæ summum desiderium conceperit calorem maiorem circa cor, tunc vapores, & spiritus, vt sic loquar, igniti caput, & oculos petunt, eosque vehementer mouent, & contorquent, & cum quodam turbato splendore, lachrimas etiam pene imminentes testante, spectant, quas amant, vt penè de eorum cauitatibus exilire velle videantur, tanto ardore tantaque procacitate se offerunt, vt non solum internum fateantur ignem, sed verba, vultusque petentis, instantis, & tandem manum intentantis, & rapientis præ se ferant.

Hæc, cum in actu amor est, ac lasciuia exardescit, spectantur, cum autem propensionem tantum habet, aut ad hanc natus est homo passionem, similiter hæc quidem apparebunt, multo tamē minora, & remissiora signa, talis ergo est Aristotelis de lasciuo, siue libidinoso sententia, vna autem, & præcipua horum inter alias nota est, vt sint lasciui, ac amorib. dediti omnino pallidi, vel iuxta illud Poetæ, Palleat omnis amans, altera est, vt facile supercilia, & palpebræ decidant, siue tandem sint paucis pilis vestitæ, crura etiam, sunt subtilia, & macra, nempè in semen conuerso alimento, quod debebat in carnem, & musculos suram vestientes conuerti, crassiores tamen, quæ sunt ad talum particulæ, pedum digiti breues, & parum fissi, caluis etiam, & raros capillos habentibus, plerunqne hæc inest passio, siccitas enim caluitiei causa est, sicca fiunt autem venere corpora, amplius salso humore abundant, ex quo, & canities, & caluities præcox venit, facies in aliquibus aliquando rubra qualē describunt fuisse Sylenum, sed rubor sit in fronte, non in genis, & breui loco concluſus, pallescant cæteræ circum sitæ partes, & venæ frontis sint valde conspicuæ, & statura non sit magna admodum, quosdam ita nouimus summa libidine male affectos, vt ferè nihil vnquam aliud, præterquam de venere, ac coitu loquerentur, quibus adeo pilosæ, ac exiles erant suræ, & coxæ, & caro laxa, vt miraculum esset, quod ita starent, & continue huc, illuc cursitarent, Inter libidinosos etiam numerant claudos, & nō magna statura præditos, & fortè eadem ratione, de qua supra, nam alimētum, quod in corpus, aut partem claudam non cedit, totum in semen conuertitur. Fœminam Porta lasciuam, & procacem describit, hoc modo pallidam, vel subfuscam, (vt de Sappho testatur Ouidius) gracilem, non carnosam, staturam habentem rectam, mammas paruas, mediocriter duras, pilos in crurib. pectine, alis, mento etiam, & pectore, & circa podicē nigros, crassos, duros, asperos, capillos nigros crassos, breues, vocem non subtilem, altam clangorosam, audacem, tumultuosam, superbā, garrulam, crudelem, ebriosam pauco abundantem menstruo, adde nasum simum, nares expansas, & latas, os magnum, labia crassa, oculos ardentes, nigros, vel etiam cęruleos, siccos, ridentes, venis sanguineis notatos. Cæterum mulier operosa cui non sedere, non tacere, non in gynecio cōsenescere sit cordi, sed agere, & cum viris negotia gerere placeat; vnde factū est, vt pleræq. mulieres, quæ viragines, & heroinæ ab antiquis celebratæ sunt, libidinosæ fuerint, neque id olim, sed etiam temporibus nostris, à verò non fuerit remotum, neque fortè præter vnam Zenobiam, alias facilè reperias, (si Simiramim, si Sapphon, si Atalātam, si Amazonas penè omnes contemplatus fueris,) quę castæ fuerint, & pudicæ; causam puto harum passionum esse vnam vnicam, quoniam abundant calore multo, & atra bile, quarum vna ad hāc affectionem suppeditat materiam, altera causam effectricem; quod igitur, & qualis, & cur sit talis lasciuus, ex dictis iam est manifestum.

Lasciua fœmina, q̄ sit.

DE AMATORIBVS SOMNI.

Cap. XXV.

;; *Amatores ſomni. Qui habent ſuperiora maiora: curui pedes, calidi, habentes carnem boni habitus, elegantes forma, & hirſuti circa ventrem.*

PAſſio hæc, cuius nunc ſigna traditurus eſt Ariſtoteles, magis materiam, & corporis temperiem ſapit, quam cæteræ ſuperiores, ſomnus autem nihil aliud eſt, niſi ceſſatio, & quies animalis à ſenſu, & ab omni functione, quæ ab ipſo quatenus eſt animal, efficiuntur, cauſata à vaporibus humidis eleuatis à calore circa interna viſcera retracto, & caput, ac cerebrum petentibus; videtur igitur in ſomno fieri quædam quaſi obſtructio ſpirituum, qui per neruos, & artus perfectè non ferantur, eſtque ligamentū quoddam, ſenſuum, naturale tamen, quo ſic vires reparantur, & tollitur fatigatio, ſomnolenti igitur ſunt, quib. talis humor pituitoſus abundat, aut vapor craſſus caput occupat, quod patet exemplo lethargicorum, & eorum, qui ſoporoſis præmuntur affectibus, & morbis, in quibus omnibus pituita in capite, & ventriculis cerebri abundat, & ſi purgetur ad ſanitatem reſtituuntur. *Amatores ſomni q̄ ſint.*

;; *Superiora maiora.*

Primum igitur horum ſignum eſt quod habeant ſuperiora corporis maiora, hoc eſt caput præſertim, ſic enim in libro de ſomno dictum eſt, & ſic pueros, & pumiliones, quoniam magnum caput habent, videmus etiam deditos ſomno. Cauſam puto quoniam, qui magnum caput habent, illud etiam multa materia, multoque vapore plenum poſſident, multus hic vapor, & materia talis eſt, quale eſt cerebri temperamentum, quod cum frigidum ſit, & humidum, tale hominum genus caput habebit multo humore frigido refertum, at quorum caput iuſto eſt humidius, illi ſunt ſomnolenti, ergo amatores ſomni maiores habent corporis partes ſuperiores, quam inferiores. *Superiora maiora.*

At ſi ſomnolenti ſunt illi, quorum capita ſunt maiora quam naturaliter alij homines ſoleant habere, probabile eſt viros hos ignauos, & inertes in actionib. eſſe, oſcitabundos nullius ingenij, nulliuſque momenti, ita vt his mortua ſit viuis propè vita, & videntibus, vt vigilantes ſtertant, cuius indicium eſt quod actiui, & magni, & bellaces viri, vt de Alexandro Magno, Cæſare Marco Bruto, & quam plurimis alijs legitur, parum admodum ſomno indulgebant, nam (vt ille) quid eſt ſomnus gelidę niſi mortis imago? Vigilantibus enim, & non dormientibus parantur bona.

;; *Curui pedes.*

Secunda paſſio, vel nota ſomnolentorum, quam Sueſſanus ad Vrſos dicit referri, q̄ ſunt ſomniculoſi, ego credo illum nunquam vrſinos pedes vidiſſe, at ſi viderit non animaduertiſſe nunquid curui ſint, nec ne, at hoc bene ſcio vocem græcam longe aliter, & legendam, & interpretandam, atque ille, nam vox illa, non curui pedem, ſed tardi gradum, & pedibus claudum, mutilumque deſignat, vt in theſauro græcarum vocum dicitur, neque etiam ad vultures transfertur, vt neſcio quibuſdam videbatur. quid enim commune cum vulturibus habent pedes humani? dico igitur ſomnolentum eſſe tardi gradus, & in ſuo inceſſu quandam ſegnitiem, & pigritiam oſtendere, cauſa eſt, quoniam ſomnolentus multo humore, & *Curui pedes.*

medio-

mediocri calore, ac craſſis lentiſque abundat ſpiritibus, qui talis eſt à calido, & ſicco (vehementiæ nempè, & celeritatis cauſa) longe abeſt, tarduſque, & in ſuo motu lentus eſt, ergo amator ſomni in ſuis motibus eſt lẽtus, & tardus, vt dum incedit etiam dormire videatur, credo etiam, q̃ pedes claudos, & mutilos habent, ſomnolentos eſſe, & ſomno deditos, cuius cauſam puto, quoniam q̃ alimenti humidi pars ad pedes exſiccatos, aut deficientes deferri deberet, tota ad ſuperiora aſcendit, vnde, & corpus maius, & humidius efficitur, quare, & ad dormiendum promptius.

„ *Et calidi.*

Somnolenti etiam hæc nota eſt, ſed vix video, an ad totum corpus, an vero ad ſolos pedes hoc ſit referendum, quidam dicunt hanc eſſe paſſionem ſomnum appetentium, vt calidos pedes habeant, neque aliter dormire ſit poſſibile, aut valde difficile, ego ex aduerſo video dormitionem eſſe quendam receſſum caloris à circumferentia ad centrum, quare neceſſe eſt extrema frigeſcere, & ſi ſudant dormientes id fit quoniam multus vapor à calore concentrato eleuatur, perque ambitum corporis diſpergitur, & cum peruenerit ad cutim laxatam exit, & fit ſudor, puto igitur quorum frigidi ſunt pedes non dormire, non propterea, quod calor abſit, ſed quoniam ſenſu iniucundo, & doloris pleno affecti quieſcere non poſſunt, quare neque dormire, motus enim quidam eſt dolor, ſicuti voluptas quies eſt, voluptatem eſſe quietem patet, quoniam in quadam perfectione operationis naturalis conſiſtit, perfectio autem omnis finis eſt, & finis terminus motus eſt, & quies; quare (quod etiam magis cũ textu græco videtur conuenire) dicerem, ſomnolentos eſſe calidos ſecundum corpus, ita vt tactui eorum, qui manus ipſis applicant calidi appareant, ſed calor quem iudicat tactus multiplex eſt hic ſiccus, ille humidus, & vtcunque alius, eſt blandus, alius acutus; vel in principio, vel in fine, vt in febribus diuerſis contingit cognoſcere, porro calor, qui obſidet membra ſomno deditorum eſt blandus, & humidus ſiue vaporoſus, & qualis eſt illorum, quibus ſudor iam cutim appetit, & quales ſunt manus adoleſcentium, & puerorũ boni habitus, aut etiam mulierum cum aliquãtiſper laborauerint; huius paſſionis hæc mihi videtur cauſa, ſomno dediti multo humore pleni ſunt, qui cum in internis partibus collecto calore valde caleſcat, multi vapores calidi, & humidi ad totum corporis ambitum feruntur, hi cum ad extremam corporis cutem peruenerint omnino eam calido illo vapore inficiunt, & ſic ſomnolenti membra tactu calida apparent, & à tangentibus iudicantur calida; Accidit etiam ſomniculoſis, vt eorũ pedes re vera ſint calidi, & humidi, & plerunque fætidi quoniam totum corpus humidum eſt, & calor ad inferiora delatus ſuperna frigidiora reddit.

„ *Habentes carnem boni habitus.*

Caro boni habitus.

Tertium ſignum eandem paſſionem indicans, ſomnolentos eſſe boni habitus, hoc eſt recte valentes, quod ex eadem cauſa, atque ſomnolenti oriens ratione, hoc vt intelligatur dicamus, primum quid ſit caro boni habitus, & ſic patebit hanc in ſomno deditis reperiri; carnem eſſe ſanguineæ maſſæ ſobolem iam dictum eſt, & nihil aliud niſi ſanguinem circa muſculorum fibras naturaliter concreſcentem, quæ vacuum inter eorũ fibras implens, & quaſi infarciens, robur illis adiũgit, & præbet, vt facilius muſculorum motus, & operationes perficiantur, & minus à motu fibræ lædantur, & hęc quæ in muſculis reperitur ptopriè caro eſt, non autem glandularum, aut internorum viſcerum ſubſtãtia, quæ impropriè caro vocatur. carnis differentiæ diuerſæ, nam alia eſt humida, mollis, rara laxa, ſpongioſa, flaccida, alia etiam ex aduerſo ſicca, dura, denſa, compacta, firma; quæ in eodem membro ſecundum ſpeciem exiſtens, in diuerſis hominibus variatur, pro varietate ſanguinis ex qua fit, talem ſe exhibet, quare ſi ſanguis humor ſcilicet, qui à cæteris tribus tertius contra diſtinguit naturali-

turaliter fuerit disposítus, erit vtique calidus, & humidus, & aerem referens in venis alios humores cæteris elementis respõdentes superabit, tũ mole, tum virtute, quare, & caro, quę ex hoc efficietur sanguine erit tactu quidem mollis, quoniam sic humorem referet, at quoniam calor est conueniens, qui illum terminat, & infarcti, & pleni existent musculi, neque erit laxa caro, nec flaccida, sed compacta, & firma, & solida; ab effectu igitur ad causam sic primum procedemus, & cui caro est boni habitus, illi eadem adest mollis, sed compacta, & firma, cui caro talis illi sanguis adest calidus, & humidus, multus, & probus, ergo cui caro boni habitus illi multus est sanguis, & multus humor calidus, & humidus; & è contra; somni amatori multus ineſt sanguis prob. humidus, & calidus, cui hoc adest ille habet carnẽ probi habitus; deditus igitur somno carnem habet probi habitus, carnosus igitur est, neque exsiccatus, aut emaciatus, sicuti sunt, qui propter studia, aut dolores vigilijs vacant.

,, *Elegantes forma.*

Quarta nota est somniculosorum, vt sint forma eleganti prædíti, formosos voco, non autem pulchros, nam pulcritudo potius in partium symetria, & certa quantitate videtur consistere, at forma in qualitatibus corporeis, nempè colorum varietate, & tactilium qualitatum concinna quadam dispositione videtur reposita, vnde pulchros non dicimus paruos ex Aristotelis sententia, sed formosos, & elegantes, iure igitur somno dediti, quoniam carnem habẽt calidam, & humidam, quare, & colore subroseam, & tactu mediocriter firmam, & compactam, ijdem formosi esse videntur, quo habitu quidam dicebat præditos esse, qui flore iuuentutis abutuntur, & eos omnes esse somniculosos, & vinosos, quin & voraces, & quibus hæ non aderant conditiones, nusquam tentandos, vt potè qui à teterrimo vitio alieni nusquam poterant persuaderi, sed ille nequissimus nebulo, q de his scripsit, si Aristotelem in prob. sectione quarta consuluisset, non ita male de formosis, & calido, & humido habitu præditis, sensisset; non enim temperies, vt millies inculcatum est, ad quidquam vitij, aut virtutis cogit homines, namque in omni temperie boni, & mali esse possunt, sed solum præbet quasdam dispositiones, & habilitates, vt promptius, & perfectius aliquid facere, assequi, aut pati possimus, vt in collibus, & planis nascuntur vuæ, sed vt plurimum lætiores tamen in collibus, at quoque etiam felicius, & melius in planis proueniunt, quam in certis collium locis, qui enim, aut ad septentrionem vergunt, aut occidentẽ solem respiciunt, & in locis altioribus consitæ, aut nimijs ventorum flatibus sunt expositæ multo minus generosæ sunt, quam multæ in locis planis cultę, & educatę, vt vere dici possit, omnis fert omnia tellus; arte, cultu, mangonio mansuescunt plantæ, & arbores, industria, & educatione leones discunt parere homini, nullumque adeo ferum est ingenium, quod non mitescere possit.

Formosissimno aeatis.

Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Sed ad propositum primum redeuntes, si elegantes, & formosi somnolenti sunt, ergo ingenium hebes habebunt, neque acre iudicium possidebunt, & si memoriam non infelicem nacti fuerint, reminiscentia tamen non ad modum valebunt, nam illa, vel ratiocinium est, vel eius species, mediocriter ergo in litteris proficiẽt, nunquid igitur ad arma nati fuerint? sed habitudo muliebris veneri magis, quam marti similis militares respuit labores. Huiusmodi igitur homines ciuiles sunt, & ocio pacique magis accommodati, œconomicam, & familiam suam curare, vxorem ducere, filios instituere, & educare conuenienter possunt, quales qui ad seruandum paternum nidum, colendosque proprios lares affabre facti sunt, à natura que producti.

,, *Et hirsuti circa ventrem.*

Hirsuti circa ventrẽ.

Vltimum est somnolentorum signum circa ventrem pilositas, at de quo ventre sit Aristotelis

stotelis sermo dubium est, nunquid de stomacho, qui medius venter vocatur, & à medicis ventriculus, loquatur, aut de imo ventre, qui continet intestina, & qui est ab vmbilico ad pectinem, vsque aut tandem de vtroque sit intelligendum Aristotelis dictum, vt etiam videtur posse intelligi.

Quid p ventrē intelligat Aristoteles

Ego sane puto, Aristotelem indistinctè per ventrem intellixisse eam cauitatem, quæ continet ventriculum, epar, & lienem, & inferiora intestina, vtpotè cum cauitas hæc vna contenta tunica; tanquam vtre quodam, peritoneo appellato, omnia membra, quæ nutritioni, & generationi deseruiunt comprehendat, est enim membrana, quam peritoneum appellant, vestis quædam, quæ ambit, & continet stomachum, epar, lienem, renes, & intestina tum gracilia, tum crassa, quæ, vt mihi videtur, imum ventrem concludit, si ergo res ita se habet, per ventrem intelligemus cauitatem membra generationis, & nutritionis continentem, & pellem huic ventri superpositam dicimus esse pilosam in his, qui delectantur multo somno, causa est, quoniam pars hæc, in his est valde calida, & humida, quare sic poterit formari ratio, qua probetur somni amatores habere ventrem hirsutum, somni amatores sunt humidi, & calidi præcipuè circa ventrem, cui inest calor, & humor in ventre multus, in eo eleuantur multę fuligines, & vapores multi, in quibus fit generatio harū fuliginū generantur pili, ergo somni amatoribus circa ventrem multi pili generabuntur, sic igitur erunt pilosi circa imum ventrem, & circa vmbilicum, & ventriculi fundum hic enim præcipuè viget cum calore humor, in his qui sunt boni habitus.

An somnolenti, & libidinosi sint eadem signa.

At dubitabit aliquis quomodo libidinoso, & somniculoso eadem insit passio, nam si hoc, ergo eadem causa, quare & ijdem in alijs etiam effectus. Cur igitur libidinosus oculos habet pætos, lasciuos, alacres, valde mobiles, at somno deditus, qui vigilans dormit, semisopitos immobiles, & conniuentes, vt vix lucem posse pati videatur; At iam sæpè respondimus est, non esse absurdum duas passiones oppositas idem genus habere, neque etiam absurdum est vnum consequi duo opposita, & quæ sunt calida, & frigida tactum mouent, & dolorem inferunt, & delectationes, quare non est absurdum etiam si somniculosus, & libidinosus eadem habeant accidentia, quatenus in aliquo genere, quamuis innominato, conueniant, vt habere solidam vngulam asino, equo, & mulo, sic quatenus, tum libidinosus, tum somniculosus in hoc conueniunt, vt multo humido vtrique abundent, & eo subpingui, & non pure excrementitio, effectum est, vt vtrique idem habeant symptoma, & vtrisque venter sit pilosus. Amplius dico maximè differre libidinosum à somniculoso, nam calidior multo est libidinosus, quam sit humidus, è conuerso in somnolento humor calorem superat, & ideo libidinosi pili sunt duri, crassi, nigri, at somnolenti sunt molles subalbidi, subtiles, vnde arguitur etiam somnolentum esse meticulosum, libidinosum vero audaciorem.

Dub. An somnolenti pilosum habeāt ventrē.

At si quæ hactenus dicta sunt, in se ueritatem habent, cum multo pilosiora, hispidioraq; habeant corpora uiri, quam fœminæ, & adulti quam pueri, magis etiam deberent somno teneri, at hoc experientia falsum docet, nam uiri fœminis, & adolescentibus adulti, minus dormiunt, & ratio etiam id persuadet, quoniam sicciores, in sicco autem uigiliæ, in humido consistit somni ratio, at dictum est, quod qui somno magis dediti sunt, pilosiores existunt, hoc est si conferas homines inter se, cæteris paribus, illi qui sunt pilosiores, etiam somnolentiores existunt, at puerorum, & fœminarum alia est ratio, an etiam, multo aliter sentiendū est, Nempè humidiores esse somni amatores, & quo magis humido abundant, eo magis in somnum ferūtur, quare cum in pueris, in fœminis sit maior copia humoris, maior etiam est propensio ad somnum, si uero conferas pilosos inter se dico pilosiores magis pronos ad somnum, at pueri antequam adoleuerint, neque pilosi, neque pilis priuati dici possunt, de his igitur non potest Aristotelicum dictum uerificari, ut de canibus qui nondum octauum diem attigerint, neque cæci, neque uidentes uocari possunt, at quid de fœminis dicemus,

quas

quas enim ſcimus cæteris eſſe piloſiores, eas minus dormire cognouimus, ex Ariſtotelis tamen ſententia deberent magis dormire; An in genere fœminarum, quę piloſiores illæ calidiores ſunt, quæ autem calidiores prævalente calore minus humidæ ſunt, quare & minus ſomno ſunt obnoxiæ, cuius indicium eſt, quod eędem etiam magis ſunt laſciuæ, vnde vulgo dictum eſt fœminas barbatas omnino fugiendas eſſe, ſic enim prævalente calore in illis, turbido ſunt præditæ ingenio, nihil intentatum, cum in furias, iramque ruunt, relinquere ſolent, oritur autem fœminis barba, & cum deficiunt menſtrua, & cum plus iuſto exſiccatur menti, & labrorum cutis, & internus calor fit acutior, quo tempore efficitur, vt etiam circa podicem ijſdem pili oriantur, & tunc virorum maximè efficiuntur appetentes, falſo enim, & acri quoddam vapore, atque humore ſimul iunctis turgeſcunt inferiores partes, & materia, quæ euacuationem quęrit pruritum, & titillationem quandam excitat, ſic ergo viris fœminæ per accidens fiunt etiam vigilantiores, & ad opera, & ad fraudes multo promptiores quam ſint illi. *Vigilia in fœminis qd in dicēt*

His addam quædam alia, quib. ſomniculoſum facile cognoſcere poteris, ſi prius diſtinctiunculam afferram, quod ſomniculoſus triplex videtur eſſe, vnus, qui facile, & ſemper promptus eſt in ſomnū ferri, quales ſunt pueruli parui, qui nullo negotio oculos claudunt, & dormiunt, quidam alij ſunt, qui ſuis horis naturaliter, & ſecundum conſuetudinē ſomnum appetunt, at cum ſemel oculos occluſerint, ſi totus illabatur orbis, non expergiſcuntur, ſed altum ſomnum, & morti ſimilem dormiunt, tertij ſunt, qui facile in ſomnum ferun. tur, & cum dormierint difficile exſuſcitantur, primorum proprium eſt, vt magnum habeāt caput, ſed multo etiam calore plenum, genas igitur rubentes habent, & oculos lætos, & carnem mollem, calidam, & vaporoſam, qui vero ſtato quidem tempore ſomno occupantur, at cum ſemel obdormierint diutiſſime dormiunt, ebrijs ſimiles ſunt, & multo humori, igneus quidam admixtus eſt calor, non ſine atræ bilis vaporibus, quæ paſſio accidit laborantibus affectu hyppocondriaco, nam quamuis non tententur ſomno, & diù poſſint vigilare, cum tamen dormire incæperint vix poſſunt aliquando expergiſci, & marcidi videntur; qui vero, & ſemper dormiunt, & vix excitantur, & magnum habent caput, & plenum multa pituita, vt glires, atque vrſi, muręque montani, horum facies alba apparet tumoroſa, labia albicantia, oculi ſemi ſomnes, & totum corpus in morem dormientis accomodatum, frequentius oſcitant, & quandoque brachia extendunt, & locum quęrunt, vbi corpus ponant, vt commode accumbere poſſint. His oculorum veſiculas addit Porta, ego hanc putauerim, ebrioſi potius, quam ſomniculoſi paſſionem, & multos noui ex nimijs vigilijs veſiculas habere, idque ex cauſa; docent enim multam ſpirituum, & humorum effuſionem factam eſſe; quare, & oculos, & anteriorem partem corrugatam, vnde veſiculæ apparent, quæ paſſio plerunque etiam ſequitur illos, qui nimium vſi ſunt venere, eadem ſcilicet de cauſa quoniam exſiccat venus, vt vigiliæ, ſtudium, lachrimæ, & dolor, quin anguſtias meatuum, & venarum ponit idem, & ſanè quorum venæ ſunt anguſtę, aut multa carne obductę illi maximè ſunt ſomno dediti, & cum dormiunt, non facile excitantur, quod Ariſtoteles in libro de ſomno, & vigilia docebat. *Somniculoſorū differentia.* *Porta.*

DE MEMORE. Cap. XXVI.

Memores. Qui habent superiora maiora, pulchra, & carnosa magis.

Memoris viri signa.

VLtimum hoc est membrum tam longæ inductionis ab Aristotele, vt diximus institutæ, vt fidem faceret nobis per corporea signa licere etiam animæ propensiones cognoscere; primum autem dicendum est, quid sit memoria, & quotuplex in quo nam sit eius sedes, quæ eiusdem actio, & quorum; deinde qualis sit memor demonstrabimus, & finis presenti parti tandem imponetur.

De memoria quid sit dicendum est, memoria supponit phantasiam, phantasia sensum, hic sensibile, profectò sensibile est id, quod extra animam, & ipsum sensitiuum existens, cũ sit actu tale, qualis est sensus potentia, illum natus est mouere, & ad actum traducere, sensibile igitur est motiuum sensus, quatenus est sensibile, sunt enim ad aliquid; sensibilia propria dicuntur, odores, colores, soni, sapores, tactilesque qualitates, & ipsarum differentiæ; harum rerum præsentium impressiones, quæ fiunt, dicũtur sensationes, iudicium, & distinctionem inter has sensationes, & operationes, quæ ponit facultas, sensus cõmunis, & phantasia vocatur, vnum ac primum scilicet sentiẽdi principium, quare definiunt sensum cõmunem esse vim animæ, quæ externarum rerum varietates, suscipit, distinguit, iudicat, cum ergo formarum, quę ab actu, & operatione sensibilium fabricatę fuerunt reliquię in primo sensiterio remanserint, excitatur facultas, quæ phantasia vocatur, eadem cum sensu communi, ratione tamẽ ab ipso distincta, cuius opus est circa sensuum reliquias versari, hasque iungere, separare, inuertere, & secum ipsa multa effingere, quæ nunquam sub sensus venerunt, neque aliquando ventura sunt, huius iudicationi, & fini annexus est appetitus à quo deinde progressiuus motus exoritur.

Vt autem in sensu tria sunt, nempè res quæ sensibilis est, siue sentitur, & sentiendi facultas, ex quibus duobus fit tertium quod dicitur sensatio, siue sentiendi actus, & vt datur intelligibile, & intellectus, & intelligendi actus, sic etiam est imaginabile siue subiectum mouere natum phantasiam, & hæc sunt sensibilium relictæ in anima formæ, est fantasia, vis scilicet, & facultas, quæ nata est moueri ab his internis formis, illasque recipere, est etiam tertium quoddam, operatio scilicet, quæ dici potest imaginatio, nempè motio, siue operatio phantasiæ circa rerum simulachra, vt igitur externa sensibilia se habent ad sensum, ita interna ad phantasiã, sine externis obiectis non est sensatio, & sine internis non est phantasia, quare sensus, & phantasia videntur esse idem subiecto, & tantum inter se ratione differre, nam vtraque versatur circa obiecta sensibilia, sed est differentia quod sensus requirit eorum presentiam, ad hoc vt in actu exeat, phãtasia aũt ijsdem etiam absentibus per interna, propriaque obiecta potest operari, anima igitur sensitiua vna, & eadem cum detinetur circa formas externorum sensibilium, præsentium dicitur sentire, & eius operatio est sensatio, cum eadem anima formas easdem sensibilium absentium considerat, dicitur phantasia; quid igitur sit sensibile, sensus, & sensatio, quid imaginabile, & imaginatiua vis, & imaginatio, quam quidam vocarunt phantasticationem, ex his patet.

Cum itaque motus factus à reliquijs sensibilium in primo sensiterio existentibus dicatur phantasiæ actus, & ipsa has receperit motiones, & facta fuerit actu; si eius operationis, simulachrum conseruabitur, & manebit iam memoria dicetur, quare imaginum conseruatio memoria est, perficitur autem, per reiteratã phantasiæ operationem, cum recipit igitur

commu-

communis ſenſus, iudicat phantaſia, retinet memoria, propriè tamen memoria eſt rei abſentis, cum præteriti temporis cognitione repræſentata effigies in anima.

Hæ igitur omnes virtutes animæ ſenſitiuæ cognoſcentis ſunt eædem ſubiecto, & inter ſe ſola differunt ratione, non igitur verum eſt, vt anteriori imaginationi, poſterior cerebri pars memoriæ aſſignanda ſit, ſed omnes eædem ſunt, vt dixi, ſubiecto, bene verum eſt, quod cum virtutes ſint in materia, vel non ſine materia, pro varietate materiæ, & ſubiecti in quo eas exerceri contingit, modo meliores modo peiores, & imperfectiores faciunt operationes, totius igitur cerebri tota vis ſenſitiua videtur eſſe actus, & perfectio, quatenus ſcilicet eſt principium quoddam paſſiuum paſſione perfectiua, & impreſſiones externas per ſpiritus percipere poteſt; vnde quidam, quatenus cerebrum eſt corpus ſimilare, dixerunt, eſſe principium ſenſus, quatenus vero diſſimilare, & organicum, tunc cauſare motum, videntur autem prædictæ functiones fieri permeantibus ſpiritibus ipſum cerebrum, & ab eodē alteratis, & elaboratis, quare quales ſunt ſpiritus, qui à corde in illud feruntur, & qualis erit elaboratio, quæ fiet eorundem à cerebro, tales erunt virtutes, tales & operationes, cuius indicium eſt, quod irato alia videntur, atque amanti, & alia quieto, & perturbationib. vacuo, & aliud ſentit ille, cui ieiunus eſt ſtomachus, & qui bene potus eſt, alij enim ſpiritus prioribus, alij poſterioribus ſuggeruntur.

Cum ergo memoriæ proprium ſit recipere, & retinere, recipit autem quod patitur, & patitur, quod eſt paſſibile, neceſſe eſt principium memoratiuum eſſe paſſibile, & eſſe vim, & entelechiam materiæ paſſibilis, at principium paſſiuorum humidum eſt, ergo memorati ua facultas, vel in humido, vel in eo, q̄ eſt ab humido cōſtitutū corpus reperietur, vt in molli, & impreſſibili, quare neceſſe eſt animal natum meminiſſe multa, q̄ cerebrū habeat molle, ſed q̄m debet retinere, ſiccitas ēt requiritur, nō retinētur. n. impreſſiones niſi in ſicco, vel in eo quod à ſicco pendet, vt in duro, aut ſaltem aliquam reſiſtentiam habenti, quare in infantibus non fit memoria propter nimiam humiditatem, neque in ſenibus propter nimiam ſiccitatem, ſed qui medio modo diſpoſiti ſunt, & recipiunt, & retinent rerum impreſſiones, quod accidit adultis, ſi modo ſecundum naturam fuerint affecti, & cerebri temperies naturalis nulla ui externa, aut interna fuerit alterata; cerebrum igitur, vel eius ſubſtantia memoriæ ſedes eſt, fortè etiam ſenſitiuæ animæ ſubiectum, aut ſaltem eiuſdem primum organum; Pro illius igitur temperamento, quantitate, figura vna cum inſito ſpiritu, fieri ſenſitiuæ animæ operationes, & munia contingit, & mollities igitur, & durities quædam, non ſimpliciter, ſed talis, tum ipſi cerebro, tum neruis, & inſtrumētis quib. proprias perficit operationes inexiſtit, & calor, & frigus rōnabile, vt his tanquam coagentibus cauſis ſua exequatur munera; memoriam igitur aptè exercebit, atq. memorare poterit ille cuius cerebrum ita ſecundum naturam diſponetur, vt recipere, & retinere, & referre imagines rerum cum loco, & tempore poterit, quare manifeſtum eſt, quod cui ſuperiora, hoc eſt caput erit maius, ille erit paratior ad memorandum, quod experientia cōfirmatum eſt, multos enim nouimus valde memoria pollentes, quorum caput magnum erat, & craſſum valde, cauſam puto eſſe quoniam, qui memorant aptè, multas rerum ſpecies, & eas in ordine debent redigere, qui vero id facere poſſe quęrunt, neceſſario vaſa, & loca idonea habent, vt hoc aptè facere poſſint, magnitudo igitur vaſis neceſſaria eſt in quo multi contineri poſſint ſpiritus, & in quo eorundem motus fieri cum ordine, & ſine confuſione valeant, magnum igitur cerebrum, ergo & magnum caput, ſic enim natura requirit, caput pars ſuperior corporis eſt, ergo qui memoria receptiua valent, necnon, & retentiua ſimul, illi debent habere magnum caput, quo ſimul, & recipiant, & retineant, & per ordinem digerere poſſint, quæ iam receperint.

At quamuis, qui memoria pollent magnum caput habeant, non ideo putandum eſt, omnes quibus magnum caput adeſt memoria excellere, non enim conuertitur.

,, *Pulchra*.

Superiora pulchra Non puto Aristotelem velle hominem, qui memoria valet esse pulchrum secundum faciem, aut qualem diximus esse amoribus deditum, & mollem hominem, sed puto superiora in hoc homine debere esse pulchra, hoc est affabrè facta, secundumque naturam disposita, & non monstruosa, nam si inconcinna fuerit capitis figura, etiam si magnum sit non ideo dicemus illud ipsum esse valens memoriæ instrumentum, nam signum erit abundasse quidem materiam, sed illam indigestam, & rudem, & à virtute formatrice secundum rectam, & naturalem rationem passam non fuisse, si ergo cuius caput magnum est, & informe probabile est cerebrum non bene esse affectum, & propter hoc illius munia impedita sunt, & cuius impeditæ sunt capitis, & cerebri operationes, ille non memorat, qui ergo bene meminit, bene formatum habebit caput, sed hoc est esse pulchrum, ergo qui bene memores sunt pulchrum caput habent, & bene formatum anteriorem sanè partem, nam frontem amplam habent, & bene tornatum caput, & eleuatum posterius occiput, vt mihi sæpius vidisse contingit; memores igitur, & superiora pulchra habent, & maiora quam sit consuetum cæteros homines vulgo habere.

,, *Et carnosa magis*.

Carnosa magis. Tertium signum est, quod etiam de eodem capite prædicatur, nam qui valent memoria genas, & tempora satis carnosa habent, etenim qui memores sunt, facile impressiones rerum seruant, & si seruant necessario recipiunt, qui facile recipiunt humidi sunt, molliusque cerebrum habẽt, ergo memores sunt humidioris, & mollioris cerebri, vbi multum mollitiei, ibi multum etiam humoris, qui si secundum naturam fuerit, calidior erit, calida, & humida materia in homine secundum naturam disposita, prompte carnem generat, quibus igitur multum humoris, & caloris in capite inest, ijs probabile est superiora esse carne plena, iure igitur si quem viderimus habentem caput bene formatum, magnum, & carnosum illum dicemus esse aptum ad memorandum, & ad rerum imagines recipiẽdas, retinendas, & depromendas.

Alij addunt aures magnas, sed sanè paruæ esse non debent, neq. nimis magnæ ad asinos enim referuntur, qui quamuis admodũ retineant, difficile tamen recipiunt, os etiam in his valde scissum est, & barba rara, & pili molles, quæ omnia multam humoris arguunt abundantiam, facile etiam sudant, & calore torquentur, quamuis autem carnosa habeant superiora, nullo tamen modo pinguedine abundant, nam remissum nimis hæc calorem ostendit, qui non est in memore.

Dictorum hactenus Epilogus. Hactenus ex Aristotelis sententia ostensum est, quod ex anima, cum hoc corpore iuncta efficitur compositum, ita vnum vt mutuo ad inuicem compatiantur, & anima ad motus, & affectiones corporeas mutetur, & affecta anima, corpus etiam mutationem sustineat, mouetur enim ad motum corporis, etsi per se sit immobilis, sic ergo mæstitiæ, & animi angores corpus afficiunt, & percussum, ac male habitum corpus animam, animæque actiones impedit, vt ille dicebat, quod Hector saxo ictus in pectore ab Aiace iacebat iam aliud sapiens, probabile igitur est, ex corporeis affectionibus posse nos cognoscere animæ dispositiones, quæ cognitio dicitur physiognomia, & hæc si regulis, & præceptis quibusdam complectatur dicetur ars ex signis corporis animæ inclinationes coniectans.

AN MORES A' TEMPERAMENTO Naſcantur. Cap. XXVII.

AT quoniam huic ſecundæ parti Ariſtotelici contextus ſummam manum imponere molior, antequam id fiat, dubitationem quandam neceſſarium explicare duxi, qua primo aſpectu tota preſens ars aboleri videtur.

Dubit.

Scaliger vir ſanè magnus, & apprimè doctus, q̃ contra auctorem librorum de ſubtilitate ſcripſit, putat mores vllos à tẽperatura humorum humanũ corpus ſtatuentiũ nequaq̃ pendere, & aduerſarios multitudine obiectionũ, & difficultatũ à ſe aſſerit eſſe obruẽdos, dicitq.

Rõnes Scaligeri cõtra phiſiognom.

Forſan quidẽ iracundiæ fomenta à bile, & à calore eſſe poſſe, aſt iracũdiæ habitũ ab hoc calore, aut humore pẽdere, iudicat impoſſibile, etenim ſi calor, & bilis flaua circa cor ardẽs non facit hominẽ iracundũ, ergo tãto minus atra bilis refrigerata faciet auarum, timidũ, & ignauũ, sãguis lętũ, & pituita inſenſatũ, ſic à maiori ad minus, vt mihi videtur, argumẽtans, probat aſſumptũ, dicẽs ſe calidiſſimos, ac fortiſſimos viros cognouiſſe, eoſq. habitu biliоſiſſimo prædítos, q̃ erant mitiſſimi,, & manſuetiſſimi, Cęſarẽ, & Auguſtũ Neruã ẽt, & Pertinacem viros fuiſſe mites, quamnis bilioſo prędíti dicerẽtur habitu, probat ẽt ab oppoſito ſi frigida ſunt iracunda, & frigida nulla calida eſſe poſſint, quędã igitur iracunda non ſunt calida, igitur iracundię non erit cã caliditas, aliter enim poſita caliditate poneretur iracundia, neq. ſine calore poſſet ſtare, item ait, canes iracũdiſſimos eſſe, eoſdemq. frigidæ admodum temperaturæ, vt potè q̃ libentiſſimè apricentur, cito ſeneſcant, citoq. deponãt alacritatẽ, & in rabiẽ facile ferantur, q̃ docet frigiditatẽ cum ſiccitate iunctã eſſe, plus ẽt caloris, eſſe in lepore, q̃ in cabrone, & tñ cabro multo iracũdior, eſt, multoq. violẽtior q̃ lepus. Pariter odiũ, inuidia, auaritia, faſtidium, maledicentia, fraudolentia, furacitas, non pendent à temperamento humorũ, ſed hi ſunt habitus morũ, ergo à tẽperamento morales non pendent habitus, minor dubitationẽ non habet, ille tòtus in probãda maiore occupatur, tridens igitur ait, Cuius humoris mancipium erit falſarius? aut inceſtuoſus? deinde in omni tẽperatura videmus reperiri virtutes, & vitia, auaritiã, & liberalitatẽ, placiditatẽ, & arrogantiam, igitur ad temperaturam non eſt confugiendũ; amplius q̃ à ſyderibus cauſatur, & ab illis dependet id ipſum tẽperamẽto nõ eſt tribuendũ, ſed hæ ,ppenſiones, & mores à cęlo, & cęleſtib. cauſantur ſignis, ergo nõ pendẽt à tẽperamento, nec qm̃ temperamentũ eſt tale, ideo dicendũ eſt, tales haberi mores, igitur temperamentũ ex quo talis hõ factus eſt, pictum eſſe, & inſignitum his inquit proprietatib. quarum cauſæ nullis indagationibus ab humano ingenio erui poſſunt, exclamans tandẽ nullã vim in elemẽtis eſſe dicit, quod efficere potuerit inſaniã nefandę veneris in Ptolomæo, nullũ ab elemento ſuppeditatã veſtigiũ, & quo chymiſtã, pręſtigiatorẽ, rabulã, fabrũ poſſis cognoſcere, neq. locũ, aut educationẽ, quidq̃ poſſe putat, dicit enim è medijs alpibus deſcendere, q̃ nauta futurus eſt, Venetus equitationẽ meditabit, hic caſeũ, ille mala, alij vinũ, quidã acetũ, & piſces abhorrẽt, hoc à tẽperamento nõ põt cauſari, ergo morũ cã nõ eſt tẽperamentũ. Addit quoſdã timere feles, vt ait Matthiolus, alios adeo abhorrere mures, vt pene aĩo deliquerẽt, nõnulli roſa mirificè ledũtur, alijs moſchus odoratus ſyncopẽ inducit, quare cũ hęc à tẽperam. nõ fiãt, morũ, & paſſionũ indiuidui hoc nõ vocabis cãm, demũ inqt, ſi à calore fieret crudelitas, vel à frigore dolus, ergo cui maior caliditas, illi maior ineſſet crudelitas, & cui maius adeſſet frigus, ille eſſet doloſior, neq. id ſolũ in genere hominũ, ſed ẽt belluarũ cõtingeret, q̃ tñ falsũ eſſe ſupponit, cum multa calidiſſima aĩalia crudelitate nõ laborẽt, & frigidiſſima q̃plurima, vt teſtudo, & cochlea, nihil doli meditẽtur; addit alibi, ſi calidus, & humidus homo eſt maximè ſecundum naturam, & qui ſecundum

cundum naturam dispositus est, ille sit sapiens, ergo quo calidior, & humidior eo sapientior erit homo, sed qui calidior est, & humidior ille præter voluptates corporis, nihil ferè meditatur, & somniat, ergo sapiens vir intemperatissimus, ergo fœmina virò prudẽtior, siquidem humidior, & puer, siue adolescens homine iam senescente prudens, atque versutus magis erit, est enim vterq. seniore, & calidior, & humidior; Alibi eandẽ tuens positionem dicit, neque sapientes, & bonos, neque malos, & insipientes esse à natura; sed ab electione, & voluntate pendere, quod si hoc verum est, ergo non sequuntur mores, & habitus temperiem corporis, vt dicere possimus Hic talem habet temperiem, & tale corpus, ergo & tales mores, ẽt habebit, & cum in omne temperamentum possint cadere æque virtutes, & vitia, nihil ad hæc temperies faciet. Effusè paulo post ridet eos, qui credunt aliquid eorum quę in animo sunt mutari facta corporis mutatione, nam ridiculum esse putare, quod si quis gibbus sit, illi etiam gibba, & incurua sit anima, & si rectus sit, animam etiam rectam habere, certam quidem elementorum mixtionem requiri ad formam sustinendam, quæ vero sequuntur formam nihil à materia depẽdent, aut cum eadem commercium habent, quis Socrate turpior, quis Aesopo fædior, quis infelicior Epitecto stoico? qui claudus paruus, gibbus luscus seruus erat, ast hi tamen omnes tanquam sydera humanum genus sapiẽtia, prudentia, bonitate illustrarũt, ex aduerso pulcherrimus Alcibiades formosissimus Hylas, venustissimus Maximini filius, oris dignitate nulli cedebat Commodus, non Domitianus, non alij sexcenti, qui tamen, aut nequissimi, aut nullis virtutibus insignes fuere; tandẽ satyram scribere adortus belluas appellat philosophos minutos, & nimium materiales, qui hominum mores, & habitus elementorum temperamẽto delegant, atque hos ex illorum formis nasci cẽsent, vult autem ille vir, quod mos sit modus, & qualitas motionis, motio supponit id à quo pendet, hæc natura est, quæ dicitur forma, quare à forma motus pendet, & sine motu non est mos, patet igitur à forma pendere morem, sed forma non est materia, at elementorum temperies est materia, formã igitur non dices vllo modo elementorum temperiem esse, vel illam sequi, quare neque mores à temperiè originem habere, aut aliquo pacto ad illam reduci, hæc ille multis agit.

Et alio quoddam loco supra naturaliter, vt ait, & metaphysice tractans, quam prę manibus habet materiam, inquit, tria esse, quæ omnia vocari possunt, vnum à se ipso, & per se ipsum, omnia est, & dicitur Deus, q̃ omnia facit, alterũ est quod omnia fit, vt potè in quod recipi nata sunt omnia, & hoc dicitur materia, tertium est quo cum Deo omnia facit, illo enim Deus tamquam instrumento vtitur ad agendum, & hoc cęlum est, quæ si vera sunt, ex his inferri putat, quod elemẽta nullam partem in rebus, aut formis rerum habeant, quæ vt paret, à Deo in materiam, per cœlum, tanquam per instrumentum imprimuntur, colligit igitur formam in vi agentis, non autem in potentia recipientis positam esse, vt formamuris, quæ est introducenda in fimum non dicendũ est, quòd sit potius in fimo, quam in facultate solis, amplius si forma est perfectio quædam, & perfectio potius in perficiente sit, quam in perficiendo, necesse est, vt dicamus formam potius in agente, & generante, quam in materia recipiente, & quattuor elementis esse, ac reperiri.

Et in ea parte vbi quærit, an mixti forma sit eadem, & elementi prædominantis, partem negatiuam defendens ait, si mixta haberent formam prædominantis, animalia omnia, & viuerent, & nõ viuerẽt, viuerẽt q̃n illorum forma est aĩa, non viuerent q̃n illorum forma, est cadẽ cum forma terræ, quæ in ipsis dominatur, at hæc non viuit, amplius & omnia, quæ apud nos, ferè essent vnum mixtum, quoniam in plãtis, & animalibus, saxis, metallisq. vna terrę predominatur forma; si vna est forma omnium, ergo omnia vnum sunt, at hoc falsum, ergo neque vna est mixtorum forma, sed contrariæ, at ab ijsdem principijs contraria esse nequeunt, non igitur dicemus ex elementis omnes rerum formas educi, & illorum naturam sequi.

Et si

Et ſi nemo dat quod non habet, neque elementa, quam non habẽt, ipſa animam dare poterunt, & ſi non auara, neque ambitioſa ſunt elementa, ergo neque auaritiam, neque ambitionem ijs, quæ ex ipſis ſunt, dare poterunt, ex qualitatibus igitur elementarijs non trahit magnes ferrum, non intrat buffonis os muſtela non purgat rhabarbarum bilem, ſed hæ ſunt paſſiones, quę illis per propriam formam inſunt, quam formam cum ſuis proprietatibus ab ipſo agente, & generante receperunt, ſed quoniam videbat Alexander (ait ille) in quamplurimis mixtis præualere terram, & terræ formam putabat eſſe grauitatem, malo quoddam genio coactus eſt, credere, grauitatem, etiam mixtorum eſſe formam; hanc Alexandri (vt dicit ille) peruerſitatem, cuius fateor, nullam omnino notitiam habere, duob. poſſe argumentis tolli aſſerit, quorum vnum eſt.

Quod grauitas non eſt forma terræ, quoniam formæ non ſuſcipiunt magis, & minus, neque magis in vno, minus in altero exiſtunt; amplius formæ rerum nos latẽt, ſunt enim ſubſtantiæ immerſæ materiæ, quare cum grauitas ſenſu cognoſcatur, & ſit accidens non poteſt vocari forma ſubſtantialis; Dicendum eſt igitur poſteriores formas continere priores, vt fortè numeri priores continentur à poſterioribus, octo enim continet ſeptẽ, & ſex, & quinque, quare formam carnis non ſolum formã terræ, & aquæ, ſed aliquid etiam amplius comprehendere; Quare non defectu materiæ negata ſunt cornua equo, aut homini, & ex abundantia eiuſdem conceſſa ceruo, & boui, ſed quoniam vtriuſque natura ita affecta eſt, vt illa hoc recuſet, hæc petat, His ergo rationibus ille toto libro exagitat Alexandrum, & philoſophos, qui aiunt, rerũ naturalium, & ſublunarium corporum mixtorum formas educi de potentia materiæ, & elementorum, & vt mihi videtur, inſinuare, atque perſuadere, vel ſibi, vel alijs quærit, quod formæ omnes non educantur, ſed inducantur in potentiam materiæ. *Rationes aliorum.*

At quoniam eiuſdem argumenti videntur eſſe nonnullis multa eorum, quæ in ſecundo de generatione dicta fuere contra Empedoclem, ea recenſeamus, vt omnis ſcrupulus de (mentibus hominum, ſi qui vnquam hæc ſanè legere ſuſtinebunt) educatur, quo ſibi quandoque perſuadere poſſent ab Ariſtotele, & phyſiognomonibus verba dari, & in hac facultate nihil veri, aut vero conſentanei contineri. *Emped. ſententia*

Dicebat Empedocles quattuor elementa eſſe æterna, modoque ſub ſpecie ſphæri, modo ſub forma mundi ſenſibilis manere, & rerum naturam, nihil aliud eſſe niſi horum mixtionem, & conuentum, ipſa autem putabat corpora elementorum eſſe immutabilia, & incorruptibilia, contra quem in ſecundo de generatione longiſſime diſputat Ariſtoteles.

Inter cætera autem, quæ videntur fauere aliquo modo opinioni, & ſentẽtię prædictæ eſt id. Si res fierent congregatione, & diſgregatione quattuor elementorum, vel rerum, & humorum habentium proportionem, & ſimilitudinem ad quattuor elementa, & omnis earum virtus inde penderet, ergo caſu res fierent, & non ſemper, aut plerunque ex homine homo, & ex oliua fieret oliua, at hoc falſum ergo, & id ex quo deducitur. Vt ſit argumentum, ſi ſola elementorum congregatio facit mixta eſſe hęc, vel talia, cur potius ex homine homo quam oliua naſcitur? quod ſi reſpondeat Empedocles, hominem, & frumentum non generari, quocunque modo conuenientibus elementis, ſed certa ratione, & lege interſe coeuntibus, vt de oſſibus in primo de anima ab eodem Empedocle dicebatur, tunc contra quærendum eſt, quidnam ſit illud, quod hac certa ratione diſponat elementa? non enim eſt fortuna, aut caſus, quæ ſunt per accidens, & cauſæ eorum, quæ raro fiunt, & vt caſu non conuenerunt lapides, & ligna ad domum conſtruendam, & cur porticus ſit depreſſa, vel porta laxior meæ domus, quam tuæ, non lapidibus, & lignis, aut cæmento, ſed cauſæ efficienti, & architecto, vel cauſę finali, nempè propter commoditatem aliquam, vt currus introducantur, tribuetur, ita neceſſe eſt aliquam eſſe certam cauſam, & non elemẽta, quæ rem talem ſtatuant, neque eo confugiet, vt dicat litem, & amicitiam eſſe cauſas generationis, nam illæ poſſunt quidem elementa congregare, quod autem ſic potius, quam oppoſito mo

do, &

do,& potius fuerit oliua,quam caſtanea,quod factum eſt,nulla ratione à lite,aut cõcordia cauſa igitur, & ratio propter quam ſit homo riſibilis,vel fortis,vel albus, non eſt materia, neque elementa,aut elementorum congregatio,ſed natura, & forma,hæc enim eſt ratio propter quam vnumquodque tale aliquid eſt, ad elementorum igitur mixtionem confugiendum non eſt,dimiſſa forma,neque lis,& amicitia tantum,poſſunt res producere,& earum naturam ſtatuere: At certum eſt,quod quæ ſunt in nobis,vel motus ſunt,vel quietes, ſanè nullius motus videntur eſſe cauſæ elementa,vel eorum mixtio,ſiquidem cauſa, & principium motus,forma eſt,ergo quod cauſat motũ eſt forma; ſed elementa non ſunt formę,mouentur enim,non autem mouent,non igitur cauſant motum,actiuè igitur illa nullũ in nobis motum cauſabunt,quare neque humoribus,qui reſpondent proportione ipſis elementis, poteris aſſignare cauſam,quod ille indignetur, & alius horreſcat, vel miſereatur, ſimiliter de quietibus ſentiendum,quietem voco albedinem,ſciẽtiam, & habitum,vel diſpoſitionem,quæ ſunt termini motuum,at terminus motus non eſt quod mouetur,non igitur materia eſt finis,neque cauſa quod habeat res talem finem, cum omnis materia æquè, & indiſtinctè poſſit eſſe,tam ſub termino à quo,quã ſub termino ad quem,ſi igitur materia, neque motus,neque quietis eſt cauſa,cum omne,quod eſt in nobis,vel ſit motus,aut quies vel non ſine horum altero,manifeſtum,quod materia affectionum,& diuerſitatum,quæ in nobis ſunt cauſa non eſt, quare ſi materia non eſt, ergo neque elemẽta,quatenus ſunt principia materialia mixtorum,ergo neque humores quattuor hominem componẽtes,ſed aliqua alia quęrenda eſt via,& ratio quæ paſſiones in nobis exiſtentes, motus, & differentias paſſionum cauſet,nec motus natura lis ſecundum Empedoclem eſt concordiæ,aut oppoſitus diſcordiæ operatio,quoniam vt in ſecundo de generatione dixit Ariſtoteles,neceſſe eſt amicitiam, ſi congregat, vnum tantum facere motum ad vnam tantum partem, quare ſi ignem ſurſum,quomodo terram deinde deorſum mouebit?his ergo, quæ ibi ab Ariſtotele adducuntur,patet nihil ab Empedocle ſani afferri,quo poſitio prædicta ſeruari poſſit.

Addit Ariſtoteles textu 45.eiuſdem ſecũdi de generatione quoddam,q̃ omnino ſcaligeri ſententiam cofirmat. Docet enim nullo modo animam ex elementis poſſe fabricari, quare ſi non eſt ex elementis,ergo neque illius operationes ab elementis cauſantur,neque ea, quæ propter animam inſunt corpori animato, propter elementa, aut elementorũ qualitates talia eſſe dicemus;animam ſanè non eſſe elementum,aut ex elementis patet,quoniã anima eſt incorporea, illa vero de quibus loquimur omnino ſunt corpora, corporib. adsũt corporeæ affectiones,calidum,frigidum,durum,molle,& quæ ex his fieri dictũ eſt in quarto meteorum,Hæc autem genera qualitatum animæ non inſunt,non igitur illa eſt corpus, aut quid corporeum,neque igitur eius paſſiones ab elementis,aut eorum proprietatib. cauſabuntur,ſed à rei forma,& in his,quæ habẽt animam,ab ipſa anima fient,non enim muſicum eſſe,aut geometram,aut ad has,vel illas inclinatum eſſe facultates à materia corporũ deduces,id enim fieri non poſſe certum eſt, muſicæ igitur ſubiectum eſt anima,vt albi corpus,& ſanitatis animal,vt igitur valemus ſanitate,& corpore,ſic canimus muſica,& anima,illa vt principio,hac vt ſubiecto; videamus etiam à quonam fiat mixtio,& quid ſit illud,quod elementa ſimul nectit,& tenet nexa,hancque ſanè eſſe cœli motionem dicemus, effectiuè igitur concurrit cœlum,neceſſeque eſt aliquid mixto,& ipſum dare,quod vel forma eſt,vel conſequens formam,quare oportet dicere, non omnia, quæ in compoſito ſunt, à materia,vel à quattuor elementis,& cauſa materiali pendere,videtur autem omnino cœlum ad mixtorum ſtructuram adeo concurrere,vt non minus quam impreſſor,dum ſigillũ in ceram imprimit,afficiat quattuor elementa.

Diligentius autem,& exactius,qui contra prædicta ſe argumentari credunt,& non tantum Ariſtoteli,ſed veritati inniti,hæc deducũt; materiam, ſcilicet nullo modo eſſe cauſam efficientem rerum generabilium, quarę neq. earumdem paſſiones poſſe effectiuè cauſare,

vt dica-

vt dicamus cauſam, propter quam hic ſit iracundior, eſſe bilem quæ circa cor creuit, aut ſanguinis ſubtilioris accenſionem.

Amplius materiæ eſt pati, & moueri, cuius eſt pati, & moueri, illius non eſt agere, & mouere, aut paſſiones vllas inducere, materia igitur non poteſt vllas in compoſito paſſiones inducere, at quattuor humores hominis ſunt materia, nulla igitur in homine erit paſſio, quæ ab his humoribus pendere, quæq; ab his cauſari poſſit; nullius igitur affectus, aut habitus in humores, & corpus referendus eſt, ſed in electionem, & voluntatem, educationem, inſtitutionem, & cætera huiuſmodi.

Quod ſi quis contra maiorem dubitans, diceret multa eſſe quæ agunt, & patiuntur, mouentur, & mouent, vt anima cum moueat, attamen mouetur, vt etiam baculus, & manus, quæ cum moueant lapidem mouentur etiam, Reſpondet animam moueri per accidens, non autem per ſe; amplius ſecundum quem motum manus mouet, non ſecundum eundem omnino mouetur, Nam cum moueat baculum mouetur ab anima, quare non eſt idem motus, ſed dicimus eſſe impoſſibile, quod id, quod mouetur quatenus mouetur, eatenus moueat, id à quo mouetur vt idem ſcilicet ſe ipſum ſecundum idem moueat & moueatur, ſed bene mouebit aliud, hoc autem in octauo phy. diligenter demonſtrat Ariſtoteles, aliter enim diſcens doceret, & ferens ferretur ab eo, quod fertur, iure igitur dictum eſt, quod cuius eſt pati, & moueri, quatenus patitur, & mouetur eius non eſt agere, & mouere illud, à quo patitur, & mouetur.

Rurſus, ex eodem Ariſtotele argumentum eſt.

Cauſa & ratio propter quam vnum quodque tale aliquid eſt; dicitur forma, & non materia, ſed quattuor elementa, ſiue humores non ſunt forma, ſed materia hominis, ergo non poſſunt quattuor humores dici cauſæ propter quas homo ſit tale aliquid ens, vel tales habeat proprietates, & accidentia, Rurſus vnumquodque eſt per propriam formam, & rationem, per quam etiam demonſtratur, & ſcitur, ſcire enim eſt rem per cauſam cognoſcere propter quam res eſt, cauſa autem hæc non eſt materia, non igitur quid quam ſcire facit materialis cauſa, & illam aſſignare nequaquam debemus, aut poſſumus, cum per illam neſciamus.

Dicebat Parmenides, vt illi tribuit Alexander, ignem, & terram eſſe omnium, rerum cauſas, ignem calidum, cuius proprium eſt diſgregare, at terram frigidam, & frigidi eſſe congregare, horum vtrunque eſſe mouere, quare ſic putabat elementa quæ ſunt cauſę materiales eſſe effectrices, & motrices, vnde res ſint abſque alicuius alterius auxilio, & per inſitum calorem, & frigus fieri, & produci, contra quem duabus rationibus inſtat. *Parmenidis opinio.*

Primum quod ſic ponẽtes negant formam, quæ eſt actus, & rei perfectio, & non dant cauſam propter quam res eſt, nam potentias (volunt) eſſe tantum inſtrumenta quędam, quibus agens vtitur, inſtrumenta vero neque efficientem, neque cauſam propter quam res eſt dicere poſſumus, ſicuti igitur ſerra ſe habet ad ſectionem, & ſcamnum, ſcamnique ſtructuram, ita calor ad calefactionem, & mixtum, mixtique generationem, ſed ſerra nõ eſt cauſa propter quam eſt ſcamnum, ſed inſtrumẽtum, ergo neque primam cauſam dices eſſe calorem, aut frigus, aut quattuor elementa ſiue humores, vt ergo qui diceret ſcamnũ factum à ſerra, vel aſcia, negaret, agnoſcere fabrum lignarium, vt cauſam ſcamni; ita qui diceret animal, vel plantam à calore frigoreq. productũ fuiſſe, negaret naturam, & primam cauſam rerum, quæ his inſtrumentis vtens id, quod mixtum naturale dicitur, producit. *Contra Parm.*

Altera ratio ſimiliter docens primas rerum naturalium cauſas non poſſe eſſe elementa, & calorem, & frigus, hæc eſt, Quod ſubit rationem primæ cauſæ agentis in aliquo genere in illo non agit, & patitur, ſed agit tantum, in genere rerum naturalium calor, &

frigus

frigus, siue ignis, & terra patiuntur, & simpliciter nõ agunt, ergo hæc in genere naturalium primæ causæ agentes dici non debent, patitur autem ignis, quoniam, & ipse ad mixtionem venit, & præter naturam mouetur, quod omnino est pati.

Dubit. Sed dubitabit aliquis quomodo eo in loco ponat Aristoteles potentias in genere causæ instrumentalis, cum instrumenta ad causam efficientem videantur reduci, & instrumentũ sit actu si agere debet, materia vero, & quæ materiam comitantur, quatenus est materia, ea non sint actu vllo modo, sed potentia.

Ponunt nonnulli quod duplex potentia, actiua, quæ non sequitur materiam, & passiua, quæ materię semper iuncta est, at puto ego omnes potentias, vel cum materia, vel non sine ipsa esse, nam omnes, siue sit calor, siue grauitas sunt propensiones quædam ad agendum, & mouendũ, patiendũve, at nõ operabuntur, nisi excitentur ab agente aliquo externo, nõ enim descẽdet lapis, vel exibit de potentia accidentali, nisi remoueatur prohibens, cui secundum se nomen agentis conuenit; quare neque calor calefacit nisi adsit agens, quod illo vtatur, sicuti, neque secat serra, nisi lignarius illam manu capiat, & ad opus reuocet.

Dubit. Sol. Vel dicam potentias, & omne instrumentorum genus quatenus sunt alicuius gratia, quod est proprium materiæ, eatenus ad materiam referũtur, & eo magis si contingit instrumenta (vt in animalibus) esse partes compositi, & eius quod operatur, & si dixeris in æternis esse potentiam, & non adesse materiam, respondebo, illam potentiam, quæ semper in actu est, in libro perierminias vocari potentiam æquiuoce, nos autem de illa, quæ propriè dicitur, potentia loqui.

Solutio altera. Clarius autem, & expeditiùs dicere possumus distinguentes, quod naturales potentiæ possunt capi dupliciter, vel quatenus sunt cum suo actu coniũctæ, & sunt in energia, & hoc modo se tenent à parte efficientis, vel quatenus à propria perfectione, & actu sunt separatę, & sic pertinent ad materiam, & illam sequuntur. Vel dicamus dum exeunt ad actum concausas vocari, & instrumenta; sic calor est causa quædam instrumentalis ipsius motionis, quã facit homo, exempli gratia coctionis, at anima est primaria causa, quod dixit Aristoteles secundo de anima, qui naturalem calorem, viuendi non causam; sed concausam vocauit, quod etiam in primo de generatione, cum augeri animal cibo, anima, & calore voluit; vt nauim moueri, temone, nauta, & manu.

SVPRADICTAE DVBITATIONIS Solutio. Cap. XXVIII.

HIs igitur, & huiusmodi rationibus conati sunt facere difficultatem in physiognomicis quidam, & cum primam affectuum humanorum causam posuerint animam, & rerum cæterarum propriam formam, non autem potentias materiales, se penitus omnem physiognomiam de medio sustuliſſe putarunt.

Rõnes p phy siogn. At ego ex altera parte puto rationibus quibusdã posse homines persuaderi ita, vt si non omnia, multa tamen in mixtorum generatione tribuant materiæ, & ipsis elementis, nam si nulla est differentia intercausam efficientem domus, & equi, nisi quod causa efficiens domus est externa, at equi interna, & equus fit, cum omne quod fit non sit, patet equum, cum fit non esse, habere tamen id ex quo fit, in se principuum scilicet internum per quod fiat, & fieri possit, nam si hoc careret non fieret, hoc autem sit verbi gratia A. vel id erit forma, vel materia, non dices esse materiam, nã materia ex suppositione est, quæ fit hoc, & mouetur, nõ aũt, quæ facit, & mouet, erit igitur forma, sed dices nõ est forma, nã si A. esset forma in materia equi iã esset equus, quare nõ fieret, at fieri suppositũ est, Dicemus forsan

in ma-

in materia simpliciter adesse vim, & potentiam ad omnes formas, quam Virgilius innuit dicens,

Totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Quare, & in materia equi nempè illius semine A. esse potentiam effectiuam equi, quæ faciet equum, nisi impedita fuerit, hæcque est seminis forma, cuius est actio facere equum vt grauitas est forma terræ, cuius operatio est ferri deorsum, necessario autem eget aliquo externo grauitas, vt possit lapidem mouere deorsum, & vis quæ in semine adest, nisi ad actum reducatur, non operabitur, est ergo aliquid in elementis, & in materia ad certũ finem destinata, quæ alicuius operationis erit index, & principium, addè est eadem grauitas, quæ glebam mouet deorsum, & quæ motam deorsum sistit, & ibi illam seruat, & eadem vis est, quæ mouet semen, & facit equum, & illum factum seruat, videtur autem omnino cœlum concurrere, & multa rebus tribuere, sed in seminibus fortè agit ea ratione, qua in grauibus ille, qui truncat filum à quo pendet lapis, aut columnam deiecit, quæ pondus sustinet.

Amplius si quæcunque in mundo fiunt, & eiusdem dicuntur esse apotelesmata, ex his sunt, ex quibus est mundus, cum videamus mundum ex quattuor elementis, & cœlo conflatum, necesse est, ex his quæ mundum componunt, aut cum his proportionem habent constitutum esse vnumquodque apoteleſma, quare si quattuor humores animalium elementis respondebunt, erit aliquod aliud, quod etiam cœlum referet, atque sicuti in mũdo quędam passiones causantur à quattuor elementis; quædam aliæ à cœlo; ita in apotelesmatibus, & præsertim in animalibus, & plantis multa accidentia ab his, quæ proportionem habent cum elementis, & materia; multa etiam à causa efficiente, & ab eo, quod respondet cœlo inexistere videntur.

Oppositarum rõnum sol.

Verum vt soluatur omnino præsens dubitatio, & ostendatur quomodo aliqua nobis inexistant à materia, & quattuor humoribus, & quomodo non, & quænam ea sint; primum quædam supponemus, deinde quid in hac dubitatione sentiendum sit, exponemus, tertio quæ dubitationem faciebant tollere tentabimus.

Suppositiones de materia.

Dicamus igitur in primis omnia naturalia corpora ex materia, & forma costare, eademque mobilia, cum sint ab aliquo moueri ad aliquem terminũ, nihil igitur esse naturalium corporum, & secundum naturam constantium, quod ad eius constitutionem materiam, & formam, efficientem causam, & finalem non requisiuerit; materia vero duplex est; hæc vniuersalis omnium, illa particularis huius, vel illius corporis; materia vniuersalis omnium est pura potentia omnia, hoc est ad omnem finem, & terminum est indefinita simpliciter, & indistinctè, & ceù Proteus potest verti, & mutari in

Ignemq; horribilemque feram, fluuiumque liquentem.

At materia propria potest hoc fieri particulare; quæque apta est fieri equus, vel canis ad hanc equi, vel canis formam determinata est, vniuersalis materiæ ratio est in hoc posita, vt omnibus careat, & indistinctè omnia possit capere; at materia particularis formata est, & per formam illam, quam habet determinatur ad hoc, vt scilicet possit fieri equus, vel canis; quare in semine equi sunt rationes duæ, vna per quam dicitur esse semen, & actus illius, altera vero secundum quam respicit equum futurum, & dicitur potentia, non tamen sunt duo, sed vnum re, vt in linea A.B. punctus C. cum sit vnus, tamen principium est C.b. & finis a,c. Verum est igitur dicere, in materia hac, est nihil equi, & est aliquid eiusdem, nihil actu, aliquid potentia, & sic vt secundo physicorum forma, & priuatio sunt quodammodo idem, cur igitur ex semine equi nascitur equus, potius quã canis? quoniam in ipso est forma potestate equi, sed non canis, & quæ forma est seminis equi, est principiũ equini corporis; sic igitur dicemus, vt supra, primam materiam esse simpliciter indefinitam

a c b

ad om-

ad omnem motum, quare & ad omnem terminum, quæ vero eſt ſecunda materia, & cauſa formata formis imperfectis, vt elementorum, & mixtorum inanimatorum, hæc definita eſt ad quendam terminum, & quendam motum; ſed neque prima à ſe ipſa mouetur, Aſt ſimpliciter cauſam vniuerſalem agentem requirit, & particularis à particulari agente mouebitur, & ad certum motum, & finem determinatur, & vt in materia vniuerſali, inexiſtit pura potentia', per quam poteſt fieri omnia, ita in particulari apparet potentia particularis, per quam animaduertimus, quod poteſt fieri hoc.

Suppoſ. de forma. Similiter circa formam quædam ſunt ſupponenda, primum autem formam dicimus eſſe rationem, & cauſam propter quam res eſt tale aliquid, & materiæ actus, & perfectio, refertur igitur ad materiam, quæ propter ipſam formam exiſtit, hæc autem duplex eſt vniuerſalis, ſecundum quam vniuerſaliter omnis materia perficitur, & actu exiſtit, & particularis, quæ hanc materiam perficit, hoc autem perficere materiam (vt mihi ſanè videtur) nihil eſt aliud, niſi eam determinare ad certum motum, hoc eſt facere habilem, vt magis ad hunc, quam ad alium motum, & motus terminum feratur, ut materia, quæ poterat eſſe lapis antequam grauitatem ſuſciperet, aut leuitatem, tàm ſurſum, quàm deorſum erat apta moueri, at poſtquam ab agente paſſa fuit, & patiendo ſuſcepit grauitatem, iam facta eſt aptior ad eſſe deorſum, quàm ſurſum, & ideo dicitur entelechia, & perfectio quædam illius primæ potentiæ, quæ quoniam imperfecta erat, & ſimpliciter indefinita ad eſſe deorſum determinata eſt, patet igitur formam in materia potentiam quodammodo eſſe, ſi reſpicis quod futurum eſt, aut terminum ad quem res illa nata eſt ferri, cum autem omnes naturales formæ ſint habitus, & perfectiones materiæ, quæ dicit potentiam, ſemper, & ipſæ annexam habent aliquam potentiam, igitur motæ mouent, & hoc dupliciter contingit, vno modo cum ad certum terminum feruntur naturaliter, & violenter ad oppoſitum, vt lapidis grauitas in actum deducta ab alio mouet naturaliter deorſum, violenter cum ſurſum iacitur, altero modo formæ mouent naturaliter ad oppoſitos terminos, ut anima, quæ animatum corpus, tàm ſurſum, quàm deorſum, à dextris, & à ſiniſtris mouet, ſi illã moueri, & mutari contigerit, cum igitur naturalia corpora habeant commune principium materiale, & ſint ex materia, & forma, & tangi nata, & tangere, effectum eſt, ut mota moueant, agant, & patiantur ad inuicem, nullum igitur ipſorum mouebit, aut quidquam innouabit, niſi moueatur, neque mouebitur, niſi poſſit moueri, qui ergo cognoſcit hanc potentiam, etiam quomodo res ſit mouenda cognoſcit.

Dico itaque cum ad cõſtituendum effectum naturalem, quod corpus vocatur compoſitum, reperiatur quoddam quod habet rationem materiæ, & quoddam exiſtat, quod efficiens appellatur, neceſſe eſt, quod accidentium, quæ in ipſo naturali corpore eluceſcunt, alia à materia prius diſpoſita, alia ab efficiente oriantur, quod exemplo artificialium poteſt confirmari, fit domus ab ædificatore, quod parietes ſint duræ, quod ſint frigidę, quod difficile mobiles habent à materia, nempè lapidibus, quod autem ſint altæ, uel humiles, quod craſſæ, uel tenuiores, quod rectæ, vel obliquæ, & curuatæ pulchræ, aut turpes, id omne pendet ab agente, ſimiliter eorum quæ ſunt in equo quædam ab eiuſdem materia, quædam ab aliqua alia cauſa proueniunt, quod enim ſit corruptibilis, quod ſit paſſibilis, quod ſit alicubi, pendet à materia ex qua eſt, quod autem ſit velox, ſit robuſtus, ſit aptus ad ferendum equitem, ad parendum eidem, id omne pendet ab eo, quod dedit illi formã, & rationem ſecundum quam dicitur equus, non igitur abſurdum eſt, quædam à materia ineſſe naturalibus corporibus, quædam etiam ab aliqua alia cauſa.

Amplius ſi quæcunque inſunt corpori naturali de ipſo dicuntur, quatenus compoſitum eſt, & ſecundum quod ipſum eſt, hæc autem eſt ratio ipſius, quæ (vt docuit Ariſtoteles primo de anima) ſi physica eſt, neceſſario habet materiam, & formam, ergo manifeſtum eſt, quod nulla paſſio inerit composito naturali, quæ illi per materiam, & formam

propriam

propriam non dicatur ineſſe, quæ ſunt correlatiua, hæc autem relatiuorum ratio eſt, vt ſi fit mutatio in vno, ſemper etiam in altero fieri neceſſarium ſit, fit autem mutatio dupliciter, aut ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum habitus, & diſpoſitiones, dicimus fieri ſecundum ſubſtantiam mutationē in compoſito, quando corrumpitur, & deſinit eſſe quod erat prius, at ſecundum accidens quando manente ſubiecto ſecundum qualitatem, aut quantitatem, aut locum, mutationes patitur; neceſſe eſt igitur ſi fiat mutatio in materia certa, & aliquid illi addatur, aut dematur aliqualiter etiam formam mutari, quare & compoſitum alterari, ſic igitur diximus, quod ſi fiat mutatio in materia, illa eadem etiam in compoſito eluceſcet, & ſi forma aliquid pati poſſit idem etiam materiæ cōmunicabitur, ſunt tamen omnes compoſiti paſſiones, non autem formæ; ſed ſicuti dicimus impreſſionem ſigilli in cæra eſſe perfectiorem, aut imperfectiorem, ita etiam dicimus formam Platonis eſſe abſolutiorem forma Socratis, non quidem ratione ipſius formę, illa enim vna eſt, & indiuiſibilis, ſed ratione participantis formam, colligemus igitur in omnibus compoſitis tàm naturalibus, quàm artificialibus eſſe quoddam à materia, & quoddam aliud à forma, ſed neutrum ab altera ſine altera exoriri, magis tamen ad hanc, quàm ad alteram pertinere, & per alterutram compoſitum cognoſci; habet horologium arenoſum, à materia quod ſit graue, quod ſit combuſtibile, quod vero tempus menſuret, quod ſtet rectum, quod columnis ſit diſtinctum, ab efficiente, cui cum placuerit dare talem formam, neceſſe eſt etiam dederit conſequentia illam formam, & ſi illud ex tali conflauit materia, neceſſe eſt etiam eidem ineſſe, quæ materiam illam ſolent comitari; ex his, mihi videtur, quod omnes differentiæ (quæ in corporibus eiuſdem ſpeciei ſpectantur, & per quæ indiuidua inter ſe diſtinguuntur) oriantur ex varia materiæ diſpoſitione, quæ aliquando quidem ab agente magis, aliquando minus fuit elaborata, pro ipſius diſpoſitione, & preparatione, vt in monetis eiuſdem cunei, quas videmus variationes, illas acceptas referimus materiæ, nam hæc argenti portio maiorem agenti cauſæ, illa minorem fecit reſiſtentiam, & cum iam ſuſcepit formam aliquando magis, aliquando minus impedit, ne formatū corpus ſuum finem aſſequatur, cuius gratia exiſtit.

Quoniam autem naturale corpus, de quo agimus, omne eſt mobile, mouetur autem, vel à ſe ipſo, vel ab alio, quæ mouentur ab alio, moueri ab externo motore in id ipſum agente, vel mediatè, vel immediatè certum eſt, vel nunc, vel aliquando, ſic igitur homo mouet lapidem baculo, vel manu, & quod proiecit ſurſum mouit etiam, eique dedit habilitatem eundi eum in locum, ad quem proiectum eſt; moueri igitur hæc ab aliquo patet, ſiue localiter, ſiue ſecundum quantitatem, vel qualitatem moueantur, & vtcunque ſiue ſit mouens vniuocum, & per ſpeciem, ſiue æquiuocum, & per potentiam (ignis enim ignem facit, & duritiem) quod vero mouetur à ſe ipſo, id omne animatum eſt, non mouebitur autem à ſe ipſo naturaliter, niſi prius facta ſit in anima mutatio, quoniam enim Socrates audiuit vocantem patrem, abijt, cum prius ſtaret; neceſſe eſt igitur ante motum animæ fieri alios motus in eius corpore; à motore igitur, externo, tam quæ mouentur à ſe ipſo, quàm quæ mouentur ab alio, moueri quodāmodo dici poſſunt, quæ autem naturaliter mouent illa tangunt, & afficiunt, quæ vero mouentur, quod moueantur habent à motore, quòd autem ſic, vel aliter, peius, aut melius à materia propria pendet, vt duæ pilæ, quarum vna ferrea eſt, altera lignea, vtræque à flumine eodem mouentur, ſed lignea ſupernatat, & facilè fertur, ferrea verò per fundum vix trahitur à fluente aqua, & hoc diſcrimen illis non à forma, ſed accidit à materia. Manifeſtū eſt igitur, quod paſſionum compoſito inexiſtentiū, aliæ magis à forma, aliæ magis à materia pendent, quamuis ſingulæ neutrius ſeparatim, omnes coniunctim ſint vtriuſque, quatenus compoſitum ſtatuunt.

His poſitis ad ea, quæ in contrarium allata ſunt ſic, ni fallor, poterimus reſpondere.

Primum, non vt antiqui in secundo physicorum, dicimus res quæ tales sunt, ex necessitate materiæ, tales sortitas esse formas, & figuras, vt scilicet radices descenderint, quoniam graviores, deinde rami, & vltima folia quoniam erant leuissima ascenderint, & fundamenta domus descendisse, quoniam erant graviora parietibus, quibus tecta, vt potè lignea, cum leviora essent super steterunt, non sanè hoc dicimus, sed bene, quod eorum quæ domui insunt, alia quidem ab eius materia, alia à forma pendent, multaq. ratione materiæ illi inesse, non tamen quatenus est spoliata forma, sed quatenus illam sustinet, iam enim omnia accidentia diximus esse compositi, non autem materiæ, aut formæ separatim; Et passiones, quæ à materia pendent non à prima, sed à secunda oriri, & non ab ea, quæ est potentia, sed quæ iam actu formam habet, & sustinet, & subiectum dicitur.

Ad primũ argumentum.

Ad argumentum igitur quando dicebatur, si flaua bilis circa cor adaucta, & ardens non facit hominem iracundum, ergo tanto minus faciet superbum, aut liberalem, sed primum, ergo, & secundum, ergo humores nihil moribus addunt, probat assumptum, quoniam fortissimos, & calidissimos dicit se cognouisse, qui ijdem erant mansuetissimi, ex aduerso quosdam frigidos, miseros, senes, maximè iracundos. 01

Huic primum responderem, nunquam dixisse, aut dicere, quod animi mores temperaturam corporis sequantur, sed sentire, quod facta mutatione in corpore, fiat etiam non in animæ substantia, sed in eiusdem functionibus quatenus illarum est anima principium, & sic necesse est aliquam in eadem anima apparere diuersitatem; sunt enim hæc ad aliquid, quare, & simul natura secundum quod vnum est mouens, & alterum mouetur, itaq. oportet, (vt alias etiam dictum fuit) inter se conuenire, & compati eo modo, quo incorporea pati posse videntur. 20

Amplius notandum est tria in homine præter corpus considerari posse, animæ substantiam, quæ est secundum se immutabilis. Habitus eiusdem siue sint intellectiui, siue actiui, qui magis, & minus suscipiunt, amplius, & tertio loco sunt functiones, & operationes secundum habitus, quæ ipsæ mutantur, & alterantur ad mutationem organorum, vt fabri lignarij mutatur operatio ad variationem instrumentorum eiusdem, & Hoc est, quod dicimus facta mutatione in corpore fieri etiam, non in animæ substantia, & habitibus, sed in eiusdem functionibus contingit, vt facta mutatione in serra, fit etiam mutatio in sectione, at eundem numero nihil prohibet esse sectorem, & sicuti ex sectore, & serra fit vnũ ad exercendum sectionis munus, ita ex animo, & corpore fit vnum numero ad functiones viuentis exequendas, & sicuti sectoris virtus vicium serræ, quandoque superat, sic recta ratio malas inclinationes extinguit, & omnino si vult tollit, & mutationum differentiæ, quæ circa operationes humanas spectantur, non omnes ab humoribus, aut eorum temperie oriuntur, sed quam plures alias causas habent, quod enim Socrates ex sanguine, & pituita, & vtraque bile cõstet, id illi à natura, & quatenus est homo aduenit, quod autem talem particularem humorum prædictorum nactus fuerit temperaturam, quæ verbi gratia à corpore tẽperato discedit versus calidum, & siccum in secundo gradu, id fortè casu factum est, aut affectionibus seminis, & sanguinis parentum tribuendum est; accidit enim ex eodem patre, & ex eadem matre ortos esse duos gemellos, vnum marem, alteram fœminam, mas niger, fœmina alba, mari crines nigri, fœminæ aurei, amboque adeo ferociter inter se vsque ad diem hodiernum continuè dissident, cum iam vtrique agant annum decimum, vt nulla ratione simul in eodem cubiculo manere, de eadem mensa cibum capere possint; consuluit pater plures medicos discordiæ causam quærens. Ab ijsdem enim principijs cum censeantur orti, eandem habere debere temperaturam, quare, & inter se conuenire, non autem dissidere deberent, Id alij cælo tribuebant, alij eo quod in diuersis vteri loculis cõcepti sint, diuersos esse autumabant. 30 40

At dixeris, quod olim visum fuit doctissimo, & religiosissimo virò, quomodo potest idem

semen

ſemen diuidi, cadereque in duas cellulas matris generare, & producere fœtus non ſolum differentes ſexu, ſed contrarijs moribus, ſemen habere partes diſſimilares, quin puto (ait ille) totum eſſe ſimilare, neque poſſe diuidi, & ſi diuidatur, non fiet tanta inter fœtus differentia, imo neque generabit, aut ſaltem non perfectum, ſed mutilum naſcetur.

De cœlo nihil ego ſollicitus ſum, nam cum ſit cauſa vniuerſalis cauſat effectus vniuerſales, & nihil particulariter in nobis, vt particulares ſumus, vel parum admodum poſſe putandum eſt, niſi etiam ſollicitum ipſum dicamus de ortu pecudum ſingularium, aut pulicis, & cicadæ huius, vel illius muris, quæ ab ipſo ſole productus fuit.

Amplius cœlum eſt cauſa neceſſaria, hæc inferiora ſunt contingentia; ſi neceſſaria propoſitio cum contingenti nectatur ſequitur concluſio contingens, vt docuit Ariſtoteles, non ergo horum inferiorum ſingularium cauſam efficientem dicemus eſſe ſolē ſimpliciter, aut cœlum; ſi inſteteris dicēs, ſol & ſophroniſcus generant Socratem, Hoc ſanè non negatur, at non ideo ſol eſt cauſa propria, & adæquata exiſtendi Socratem, ſed ſicuti vniuerſalis propoſitio neceſſaria iuncta minori contingenti eſt cauſa concluſionis contingentis, ita ſol, & ſophroniſcus eſt cauſa Socratis.

Illa maior neceſſaria iuncta contingenti non magis propoſitum, quam oppoſitum concludit, & cœlum cum ſophroniſco non magis Socratem generare, quam non generare pōt.

In eodem vtero nati ſunt duo gemelli, adeo inter ſe ſimiles, vt ouum ouo ſimilius non eſſet, at rurſus in alio concepti ſunt duo fœtus mas, & fœmina maximē inter ſe diſſidentes.

Putarem ego non eodem die marem, & fœminam genitam eſſe, neque eodem ſeminis ictu, cuius indicium eſt, quod prius orta eſt fœmina, quam mas, vel ſpatio xxiiij. horarum, aut ferè, nihil aūt prohibet imò poſſibile eſt, ſemen quod ex me hodie decidit omnino eſſe diuerſum ab eo, quod heri proiectum eſt, tum propter cibum, & materiam ex qua, tum propter animi diſpoſitiones, ac caloris naturalis habitudinem; facta autem parua mutatione circa principium poſſibile eſt, imò ſolet deinde in fine maxima fieri.

Quin etiam poſſibile eſt eadem nocte ab eodem viro, tum maſculinum, tum fœmininū fœtum generatos fuiſſe, ſicuti enim ab eadem ſeminantis villici manu cadere poteſt propè in eundem locum granum frumenti, & lolij vtrumque creſcere, & adoleſcere, & quamuis eodem alantur nutrimento, ſemper tamen vſque in finem diuerſæ plantæ ſunt, folia, flores, & fructus diuerſi, ita etiam ex eodem vnius hominis genitali in eundem loculum muliebrem poſſunt duę partes ſeminū diuiſim iectę peruenire, vt differētia illa exoriatur, quoniam ſemen nō eſt ſimilare niſi ſm ſenſū, ſed diſſimilare, quare ex partib. diuerſis, & oppoſitis ēt conſtans, quæ calore loci diſcriminatæ ſecedunt, & fętus diuerſos producūt, qd igitur vetat portionē ſanguinis, & ſeminis in qua prævalet atra bilis diuisā fuiſſe ab ea in qua flaua prævalebat, cum pituitæ ſubdominio, cum in vna ſeminis parte atra bilis prævaleret factus eſt puer melancholicus quietus, obediens, humilis, timidus, cum vero humor biliōſus, cum ſubdominio pituitæ in altera ſeminis parte ſuperaret, diſtincto ſemine, & ſic conſtitutis diuerſis principijs, diuerſa etiam ex corpore materno, & cuique ſemini conuenientia alimēta ſuppeditata ſunt, vnde diuerſi, & inter ſe diſſidētes gemelli ſunt orti, ſub eadem nutrice, aut in eodem lectulo nunquā quieti ſtare potētes, abhorrente maſculo fœminæ præſentiam; & fœmina ſemper truculenter minas, & verbera intentante fratri; Hæc itaque temperies, quam vel caſus, vel prædictæ cauſæ produxere, præter quaſdam inclinationes, quas primas potentias vocant, nihil aliud compoſito tribuit, quas tamen, & cibus, & locus ſodalitates, ſtudia, inſtitutiones, leges, conſuetudines, & voluntas demum, ac ratio mutare, torquere, producere, & in oppoſitam partem conuertere poteſt.

Dat fortè temperatura potentias, & inclinationes, ſed habitus, & mores, hoc eſt vti illa inclinatione, & temperamentum ſequi, eſt voluntatis, & arbitrij noſtri operatio, non igitur

mores animi sequuntur temperiem humorum, sed oriũtur ex actibus multiplicatis, qui per rationem, voluntatem, electionemque reiterantur; vt mihi propensio est ex temperie ad iram, ab externa specie moueor, & excandesco ita vt proijciam in terram pileum, id iterum, atque iterum noua veniente occasione facio, vel consentiente, vel non prohibente ratione, sic inducitur habitus, qui deinde aliquando ferè inuita operatur voluntate, patet igitur quod à principio interno, quod est in nostra voluntate prouenit mos, non tamen ob id negãdum, quin si temperies humani corporis, quæ quandam latitudinem seruat, casu limites excesserit, vt corrumpatur, tunc non sequantur opetationes, quæ à materia pendent, & in quibus nullum ius habet ratio, vt cum occupato ab atra bile, aut flaua cerebro, fiunt maniæ, phrænitides, & furores.

Amplius si quis argumentũ viri docti parũ concludere diceret, profecto non esset mirũ, nam si quis negasset assumptum; nempè ardentem circa cor bilem non facere hominem ad iram paratum; considerandа restaret illius probatio, dicit enim ille, quod fortissimos vidit, eosdemque mitissimos, quare quorum calidum est cor illi homines non sunt iracundi, at ego dicam illos mites esse, ac mansuetudinem summam præseferre, quando non irritantur, neque circa cor feruet bilis, quoniam occasionem non habent, at si ipsis daretur occasio, quam iudicarent dignam, quæ illos moueret, vtique sæuire mirifice videres, vt de Rhinoceronte scribitur, proprium autem est hoc fortissimorum, & ferocissimorum, vt nisi ob magnam causam in iram ferantur, cum autem illam conceperint, diutissimè seruant, & vehementissime exercent, nam ferrum ignitum refert eorum natura; Secundo ait si frigida sunt iracunda, ergo calor, & bilis quæ calida est non parit iracundiam, quid si dicam, silex, & calybs sunt frigidi, & tamen ignem producere queunt, & ignis cùm durus non sit lutum tamen durat, & calx, & aqua cũ frigida sint, calorem, & ignem parere possunt. At vtcunq; ignorandum non erat, aut dissimulandum frigidum, & calidum dici multiplex, & inter cætera secundum relationem, sic enim dicimus hominis cerebrum esse frigidum, cum tamen sit calidius quouis æstuoso aere, & dicimus aquam frigidissimam, nihilominus illa omnis nix, & glacies omnis, est multo frigidior, si ergo dicit vespas, & cabrones frigidos esse, & eosdem iracundiores lepore, & capreis, Respondeo non fieri bonam comparationem, hocque erit clarum si dammas, cum dammis, & cabrones cum cabronibus comparabis, hyberno enim tempore, cum se ipsis sint frigidiores cabrones, & vespæ vix volant, & irritata fugiunt, abdũtque se magis, & retrahunt, æstiuo autem vicissim alios petunt, & vexati furere videntur, sicut igitur caprea calidior est animosior frigidiore eiusdem speciei, sic cabro, & vespa quæ in apricis stabulatur, & calidioribus locis, vehementior, iracundior, & ferocior existit, quam quæ in oppositis habitat id etiam in viperis, & serpentibus clarum est, quæ hyeme vix caput attollunt, verno, vel æstiuo sole tepefactæ ferocissimè in aduersos insiliunt, amplius senes, ægroti, & anus sunt iracundi, quoniam cum ira magnum habent symbolum, dolent enim, & se sperni putant suæ iracundiæ consci, quæ res illi circa cor calorem non naturalem (hoc enim egent) sed febrilem, & præter naturalem accendit.

Ait odium inuidiamque, non pendere à temperamento, cum tamen sint habitus morum, & probat, ex hoc, quod ait, nullius temperamenti mancipium posse dici falsarium, aut arrogantem.

At primum possem ego negare, odium, & inuidiam, quam dico pendere à temperamento esse habitum, etenim habitus sunt secundæ potentiæ, & entelechię quædam, quæ verò pendent à temperamento sunt primæ potentiæ, amplius habitus sunt primi generis qualitatum, at quæ à temperamento oriuntur sunt secundi generis, item habitus secundum se, & sine externo agente exeunt ad operationem, qui enim callet musicam, & habet eiusdem habitum, cum vult, & non est impeditus potest canere; at quæ à temperie proueniunt potentiæ egent externo perficiente, vt agant, & per se nihil faciunt, puer enim qui

poteſt diſcere muſicam, etiam ſi canere velit, tamen niſi prius didicerit, & habitum acqui ſierit, non magis quam lepus, qui caret potentia, canet, aut ſi quando cecinerit, id omnino imperfecte faciet, nulla enim potentia prima ſe ipſam perficit ſine agente, & motore, deinde falſum eſt quod odium, & inuidia non pendeant à temperamento; amplius, & falſitas, & arrogantia, ſed hæc, quæ diximus, vel vt habitus ſecundum quos tales vocari ſolemus conſiderari poſſunt, vel vt potentiæ quædam naturales à quibus non fit denominatio, primo modo non pendent à temperie at ſecundo pendere nihil vetat, hoc eſt humorum mixtionem, & corpus quo vtitur anima, habere habilitatem, & diſpoſitionem ad ſuſcipiendam arrogantiam, falſitatem, & inuidiam, qua habilitate caret ſaxum, vel arbor, vel aliquod aliud carens ſenſu, & inter ea animalia ſiue homines, qui ſunt harum paſſionum ſeù habituum ſuſceptibiles, dicimus Socratem Platone eſſe paratiorem, propterea, quod materia Socratis talium habituum ſuſceptibilis minus nata eſt repugnare cauſæ efficienti externo in Socrate, quam in Platone, vnde planè conſtat ex his nihil in actu poni, ſed tantum inclinationem quandam ſignificari. Quod autem quatenus ſunt potentiæ indeterminatæ pendeant ex temperie, & per illam magis ad hanc quam ad oppoſitam partem habitus aliquando inclinent, & cur, & quo modo ſatis ſupra dictum eſt.

Quarto tribuit ſyderibus has diſpoſitiones, quare à temperamento negat procedere poſſe, at ego primum negarem conſequentiam, quid enim vetat temperamentum à cœlo, & ſyderibus cauſari, à temperamento deinde oriri potentias, & inclinationes ſupradictas? ſed ſi negauero antecedens, id ſanè difficile probabit, quamuis velit è ſummis alpium iugis in mare præcipitem volui eum, qui futurus eſt nauta.

At hæ ſunt nugæ (vt ipſemet ait,) nam ſi illum cœlum cauſat, & talem facit, etiam temperiem huiuſmodi corporis cauſabit, at neque cœlum, neque temperies id efficient, ſi illum occaſio aliqua oblata ad mare non deducet, & cum dixit nullam vim elementorum potuiſſe facere Ptolemæum adeo nefandæ veneri deditum, Heliogabalum, & Commodum adeo turpes, crudeles, infames.

Huic ego etiam aſſentior, neque per temperiem tales factos fuiſſe dico, ſed bene non repugnãte temperie, hos ipſos à ſodalibus, à mala educatione, à vitioſis adulatorum moribus corruptos fuiſſe; & tales factos tandem extitiſſe, etenim ſoluti legibus, cum eſſent, quibus liceret omne, quod libebat, in omne genus vitiorum impellentibus adulatoribus, neque repugnante natura fuere ſubmerſi.

Idem enumerat, vt poſitionem ſuam probet, quoſdam, mirifice timuiſſe feles, alios mures, non nullos omne genus ſerpentum, vt videntes exhorreſcerent, quod rerum genus à temperie non poſſe pendere contendit, at ego neque omnia eſſe temperaturæ, vel materiæ ſecundæ affecta prodidi, ſed quædam genera inclinationum ortum à materia ducere ſecunda, non quatenus eſt materia, ſed quatenus iam formata eſt, vt dicatur ſanguis, vel bilis, & non ob hoc tamen omnia, ſed agens etiam multa tribuit, nempè formam, & cũ formæ, quæ illam neceſſario ſequuntur, ſed ſi quis etiam tueri vellet, in Socrate præexitiſſe aptitudinem ad metuendum felem, antequam vnquam felem conſpiceret, fortè, nihil abſurdi diceret, nam niſi hanc aptitudinem habuiſſet, nunquã ad hoc, vt actu felem timeret, perduci potuiſſet.

Et ſi dixeris quænam eſt hæc quattuor humorum temperies qualis, & quanta, quam ponis huius effectus rationem, & cauſam? profecto vt aſſero adeſſe, ita quænam ſit, & quomodo vocari queat nequaquam explicari poſſe arbitror, neque id mirum, cum harum potentiarum natura ſit, vt immerſæ materiæ careant nomine, an forſan dici poteſt talem propenſionem originem ducere à forma, quæ ſibi determinauit materiæ portionem, cui accidit eſſe omnino contrario modo diſpoſitam illi, ex qua ſpiritus eleuantur, eius ſpeciei ſpiritalis ſuſceptiui, quare cum ſe ſe offert muris ſpecies turbantur ſpiritus,

& ab illa ſpecie diſſipantur, ea ratione qua tenebras fugari ſurgente ſole videmus, aut aerē puluere plenū agitari, ab emphaſi quā in illo producit concauū ſpeculum ſole illuſtratum.

Adfert etiam, ſi caliditas cauſaret crudelitatem, & frigus, dolum, ergo animalia quò calidiora, ea eo crudeliora eſſent, & quo frigidiora eo magis doloſa, at hoc falſum, nam frigidiſſima cochlea, frigidiſſimæ teſtudines, & lumbrici, quorum nullum doloſum animal eſt, ſimiliter inquit, ſi calidus, & humidus homo eſt magnopere ſecundum naturam, ergo ſapiens, ergo quo calidior, & humidior eo ſapientior, & calidiſſimus, & humidiſſimus foret ſapientiſſimus, ſic igitur infantes, & pueri, adultis, & ſenibus eſſent prudentiores, & ſapientiores ſiquidem his calidiores.

At facile eſt his reſpondere, quoniam nihil ſequitur, ſi eſt prudens calidus, ergo prudentior erit, qui calidior, calidiſſimus igitur prudentiſſimus, nam & ſic ignis eſſet prudentiſſimus, & ferrum ignitum prudentius carbone, cauſa eſt, quoniam in mediocritate, & temperie non autem in exceſſu conſiſtit virtus omnis naturalis animalium, & plantarum; neque diximus nos vnquam temperiem cauſare mores, vt illi homini tales ineſſent, quoniam talis ineſt temperies humorum, ſed bene poſuimus propter hanc humorum temperiem Socratem aptiorem eſſe ad tales mores, & ad tales minus idoneum, & cum ex educatione, inſtitutione, conſuetudine, legibus, voluntateque talem ſuſceperit morem ſecundum quem ſoletiraſci, aut cupere, diximus mutationem in temperie factam, non quidem ſimpliciter, & ſecundum totum corpus, ita vt qui prius bilioſum habebat, & calidum corpus ſit effectū pituitoſum, & frigidum; ſed tantum ſecundum eam partem humorum in vaſis circa cor exiſtentium, qui ſunt materia, & ſubiectum moris illius, & habitus, per inſtitutionem introducti, neque ſolum humorem ſed vas in quo humor continetur alteratū, & mutatum aliquo modo fuiſſe, introducta enim noua forma neceſſe eſt materiam mutari; In Socrate igitur, qui ante adeptum exercitio habitum manſuetudinis minima de cauſa clamabat, domeſticos cædere ſolebat.

Nunc mitis ſilet, quoniam mutata operatione, mutatoque more, mutatum eſt etiam ſubiectum, quare minima bilis portio eſt circa cor, & caput, & ſi eſt non accēditur vti prius quo factum eſt, vt non facile iraſcatur amplius, & ſi iraſci contigerit ob dignam cauſam, placide admodum aget, & ſi quis iracundus, ex lethargo, vel alio morbo pituitoſo, factus ſit repente mitis, non dico morem eius mutatum eſſe, cuius indicium, quod abeunte impedimento pituitæ, ad idem rediret, ſed dico impeditam eſſe functionem ſecundum materiam ex impedimento, aut abſentia bilis, quę circa cor exiſtens erat illius moris ſubiectum, in quo perſtabat.

Sic etiam cuidam mihi noto aliquando contingit, vt ex longo morbo, & dolore capitis continuo obliterata fuerat omnium penè memoria eorum, quæ adoleſcentulus didicerat, neque quidquā ſuccurrebat, contingit euacuato humore peccante, & ſublato impedimento ad naturalem ſtatum redire caput, omniumque memoria eadem ſucceſſit, non igitur habitum memoriæ obliterauit affectio materialis, ſed ſua præſentia illius operationem impediuit.

Amplius non dico ego talem humorum fabricam hominem doloſum, aut temerarium facere, ſed aſſero, quod qui doloſus eſt, aut temerarius, & qui facillime hos habitus ſuſcipere poteſt, & longè promptius quam aliquis alius, ille certam habet circa principium ſuarum actionum, mixtionem, & temperiem humorū, quæ apta eſt harum paſſionum materia, & ſicuti dico ſi eſt domus ergo eſt paries, at non è cōtra; ſed ſi eſt paries poterit etiam eſſe domus: ita etiam ſi ille iracundię habitum exercet, ergo feruet circa præcordia ſanguis, at non è contra ſi feruet ſanguis, ergo eſt iracundus, ſed tantum aſſero eſſe ad iracundiam propenſum, vt pyrius puluis, ad ignem recipiendum.

Et quoniam bonos, & malos non eſſe à natura, ſed electione, & voluntate vir ille tutari

conatur,

connatur,neque poſſe inferri tale corpus habet homo,ergo & tales mores,exemplo Epitecti ſtoici, Socratiſque turpiſſimorum hominum, optimorum tamen, exemploque Cõmodi,& Domitiani,& Heliogabali,qui quamuis pulchri eſſent, mali tamen fuere; Reſpondeo hoc nihil ad rem, nam corporis temperies vniuerſalis quædam cauſa eſt, quæ ad hoc genus morum potius inclinat,quam ad illud,ad nullam autem certum cogit ſed volũtas,& electio ea eſt, quæ mores facit,nam noſtrarum operationũ nos ſumus domini ſi ſecundum naturam, non autem ſecundum morboſum affectum ſimus diſpoſiti, vitiatumque non habeamus principium,quod ſi Epitectus,ſi Socrates boni fuere,& Commodus, & Domitianus mali, id illis imputetur. Priores naturalem temperiem correxere, poſteriores eadem abuſi ſunt quamuis forſan eſſet non mala.

Idem cum oblatraſſet ponentibus, quod animi mores temperaturam corporis ſequantur contra vtitur hoc argumento, mos eſt modus, & qualitas motionis, motum igitur ſupponit mos, motus autem eſt cauſatus à natura, & hæc forma eſt, & non materia, igitur à forma pendet mos, & ab anima non autem à materia.

Ego ſanè eodẽ argumẽto vti poſsẽ dicẽs. Mos eſt motus affectio motus pẽdet à natura, natura eſt materia, ergo mos à materia efficitur, ſed rurſus ſi mos eſt paſſio quædã motus, aut habẽtis motum,cum hoc ſit corpus,paſſio igitur eſt corporis,corpus aũt conſtat ex materia,& forma,quæ cum ſint ad aliquid altera ſine altera neque eſſe,neque intelligi poteſt, quare ſi à forma,ſecundum ipſum,pendent mores,ergo à materia,nam forma ſequitur materiam, & materia formam, neque altera ſine altera exiſtere poteſt.

Cæterum iam memoria tenendum eſt,quod affectionum,quæ in homine,quædam magis materiam,alia magis formam ſequuntur, omnes tamen ſunt compoſiti. Cum autem ad ſupra naturalia ſe eleuans ait,tria eſſe, Deum qui facit omnia,materiã ex qua fiunt omnia,& cœlum per quod Deus facit omnia ex hoc infert,ergo elementa nullam vim habent in rerum formis, & forma non à materia, ſed à vi agentis dependet, ego ſanè conſequentiam putarem, eſſe falſam, Nempè materia omnia recipit, ergo elementa nullam vim habent.

Dico materiam duplicem eſſe primam, & ſecundam quam dicimus elementa, nam ſi ſola prima materia per ſolum cœlum formas à Deo productas reciperet,& retineret,nulla res ab alia eſſet, diſtincta genere; ſed quoniam certa forma certam requirit materiam elementa,elementorumque mixtio,& temperatio præcedit,quam res debet recipere formam; Neque nego ego formam potius eſſe in perficiente, quam in perficiendo, ſed bene dico, primum, quod perfectio eſt in perficiente, vt in principio, & efficiente, at in perficiendo, vt in ſubiecto,ſic valemus ſanitate vt principio,& corpore vt ſubiecto,& anima morum eſt principium, ſed in corpore, & in elementorum temperie, vt in ſubiecto reperiuntur, & exiſtunt, actus enim actiuorum in patiente diſpoſito exiſtunt,vt ſecundo de anima;Et cum argumentatur quod mixti forma non eſt prædominantis, nam ſic omnium animalium, & plantarum vna eſſet forma,vnde inducit, falſum eſſe quod temperies quidquam agat; dico ego formarum alias eſſe vniuerſales, alias particulares quaſdam vltimas, & ita comparatum eſſe,vt ſicuti numerus poſterior priorem, ſic forma ſuccedens antecedentem continet, quare verum eſt omnia mixta, quæ termino proprio terminantur, eſſe talia,vt in illis terra dominetur ſaltem ſecundum molem,quatenus eſt communis quædam materia,ergo habent eandem formam,& omnia ſunt idem negatur conſequentia,& ſi ſunt id accidit ſecundum vniuerſalem formam, vt nos, & equi ſumus æque animalia, at deinde diſtinguimur,vltima differentia,quoniam nos rationales,equi irrationales exiſtunt, nulla itaque ratio eſt,quæ dicit omnia animalia eſſe vnum mixtum,Quare ſimul viuere,& non viuere, Reſpondeo ſunt vnum mixtum vniuerſali illa forma, & quatenus grauia, non viuunt, at

quate-

quatenus animam habent, & ſunt animalia eatenus viuunt; quod etiam ſubiungit, nihil facit ad rem.

Quod ſcilicet nemo dat, quod non habet, elementa non habent ambitionem, non auaritiam, ergo neque id dabunt genus rerum; At contra ſimiliter ego ſol, moruſque non habet calorẽ, ergo non dabũt calorem? & ſilex, & chalybs non habet ignem, ergo neq. ignem dabit? at vana hæc ſunt, ſeparatim calx, & aqua frigidæ ſunt, neque calefaciunt, & coniunctim exurunt, ſeparatim lapides non iungentur ſimul; ſi vero coniungantur fit murus, aqua & farina non eſt panis, iuncta ſimul panem faciunt, ſimiliter elementa ſeparata, neque auaritiam, neque ambitionem habent, neque harum ſunt capacia paſſionum, at iuncta ſimul, & certo modo temperata efficiunt ſubiectum aptum hæc ipſa capeſcere, vt igitur neque terra, neque aqua ſeparata poſſunt fieri olla, aut vrceolus, ſi vero vtraque iungantur ſimul, & elaborentur iam efficitur maſſa quædã, & compoſitum aptum ad capeſcendam formam vrcei, & ollæ, ſic elementa ſeparata non ſunt capacia auaritiæ, aut ambitionis, ſed ſimul mixta, & certo modo fermentata, cum factum fuerit mixtum aptum ſuſcipere animam, rationalem, & auaritiæ, & ambitionis, & liberalitatis, & aliarum paſſionum animi fiunt ſubiecta, & quod de his dico etiam de magnetis paſſionibus poteſt dici.

Dum autem contra Alexandri (vt ipſe ait) preuerſitates inſtat, ſupponit grauitatem non poſſe eſſe formam ſubſtantialem, qm̃ formæ non ſuſcipiunt magis, & minus, at grauitas ſuſcipit, quare non poteſt eſſe forma, at ſanè mihi valde dubium ſemper fuit, an ſubſtantiales qualitates (quas formas dicunt) ſuſcipiant magis, & minus, etenim eſt animalitas in his quidem magis, in illis minus, his clarius, illis obſcurius ipſam participari contingit, ſi enim animali eſſe, eſt ſentire, & præcipuè per tactum, cum tactus homini clarius, brutis multis obſcurius communicatus ſit, patet animalitatem, quę forma eſt, magis, & minus ſuſcipere, & ſi non ratione ſui ſaltem ratione ſubiecti, quoniam in aliquo quidem perfectior eſt in ali quo alio minus perfecta, quoniam materia minus eſt elaborata; at ſi dixeris formas eſſe fines quare indiuiſibiles, quare non ſuſcipere magis, & minus.

Huic obiectio i nreſponderem, formas ſecundũ ſe captas, & in abſtracto eſſe fines, & rationem indiuiſibilitatis ſuſtinere, at quatenus ſunt in ſubiecto eatenus videntur magis, & minus recipere, amplius ſi omnes formę naturales, & corruptibiles ideo tales eſſe dicuntur, quoniam habent contrarium, at quæcunque habent contrarium ſuſcipiunt magis, & minus, id enim magis, & minus ſuſcipere, eſt ad mixtionem contrarij pati, ergo neceſſe eſt, etiam naturales formas, aut quæ habent formas in materia illas magis, vel minus participare ſecundum quod materia magis, vel minus agenti reſſitit, & formam recipit, & ſicuti accidit multas qualitates non ſuſcipere magis, & minus, quæ tamen ab his denominantur indubitanter recipiunt, ita formæ ſubſtantiarum ſecundum ſe non recipiũt magis, & minus, quæ tamen ab his denominantur, vt hos & equus, quid vetat vt magis, & minus talia appareant.

Dum autem negat grauitatem eſſe formam, quoniam formæ rerum, nos latent, dico non omnes, ſed tantum, quæ ſunt immerſæ materiæ, & quæ vltimæ ſunt, at vltima differentia elementi non eſt grauitas, amplius ſi terram conſideres pro vt terra eſt, eius ratio eſt terreſtreitas, ſi pro vt alicubi ſituatur, eſt grauitas, & pro vt eſt elemẽtum eſt ſiccitas, cum frigiditate, vt Doctoris quatenus docet forma eſt doctrina, quatenus homo, eſt rationalitas, quatenus animal eſt, eatenus tactu determinatur, & ſi vnum quodq. poteſtate, & opere determinatur, ergo cuius plura ſunt opera illius etiam neceſſe eſt plures eſſe rationes quare, nihil vetat aliquid vnum quidem eſſe ſubiecto, plura verò ratione, & forma, at dubitabis An in re vna plures formę, Reſpondeo Non, Nam vna tantum eſt vltima forma, quæ alias continet, vt 4. continet 3. & 2. ſit res e b c d f dico formã, & terminum

eſſe

eſſe vnum f. actu b. c. d. contineri, & eſſe poteſtate, & præparationes materię vocari; Demum cum dicimus ex defectu materiæ cornua non adeſſe ouibus quibusdam; non ſunt adducendi equi, vel canes, ſed de ijs quæ ſunt eiuſdem ſpeciei intelligendum eſt. Nam oues quæ ſunt montanæ cornua habent, campeſtres carent, qm̃ in his deficit materia ſicca, ex quibus ſunt cornua, & falſum eſt, quod viro illi videtur, formas nullas educi de potentia materię, ſed omnes induci. Ad argumenta ex ſecundo de generatione deducta, quorum primum eſt, ſi ſola elementorum congregatio facit mixta, cur potius ex homine naſcitur homo, & ex oliua arbor oliuæ, quam aliud aliquod? Quid ſi dixero elementorũ non ſimpliciter mixtionem, ſed certam mixtionem oleam generare? tunc quærit à quonam agente id fiat, Non poteſt eſſe caſus, vt dicebat Empedocles, ſed natura, quæ ex oliua facit oliuam; quæ autem cauſa facit oliuam, ea paſſiones etiam quaſdam illi dat ab eadem forma prouenientes, quæ tamen in illam certam materiam recipi poterant; Hæc materię certa diſpoſitio latitudinem habet, & pro graduum varietate operationẽ à forma prouenientem variat, Quod autem eorum quæ ſunt in compoſito alia à forma, atque ab efficiente, alia vero pendeant à materia ſupra expoſitum fuit. Ad ſecundum argumentum cum dicitur quæ ſunt in nobis, vel motus eſſe, vel quietes quorum neutrum ab elementis, & materia cauſatur; Reſpondeo, motus in nobis à materia non cauſari actiuè, ſed paſſiuè, & ita etiam affectiones omnes, quæ in compoſito ſunt, non cauſantur à materia, quatenus materia eſt, niſi ſub ratione paſſiua, non autem vnquam actiua, vt homo ab anima vim iraſcẽdi habet, quod ſic poſſit iraſci à bilis diſpoſitione, quod autem ita vtatur ira, iam ab habitu ſupra inclinationem inducto, aſſecutus eſt; ſubiectiuè igitur à materia, effectiue ab agente, vel à forma tanquam à principio pendent.

Tertium argumentum ſi anima non eſt ex elementis, ergo neque paſſiones, & habitus qui ſequuntur animam, quare neque mores. Reſponſum eſt, paſſionum, quæ in nobis, eſſe quaſdam, quæ ſecundum formam inſunt, quasdam ſecundum materiam, priores non inerunt nobis per materiam, inerunt autem poſteriores. Amplius ſit verum animam non eſſe ex elementis, at in corpus quod eſt ex elementis receptibilis eſt, quare & paſſiones in corpore, quæ recipiuntur, pro vt recipi poſſunt, in eodem apparent. Hoc autem poſſe, à materia dependet, quare ſicuti ſunt per formam, ita per materiam recipiuntur, at per differentias materiæ, quandoque diuerſimode illas recipi contingit, & per vtraſq; aut per id quod eſt ex vtriſque operantur. Deinde non ſequitur ſi anima non eſt ex elementis, ergo eius operationes ab elementis non alterantur, etenim homo non eſt ex ferro, & chalybe, attamen per ferrum, & chalybem multæ eiuſdem operationes perficiuntur, ſic etiam quædam hominis operationes per ea, quæ ſunt ex elementis organa corporea fiunt.

Quòd vero dicitur materiam nullo modo eſſe cauſam efficientem generabilium, id omnino fatemur, neque oppoſitum vſquam teneri poteſt, neque poſſibile eſt mixti paſſiones à materia effectiue oriri, pro ut uidebatur Democrito, & Anaxagoræ, materiæ proprium eſt pati, & moueri, & ſemper paſsiue, nunquam concurrere actiuè, quod etiam doçẽt quæ ſequuntur argumenta, nempe nullius paſsionis, & nullius effectus cauſam referẽdam eſſe in materiam, hoc certum eſt, ſi formaliter, & effectiue loquamur, at materialiter & ſubiectiuè non eſt verum, videmus enim multas in nobis ab humorum mutatione contingere alterationes, quare argumentum quod additur nihil contra poſitionem noſtrã habet, dum inquit; Quod forma eſt cauſa propter quam res ſit, quare, & cauſat materiã, & materiæ affectiones, verum eſt, quod cauſat materiam forma finaliter, nam eſt materia in gratiam formæ, non tamen facit ipſam eſſe ſimpliciter, quamuis exiſtere eandem faciat, hoc enim eſt primum formæ opus, vt materiam actuet, atque exiſtere faciat.

Quod aũt additur ex Ariſtotele potentias materiæ eſſe, vt ſerra, qua vtitur faber lignarius, id omnino confirmat, quam tuemur poſitionem, vnde non dicimus nos ſcamnum factum

ctum esse à serra, vel ascia, sed per hæc instrumenta factum à lignario fabro, sic per talia membra, ita disposita cõtingere fieri tales operationes, & effectus, quorum membrorum dispositio plerunque talis est, qualis fuit habilitas materiæ, quæ illam recepit.

Demum primas causas rerum effectrices non dicimus esse calorem, & frigus, vt verum sit omnia ab his fieri, sed ex Aristotele vltimo capite quarti meteorum habemus corporum mixtorum hæc similaria, illa dissimilaria esse, priora fieri à calore, & frigore, posteriora vero quorum similaria sunt materia non fiunt à calore, sed à natura, vel à cælo, vel ab aliqua alia maiori, atque excellentiori causa, quam sit calor, aut frigus.

His ergo & huiusmodi responsionibus credo tolli omnino posse rationes eorum, qui negabant corporeis signis complexionem consequentibus, aliquid certi asseri posse, neq; ideo ponemus id, quod Gal. libello quodam, quod animi mores temperiem corporis sequantur, multis argumentis, & auctoritatibus conatur astruere, nam vnusquisque, si contemplabitur, quæ Platonis, quæ Aristotelis, quæ Hippocratis dicta censentur, ea conuenire optimè videbit cum his, quæ diximus.

Est positio nostra, elementorũ mixturã facere temperiẽ, ex hac statui corpus similare, ex quo fit deinde dissimilare, qđ cũ certã sortitum fuerit harmoniã, & rationẽ efficitur aptũ ad munia animæ rationalis exequẽda, & eũ sic à natura fuerit terminatũ, anima rationalis aduenit, & statuitur homo, cuius operationes, & functiones sunt ab anima, tanquam principio harum; at quod possint fieri, corpus dat, vt materia, & subiectum, demum quod sic exerceantur, fit ab habitu, aut affectu, aut externa aliqua causa, siue illa sit per accidens, siue per se.

Hæc itaque, & huiusmodi forte contra prædictum virum non irrationabiliter adduci poterunt, nec ille, qui hanc ipsam opinionem adeo seuerè, ac durè infectatus est, vt puto, multum ab hac sententia distat; Dicit enim; Quod carnem perficit est forma carnis, & carnis forma formam terræ continet, vt trigonum continetur; à tetragono, si ergo hoc verum est, cum differentia trigoni, quod, vel sit orthogonium, vel oxigonium variet etiam tetragonum, vt modo fiat rombus, modo romboides, etiam pro varietate formæ carnis si non variatur, alteratur tamen forma equi, & diuersimodè operatur, quod si diuersa est forma carnis, ergo & terræ forma erit aliquo modo alterata, se igitur mutuo sequuntur, & variata operatio, variatum suppositum, quod operatur, ostendit; hocque mutatum est, quoniam eius ratio aliqua ex parte mutata fuit, non est mutata ratio nisi mutentur ea, ex quibus est ratio, neque hæc mutantur, nisi etiam fuerit mutatio in subiecta proxima materia, neque in hac, nisi in illis principijs primis ex quibus illa ipsa est, quæ sunt elementa, in quorum mixtione consistit eiusdem ratio, sic igitur patet, quod operatio formam, forma sequitur materiam, & è cõtra, si materia præparata talis existat, facile suscipiet formam talem, & si formam habuerit talem, operationem etiam omnino talem faciet.

Idem ait exercitatione 248. Ideo prudentissimum esse hominem, quoniam corpus, & corporis membra principalia sunt temperatissima, si cum alijs animalibus conferantur, vt inter corda animalium, hominis cor sit maximè temperatum, idemque de cerebro ait.

Item ex Aristotelis sententia probl. sect. 14. ait, optimam corporis constitutionem cõferre ad intellectum, & vt corpora differunt, sic etiam intellectiones, Quare si intellectio, quæ est operatio immaterialis, & immixta sequitur corpus, operæpretium esset, etiam morem, & affectum qui, quædam forma in corpore est, à varia corporis dispositione variè mutari, cum igitur diuerso modo hoc, & illud corpus affici videremus, varia etiam homines illos, & velle, & sapere putandum esset.

Ait idem disputans contra Alexandrum non temperamentum, sed stellas dare homini tales propensiones.

Et

Et ego dicam, ſi ſtellæ dant tales propenſiones, quoniam dant talem formam, cum quæ dant talem formam, neceſſario dent etiam certam materiam, nam certa forma hãc ſibi certam determinat, ſtellæ igitur ſunt, quæ materiam determinant, hæcque eſt elementorum mixtio, ex his enim fiunt ſimilaria corpora, quæ diſſimilarium ſunt materia, vt ait Ariſtoteles, ſtellæ igitur talem faciunt materiam, & tales dant eidem affectiones, quare quales erunt materiæ affectiones, talem eſſe etiam formam poſſumus inferre, ergo quale corpus talis etiam eſt anima; certa igitur elemẽtorum mixtio certam ſuſcipit formã, certa forma, certas producit operationes; ergo certa elementorum mixtio certas facit operationes, ſed certã mixtionẽ certa ſequuntur ſigna. Ex his igitur ſignis corporeis, quales ſint futuræ operationes compoſiti, etiam teſte hoc viro, qui tantum tribuit aſtris, cognoſci poſſe patet.

Neceſſario tamen ab operationibus ad formam, à forma ad materiam inferemus, & argumentabimur; at à ſignis materiæ ad formam, & operationes probabiliter tantum, & quod poſſit eſſe, colligemus, vt ſi domus eſt, ergo parietes habet, quare & lateres illi inſũt, duri, & rubri, vnde ſi quoddam in quo, & durum quid, & rubrum, & longum, latumque, qualis eſt figura parietis videro, probabile eſt, illud eſſe parietem, & ſi paries eſt, poteſt etiam eſſe domus.

Quare à forma neceſſario ad materiam, vt 2. phys. at à materia ad formam non neceſſario inferimus. *à forma ad materiam neceſſaria eſt illatio.*

Pariter dicit ille vir, in mollitie, quæ recedit ab intemperie brutorum ad mediocritatem ſimpliciter conſiſtit tactus exquiſitus, at mollities puerorum, & fæminarum recedit à temperata virorum mollitie, quare pueri, & fæminæ ſenſum tactus non habent adeo elaboratum, & exquiſitum, & certum, ſicuti habet homo perfectus, & adultus ſecundum ipſum accidens iam corporis animæ functiones, & diſpoſitiones immutant.

Verum Non etiam Plato, non Ariſtoteles, non Hippocrates aliud ab eo, quod diximus, ſentire videntur, nimirum operationes hominum variari contingere, ſi inſtrumenta varientur, quæ, tum ex cibo, tum ex humoribus, atque alijs quampluribus cauſis varietatem concipere poſſunt.

Finis Secundæ Partis.

COM-

COMMENTARII IN PHYSIOGNOMICA ARISTOTELIS.

Pars Tertia.

INVENIENDORVM SIGNORVM METHODVS. CAP. XXVIIII.

„ *Videtur autem mihi anima, & corpus compati adinuicem: & animæ habitus alteratus simul alterat corporis formam, & iterum forma corporis alterata simul alterat animæ habitum. Quoniam enim animæ inest tristari & lætari, manifestum est quod tristes obscuræ faciei sunt, & gaudentes hilaris.*

Aristotelis intentio.

TERTIA est huius voluminis particula, in qua Aristoteles proponit nobis methodum, ac viam quandam, qua docemur ab apparente conuenientia, & ab animalium brutorum similitudine deducta, de potentijs, & qualitatibus hominum aliquid enunciare, Sic autem cũ prædictis connecti posse videtur.

Nexus cũ prædictis.

Supradictum est, Physiognomiam esse, item de quibusdam animæ humanæ passionibus nos posse aliquid enunciare visum fuit, & quosdam diuersos modos attulisse, qui quamuis mali non sint, attamen singuli si per se capiantur sunt imperfecti, qui fuerunt numero septem, nempè, motus, color, faciei dispositio, qualitas tangibilis, vox, partium affectio, figura corporis totius, & partium, & quòd ex his, & per hos fontes, seù signa iudicare soleat Physiognomus, & his instrumentis vti possit ad prædicendum, longa docuit inductione.

Nunc aũt, qua rõne vnicuiq. nostrum liceat venari, & reperire signa, quibus possimus de inclinationibus hominum aliquid asserere, explicare molitur, sic enim probè constitutam, aut saltem delineatam fuisse hanc notitiam putabimus, cum & ipsam esse, & quidnam sit cognouerimus; & qua ratione eadem vti liceat perceperimus, sic enim, & qui ædificatoriã, vel sutoriam artem nobis tradere vellet, illas primum quidnam essent doceret, deinde, cum domos, aut vestes se facturas esse spondeant, secundo loco id verum esse confirmaret, ostendens, quod multas domus, ac multas vestes faciunt continuè, deindè tandem rationem, ac methodum tradens, quomodo, & domus, & vestes fieri contingat, & qua ratione abunda-

bimus

bimus neceſſarijs ad domos,vel ad veſtes faciendas,totam putaret ędificatoriam,vel ſutoriam artem tradidiſſe; Hac eadem via proceſſiſſe Ariſtotelem manifeſtum eſt,nam primũ quid ſit phyſiognomia explicuit, & quid intenderet docuit, deinde longa inductione demonſtrauit,ex corporeis ſignis poſſe nos animi propenſiones venari.

Quod reliquum erat,igitur nunc exequi aggreditur,ac modum,& viam docere incipit, ſecundum quam poſſimus inuenire ſigna,& media ad iudicãdum conuenientia,& quamuis ſint plures modi,vnum atque alterum,& præcipuum nunc tangit illum,qui eſt ab apparenti conuenientia, alterius qui eſt per ſyllogiſmũ obiter meminit,vt potè qui ſint,& huic cognitioni magis proprij, magiſque naturalem deceant philophum, eſt enim phyſiognomia phyſicæ pars,vel illi ſubalternatur, ſubalternatæ cognitiones ſenſitiuorum ſunt, vt dicebat Ariſtoteles,& circa ſenſibilia præcipuè verſantur, & de ipſo quod eſt,præcipuè ſunt ſollicitæ,relinquentes ipſum propter quid eſt ſuperioribus;cum igitur conuenientia,& inconuenientia in corpore hominis cum brutis ſit quoddam ſenſui apparens, rationabiliter hunc modum elegit,eum autem,qui eſt per ſyllogiſmum,quoniam maximè decet philoſophum,ideo recepit;quæ igitur ſit in hac parte Ariſtotelis intẽtio,& cur hanc intentionẽ habeat,ex dictis manifeſtũ eſt,nunc qua rõne ſuum ſcopũ attingat,ipſum dicentẽ audiamus.

Sciẽtiæ ſubalternatæ verſãt, circa ip ſum ф.

, *Videtur autem mihi anima , & corpus .*

Vt igitur ab apparẽte conuenientia,& diſcrimine in brutis cũ corpore humano ſciamus eligere ſigna , & ex electis iudicare hoc ipſum tanq̃ principiũ inconcuſsũ eſt cõfirmaturus.

Vnumquodq. aĩal habet duas ſpecies operationum , vnã propriam,& alteram cõem.

Quæ ꝓpria hominis q̃ ſit cõis opatio.

Ea dicitur in homine eſſe cõis,quæ ab alis pluribus aĩalibus præterquã hominib. cõiter exercetur,& fit,propria vero,quæ vni tm̃ ſpeciei,humanæ ſcilicet,& non alij cõuenit,communis cõibus vtitur,propria vero operatio,& propriũ,ac priuatũ ſibi determinat organum corporeũ,quo perficiatur,& propriũ orgauũ habet,propriã,peculiarẽ potẽtiam, quæ illius organi actus rõ, ac perfectio eſt,vt ſecandi operatio ſibi determinat propriũ organũ, ſerrã, ſcilicet,non .n. malleo ſecabis,vel terebello,quę ſerra habet propriam potentiã ſecãdi,quę eſt actus primus,per quẽ dicitur ſerra,vnde qualis ſerra talis eius potẽtia, & qualis potẽtia talis ẽt ſerra eſt,nam illa ſerrę rõ eſt,& pro harũ duarũ diſpoſitione talem ẽt fieri ſectionem manifeſtum eſt, hæc igitur potentia ſecũda,ſiue actus primus,& organũ ſiue pars corporis operans,& operatio,videntur eſſe tria,quæ ſe mutuo conſequuntur ꝓ ſe,& ſm qđ ipſa sũt.

Ad hoc igitur ponendum principium,& fundamentum eorum,quæ ſequentur. Ariſtoteles in principio capitis ait : Animam,& corpus ad inuicem compati.

Not.

Vbi primũ noto nos de aĩæ illius parte loqui,quæ immerſa materiæ eſt,quæq.corporeis vtiť organis,ea aũt pars,quę nullo addicta eſt organo,quę diciť intellectus,de quo locutus eſt Ariſtoteles in 3.de aĩa circa principiũ,cũ ſit immaterialis,& immixta corpori paſſionib. corporis,niſi ꝓ accidẽs,nõ afficiť, nõ ſecus atq. hõ ad ſerræ affectiones quodãmodo afficiť, quaten⁹ ẽ ſector,ſic & intellectus ꝓut ſubſtãtia quędã ẽ,nihil patiť ad corporeas paſſiones, at quaten⁹ operãs mediãtib.phãtaſmatib.& corporeis organis,& vt aĩa,ille ẽt cõpati diciť.

Intellectus nõ afficiť niſi per accidẽs

Cæterum omnes animaliũm,& viuentium paſſiones eſſe animæ,& corpori communes, iam ẽt in primo de aĩæ demonſtratum eſt,quamuis aliæ à corpore, aliæ aũt ab aĩa originẽ habere videantur, vt ſi quis ꝓ ꝓ mortem filij dolore affectus in febrim , & atrophiã inciderit ab aĩa, quod incepit morbi genus in corpus fluit, & recipitur, & rurſus ſi quis ob nimios æſtus,& nimium laborẽ febri fuerit correptus,illeq. deinde factus ſit triſtior,& præter ſolitũ timeat,& angatur,hęc à corpore incipiẽs paſſio in aĩam deſinere, illiq. cõicari dicimus.

Quæ dicantur ſimul cõpati.

Ea aũt dicũtur cõpati ſimul,quæ ſunt ita affecta inter ſe,vt ſi fiat mutatio in vno neceſſe ſit aliqd ẽt in altero fieri,nihil tñ refert ẽt ſi nõ ſit eadẽ numero,vel ſpecie mutatio,& altetõ,vt videmus in amantib. q̃ ſe mutuo cõpatiunť,& cũ apparet mutatio in uno,eadẽ ẽt,uel

secundum genus saltem, in altero spectatur, quod elegãtissimè expressit quidam poeta Italicus: q̃ se turbari, lętari, tristari, ac dolere, & mille mutationes facere quotidie dicebat, ſm qđ amasiæ faciẽ mutari contigebat, hoc aũt ad inuicem compati est prima passio eorum, quæ sunt correlatiua, & quatenus sunt correlatiua, & eorũ quæ vnita sunt, & maxime vna, cum autem nihil magis sit vnum, q̃ id quod fit ex materia, & forma, & ex anima, & corpore non est absurdum, si anima, & corpus ad inuicem nata sint compati maxime.

Dixi aũt in his quæ sunt correlatiua, facta mutatione in vno, etiam necessario in altero fieri, non tamen semper esse eandem numero, vel specie, vel genere; vt securis, & acumen, si quis enim corrumpit aciem, necesse est ẽt, vt securim corrumpat, siue ferrum ſm quod est pars securis, At si vnita non sunt relatiua nisi ex accidenti, vt inimicus cum inimico quatenus sunt inimici etiam compatiũtur, sed passio non est eiusdem speciei, nam passio hæc vni grata est, alteri ingrata, Socrates lætatur ex mutatione facta circa Platonem fuste percussum, At Plato tristatur, quare in correlatiuis aliqñ fit mutatio eadem specie circa vtrumq. aliquando aũt mutatio tm̃ ſm genus. In aĩa, & corpore, vt mihi videtur, fit mutatio, at non oĩno eadem in specie, qm̃ vnum est iucorporeum quoddam, & alterũ corpus, & omne receptum se habet p̃ modũ recipientis, quæ passiones sunt aĩæ, illæ non oĩno eædem in corpore eluescunt, vt sapere, & discere sunt aĩæ passiones, & tñ in corpore nõ apparent, q̃uis & corpus necessario concurrat, & sine ipso impossibile sit aĩam mutari, siquidem sine phantasmatibus, & sensibus non intelliget, & discet, sentire aũt est pati, i gitur aĩa corpori compatitur.

Dub. An aĩa patiat. Sed dubitabit aliquis si pati est moueri, mouetur autem, quod est mobile, cum anima sit incorporea, & immobilis, illam neque moueri aut pati est possibile.

Resp. At respondendum est pati, & moueri dici dupliciter per se, & per accidens, anima per se non patitur, sed per accidens ad motum corporis, & ad passiones eiusdem.

Dub. Rursus si patit̃ p̃ accidẽs, & ad passionẽ corporis, igit̃ & p̃ se nõ patiet̃, sed dictũ fuit quasdã in primis esse passiones aĩę, deinde p̃ aĩam corpori cõicari, vt discere, & sapere; Amplius falsũ fortè est, qđ patiat̃ corpus, & mutet̃ facta mutatione habituũ circa intellectũ, nã dictũ est aĩæ habitus corpus nõ mutare si. n. à disciplinis mutaret̃ corpus sanè aliqđ appareret in

Sol. ipso vestigiũ mutationis, at nullũ apparet, ergo nihil mutat̃ ex eo, p̃ aliqs sciẽtiã susceperit.

An fortè aliqñ magis mutatur qđ patitur p̃ accidẽs, q̃ qđ p̃ se patit̃, vt si cui/ceù Orbilio cõtigit) p̃cusso occipite excidat oĩum rerũ memoria, illi q̃dem affectũ fuit p̃ se corpus, p̃ accidẽs aũt memoria, & aĩa, attñ maior mutatio fuit circa illã, q̃ circa corpus. Hac ergo de cã dicimus aĩam pati aliqñ primo, qm̃ magis eluescũt in aĩa q̃ in corpore passiones quędam, oẽs tñ sẽper sũt cões vtriq. quatenus id est cõpositum ex vtrisq. qđ illas passiones sustinet.

Ad ſm dico impossibile esse, fieri mutationem circa animam, quin etiam facta fuerit in corpore aliqua mutatio, at earum, quæ in corpore fiunt quædã interiores sunt, & non apparent, quædam conspiciuntur, si fiat mutatio in habitibus cõtemplatiuis intellectus, qm̃, vt dictum est, non vtitur organo, neque est virtus in materia, illa mutatio non apparet in corpore, & sic dicimus mutationes habituum intellectiuorum non apparere in corpore, neque ad illorum prę̃sentiam corpus moueri sensibiliter, simpliciter autem non moueri corpus ad horum habituum introductiones, & mutationes fortè est falsum.

Aĩam, et corp⁹ inuicem cõpati. His igitur sic expositis; Quod anima, & corpus compatiantur ad inuicem sanè (vt mihi videtur) declarat dicens; habitus animæ alteratus alterat formam corporis, & forma corporis alterata animam alterat, quæ sanè declaratio, non habet difficultatem, potest etiam locum rationis sortiri, neque est absurdum, nam & declaratio, est quędam probatio, quando facit notum ex præcognitis, hoc autem est vti ratione, & syllogismo.

Vt igitur probetur ex his Aristotelicũ dictũ primũ ponamus, quod habitus inueterata quædam dispositio, est, at habitus animæ est perfectio quædam, & entelechia secundum q̃ aĩa per corpus est apta aliquid agere, vel pati, quod prius q̃ illam susciperet perfectionem,

agere,

agere, vel pati propriè non poterat, vt ars fabrilis, vel ædificatoria eſt habitus animæ, quoniam eſt quædam perfectio, per quam anima poteſt facere mediante corpore, & inſtrumentis corporeis domos, & tabulas, quas prius facere non poterat; habet igitur anima à natura quaſdam potentias primas, ſecundum quas poteſt ſuſcipere omnes habitus, qui habitus iſtarum potentiarum dicuntur eſſe perfectiones, & actus primi; cum igitur hi habitus per doctrinam, & diſciplinam plerunque inducantur in nobis, vel per inuentionem, & inquiſitionem, patet vel per ſenſus, vel non ſine ſenſibus ab anima ſuſcipi, & in id, quod animam habet introduci; ſentire autem eſt pati corporeum, quare habitus animæ ſine corporea paſſione non introducentur in nobis.

Horum animæ habituum tres ſunt ſpecies, aliqui dicuntur contemplatiui, ſecundū quos dicimur docti, vel indocti, alij actiui, ſecūdum quos boni, vel mali appellamur, alij demum ſunt factiui, ſecundum quos artificioſi, vel inertes, aut rudes artis vocamur; hoc tamen loco puto, Ariſtotelem abuſum nomine habitus, & per ipſum intelligere omnem affectionem, & diſpoſitionē animi, per quam ſic, vel oppoſito modo anima afficitur, eſt igitur nunc captū hoc nomen habitus, vt vox, quæ tam de affectu, quam de habitu vere dicto prædicetur; de forma corporis nunc dicendum.

Formam corporis vocat temperamentum hoc loco Sueſſanus, quod nullo modo videtur dicendum, nam paulo infra docens Ariſtoteles qualis ſit forma corporis, quæ mutatur, ait quod triſtes ſunt obſcuræ faciei, & vox græca πρόσωπον propriè ſignificat formā accidentalem, quæ viuentium terminus eſt, de quarto genere qualitatis, quæque oculis eſt cognoſcibilis, hanc autem formam, ſiue figuram corpoream alterari, cum mutatur ſecundum ſenſibiles qualitates omnes, aut aliquas, nunc eſt intelligendum, vt cum ex rubeo fit pallidus aliquis, aut ex pingui macer, aut lenis, & alba, & tenſa fit cutis aſpera, liuida, & rugoſa, ſic igitur mutari dicimus formam corporis, cum per excellentiam de facie loquentes mutatur ipſa, vel ſecundum delineationes, & partium ſitus, vel ſecundum colores.

Vt igitur hæc probetur poſitio, ſic argumentari licebit, anima, & corpus ſunt duo ita affecta, vt cum alteratur habitus animæ, ſimul etiam corporis forma alteretur, ac mutetur, ſed quæcunque duo ſunt ſic affecta, illa compatiuntur ad inuicem, ergo anima, & corpus ſunt ea, quæ ad inuicem compatiūtur, maior nullam videtur habere difficultatem, etenim iam declarauimus, nihil aliud eſſe compati, niſi mutata re alia mutationem aliquam in ſe ipſum ſuſcipere, ſic tamen, & cōfirmari poteſt, quoniam quæ talia ſunt, ea ſunt correlatiua, & correlatiuorum proprium eſt ſimul eſſe natura, quare & mutari, & quieſcere, vt octauo phyſ. dictum eſt, minor ſimiliter confirmatur ab Ariſtotele in tex. & à ſigno, lætari, & triſtari ſunt habitus animæ oppoſiti, ſed contigit hominem ſiue hominis animam ex læta fieri triſtem, & ex triſti lætam, ergo habitus animæ contingunt mutari, ergo fit mutatio in habitibus aīæ, ſed ad lætari, & triſtari contingit mutari corporis faciem, & figuram, ergo anima, & corpus ſunt duo ita affecta, vt ſi fiat mutatio ſecundum formam alterius, mutetur & alterum, quod autem res ita ſe habeat ſpeculantibus patet, qui enim læto, & hilari aīo ſunt, ijs plerunque etiam facies eſt læta, & ſubridens ſic Helenus apud Virgilium.

Agnoſcitque ſuos, lætuſque ad mœnia ducit.

Sic Anchiſes aduētu Aeneæ filij inexpectato, aut magnopere affectato cū aīo lætarē, id ēt lętitię genus facies, & vox ſectabaī, & q triſtātur, faciē ēt obſcurā, & triſtē hūt, vt in Achemenidē videmus, & in Didone exprimi, ſm qđ, mō ira, mō amore ęſtuabat, varia sētiebat, varia dicebat, & invarias ſeſe mutabat facies, & cū allocuta fuiſſet ſororē, iāq. mori ſtatuiſſet.

— Silet, pallor ſimul occupat ora.

Patet igitur qđ verum eſt aīam corpori, & ambo ad inuicem compati, cauſa eſt, qm aīa eſt actus, & entelechia corporis viuētis organici, oīs aūt actus, & id cuius eſt actus sūt duo ita affecta, vt ſi fiat mutatio in vno neceſſe eſt, ēt fiat in altero, ſunt .n. vt materia, & forma,

quarum hæc semper est in alio, nempè in materia, quæ semper est subiectum in quo est aliud forma scilicet, quare ex hoc patet, vt secundum hanc rationem, neque forma à materia, neque materia à forma per se disiuncta subsistat, & reperiri possit.

Not. Noto autem hilarem faciem, & lætam vocari, quæ multo sanguine, & multo spiritu plena est, hæc autem talis est, si ad ipsam contigerit cõfluere sanguinem, & spiritus, id effici solet, quando hi mouentur à centro ad circumferentiam, quod accidit, vt bono propinquo, atque præsenti occurrant, hoc autem secundum animam dicitur lætari, nempè ad præsens bonum moueri, vt ipso fruatur, & secundum quod fieri potest illi vniatur, hac igitur ratione in lætitia, & voluptate hilaris, & ridibunda apparet facies, & oculi lęti, & subridentes, totum oppositum sequitur in dolore, cum enim ob præsentiam imminentis mali calor, & spiritus ad cor contrahãtur, simulque sequatur sanguis, exterior facies calore, & sanguine priuata efficitur pallida, & corrugatur, & turbati animi affectũ simul turbati vultus explicant, sic ergo vna rõne confirmatum est, quod anima, & corpus ad inuicem sibi compatiantur.

,, *Siquidem igitur anima dissoluta, formam, quæ est in corpore, adhuc existere contingeret, sanè & ita anima, & corpus compatibilia forent, quàmuis conferentes adinuicem non essent, nunc autem manifestum quòd vtrunque se se consequitur.*

Ego sanè hoc in loco existere mendum suspicor, quod ex his quæ à Porta dicuntur, colligere licet, aliter locus perfectum sensum non videtur habere.

Porta Porta ait, cum anima tristis est, corpus lugubrem faciem, & hilaris hilarem ostentat, dissoluta corporis forma dissoluitur & anima.

Sueß. Suessanus primũ dicit hoc loco Aristotelem respondere tacitæ obiectioni, nempè quod quamuis anima, & corpus mutuo sibi compatiantur, non tamen conferunt secundum causalitatem propriè dictam, non enim corpus est causa animæ, nec contra simpliciter anima causat corpus, sed Deus, & homo sunt causæ animæ, & corporis simpliciter.

Sic igitur (ait ille) clarum est, quod se mutuo coalterant, siue sint, siue non sint sibi causæ, & paulo post dicit esse secundam rationem, quia eadem probatur positio, de qua supra, quoniam dissoluta anima forma, quæ est in corpore, dissoluitur.

At ego sanè nulli obiectioni Aristotelem respondere, neque id ex verbis extorqueri quacunque violentia posse puto, neque scio an sit verum quod ille ait, animam non causare corpus simpliciter, & per se, cum eam esse causam, in triplici genere causæ ipsius corporis iam fuerit ostensum in libro secundo de anima. Amplius ostendit se non intelligere, quid velit Aristoteles eo in loco, sol, & homo generat, hominem, nihil enim aliud sibi volebat, nisi ad generationem cuiusque rei requiri causam vniuersalem, quam dixit solem, & causam propinquam, & particularem, quam vocauit hominem.

Mihi autem videtur fortè sic intelligẽdum; dissoluta anima, hoc est cessante facere proprias operationes, si remaneret forma corporis secundum quam dicitur corpus organicum, quamuis alterum alteri non cooperetur, tamen necessario afficerentur ad inuicem, cum vnum formæ, & alterum rationem haberet materię, ergo tanto magis nunc cũ ad inuicem sint conferentia, hoc ipsum dicere debemus, sunt autem conferẽtia, quoniam alterum propter alterum existit, hoc enim est propriũ eorum, quæ formæ, & materiæ rationem habẽt, an sanè, vt mihi videtur, hæc omnia facilius accomodari possunt, si ita legatur.

Dico aĩam corpori maxime esse coniunctam, & adeo, vt si daretur, aĩam dissolutam, & à corpore separatam reperiri, & corporis formam permanere, fm quam illud dicimus esse organum, sequeretur etiam quod aĩa, & corpus non possent non cõpati in suis operationibus, quod si hoc est verũ, ergo tanto magis dicemus illas ad inuicem compati, cum sint iuncta, consequentia uero in hoc posita erit, qm permanente corporis forma pemanet necessario organi ratio; at quatenus organum est si patiatur, necesse est etiam compati illud cuius est

ogra-

organum, anima ſcilicet, vt patiẽte ſerra neceſſe eſt ſectorem, quatenus eſt ſector, & ipſum compati, vel ſic legamus, ſupponendo quod probabiliſſimum eſt mendum eſſe in textu, & talem fuiſſe Ariſtotelis ſententiam.

Si anima diſſoluta formam, quæ eſt in corpore tunc non exiſtere contingit, ergo anima, & corpus ſunt compatibilia, ſed primum, ergo & ſecundum.

Et quoniam videbat Ariſtoteles aliquem poſſe ſubiungere, ergo anima eſt cauſa corporis, & corpus animę, ſi vno ablato alterum aufertur, quare corpus cauſabit animam? huic obiectioni, paucis vt ſolet, reſpondens ait, quod ſiue ſint ad inuicem conferentia, ſiue non ſint, ſiue vnum cauſet alterum, ſiue non cauſet attamen manifeſtum eſt, hæc duo ſe conſequi mutuo, & ad inuicem compati, quod ſi ita legatur ex additione vnius particulæ negatiuæ tantum, mihi videtur tolli multa difficultas. *Obiectio.* *Reſp.*

Noto autem impoſſibile eſſe anima diſſoluta formam, quæ prius erat in corpore, & ſecundum quam vocabatur organicum, omnino permanere, Itaq. neque cadauer dicitur caro, & os niſi æquiuoce, neque ea, quę prius, omnino remanet figura, ſed factum illud eſt penitus aliud; impoſſibile eſt enim mutari formam, & permanere vllum eorum accidencium, quæ illam formam comitantur, & ſubiecto in ſunt ſecundum ipſam, vt viſum eſt in primo de generatione, cuius vero argumenti ſic ab Ariſtotele extorti partes ſatis notæ ſunt, primum enim conſequentia clara eſt, quòd ſcilicet ſi diſſoluta anima non remanet corporis forma, & figura, quod corpus, & anima ſint compatibilia, quoniam quæcunque duo ſunt talia, vt ablato, ſeù mutato altero alterum mutetur, illa mutuo, & viciſſim mutantur, quare ſunt compatibilia. aſſumptum autem, quod ſcilicet diſſoluta anima mutetur forma corporis nullam habet difficultatem, hoc enim experientia confirmat, amplius illam dicimus eſſe actum corporis, actus autem forma eſt, quare diſſoluta anima neceſſe eſt formam mutari, quæ eſt in corpore. *Notãd.*

Noto item quod ait, (vtrunque ſe ſe conſequitur) id ſibi velle quod anima, & corpus ſunt ſimul natura, & ſe mutuo conſequuntur, vt relatiua eſſentialiter, & tanquam materia, & forma, quarum vtriuſque eſt eſſe, ad alteram referri.

,, *Maxime tamen id ex hoc manifeſtum fiat. Mania enim videtur eſſe circa animam: & Medici medicamentis purgantes corpus, & victibus nonnullis vtentes in ipſis permutant animam à mania: curationibus autem corporis ſimul, & corporis forma ſoluitur, & anima à mania permutatur.*

Illud idem propoſitum etiam à ſigno probat, dicens, ſi mania eſt morbus circa animam contingens, & mania curato corpore, & per purgationes mutato curatur, & eſſe definit; ergo paſſioones, & morbi animæ mutantur mutato corpore, ſed quæ ſunt huiuſmodi illa ad inuicem compatiuntur, ergo anima, & corpus ad inuicem compati certiſſimum eſt.

Maniam vocant Medici mentis alienationem ſine febre, in quo à phreneſi diſtinguitur, quę continuè eſt cum febre; videtur autem Galeno maniam cauſari, quam deſipientiam dicere poſſumus, vel melius furorem, ex humore, aut vapore feruẽti in cerebri ventriculos, & ſubſtantiam effuſo, vnde qui hac laborent iracundia, iurgijs, clamoribus, horrẽdo aſpectu, dentib. vnguibus pugnis perſequũtur adſtãtes, & vt deſipientiam puram, & ſomniculoſam quandam, & ineptã inertiam cauſat pituita, ſic effuſus humor, vel vapor calidus, ſiue is ſit à bile flaua eleuatus, ſiue ſit à puro ſanguinine, eo tñ calido, & feruenti, mania, & furor eſt, ſi ergo cauſatã à vaporis, vel humoris preſẽtia cerebri vẽtriculos occupãte, erit curãtis medici ſcopus humorẽ hũc, vel vaporẽ purgare, & tollere, quare patet q̃ mania purgato corpore eo p̃ pharmaca deorſũ trahẽtia bilẽ, & p̃ reuellẽtia ſanari põt, ſublato aũt tali humore, aut vapore à præternaturali ſtatu mutari cerebrũ ad ſtatũ naturalẽ certũ eſt, qr̃ in mania mutato, & curato corpore ſanitatẽ ſubire, ac ſuccedere clarũ ẽ; q̃ aũt mania ſit aĩę paſſio ex definitione

patet, nam mentis abalienationem, & læsionem principis partis animæ vocant, cuius indicium, quod eius operationes turbantur quod autem Mania sit mentis vitium, & idem curato corpore curetur eleganter docet Horatius his versibus.

— Fuit haud ignobilis Argis
Qui se credebat miros audire tragados
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro,

Et paulo post, quod curato corpore sanatus fuerit, subdit.

Hic vbi cognatorum opibus, curisque refectus
Expulit Helleboro bilem, morbumque meraco
Et redit ad se.

Patet igitur quod passiones corporis, & animæ adeo sunt communes, vt curata altera al. 10
terum sanetur, & ad curationem corporis sequatur mentis sanitas; videtur autem per pharmaca intelligere ea medicamenta, quæ per vomitum, aut per aluum purgant, & ducunt humores peccantes; cum igitur mania sit mentis passio, & curato corpore, illa curetur, patet animam, & corpus omnino compati, & cum forma corporis, hoc est cum corporea constitutio, (quæ consistit in certa ratione humorum naturalium corpus statuentium) mutatur, & desinit esse, quæ prius erat, necesse est etiam animam permutari, sic primo de anima dicebatur, Hector iacet aliud sapiens, mutato enim corporis habitu, animæ etiam passiones, & dispositiones mutari certum est, sic ille.

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Et cum eramus paruuli sapiebamus, vt paruuli, at viri facti, vt viri sapimus; 20

„ *Quoniam igitur vtraque soluuntur palam, quòd sibi inuicem conferunt.*

Aïa, et corpus sibi inuicē ad esse cōferunt.

In hac particula tria molitur Aristoteles, primum enim ex supradictis infert, quod anima, & corpus sibi inuicem conferunt, hoc est conducunt sibi inuicem, ad ipsum esse, & vnū alterius perfectionem causat, & alterum per alterum existit, itaque alterum sine altero operari nequeat, & vnum alteri sit quoddam maximè proprium, neq. erit corpus organicum, vel saluatur, aut saluari potest sine anima, neque anima sine corpore vllas operationes facit, aut facere potest, prout anima est, nisi aliquam propriam habeat, quæ nullo egeat organo ad hanc exequendam; si ergo anima, & corpus compatiūtur, & quæ compatiūtur, illa ad 30
inuicem sunt conferentia, & ad esse, & ad bene esse, manifestum est, quod anima, & corpus ad inuicem conferunt, & secundum esse, & secundum bene esse, erunt igitur adeo inter se adaptata, vt certa anima certum, & particulare corpus habeat, & certum corpus sibi certā determinet animam, neq. vltra illam possit aliam quamuis admittere, aut secūdum aliam operari, neque quæ vna est anima in aliud corpus potest intrare, & eo vti, sed vt dictum est singula ad singula sunt determinata, vt enim tota, & vniuersalis forma ad materiam vniuersalem sè habet, & vt anima in vniuersali ad corpus susceptiuum animæ, sic certa anima, certum corpus sibi determinat, videmus etiam potentias animę, certas particulas corporis tanquam propria sibi determinare instrumenta, visiua enim potentia oculo, & nullo alio videt, similiter auditiua auribus, non autem naso, vel manu, sic ergo & particularis quædā anima corpus quoddam particulare, & proprium sibi requirit, quo sua exequatur munera, 40
& prętер illud nullum aliud recipiat, aut recipere possit, causa est, quoniam anima est actus, & perfectio corporis illius cuius est anima, quod igitur anima, & corpus sibi inuicem conferant, ex his manifestum est, quare, & compatiuntur, vt apparet, tum in bonis, tum etiam in malis.

Certæ facultates aïæ certam mēbrorum figuram sibi determinant.

Ex his secundam infert conclusionem, dicens quod virtutes animæ habent formas in corpore sibi conuenientes, hoc est formę membrorum corporis animati sunt similes ijs animæ potentijs, quæ his membris tanquam proprijs organis vti debent ad suas operationes exequen-

exequendas, formam autem corpoream non ſolum intelligo corporis temperiem, ſed etiã illam figuram, & ſtructuram certis notis delineationibus, & ſtigmatibus naturalibus, coloribuſque inſignitam, quæ ſenſibus cognoſci poſſunt; ſic igitur cum venatici, & leporarij canis crura, pedeſque longos, neruoſos, ſubtiles video, dico illum eſſe velocem, quoniam crura ſunt inſtrumenta motus voluntarij, pro ratione igitur illorum, potentiam motiuam illi adeſſe puto, vnde cum illa ad velocitatem perficiendam appareant paratiſſima, ideo velox eſſe iudicatur, quare ab organi figura ad eius operationem, & ab hac ad potentiam cognoſcẽdam procedimus, & quoniã potentia eſt iam ſecundum ſe determinata, cognoſcimus, ex inde quomodo moueat, ſic igitur dico qualis mẽbrorum figura eſt, & differentia indiuidualis illius membri, talis etiam eſt indiuidualis quædam differentia, quæ comitatur illam operationem, vt igitur omnes oculi vident, ſed craſſi, & albi parum acutè tuentur, qui verò parui ſunt, & concaui, & nigricantes acutius, & exactius diſcernunt, ſic igitur omnis viuentis anima in vniuerſali ſuas habet potentias, & ſua organa, particulariter vnaquæque, ſuas qualitates, & differentias tum ſpecificas, tum indiuiduales, ſecundum quas vna ab altera differt, vnde quoniã leonis, & aſini corpus diuerſum eſt, ac penitus differens, dicimus etiam diuerſas eſſe operationes, quare, & potentias, & animam in aſinino corpore impoſſibile eſt, reperiri leoninam.

His ſic declaratis Ariſtotelis dictum demonſtremus, quod anima, & corpus ſibi mutuo conferunt ad operationes animati corporis exequendas, medium eſt, quoniam ſe mutuo ſoluunt, ideſt ponuntur, & ponunt, tolluntur, & tollunt, ſit ſyllogiſmus.

Demõſtratio aĩa, & corpus ſibi mutuo cõferũt

Quæcunque duo ita ſunt affecta, vt ſe mutuo tollant, & ponant, ita vt vnum ſine altero, neque eſſe, neque intelligi poſſit, ea habent communes operationes, quæ ſunt propriæ ipſius compoſiti, quod ex vtriſque conſtitutum eſt eſſentialiter, ſed anima, & corpus organicum, cuius illa dicitur actus, ſunt duo ſic affecta, vt ſe mutuo tollant, & ponant, & alterum ſine altero eſſe nequeat, ergo anima, & corpus habent communes operationes, quæ ſunt propriæ illius compoſiti, quod ex anima, & corpore conſtat, & cuius anima dicitur eſſe actus, & perfectio.

Corollarium

Quare neque alterum ab altera ſeparatum, vt tale poteſt agere, niſi vel anima, vel corpus propriam aliquam haberent operationem, quæ illis ſeorſum competeret, non quatenus talia ſunt, ſed aliqua alia ratione, vt corpus animalis fertur deorſum, non quatenus animatum, ſed quatenus graue, ſic etiam priuatum anima feretur deorſum, & ſi anima etiam habet aliquam operationem, quæ nõ vtatur corpore, vt intelligere, ea etiam ſeparata, cum fuerit à corpore, poterit operari, & intelligere, ſed neque corpus deſcendens, vt organicum corpus operatur, & mouetur, neque anima intelligens, vt anima id facit, ſed vt intellectus.

„ *Manifeſtum inſuper eſt, quòd virtutibus animæ ſimiles corporis formæ fiunt: quare ſunt omnia ſimilia in animalibus eiuſdem cuiuſpiam declaratiua: hæc verò minime.*

Ex hac modo illata concluſione aliud colligit Ariſtoteles, & ait, formæ corporis ſunt ſimiles virtutibus animæ, hoc eſt formæ, & figuræ, & diſpoſitiones corporeorum membrorum ſunt ita affectæ, vt aptè poſſint exequi operationem illam, quam nata eſt facere potentia; vt ſi anima cati, aut canis habet ſecum annexam potentiam, illa quidem capiendi murem, hæc quæ canis eſt anima inueniendi leporem, vel qualeam, oportet etiam inſtrumentum, quo hæc potentia ſuam exercet operationem, eſſe tale, vt illi conſentiat, & ſit verbi gratia pes vngulis munitus acutis, quæ poſſint cohibere muris fugam, & ſint canis nares aptæ ad admittendum odorem leporum, vel qualearum, nam niſi ad ſit inſtrumentum aptum, profecto non fit operatio, ſi autem non fiet operatio, fruſtra erit potentia, vnde cui

eiecti sunt oculi de capite illum carere potentia videndi dicimus; sic igitur, ni fallor, dicendum est, non autem intelligendum, quod membra sint potentijs similia, hoc est, quod potentiæ, & membra eadem participēt qualitate, hoc enim impossibile est, cum potentia sit incorporea, membrum autem corporeum, id autem cuius subiectum est corpus, in incorporeo reperiri non potest, quare quæ in corpore qualitas est, eandem in incorporeo reperiri nequit, corporeo enim, & incoporeo nihil est commune vniuocum.

Sic igitur inferretur corollarium, quod scilicet, formæ, & figuræ membrorum corporis consentiunt, & sunt quales requiruntur ad faciendas operationes, quibus destinatæ sunt potentiæ, causa est, quoniam diximus, quod anima, & corpus sibi mutuo conferunt, & 01
auxiliantur ad propria animalis munia obeunda, quæcunque talia sunt ea inter se conueniunt, & pars seruiens imperantis vsibus, & fini accommodata est, quæ pars seruit corpus est, igitur corporis membra potentijs animæ deseruientia illorum finibus, & operationibus apta, & conformia esse debebunt. Ex his infertur principium ferè primum, & vnum omnium eorum quæ dicturus est Aristoteles.

Membra brutis similia operatione similia sunt signa.

Quæcunque membra in animalibus sunt inter se similia ea indicabuut, illorum animalium animas habere similes potentias, & operationes etiam similes exercere posse; hoc autem, ex prædictis pendet, si enim corporea membra viuentia consentiunt, & se conformāt cum illis potentijs, quæ vtuntur talibus membris ad tales operationes faciendas, patet sanè, quod quale membrum talis operatio, & potentia, similia igitur membra similes potentias, & operationes, dissimilia dissimiles etiam operationes, & potentias indicabunt; causa est, quoniam sicuti tota anima totius corporis, est actus, ita etiam singulæ potentiæ sin- 02
gularum partium corporis sunt actus, sic enim, & visiuam oculi, & auditiuam auris, & potentiam gradi endi pedum dicimus esse actum, & perfectionem, si ergo materia, & forma

A corpore ad potētias etab his ad operationes procidetur.

corpus, & anima sunt correlatiua, & vnum ad alterius esse confert, necesse est, vt se mutuo sequantur, & sicuti corpus se habet ad animam, ita pars corporis ad partem animæ, Atque & vt partes corporis ad inuicem, ita etiam partes animæ, quare partes corporis similes, potentias animæ similes arguunt, & partes corporis dissimiles etiam inferunt potentias dissimiles, & si totum corpus cum altero collatum est dissimile, probabile, sic etiam tota anima vel similis toti animæ, vel dissimilis dicetur. A corpore igitur, & corporeis partibus ad animam, & animæ potentias argumētari poterimus, sit hæc igitur regula quædā. 30

Reg.

Quorum animalium, vel eadem, vel similia sunt corporis omnia, vel quædam membra illorum animalium operationes, & potentiæ, vel omnes, vel quædam, quæ illis membris vtuntur ad proprium munus exercendum, vel erunt eædem, vel similes inter se; sic igitur procedemus à corporis, vel membri forma, figura, dispositione, & temperie ad cognoscendam, & inuestigandam potentiam, à potentia deinde ad operationem inferendam, vt quoniam lupus habet latissimum os, & ventrem magnum, & his vtitur instrumentis ad explendam suam voracitatem, cui inerit os ualde deductum, & amplus venter, illum dicam habere promptitudinem ad voracitatem, & probabile eritillum esse voracem, nisi ratio, aut educatio id prohibuerit, sic ergo dicit Aristoteles.

Quod quæcunque sunt similia in corporibus animaliū illa sunt declaratiua cuiuspiam qualitatis, quæ sit eadem in vtroque animali inter se comparato. 40

,, *Hæc vero minimè.*

Verba ista apud codicem Basileæ impressum non leguntur, in latino, & in codice tùm Aldino tùm Insinsgrij ita distinguuntur à prædictis, vt cum illis nihil habeant commune; mihi sanè videtur vocem græcam, quæ sectionem significat fuisse in margine, & à librario dum scriberet in textum intrusam, legitur enim græcè τομὴ, quæ vox significat diuisionē, & sectionem, vt scilicet aliquis diligens hoc loco notasset tex. diuisionem; nam re vera,

quæ

quæ ſequuntur à præcedentibus omnino ſunt diſiuncta, adde, quod ratio verborũ grammaticalis non patitur, vt legatur τό μὲν in neutro ſingulari cum præcedentia in plurali prolata ſint. Demum id quod nunc ſubderet Ariſtoteles videretur deſtruere principium, quod mox poſitum fuit, nempe ſimilia membra corporis ſimiles indicare operationes.

Non ta men nego, quod aliquando ſimilia non poſſint eſſe membra, & tamen ſimiles non erunt forſan operationes, videbimus enim aliquando duos habentes naſum acutiſſimum, & eorum alter erit iracundus, alter autem maximè placidus, ſed non puto omnino id nunc velle Ariſtotelem, quare neque ea verba addenda.

Quid ſit potẽtia.

Noto autem quid ſit potentia, & quotuplex, & quomodo aliquæ à membris corporeis indicentur, aliquæ autem nõ. Eeſt potentia (vt prius dictum eſt) qualitas quædam ſecundum quam corpora naturalia aliquid facere, vel pati poſſe dicuntur, quæ igitur talia ſunt mouere, & moueri poſſunt, igitur compoſita ſunt, quare potentia, vel eſt forma in materia, vel conſequens formam.

Quotuplex potentia.

Potentiæ prima diſtinctione diuiduntur in primas, & ſecundas, primæ potentiæ dicuntur, quæ egent externo agente, & perficiente illas, antequam ad actum, & operationem veniant, mihi autem videntur referre Lyram, aut cytharam, quæ ſit quidem chordis inſtructa, illæ tamen inter ſe nondum cõſonent, neque harmonicè conueniant, quod deinde fiet, quando accedente externo artifice has quidem tendet, illas remittet donec in certa conueniant ratione, quæ vel diapaſon, vel diapente ſit, aut quid aliud tale, vnde poſtea ſequi poſſit harmonia, & cum iam concordes ſunt chordæ ſecunda eſt potentia, & ſi anima eſſet lyra ex ſe ſonum mitteret, qualem audiri ferunt ſponte ſua,

Quæ ſit prima.

Dimidio Magicæ reſonant vbi Memnone chordæ,

Hæc igitur eſt potentia prima, & ea dicuntur habere potentiam primam, quorum natura in hoc conſtituta eſt, vt poſſint ab externo perfici, & ſecundum certam rationem affici, vt ex ſe ſine impedimento deinde operari poſſint, hæcque potentia prima eſt, ſicuti materia quædam, & ſubiectum diſpoſitum ad contraria vtraque ſuſcipienda. Hæ primæ potentiæ, vel intellectiuæ ſunt, vel ſenſitiuæ, & intellectiuæ, vel dicuntur factiuæ, quæ poſſunt in omnes artes fingi, vel actiuæ quæ virtutum intellectiuarum qualis eſt prudentia, & oppoſitorum ſunt capaces, & per omnes habitus morum permeant, contemplatiuę demum quæ ſcientiarum, cognitionum que, & his oppoſitarum diſpoſitionum ſunt receptiuæ.

Quotuplex prima potentia.

Rurſus potentiæ primæ ſenſitiuæ, quæ ſcilicet pertinent ad eam partem ſecundum quã determinatur animal, aliæ ad cognoſcitiuã partem, aliæ ad appetitiuam referri poſſunt, vt illarum qnædam paſſiones, & accidentia dici poſſint, cum in actum, & vſum veniunt iam potentiæ ſecundæ ſunt, & habitus dicuntur, nam qui à pueris delectari crudis cibis, & pomis cæperunt, vix carnes pati poſſunt, & qui abſtemij conſuetudine facti ſunt, vinum omnino abhorrent, ſic igitur ſenſum habemus in ſecunda potẽtia, at modus eodem vtẽdi ſic, aut oppoſito modo pendet à diſpoſitione ſupradicta, & ratione eorum corporum, quæ ſimilares partes ſtatuunt, ex quibus fit corpus animalis.

Quid ſit potẽtia ſecũda.

Quæ vero dicuntur eſſe appetitricis partis potentiæ illæ eædem ſunt, quæ virtutum, ac vitiorum ſunt capaces, non enim virtutes ſuſciperemus, niſi illas ſuſcipere poſſemus, vſu enim, & diſciplina eas adipiſci dicebat Ariſtoteles, at vſus, & conſuetudo ea eſt, quæ de prima potentia ad ſecunda traducit principium eius operationis, quod operari contingit, ſunt igitur potentiæ primæ rationes quædam imperfectæ, & indeterminatæ inchoationes, determinantur autem, quaſi genera ſpecificis differentijs, à proprijs perfectionibus & actibus, qui illis ſuperueniunt ab externo agente, quod illas mouet, aſſuetudine, aut diſciplina, aut vtróque modo.

Homines potentias primas à natura habent omnes, & quibus aliquæ non adſunt, im-

poſſibile

possibile est, illas vllo pacto acquirant, nam cum canis non habeat potentiam ad musicam, nullo modo illam vnquam addiscet, similiter homo cum habeat impotentiam ad volandum nulla vnquam ratione fiet volatilis, quid igitur sit prima potentia & quotuplex, & qualis harum vna quæque, ex his est manifestum, & quod perfici non possit, sine passione eius, cui inest, & sine alteratione, & reali mutatione. Harum primarum potentiarum quæ in animalibus, & præcipuè in homine sunt, quædam existunt obscurissimæ, & harum nullum signum in corpore cernitur, immò potius vestigium oppositæ dispositionis videtur apparere, Aliæ vero obscuræ quidem sunt, sed studio, disciplina, assuetudine perficiuntur, & huius difficultatis signum aliquod, obscurum tamen subest, demum aliæ facili negotio perficiuntur, & iam aptitudines, & inclinationes naturales vocantur, & harum in corpore, vel in his quæ corpus sequi solent, certum vestigium continuè spectatur.

Secundarum potentiarum cõsideratio.

At secundæ potentiæ iam habitus sunt, perfectionesque, & quædam formæ, quæ vel naturales sunt, vel acquisitæ, & vtcunque vel dicuntur actiuæ, vel passiuæ, & quomodocunque sint, vel vtuntur certo organo corporeo, vel non vtuntur, naturales potentias secũdas voco, quæ ad opus, vt exeant nullo externo agente egent, videt enim homo, & audit præterquam quod ab vllo videre, & audire didicerit, sic etiam cogitat, sic ridet, atque hæ, vt dictum est, vel vtuntur determinato, & certo organo, & quales sint illarum operationes, ex organi dispositione cognoscuntur, qualem enim videmus esse oculum talem visionem, visiuamque potentiam fore auguramur, & qualia sunt crura talis etiam est progressiuus motus, & potentia mouendi.

Acquisitos habitus dicunt, seu potentias secundas non naturales, quæ doctrina, vel assuetudine, vel utroque modo nobis adsunt, ut potestas canendi, uel legendi, uel pulsandi cytharam, qualescunque autem sint, aliæ dicuntur actiuæ, quoniam earum uis in agendo, & mouendo consistit, sic ars saltandi, pingendi, & ædificandi habitus factiui dicũtur, qm̃ in his habendis nos aliquid, quatenus hos habemus facimus, aut pro libito facere possumus.

Sic demonstrationem uocamus habitum sciendi, quoniam in ea habenda scimus. Passiui dicuntur habitus siue potentiæ secundum quas aliquid patimur, & certo modo determinati sumus, sic temperantiam habitum passiuum dicere possumus, qui temperans enim est, ita affectus est, ut mediocriter patiatur, & moueatur à uoluptatum corporearum præsentia, uel absentia.

Secũdæ potẽtiæ ꝑ signa corporea non cognoscuntur

Hos ergo habitus acquisitos, siue potentias secundas dixeris, qualescunque sint, siue actiuæ siue passiuæ, dico non posse per signa corporea cognosci, nunquid adsint nec ne, nisi forte per accidens, posset enim aliquis cum robusta brachia, callosas manus, faciem fuligine tinctam uiderit, illum fabrum ferrarium iudicare, simpliciter autem impossibile est, quoniam cum animæ aptitudo de potentia prima ad secundam traducta fuit, unde ortus est habitus, mutatio sensibilis in organis corporeis externis facta non fuit, unde non cognosci potest, sed tantum licet spectare aptitudinem, dicetque fortè physiognomus, hunc ad ædificatoriam, uel ad ferrariam illo esse magis, aut minus aptum, at quod hic sit ædificator, uel ferrarius nusquam nisi ab operatione cognoscet, cum autem aliæ certo, aliæ incerto utantur corporis organo, quæ certum organum sibi destinant facilius cognosci possunt, quam quæ incertum, ut facilius cognoscam, uel saltatorem, uel fabrum, quam philosophum, aut arithmeticum, uel geometram, nam superiores potentiæ, siue habitus cum utantur certis organis, illa etiam ab operatione secundum habitum facta afficiuntur, & certam induunt figuram, qua cognosci possint, quare ex brachiorum dispositione certa, quod sit ferrarius faber cognoscetur.

Gesticulatorem, & manuum iactatorem excellentem noui, cui mortuo dissectæ fuerũt ab Anatomico manus, ille tendines adeo distinctos, & bene formatos, & apte affectos habebat, ut quilibet, uel mediocriter eruditus gesticulatoris manum iudicasset.

Am-

Amplius earum quæ non certo vtuntur organo, quædam ſunt ſpeculatiuæ, & hæ multo minus cognoſcuntur, niſi ex conſequentibus, quædam actiuæ, quæ quoniam vſu, & operatione perfici ſolent, ideo veſtigium aliquod in corpore forte relinquent, priores tamen nullum; omnes autem, vt dixi, conſiſtunt in rationibus quibuſdam actiuorum cum paſſiuis, eodem enim modo ſemper agit natura, niſi quid ſit, quod prohibeat, certuſque habitus certam aliquam operationem reſpicit, & habitus ſimpliciter ratio ſimpliciter dici poteſt. & vt potentia omnis, vel actiua, vel paſſiua eſt, duplex etiam eſt habitus ſimpliciter, qui omnes alios complectitur, quare hic poteſt facere omnia, ille vero fieri, vt igitur à genere generaliſſimo ad genera ſubalterna, deinde per hæc ad ſpecies ſpecialiſſimas, & indiuidua, quorum ſunt operationes tandem deuenimus, ita à potentijs ſimpliciter ad has, vel illas potentias deſcendimus, quæ deinde cum ad actum veniunt, vel hoc, vel illo modo operantur, & mouentur, ſecundum quem agendi modum diſcriminatur iraſcibilis potentia hominis ab equo, deinde etiam Socraris à Platone, hic autem operandi modus particularis iam affectus dici ſolet, qui ſi diu permanſerit, propriè, & in ſpecie habitus vocatur, nempe inueteratus quidam modus & ratio quam obſeruat potentia Socratis dum ad actum ſecundum exit, Ex his quid ſit potentia, & quotuplex, & quæ corporeis ſignis cognoſci queant, & quæ non manifeſtum eſt, amplius quid, & quomodo vnaquæque harum ratio poſſit dici.

„ *Et quibus animalia operantur, hæ quidem propriæ paſsiones vniuſcuiuſque ſexus animalium ſunt, illæ vero communes.*

In quibuſdam codicibus loco vocis (ſexus) quæ in meo legitur, ponitur vox (generis) quæ eadem in codicibus græcis exiſtit, propria enim, & magis genuina hæc videtur eſſe lectio, quam vocis (ſexus) non enim de ſexu, ſed de animalium generibus, & ſpeciebus ſermo eſt. Vtentes igitur voce generis, non autem ſexus, dicemus in hac particula intentionem eſſe Ariſtotelis huiusmodi documentum afferre.

Communes paſſiones animæ animalium in corporibus eorundem, & ſi genere differũt habent communia ſigna; At propriæ paſſiones animæ alicuius ſpeciei propria etiam ſigna in corporibus indiuiduorum illius ſpeciei habent. *Docu.*

Pro cuius poſitionis, ſiue documenti notitia primum declaro, quid ſit paſſio, & quid communis, & quid propria generis, ſpeciei, & quæ dicitur eſſe indiuidualis, deinde illam ipſam poſitionẽ confirmare tentabo; vox paſſio æquiuoca eſt, proprièq; agentis impreſſionem quatenus à patiente ſuſcipitur, ſignificat, communiter tamen paſſio etiam ſignificat omne accidentis genus, quod alicui inexiſtit, plerunque ẽt dicitur de his quæ per ſe inſunt accidentibus, vt primo poſter. paſſio igitur eſt qualitas, quæ per ſe, & ſemper, vel plerunq; ſubiectum aliquod ſequitur ſecundum quam, ſubiectum tale aliquid vocari poteſt.

Et ſi dixeris potentias, & impotentias eſſe qualitates, non tamen ab ipſis fieri denominationem, reſpondeo id contingere quoniam carent nomine, ſi autem nomen haberent, vtique ab illis etiam fieret denominatio, cuius indicium eſt, quod illæ quæ nomen habent abſque vlla difficultate denominant ſubiectum, vt ex Simplicio in prædicamentis colligitur, etenim, & volatile dicitur, quod habet aptitudinem ad volandum, & quod poteſt fieri ſciens, ſcientiarum dicitur capax. *Obiectio.* *Reſp.*

Harum paſſionum ſiue proprietatum, quæ in vno quoque reperiuntur indiuiduo, quædam dicuntur eſſe generis, quædam ſpeciei, illæ dicuntur eſſe generis, quæ in pluribus ſpecie differentibus indiuiduis reperiuntur, vt poſſe moueri à ſe ipſo ſecundum locum, iraſci, & iucunda quærere, cum reperiantur in particularibus equis, bobus, & hominibus dicimus paſſiones generis, quæ vero in particularibus hominibus eædem ſunt, quatenus ſunt, homines, illæ dicuntur paſſiones ſpeciei, & eædem in omnibus ſunt, vt ſcientiarum capa-

citas,

citas, honoris, & diuitiarum appetitus ſunt paſſiones hominis, quatenus homo, quare in omni homine ſecundum quod homo eſt, erunt eædem, & in vno indiuiduo, nempe in Socrate erunt etiam, ſunt igitur duo proprietatum ordines prior generis, poſterior ſpeciei ſpecialiſſimæ.

Noto autem quod ſicuti pluribus generibus poteſt ſubijci Socrates, ita etiam plures po
Not. teſt habere proprietates, alias enim habet, vt animal, alias vt eſt viuens, & quatenus eſt corpus, & ſubſtantia, & quoniam vnum quoddam eſt ſubiecto, plura autem ratione ideo contingit eidem plures ineſſe etiam proprietates, quarum quædam illi competent quatenus eſt homo quædam alię quatenus eſt doctus, & quatenus eſt Athenienſis.

Ex harum proprietatum, confluxu ſtatuitur illa, quam vocant indiuidualem, ſiue indi- 01
uiduantem proprietatem, quæ conſtat concurſu tot proprietatum ſimul collectarum, quarum numerum ſimul vnitum impoſſibile eſt in vno alio reperias, & hic eſt vnus, & verus modus indiuidualis proprietatis, quæ indiuiduo certo quatenus eſt hoc aliquid competit, quam indiuidualitatem quidam hæceitatem vocaſſe viſi ſunt.

Alter indiuiduæ proprietatis modus intellectu difficiliòr quidem, at quem etiam aſſequi poſſimus, eſt poſitus, & conſiſtit in certo modo, quem obſeruat indiuidui certi particularis potentia, cum ad actum, & energiam tranſit, vt omnes homines iraſcuntur propter apparentem contemptum at iuuenes alio modo, ac ſenes, & inter iuuenes diuerſo modo diuites, & potentes, quam pauperes, & inter diuites etiam alia ratione iram exercent bilioſi, alia melancholici, & inter bilioſos alio modo afficiuntur, qui abundant naturali, alio 02
qui præter naturali bile, demum, & qui naturali bile exuperant iuuenes, & diuites etiam ab alio indiuiduo in his omnibus ſimili, erunt differentes, nam ratio, educatio, inſtitutio, leges, externa oblata mirificam faciunt differentiam, quare modus certus, quem ſeruat Socrates ad exercendam ſuam potentiam iraſcibilem, ille eſt, qui mos dicitur, & ſecundum quem modum denominatur, qui mos, & modus cum non ſolum ab aptitudine naturali, ſed etiam naſci poſſit ab ipſius electione, & ratione, & inſtitutione, fit, vt proprietas hæc indiuidualis difficillimè cognoſci, & de hac ipſa iudicari poſſit.

Nõ oẽs mores ſequi tẽ peramẽ tum.

Vnde, qui mores omnes temperamentum corporis ſequi putant, ſi qui ſunt, illi toto, 30
quòd aiunt, cælo errant; ſimiliter ſi quis putaret nullius moris principium dediſſe nobis temperamentum, hic etiam penitus eſſet falſus, ſed cum neutra illarum vera ſit, contingit vtriſque oppoſitas particulares eſſe veras, quidam enim mores temperamenta corporis ſequuntur, & quidam non, vnde ſequitur quoſdam per ſigna cognoſci, quoſdam autem nullo modo poſſe, ex his igitur quænam ſint paſſiones generis, & quæ ſint ſpeciei manifeſtum eſt.

Hoc autem loco, vt mihi videtur, per paſſiones Ariſtoteles intelligit potentias animæ, nam id per quod animal tanquam principium primum operatur, potentia eſt, vt viſiua, potentia dicitur illud principium per quod videmus; quare ſenſus eſt: Paſſiones, quibus tanquam principijs animalia operantur aliæ ſunt propriæ illius ſpeciei, ſnb qua illa indiuidua, quæ operantur, dicuntur contineri ita, vt præter indiuidua illius ſpeciei nullis alijs 40
competant, aliæ vero dicuntur eſſe communes etiam alijs, ita ſcilicet, vt non ſolum competant indiuiduis alijs eiuſdem ſpeciei, cum eo quod operatur, verum etiam pluribus alijs inter ſe differentibus ſpecie.

Mihique videtur, quod omne ſubiectum quod operatur, nempe indiuiduum animal, atque vnum, de quo propriè dicitur operatio, & operari (actiones enim ſunt indiuiduorum) Mihi inquam videtur, quod animal, quod operatur, quatenus operatur conſtet ex ſex rebus, quarũ tres ſe tenent ex parte formæ, & tres ex parte materiæ, quæ inter ſe eandem habent proportionem, & nexum neceſſarium, quem habet materia, & forma.

Hæ autem quæ ſe tenent à forma videntur eſſe anima, potentia, & affectio potentiæ,

ex par-

ex parte materiæ eſt corpus, cuius totius ratio eſt tota anima, & organum, ſiue pars corporis organica, qua, vt plurimum vtitur potentia; & tandem qualitas corporea, & diſpoſitio ſenſibilis, ſecundum quam quomodo ſit affecta potentia, vt plurimum cognoſcimus, quare, vt qualitates corporeæ, quæ in organis eluceſcunt, aliæ ſunt propriæ, aliæ communes, ſic organorum temperies quædam, videtur propria, quædam communis, & corpus vnum eſt, & ideo vnam ſibi determinat animã, & ita vnum, vt ex vtriſque fiat, quod propriè, & verè, & maximè eſt vnum, vt autem corpus ex corporeis partibus conſtat, quarum quædam ſunt ſimiles alijs, quædam non, & ſimiles vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundum genus, ita etiam in potentijs dicendum eſt, & in affectionibus potentiarum, vnde iure propter hanc eſſentialem connexionem ab vno ad aliud à corporeis affectionibus, & partibus ad cognoſcendas animi affectiones, & potentias procedere poſſumus, & è cõtra.

Ex hac, quam diximus potentiarum diſtinctione, ſiue paſſionum propriarum, & communium infert, quod præcipuè intendit dicens: In proprijs operibus animæ propriæ paſſiones ſecundum corpus, hoc eſt, animal, quod proprijs ſuæ animæ potentijs exercet proprias ſuæ ſpeciei operationes habet etiam corpus, ſiuè corporis partes, quibus exercet tanquam inſtrumentis, has proprias ſuæ ſpeciei operationes, proprijs inſignitas qualitatibus, per quas licet cognoſcere affectiones potentiarum ad illas operationes obeundas, quæ propoſitio nullam habet difficultatem ex his quæ ſupra diximus, nempe ſic eſſe diſpoſita inter ſe animam, & corpus, vt vnum materiæ, altera formæ, & actus rationem teneat, quare cum vnum ſit à natura factum primo; & per ſe vnum, & anima, & corpus faciant animal, cuius potentiæ, & organa propter operationes conſtituta ſunt, neceſſe ſanè eſt, vt ſimul coniurent, conueniant, & alterum ab altero pendeat, & cognito vno, cum ſint relatiua alterum etiam cognoſcatur.

Quod autem diximus de proprijs operationibus, illud idem de communibus eſt ſentiendum, vt ſcilicet dicamus Animal quod exequitur communes operationes generis ſui, per communes potentias animæ ſuæ, habet etiam corpus per quod illas exercet, communibus quibuſdam inſignitum qualitatibus quæ ſequuntur partes corporis ſecundum quas cum alijs ſui generis communicat.

„ *Communes quidem ſunt, iniuria, & quæ eſt circa venerea exceſſus iumentorum, & non iumentorum communis eſt iniuria: porcorum, & aſinorum habitus qui eſt circa venerea.*

Quas vocet, communes, & quas proprias cuiuſque ſpetiei paſſiones duobus docet exemplis Ariſtoteles, quorum alterum declarat, quænam ſint communes generis, alterum autem quæ ſint ſpeciei, cum igitur omnia ferè, aut quam plurima animalia iraſcantur, & moleſta depellere aggrediantur, & venereas appetant voluptates, veneris appetitus, & moleſti declinatio, ſiue repulſio dicitur eſſe communis quædam paſſio, nam pluribus animalibus in genere conuenit, quare, & hæc paſſio habebit quædam communia ſigna in animalium corporibus, & communes etiam quoſdam modos, ſecundum quos ad actum ſecundum veniet; nam ſicut ſe habet genus ad ſpeciem, & ſpecies ad indiuiduum, ita mihi ſe habere videntur potentiæ, ad affectum, uel morem, & hi ad operationem particularem, genus vniuerſale eſt, & per proprias differentias diuiſum conſtituit ſpeciem, ſic potentia, verbi gratia, iraſcibilis per certos quoſdam mores, modoſque determinatur, ut hæc dicatur iracundia leonis, illa canis, & quæ eſt canis iracundia, & canino more exercetur, habet etiam quoddam genus deſtinctionis, ſecundum quod dicitur iracundia canina, & huius canis, & cauſa eſt, quoniam operatio eſt ſingularium, hęc autem determinantur proprijs, & indiuidualibus differentijs, cũm de ipſis, & in ipſis tamen ſint, & dicantur etiam, quæ ſunt generis, & ſpeciei proprietates, & differentiæ.

Dicit igitur Iumentorum, & non iumentorum communis eſt iniuria, hoc eſt, tam homines quam bruta irritantur cum offenduntur, & ad repellendam offenſionem inſurgunt, cum igitur quam plurima animalia ſpecie differentiâ habeãt hanc eandem operationem, igitur ſimilem etiam habebunt potentiam, quare omne animal habet iraſcibilem appetitum, ergo, & omne animal habet etiam corporis organum aliquod, quo ſe tueatur, & offenſiones propellat, vt ille dicebat, equo proprium eſt ferire calce, tauro cornu, leoni vngue, omnes igitur ferire quærunt, quare & in corpore habent aliquod membrum, quo id conſequuntur, hoc idem eſt in genere, at ſpecie differt, & vſu; omnia igitur à ſe malum moleſtum remouere cupiunt, quod faciunt vel illud repellendo, vel ſe ipſa remouendo, & retrahendo, hæc fugiunt, illa fugant, vel tollunt, ſic etiam accidit in concupiſcibili 01
appetitu veneris, & cibi, cum enim hæc ſit communis operatio, adeſt etiam communis potentia annexa animæ, adeſt etiam, & in corpore quoddam, quod commune eſt membrum, & quaſi genus, hoc autem proprijs quibuſdam differentijs ſpecificatur, non ſecus atque potentia ipſis affectibus, & moribus.

Noto autem morem, & affectum eſſe idem vt puerum, & virum factum, affectus, nouus eſt mos, at inueteratus affectus iam dicitur propriè mos, de quo ſupra, vt autem ſimiliter in vindictam feruntur, & æquè iniuriam declinant tàm homines, quàm bruta, quare & eandem ſecundum genus habent potentiam, & ijſdem, aut ſimilibus vtuntur inſtrumentis, & cum ſimilia habeãt inſtrumenta, ita etiam contingit eoſdem habere mores illius potentiæ, ita in venerem feruntur porci, & aſini pariter, vt ſcilicet, nullam rationem loci habeant, & 02
præſentium, & ſubiectorum in quæ ruunt, nunquid matres ſint, vel ſorores, quare cum eandem habeant operationem, illamque eodem modo exerceant, illis ineſt eadem potentia, quare & mos ſimilis, & corporis partes, quæ huic actui deſeruiunt, erunt apprimè ſimiles.

,, *Proprium autem eſt, in canibus quidem, contumelioſum: in aſinis autem indolens.*

Dari proprias ſpeciei paſſiones.

Exemplis genericas paſſiones explicuit, nunc ſpecificas docet, in cane, & aſino; dicitque 30
canum proprium eſt contumelioſum eſſe, aſinorum autem indolens; primũ igitur qđ hæc ſint vera, & cur expono, poſtea quomodo hęc accidentia animarum talium, habeant etiam propria ſigna in corpore, ſic enim proprias animæ potentias, & operationes comitari proprijs ſignis, & partibus corporeis facilè apparebit, quod hoc loco intenditur.

Quid cõtumelia.

Contumelia à cõtemnendo dicitur, contumelioſus igitur eſt, qui alium contemnit, con-
temnimus autem eos, quos nihili ducimus, aut putamus tales, qui neque etiam ſi velint, nobis nocere poſſint, contemptus igitur bonæ exiſtimationi, vt dedecus honori opponitur, quod ſi circa idem verſantur contraria, ergo re vera contemnere nos non poteſt, qui de nobis iudicare male, aut bene ſentire non valet, quare, qui non poteſt honorare, neque
contemnere, vndè nemò propriè dicitur contemni ab equo, vel à boue, eo quod vocatus nõ 40
acceſſerit, canes igitur propriè non dicuntur contumelioſi, quoniam in quem cadit contumelia in eum cadit etiam oppoſitum contumeliæ, quod ſi ſolus homo eſt, qui rectè aut non rectè de me ſentire poteſt, ſolus etiam me poterit contemnere, at per quandam ſimilitudinem vocamus etiam canem contumelioſum, quoniam ſicuti contumelioſus dicitur, qui non lęſus alios inuadit, illos lacerat præter cauſam, & mordet, & illos præcipuè, qui ſibi viribus, aut alio modo non poſſunt eſſe præſidio, contumelioſus enim vilis eſt, & non parum timidus, quare ſe ipſo, quos putat robuſtiores non laceſſit; ita canes contumelioſos vocabimus, Nam canis non læſus neque prouocatus viatores, & præcipuè miſeros, & quos videt magis feſſos, & magis debiles, minora animalia, aut innocentia etiam ſui generis adoritur,

ritur, crebris latratibus insultat, ac male accipit, quare hoc modo contumeliosus est.

Cur autem sit hæc canis passio, credo hanc ipsam ex eius temperie, & natura pendere, calidum, & siccum vocant canem, & ad siccitatem magis terrestrem, quàm ad igneam accedere volunt; terram igitur calefactam refert, qualem videmus in montanis esse, cum Syrius exurit agros, cui autem hæc inest natura, propter calorem illi inest appetitus supereminendi alijs, quare hic superbus est, super alios igitur se extollere quærit, contemnit igitur alios, & alijs insultat, contumeliosus igitur, & ijs præcipuè, qui miseri sunt, qui debiles, & à quibus non timet sibi, cum enim siccus sit, terramque referat, secundum aliud igitur non secundum se calidus est, in alio igitur non in se confidit, quare non propter virtutem, propriasque vires, sed propterea quod cui infertur contumelia debilis est, aut quoniam sit in propria domo, & cum suis dominis, in eorum præsentia, & tutela confidit, hac igitur de causa canem puto in pauperes, & pedites, & male vestitos præsertim contumeliosum se se prębere ad terrestrem enim accedit temperiem, ergo non est naturaliter magnanimus, vilis igitur, & timidus, vt plurimum. *Cur canes sint cõtumelioſi.*

At asinus ab Aristotele vocatur indolens, vbi per indolentiam non dico ego carentiam sensus, sed quod anima asini non cruciatur, neque tangitur inuidia, aut ira, aut mortis timore, aut alijs huiusmodi passionibus, quas aiunt philosophi per tristitiam, & mærorem, mouere animum de sua sede.

Vel indolentiam hanc dicemus esse eam obtusitatem, & iudicij carentiam, secundum quam non distinguit, neq; discernit eorum quidquam, quæ illi damnosa, aut vtilia sint futura, etenim, & in fontem ex quo bibiturus est vrinam emittet, neque curabit etiam, si locũ in quo recubaturus est omni sorde coinquinatũ viderit, & fustibus, vel maxime cæsus vix de loco mouebitur, & contra offendentes raro, vel nunquam insurgit; puto autẽ ego pręcipuam esse asini passionem hãc vltimam, quæ est quoddam consequens priores, ita, vt asini proprium sit, nihil curare quod, vel illi damnum, aut dedecus, siue oppositum afferre possit, quare nulla animi ægritudine tangitur, vnde indolens, & quasi epicureus carens omni sensu tristi, & omni dolore animi vacuus dicetur proprie asinus.

Huius passionis causam ex eiusdem temperie puto sumendam, aiunt enim esse animal frigidum, & siccum, sit Aristoteles, sic Albertus sensere at quod siccum est, difficile terminabile est alieno termino, non ergo externas suscipiet impressiones, non affectus; quare & impassibilis aliquo modo dicetur, & indolens, at causam ptopter quam adeo rudis, & indiscretus est asinus; hanc dicerem, quoniam frigidus est, & siccus, frigidi est contrahere, congregare, omnia, & ideo inordinate iungere, & nectere, quare non distinguere, neque discernere, neque penetrare, aut animaduertere, sicci vero est externas non recipere passiones, & terminos; vnde efficitur, vt asinus indiscretus sit, & indolens cui igitur homini inerit qualitas in facie, & capite similis illi, quæ est in capite & ore asinino, illi inerit instrumentum simile illi instrumento, quo asinus exercet indolentiam, & indiscretionem, conueniet igitur cum asino in instrumento, ergo & in modo vtendi instrumento quare, & in propensione ad eandem operationem, cui igitur inerit facies asinina illi inerit propensio ad indolentiam, & vt dixi ad indiscretionem. *Cur asinus sit indolẽs*

Quomodo igitur commune quidem, & proprium conuenit distingui, dictum est.

Ex prædictis infert conclusionem, iam clarum esse qua ratione generica accidentia, ab accidentibus proprijs specierum distingui oporteat, generica sunt, quæ in pluribus indiuidius specie differentibus existunt, specifica vero quæ in pluribus indiuidius tantũ inter se numero distinctis reperiũtur, generica corporũ accidẽtia cõmunes, & genericas animatũ

docent propensiones,& potentias,specificæ uero speciales,tum potentias,tum inclinationes exponunt,& quomodo hoc fiat iam dictum est.

„ *Opus autem est multa consuetudine, si quis debet esse sufficiens ad dicendum singula de his.*

Documentum hoc loco præstantissimum affert Aristoteles,quod non solum in physiognomicis, sed in omni arte, ac scientia maxime est memoriæ tenendum, dicit igitur qui vult esse sufficiens ad iudicandum de singulis hominum propensionibus, qualitatibus, & moribus,oportet illum esse maxime exercitatum, tum in cognoscendis brutorum naturis, 01
tum in speculandis particularium hominum dispositionibus,iuxta illud, quod exercitatio perficit opus, sic in medicina,qui vult scire singulis morbis mederi, & multos sanare, illum oportet maxime exercitatum esse, neque satis est cognoscere causas,& uniuersalia, (quoniam medicus non sanat hominem, sed calliam) sed circa singula uersatum esse,similiter etiam in scientijs, ut uisum est Alexandro, nemo uerè dicitur sciens, nisi uniuersale fuerit speculatus, & in particularium contemplatione se exercuerit, hanc autem experientiam pediam dicunt,quæ nobis ex multis singularibus suppeditat vniuersale, quod principiũ dicitur scientiæ,& hoc deinde nobis ministrat propter quid,quare primũ ab ipso quòd,ad propter quid cognoscẽdum,& rursus,à propter quid ad quòd sciendum procedimus,& sicut vno tantum crure non possumus incedere, sed requiruntur vtraque, ita & pe- 02
diam,siue experientiam cum scientia,& demonstratione,coniungere oportet,qui secus fecerit,fortè scire videbitur,sed iudicare nõ poterit an sciat, similiter qui se in particularibus exercuerit,quod hoc sit verum cognoscet,propter quid autem id accidat,nunquam percipiat, cui positioni videtur consentire Aristotelis dictum vulgatũ, quod oportet intelligentem speculari phantasmata.

„ *Quoniam enim ea quæ videntur in corporibus, dicuntur referri ad similitudines quæ fiunt ab animalibus,& ab actibus: & proprietates quædam aliæ à caliditatibus,* 30
& frigiditatibus fiunt.

Locus ab apparentiõ uenientia deductus aptissimus est ad physiognomiam exercẽdam.

Si vlla est pars huius libelli difficilis,& intricata,est vna hæc, cuius primum dicam ego intentionem,quam puto esse hanc; Ex multis modis,quibus physiognomizamus; propositum est Aristotelis demonstrare,quod optimus omnium,& citissimus,siue inuentu facillimus,& aptissimus vsui ille est,quem vocat ab apparenti conueuientia deductus, Dicit igitur accidentia, quæ in corporibus humanis inesse per sensus cognoscuntur, vel sunt similia,ijs quæ sunt in brutorum corporibus,uel referunt eorundem mores,& operationes, uel tertio loco sunt proprietates quædam,quæ causantur in corpore humano à calore, aut frigore, & naturali temperamento, siue præter naturali,& externo; hæc autem acciden- 40
tia,quæ in his apparent,alia quidem parum inter se differunt, ut vix distingui possint, & eodem nomine utuntur,ut pallores qui fiunt à terrore,& à morbo, uel labore, alia uero, & nomine inter se differũt,& multum habent inter se discriminis,ut curuitas & cæcitas, quæ paruam habent differentiam inter se, illa difficile cognoscuntur, ut in pallore, an sit ex timore,an uero ex morbo,sed necesse est ex usu,& consuetudine,quam habes cum eo, quem iudicaturus es,cognoscere,numquid terror,aut morbus illum produxerit colorem, quæ uero passiones,& proprietates inter se multum differunt facile seiunguntur, & facilius earum causæ percipiuntur.

Vtraque

Vtraquè dicitur apparens conuenientia, & ab hac apparenti conuenientia iudicare naturam, & mores hominum eſt quidam phyſiognomizandi modus optimus, & citiſſimus, & qui hoc vtitur multa poteſt facile cognoſcere, & hic modus non ſolum eſt vtilis ad cognoſcendas propenſiones vniuerſales genericas, & communes, quæ ſequuntur cõia ſigna, ſed etiam eas affectiones, quæ ſequuntur priuata ſigna, cuiuſque ſpetiei, neceſſe eſt autem eſſe hanc conuenientiam inter ſignum, & ſignatum, vt vnum quodque ſignans conueniat cum eo quod ſignatur, & ſi commune ſit ſignum etiam commune erit ſignatum, & ſi proprium fuerit ſignatum rationabile etiam eſt proprium eſſe ſignum. *Commẽdatio modi ab apparẽtia deducti.*

EXPOSITIONIS ARISTOLICÆ Breuis iteratio. Cap. XXX.

ITerum itaque à principio aggredientes expoſitionem dicamus, eſſe ſcopum Ariſtotelis oſtendere, quod modus de quo ſupra locutus eſt, & qui dicitur ab apparente conuenientia, ſit omnium optimus, quod facit enumerando alios quoſdam, deinde hunc eligendo, primum autem declaremus quid ſit apparens conuenientia; Illa duo dicuntur apparenter conuenire, quæ vtraque participant aliqua eadem qualitate ſenſibili; apparet enim ſenſui illa conuenire, vt ſi iratus homo dentes oſtenderet, & ringeret, vt canis, dicemus inter iratum hominem, & canem apparere conuenientiam, in hoc quod vtrique ringant, & buccas inflent rati, ſic cum ægrotus, & territus, & amans pallcat, hos interſe apparenter conuenire enuntiamus, quare apparens conuenientia eſt mutuus conſenſus plurium corporum eadem ſenſibili qualitate participantium; hunc igitur modum quem dicimus eſſe ab apparenti conuenientia optimum, & citiſſimum, & factu facillimum, vocat, eſtque talis quædam argumenti ſpecies; cum aſinus ſit indiſcretus, & indolens, & idem habeat maxillas inferiores magnas, & latas, & labia craſſa, & pendula, & in his accidentibus conueniant quidam homines, vt ſenſibus apparet, probabile eſt, eoſdem in indiſcritione, & indolentia etiam conuenire, ſic enim, vt ſignum apparens ad ſignum, ſic etiam interior mos aſini, & propenſio ſe ſe habet ad interiorem hominis propenſionem, ſic igitur (ni fallor) ab apparenti conuenientia iudicari contingit. *Scopus Ariſt.* *Quid ſit apparens cõuenientia.*

Principium autem videtur eſſe, quod natura ſemper eodem modo facit, niſi impediatur, & ſemper idem effectus ab eodem cauſa pendet; quare ſi in aſino, & homine apparet idem accidens, ergo & eadem cauſa, quare & idem principium à quo pendet; proponitque huiuſmodi antecedens per particulam ſubcontinuatiuam, (quoniam autem & c:) vocem, enim, non agnoſco, ſed putarim legendum.

„ *Quoniam autem ea quæ videntur.*

Nam & vox græca γὰρ hoc loco poſita aliquando ſic accipitur eſt ergo ſenſus.

Quoniam accidentia quæ apparent in humano corpore, alia ſunt ſimilia illis, quæ ſunt in corporibus animalium, alia referunt habitus, & mores eorum, Alia vero ſunt quædã proprietates, quæ oriuntur à frigore, & calore, & priorum, quæ ſcilicet referunt membra, vel habitus brutorũ, quædã ita interſe conueniunt, vt vix diſtingui poſſint, quædã vero exactè diſcernuntur, & diſtinguũtur benè, ſequitur, vt hic modus, qui ſit ab apparẽti cõuenientia, ſit optimus inter alios omnes, quare hic præcipuè eſt eligẽdus, & de hoc infra agetur.

Primum igitur noto nexũ hunc eſſe; in ſuperioribus dixerat animum, & corpus conſentire, potentias, & diſpoſitiones, ſiue propenſiones, & mores habere propria corporis inſtrumenta, quæ etiam erant certo modo affecta, quare concluſum, fuerat licere à corpore, *Quo ne ctatur cum ſuperioribus.*

corporisque affectibus ad animam, & animæ potentias, & mores cognoscendos procedere, deinde additum fuerat, duo esse genera accidentium, quædam communia generis, quædam propria speciei, & dictum est qua ratione cognosci possint, & distingui generica à specificis, tertio loco ostensum est, quod animæ animalium habent communes, & proprias potentias, quare, & corpora eorundem, ipsa quoque habent propria, & communia membra, vnde ab vno ad aliud possumus argumentando procedere; nunc quamuis alij sint physiognomizandi modi, hunc tamen tanquam omnium optimum, & maximè in promptu existentem inter omnes probat, & ipso, qua ratione vtamur, docet.

Not. Noto item duo esse genera eorum accidentium, quæ in corporibus animalium reperiuntur, & in quibus illa ipsa conuenire posse dicuntur; hæc sensibilia illa, vero insensibilia, & sensibilium rursus quædam sunt ab anima, quædam à temperatura. Quam distinctionem paucis complectentes dicamus. 01

Quæcunque accidentia sensibilia animato corpori inexistentia quatenus animatum est, affectum eius indicare possunt, ea vel ab anima in corpus, vel à corpore in animam vsque perueniunt, hoc autem necessarium est, quoniam quidquid ineſt animato quatenus animatum est, vel illi ineſt per materiam, vel per formam secundum quod inter se iunguntur, & ex his vnum fit.

Quæ itaq. per animam illi insunt, vel pendent; ab anima secundum quod ipsa est, & vel sunt eiusdē secundæ potentiæ, vel sunt primę, secundas potentias dicimus entelechias, & habitus, vt potentia visiua & auditiua, quæ scilicet, vt supradictum est nullo egent externo auxilio ad hoc, vt operentur siuè sint actiuæ, siue passiuæ, cum autem determinantur ad opus, & exeunt in actum secundum, diuerso modo operantur, pro organorum diuersitate, aut pro electione operantis, aut pro varietate affectus, aut habitus inducti. 02

Quæ verò primæ potentiæ sunt, & habilitates rursus aliæ magis, aliæ minus accedunt ad secundam potentiam, siue entelechiam, quarè, & magis & minus afficiunt corpus, quæ magis accedunt propensiones dicuntur, & modus, quem obseruant cum ad energiam veniunt, mos dicitur, vtcunque autem, vel dicuntur esse generis, vel speciei accidentia, prout à partibus, & potentijs animæ proueniunt, quæ sint vel communes generi animatorum, vel propriæ speciei alicuius quæ vero accidentia ab anima mutata à causa externa in corpus veniunt, ea primum supponunt dispositionem in anima, & enim nisi potuisset affici anima, affecta non fuisset, neque factus fuisset musicus, aut faber Socrates, nisi potuisset fieri, & artem illam discere, mutata igitur dispositione, & animæ particula de prima potentia ad secundam traducta, necesse est, si operatio huius habitus corporeo debet perfici organo, necesse est inquam, quod organum illud aliquo temporis spatio afficiatur, sic qui artem saltatoriam didicerunt, multo aliter incedunt, ac pedes mouent, quam prius facerent, mutatur igitur anima à causa externa, quando de prima potentia ad habitum, siue secundam potentiam traducitur, & tunc perfici secundum illam primam potentiam, & propensionem dicitur, & id facilius fit, aut difficilius secundum quod magis, aut minus à perfectione distat potentia, & mutatio hæc cum facta est, vel dicitur esse ex habitu, & diu durat, vel ex affectu, & breui labitur; habitus autem introducitur in animam, vel electione, vel imprudenter, & insensibiliter assuescendo, nam qui assuescunt ludere, aut furari, aut falsum dicere, & nolētes, & non aduertentes mentiuntur; tot igitur, & tales sunt distinctiones eorum accidentium, quę ab anima originem trahētes, corpus animatum afficiunt, ita, vt per illa mos animæ, siue affectus possit cognosci, vt per signum signatum solet, & modus hic est, quem nobis in sequentibus persecuturus est. Alterum genus horum accidentium à corpore, corporisque principijs oritur, & in animam desinit, eamque mutat, & afficit, vt dictū est, hocque, vel est à temperie, quæ nascitur à ratione mixtionis, quam habent inter se prima elementa hominis, nempè sanguis, 30 40

pitui-

pituita,& vtraque bilis,ſecundum quam mixtionem dicitur eſſe tale corpus,propter eam rationem,quam habuerunt vincentes actiuæ qualitates cum paſſiuis,vel eſt temperies talis à principijs generantibus,vt ſi quis fuerit frigidior,& ſiccior,& ideo triſtior,vel à cauſa externa fit cum vel ætas,vel morbus,vel educatio, vel ſtudia,vel aliquod aliud cauſæ genus mutauerit corpus,corpoream que temperiem ſimul,& propenſiones, atq. habitus,aut mores,quos anima ſiue potentia ſeruare ſolebat in ſuis operationibus,& muneribus exequendis, & hic altereſt modus phyſiognomizandi per temperiem, & naturam corporis quam prius cognoſcimus vel ſecundum totum corpus, vel ſecundum partes principales per propria ſigna,deinde cognita temperie corporis,eadem tanquam cauſa vtimur ad phyſiognomizandum, ac prædicendum quid de moribus, de propenſionibus, & operationibus vnius cuiuſque ſit ſentiendum.

Noto demum,quod eorum accidentium,quæ corpori accidunt, quædam parum adeo inter ſe differunt,vt cum habeant idem nomen,& eadem penitus eſſe videantur ſecundum rem,vix ratione diſtinguuntur, vt duo pallores, quorum alter cauſatur à terrore pellente ſanguinem, & ſpiritus ad interiora, quare exteriora palleſcunt; alter verò cauſatur à multo labore,qui ſpiritus diſſipauerit,& ſubtiliorem ſanguinem reſoluerit,& craſſiorem exuſſerit, vtriſque igitur nomine,& ſubiecto,& apparentia conueniunt,at diſtinguuntur ratione, nã alia eſt prioris,alia poſterioris ratio,qui terrore pallidus eſt,impropriè hoc nomine dicitur nam,vt docebat Ariſtoteles,non videmur per paſſiones dici quales,cito enim abeũte timore,& abibit pallor,at qui propter laborem, vel morbum pallidus eſt diu ſic permanet, neq. facili negotio illum exuit;quædam verò accidentia,quoniam multum inter ſe diſtant,& re,& nomine diſtinguũtur,facillimè diſcernuntur,neque in iudicijs,quæ ex his fiunt facilis contingit error,in illis autem quæ valde ſimilia ſunt accidentia ſæpè,& facilè fallimur,quoniam nimis ſimilia ſunt,vt plerunque vnum pro altero capiamus, credentes pallorem, qui propter timorem in Socrate apparet,illum à labore,aut morbo ortum traxiſſe : Sic quidã Pater cum domi haberet filium, qui ſtudijs legum dabat operam, & ſimul etiam in eadem domo habitaret pulchra quædam puella,amore,& vigilijs adoleſcens pallebat, pater autẽ legum ſtudia culpabat,vt omnino iuberet eum à libris abſtinere,at quoniam propter intermiſſa ſtudia non ceſſauit cauſa palloris,neque ceſſauit effectus, donec vera cauſa cognita prouideretur. *Not.*

Huic deceptioni duo dantur remedia,vnum ex parte rei, alterum ex parte iudicantis; prius remedium quod eſt ex parte rei indicandę,tale eſſe videtur,ait Ariſtoteles,ad hoc ne decipiamur,& vnum pro alio capiamus in iudicando.

Oportet,vt ſimus verſati,& experientiam habeamus formæ,& faciei illius, in qua videmus tale quoddam ſignum apparere,quo vſuri ſumus ad iudicandum,vt ſcilicet cognoſcamus nunquid ſæpè,aut rarò,vel nunquam alias talem habuerit colorem, ſi enim raro ſic ſe habeat,palam quod color ille ab affectu aliquo,vt terrore,aut aliqua ſimili prouenerit cauſa,& hoc eſt,quod ait ex conſuetudine formæ,ſiue faciei,& vultus illius,in quo vides apparere conuenientiam coloris cum ægroto,vel mortuo cognoſces, nunquid prædicere poſſis illum breuiter ægrotaturum, aut præcedenti nocte multum laboraſſe, multumque vigilaſſe,potui,ac veneri, pluſquam oporteret operam dediſſe. *Documẽtum*

Alterum ſupra poſuit,quod eſt ex parte iudicantis, cum dicebat, volentem recte iudicare,neque decipi,illum oportere maximè verſatum,& exercitatum eſſe,atque multa obſeruaſſe genera ſignorum in animalibus, & in quibus cum hominibus conuenirent, & in quibus differrẽt, & quænam eſſent generis,quæ ſpeciei,& quod nam ſignum cuique conueniret mori,& operationi,ne contingat nos fortem aliquando impudentem dicere,aut impudentem tanquam fortem,& probum virum laudare,ſic enim,& qui iudicat ridiculus eſſet, & dedecus atque infamia iniuſtè infligeretur phyſiognomicæ cognitioni. *docum.*

IL-

QVOD MODVS EX apparentia sit optimus. Cap. XXXI.

,, *Est igitur & optimus modus, & citissimus, qui est ab apparente conuenientia, & contingit ita, eo modo vtentem multa dignoscere: & non solum vniuersaliter vtile est, sed ad electionem signorum singularium: electorum enim quodque decere oportet tale, vt quod eligitur vult.* 01

HOc est illud, quod ex prædictis inferri dicebam, & totum quod prædictum est, sibi vendicat locum antecedentis, hoc autem consequentis, & dicit, modus iudicandi de moribus, & operationibus hominum, qui sumitur ex apparenti conuenientia, quam habent inter se humana signa, & cæterorum animalium est optimus, & citissimus. Iam dixi per apparentem conuenientiam intelligi duorum accidentium, quorum vnũ sit in homine iudicãdo, alterum vero in aliquo alio animali nobis noto inter se similitudinem, & concordiam, vt vnum faciat memorare alterum, vt cum video frontem Socratis mihi succurrit porci frons, cui cum sit annexus quidam mos lutulentus, dico etiam ex hoc Socratem esse talem, & modus hic, vt dixi ab apparenti conuenientia accidentium vocatur, quem dicit Aristoteles, optimum, quoniam est satis rationalis, ut supra ostendimus, etenim quale est instrumentum talem esse operationem, & potentiam, & potentiæ affectum, & propensionem iam diximus; amplius quod maximè probabile est, similia instrumenta similes habere potentias, potentiarumque dispositiones moresque, ac demum ipsas operationes, hac igitur ratione modus hic dicitur optimus, si illum conferamus cum his, quorum mentio fuit facta in cap. secundo huius, alij enim ex signis generis tantum physiognomizabant, alij ex generibus solum sumebant signa, alij alia procedebant ratione, quos omnes supra singillatim captos insufficientiæ nomine damnauit. 02 30

,, *Et citissimus.*

Quoniam qui iudicaturus est, non eget longo discursu, non enim admodum à sensibus recedit, quare propter hanc causam citissime absoluit iudiciũ, quod secus accidit, cum syllogismo longius repetito, & rationibus à temperamento deductis argumẽtamur, cum igitur omnis cognitio nostra originem habeat à sensu, illa tunc citius absoluitur, quæ sensibilibus magis propinqua est, & illis annectitur, sic notissimum est oĩbus, quod ignis sit calidus, quod sol luceat, sic etiam quod homo sit artium, ac scientiarum capax, quod iucunda, & utilia affectet, iam enim hæc in promptu sunt; at quod anima sit substantia incorporea, quod sit immobilis per se, quod sit impartibilis, quod moueat, & quomodo hoc faciat laborioſum est, neque adeo expeditum, ut cito percipiatur. 40

,, *Et contingit eo modo vtentem.*

Vt diximus suum hunc modum commendat hac ratione, quoniam modus hic facit multa cognoscere, hoc est qui bene uti vult hoc modo illum oportet multa genera animalium cognouisse, & illorum operationes, & mores, ac modos, quos seruant dum ad operandum veniũt obseruasse, sic enim cognoscet, quæ pars corporis præcipuè laboret, atq; instrumentum

tum ſit cuiuſque operationis, & vt pars illa operãdo afficiatur, & quodnam fiat veſtigium, in parte corporis operante, & poſt operationem quid impreſſum remaneat, cuius impreſſionis deinde cum videmus imaginem, & ſimilitudinem in aliquo homine, illi & ſimilem morem, & operationem, aut ſaltem propenſionem, & diſpoſitionem potentię animi dabimus, eſt enim propenſio, vt dictum eſt, primæ potentiæ qualitas quædam, ſecundum quam facile habitum, & perfectionem, quam nata eſt admittere, ſuſcipit, & hic modus non ſolum valet ad cognoſcendas, & diſtinguendas paſſiones generum, à ſpecierum paſſionibus, & accidentibus, ſed etiam valet ad cognoſcendas ſingulares proprietates ſpecierum, & indiuiduorum, neceſſarium eſt enim qui hoc vtitur modo, illum multa obſeruaſſe, tam in hominibus, quam in brutis, & vidiſſe quænam quaſcunque ſequantur operationes, accidentia, & quo more Perſæ, ac Pœni dent operam iræ, quomodo Germani, & Scythæ, nam his vtriſque quidem eſt vſus iræ, aſt, vt quidam auctor animaduertit, adeo diuerſus, & contrarius vt ſeptentrionales per iocum, & contumeliam ridentes ſæuiant, & vlciſcantur, quibus iraſcuntur, lybes, & Aethiopes, & Mauritani cum quadam triſti ſeueritate, & rabie ſæua dolentes vindictam ſumant de hoſtibus ſuis.

„ *Electorum enim.*

Legerem loco vocis (enim) autem, vt ſit quoddam, quod notat hoc loco Ariſtoteles, cuius eſt talis ſententia; qui hoc modo phyſiognomizandi vtitur, debet animaduertere, quod oportet vnum quodq. electorum, hoc eſt ſignorũ, quod ipſe eligit, tamquam medium ad faciendum iudicium, id

„ *Decere oportet eſſe tale, vt quod eligitur vult,*

Hoc eſt, oportet conuenire, & eſſe ſimile beneque aptari ei, quod eligitur, hoc eſt ei de quo futurum eſt iudicium, hoc enim eſt quod eligitur iudicandum, & quod vult iudicare phyſiognomus, Breuius etiam hæc difficillima ſententia,

Et quo fieri magis poteſt, Ariſtotelicis verbis accomodatius iterum exprimatur.

Modus phyſiognomizandi ab apparenti conuenientia eſt citiſſimus, quoniam vtitur medijs ſenſibilibus, & minimo eget tempore ad diſcurrendum, eſt etiam optimus, quoniã facit cognoſcere, ſiue ſupponit vtentem ipſo, multarũ rerum cognitiones habere, & non ſolum generum, ſed etiam ſpecierum differentias, & proprietates cognoſcere, & aptè inter ſe accõmodare, & determinare, quænam vniuerſaliter omnibus, quæ particulariter cuiq. conueniant; oportet autem in eligendo animaduertat, quod decet, atque opus eſt, vnumquodque ſignorum electorum eſſe tale, quale requirit, & vult natura eius, cuius gratia eligitur, hoc eſt tale eſſe ſignum, quale eſt illud, quod ſignare, & iudicare volumus, niſi enim mediũ cum extremis conſentiat, non erit apparens conuenientia, ac nullo modo dicemur phyſiognomizare per hũc locum propoſitum, quod ſentiebat Ariſtoteles primo poſteriorum ex eadem coordinatione media, & extrema ſumi debemus.

„ *Amplius autem ſecundum electionem ſignorum, & ſyllogiſmo, quo vti opus eſt, vbicunque contingat, adiungentes conuenientibus conuenientia, vt ſi inuerecundus erit & parui loquus, & fur vtique erit & illiberalis, & fur quidem conſequens inuerecundiam, & parui loquium illiberalis. In talibus igitur, quibuſque oportet hoc modo congruentem fieri methodum.*

Hic eſt alter modus phyſiognomizandi, quem Ariſtoteles dixit maximè conuenire philoſopho, qui modus eſt per ſyllogiſmum, & ſanè videtur omnium maximè decens virum doctum, cum igitur modum prædictum valde laudauerit, qui eſt ab apparenti conuenientia, *Modus iudicãdi p ſyllogiſmũ*

tia, quique nititur ijs accidentibus, quæ ab anima in corpus veniunt, in ipsoque apparent, in præsentia quasi rationem habens alterius partis supradictæ distinctionis, quando secantes apparentia signa corporis humani, diximus alia esse ab anima in corpus, alia verò à corpore in animam peruenire; ait alio modo etiam posse nos physiognomizare à corporis, & membrorum temperie, ac dispositione vtentes syllogismo.

„ *Quo maximè est opus vti, vbicunque contingata, &c.*

Vt sit hæc Aristotelis sententia, amplius præter hanc electionem signorum, & postquam signa hæc inueneris, licet etiam syllogismo physiognomizare, quo opus erit, te vti quando se se offeret occasio, & præcipuè cum à corporis temperiè, de sumpta ratione, aliquid de passionibus, & propensionibus animæ dicere volueris. & hoc syllogismo vbique vtendum est, cum id potest fieri, iam enim ratio est syllogismus eorum, quæ dicuntur, dico vbique, idest non solum quando vtimur ijs accidentibus, quæ à corpore in animam vsq. perueniunt, sed etiam cum vtimur illis, quæ ab anima in corpus procedunt, & in omnibus simul iungendo conuenientia conuenientibus signis, vt corporis siccitatem, & caliditatem cum animæ iracundia, oris inuerecundiam, cum furacitate; sic igitur vtimur syllogismo iungentes conuenientia antecedentia, cum consequentibus conuenientibus, & inferentes propositam conclusionem. 01

„ *Vt si inuerecundus.* 02

Qua ratione vti liceat nobis syllogismo ad physiognomizandum ex collectis signis apparentibus, & quomodo simul iungenda sint docet exemplo, quod est huiusmodi si cognoscemus, verbi gratia, Socratem, quod sit inuerecundus, & taciturnus, ex his duobus signis inferemus quod sit fur, & auarus, & id consequemur syllogismo hoc modo, Socrates est inuerecundus, & paruiloquus, omnis inuerecundus, & paruiloquus est fur, & auarus ergo Socrates est fur, & auarus minor ex apparentia; apparet enim esse inuerecundum, & taciturnum; maior autem infertur, ex rationibus, & definitionibus, & ex his quæ consequuntur inuerecundum, & taciturnum, & hoc proprie est vti syllogismo.

Noto autem per inuerecundum propriè nunc significari illum hominem, qui honoris, 30
& existimationis suæ nullam gerit curam, securus siue bene, siue male audiat, qui autem honorem nõ curat, neque virtutem curabit, quare in se ipso bonitatem nullam habebit igitur neque liberalitatem, malus igitur est, atque iniustus, cum aũt taciturnus sit, neque propter reuerentiam hominum taceat (est enim impudens) sed propterea quod secum met cogitat, quid agere velit, male autem cogitet, & quoniam taciturnus sit, ideo etiam frigidus, & siccus, quare timidus, si quidẽ metuit semper ne sibi desint necessaria ad vitam, ideo efficitur auarus, si igitur auarus est, & malus, auarus autem, & malus male etiam rem habere quæret, non autem vi, quoniam timidus est, igitur dolo, at qui dolo alienas res inuertere affectat fur est ergo quicunque est taciturnus, & impudens eundem dices furem, & illiberalem. 40

Mihi autem non videtur, quod taciturnus propriè sit timidus, aut fur, sed per taciturnũ credo intelligere oportere illum hominem, qui distorte loquitur, qui data opera amphibologicè fatur, vt vix vnquam possis intelligere quid ille sibi velit, Itali hos homines loqui aglaamonice dicũt, voce à græca distorta, quæ pulchrum, & præclarum consilium seu vocabulum denotat, possemus nominare, hos loqui idiomate, vafro, & furaci, qui autem tali more loquuntur nescio quid mali semper agitant, necesse est igitur vt limites rectæ rationis excedant, vel secundum irascibilem, vel secundum concupiscibilem; non secundum irascibilem, timidos enim, & honoris curam non gerentes, eos diximus, ergo secũdum concupiscibilem limites rationis excedunt, igitur vel in venereis, vel in cibo potuque vel in

diuitia-

diuitiarum appetitu, vt cætera ſibi commoda,& voluptates comparare poſſint,raro in venereis excedunt,niſi id illis contingat ex habitu,non enim calidi, & humidi ſunt, ſed frigidos ſuppoſuimus, quare in alienis deſiderandis rebus mirifice occupantur, & quomodo id aſſequantur,dum continuo cogitant,efficiuntur ſolitarij,taciturni,impudentes,diſtortè, & occultè loquentes,propriam intentionem,& conceptus nunquam clare exponentes.

Sic igitur licebit etiam ſyllogiſmo phyſiognomizare, & hic vel optimus, vel maximè phyloſophicus eſt modus, videtur autem Ariſtoteli quod furacitas ſit conſequens inuerecundiam,& taciturnitas illiberalitatem, mihi videbatur furacitatem oriri, ex vtriſque paſſionibus ſimul iunctis,nempè taciturnitate, & impudentia; quod ſi hoc eſt verum, fortè ſyllogiſmo ex principijs internis corporis poterit deduci,& ſic habebimus duos modos, alter qui vtetur ſignis inexiſtentibus corpori per animam,& eius potentias,& affectiones,alter,qui obſeruabit ſigna quidem corporea, ſed corpori quatenus eſt mixtum corpus, inexiſtentia, & ita ratione certa temperatum. Hac ergo poſteriore via procedentes ſi quem inuerecundũ deprehendemus,illum dicemus eſſe furem, & ſi paruiloquum eſſe auarum.

Primum igitur per impudentiam,quæ apparens eſt paſſio corporis,(verbi gratia) Socratis inexiſtens temperamentum conijcerem,& ex temperamento furacitatem arguam,hoc modo,Socrates eſt impudens,ergo melancholicus eſt,cum ſubdominio pituitæ,ergo frigidus,& ſiccus primo,& humidus ſecundario,ergo tenax,nec facile alieno termino terminabilis,qui talis eſt alienorum eſt appetens,& tenaciter illa proſequitur,& aſſecutus quod fuerit,tanquam lutoſa,& tenax terra tenebit,& intra ſe occultabit,ſic igitur dicetur furax,hoc enim furis videtur eſſe proprium opus eodem modo ac multo facilius, ſi paruiloquus eſt, hoc eſt pauca ſubmiſſe loquens, ſequetur,quod ſit illiberalis, nam qui pauca loquitur frigidus,& ſiccus eſt, ergo non eſt audax, ſed timet ſibi multum, quare ſe miſerum, & pauperem putat,ſemperque egere profitetur, ſua igitur alijs non communicat, id enim facit,qui abundat,non autem qui egere credit,qui talis eſt,illum dicimus eſſe illiberalem, ergo paruiloquus eſt illiberalis.

Qua rõne p ſyllogiſmũ ꝓce di poſſit

Talis igitur mihi videtur eſſe huius cap. explicata ſententia,breuibus autem colligentes Ariſtotelica documenta dicamus.

PRÆCEPTORVM ARISTOTELIS Compendium. Cap. XXXIII.

Primum ſanè ſupponit Ariſtoteles omnes, quæ tribuuntur operationes animæ illas eſſe compoſiti viuentis,& dicere animam iraſci, furere, aut cupere ſit perinde, ac ſi dixerimus eandem texere,vel filare,ex quo inferet,duos eſſe modos exercendi phyſiognomiam,quorum alter eſt deſumptus ab apparenti conuenientia, hoc eſt innititur illi conuenientiæ, & ſimilitudini quam habebunt interſe duo,quorum tamen vnum altero ſit notius nobis. Alter modus eſt per ſyllogiſmum prior ſemper dicit quod eſt,nunquam autem propter quid; at poſterior qui per ſyllogiſmum,quandoque etiam propter quid affectat,mutuis igitur affectibus ſibi reſpondere ad inuicem animam,& corpus ponit,mutuoque immutari,& alterari docet,& mutuis coniunctionibus ſe mutuo conſequi,quod etiam Scaliger libro de inſomnijs Hippocratem exponens infert, quod corpora ſortita ſunt figuras, & organa conuenientia, & correſpondentia potentijs, & viribus animæ. *Epilogus.*

Vnde tertio principale documentum infert, quod quæcunque animalia habent ſimiles formas, & figuras membrorum,& corporis totius, illa ẽt ſimiles animas,& ſimiles animarum potentias,quare & operationes,quæ ex ſimilibus animabus,& corporibus prouenium ſimiles

similes habebunt; Notat quarto quod harum, quæ in corpore existunt qualitatum, aliæ dicuntur communes, quoniam in pluribus individuis inter se specie differentibus eædem reperiuntur, quibus communibus qualitatibus siuè passionibus respondent etiam communes, & vniuersales quædam animarum propensiones, & potentiæ, vt si lupi, & vrsi habent os latissimum, vtrique etiam propensi sunt ad voracitatem, & communem illorum animæ hanc propensionem habent; aliæ dicuntur esse propriæ vnius speciei, quæ eadem in pluribus quidem individuis, at numero tantum differentibus spectantur, sic cum videbo ego Socratem habere nasum acutissimum, & eundem sciam esse sæuæ, & præcipitis iracundiæ, cũ videro Platonem eodem naso præditum, eadem etiam iracũdia teneri probabile erit; nam similium similes mores, & operationes, dissimilium dissimiles esse probabile videbitur. 01

Post hæc admonet, quod multa est opus experientia, & multa diligentia, vt possimus discernere nunquid hoc signum corporeum hanc, vel illam animæ propensionem indicet; in hoc enim non parua est difficultas, vt etiam ipse met supra docuit, video enim in Socrate signum, nempè capitis altam sublationem, hoc commune est, & impudenti, & forti, dubito nunquid magis propensionem ad impudentiam, an ad fortitudinem significet.

Demum proposita distinctione earum sensibilium passionum, quæ sunt animæ, & corpori communes, quæ animato corpori conueniant, quatenus est animatum ait alias esse ab anima in corpus (nam anima cum sit causa in triplici genere causæ ipsius corporis, necesse est, vt illud ipsum afficiat, ac sibi simile reddat) alias verò esse à corpore in animam, quales sunt illæ, quæ causantur à temperamẽto, & à qualitatibus actiuis, & passiuis, Cum autem 02
inter modos physiognomizandi sint isti duo, alter qui est à similitudine, siue (vt ipse ait) ab apparenti conuenientia, alter autem sit per discursum, nõ neglecto posteriori, priorem nũc eligit, vt potè optimum, & expeditissimum, optimum quidem, quoniam probabile est animæ viribus, similia esse membra, quæ illarum esse debent organa, illarumque operationes exercere, expeditissimus quoniam maximè propinquus est sensibus, quibus innititur, sed necesse est hunc ipsum, qui tali vsurus est modo, valde peritum esse, & expertum, & multas animalium species, eorumque opera diligenter contemplatum fuisse; qua ratione, & quibus membris, & quomodo operentur.

Modus physiognomizãdi p syllogismum.

Posterior verò qui per syllogismum procedit omnium modorum difficillimus quidem 30
est, ast maximè scientificus, & subtilis, nos igitur in præsentia per similitudinem accidentium, quam in membris videbimus, similitudinem membrorum arguemus, similiaq. cum sint organa, etiam similes animæ dicemus potentias, & cum organa, & potentias similia iudicauerimus, similes etiam ab his fieri dicemus operationes, cum autem eo vsque peruenerimus, vtentes deinde syllogismo, quænam aliæ proprietates, & mores sequantur ex his, quæ iam nota sunt, expiscabimur, ita enim comparatum est, vt simul connexa videantur esse animalium opera, sicuti etiam membra, & sicuti in corpore consensus est vnus, & conspiratio vna, ita etiam potentiæ animæ inter se amicè conuenire, & consentire videntur, vt si vna magis ad perfectionem, atque habitum accedat, altera etiam, quæ illi consimilis est, & contermina fiat habilis magis, ad operationem, nam qui auarus efficitur, simul etiam ti- 40
midior fit, & subtristior; hac igitur ratione ex Aristotelis sententia procedendum est, si ex corporeis signis mores hominum cognoscere volemus.

Quo diuersæ corporis affectiones aiæ opa mutent non aũt substantiam.

Quod autem, & quomodo materia, & corporis diuersitas mutet animæ operationes nõ autem eiusdem substantiam, & potentias hoc quod sequitur exemplo puto declarari posse; est ignis in propria spheta, neque lucet, neque vrit, est tamen talis, vt possit vrere, & lucere si fuerit in combustibili, idem ignis si iũgatur combustibili iam efficitur, vt combustibile potentia fiat actu tale, quare ille ignis est actus corporis potentis comburi, & tunc ignis actu comburit, & lucet, quod igitur lignum siue combustibile luceat, & vratur habet ab ignis præsentia in eo corpore suas exercente potentias, quod similiter corpus animatum vsuat,

ac nu-

ac nutriatur, ſentiat, & moueatur, habet ab anima; nec lignum ſine igne comburetur, neque ſplendebit, neque corpus ſine anima vitales exercebit functiones, at pro ratione combuſtibilis diuerſi, ignis modo etiam diuerſo ſplendet, atque vrit, nam aliquando viridem facit flamam, aut cęruleam vt videmus in ſulphure, aliquando eandem ſpectamus nigram, vt in pice, quandoque calidior videtur, quandoque remiſſior, non nunquam magis vrit, aliquando minus, & pro ratione materiæ diuerſa diuerſimodè ſuas exercet operationes; ita pro varia coporis qualitate, & affectione variari functiones animati corporis videmus.

Quod igitur Socrates viuat, quod ſentiat, quod moueatur, quod iudicet, eſt animæ, vt quod combuſtibile ſplendeat, quod vrat eſt ignis; quod autem ſic vrat, ſic ſplendeat, eſt propterea quod tale eſt combuſtibile, & tale lignum, verbi gratia, ſalignum, vel quernum; ſimiliter quòd Socrates ſic moueatur, ſic ſentiat, ſic iudicet eſt cauſa diuerſitas corporis, quo tanquam inſtrumento vtitur ad viuendum, & operandum, hæc igitur corporea diſpoſitio, & affectio illa ipſa eſt, quam cognoſcere poſſumus, & quærimus per indicia corporis, hæc enim tale eſſe corpus, quare, & tali modo ſeruire ſuæ potentiæ, quare, & talem facere operationem decet, vt ſi ſpectauero oculum icterici, dicam omnia, quæ vides, eſſe lutea putas, nam quale eſt inſtrumentum talis eſt modus operationis, ſic vides te in hoc ſpeculo, ſi cognouero ego quale nam ſit ſpeculum, facile quod nam de tua facie ſis facturus iudicium præſentiam, nam ſi diſtortum videam, ſi male elaboratum ſpeculum, iudicauero te pallidam, & diſtortam faciem putare habere, & ita, cum corporis ſic affecta videam membra, quibus vteris ad certas operationes, quid de illa operatione ſentiendum ſit aptè cognoſcam.

Anima igitur animat corpus, & ſecundum illum dicitur eſſe animatum, ſecundum autem quod animatum eſt ab anima tales habet potentias, & tales, ſecundum autem quod ita affectum corpus habet, accidit vt potentiarum quædam magis, quædam minus aptæ ſint ad exercendum ſuum actum, quam aptitudinem propenſionem dicimus, & propenſio hæc eſt à corpore, vt fabri melior, aut peior ſectio à ſerra; quare, & per indicia corporis poteſt cognoſci, determinat igitur corpus quodammodo potentias magis ad hanc, quam ad illam operationem, vt cum videam duos homines quorum alter, ſit ventricoſus, & cruribus craſſis, & breuibus præditus, alter habeat crura longa neruoſa exiliora ſine ventre, & totus agilis, vtrunque dico habere potentiam ad currendum, at priorem eſſe impotentiorem poſteriori, ex his itaque arbitror, iam patere quid ſit mos, & modus, & qua ratione à corpore mutetur, & non mutetur anima, quæ enim eſt corporis huius actus quatenus eius actus eſt, neceſſe eſt, vt ad illius motum, & alterationem mutetur ſecundum eas partes, ſecundum quas eſt vis organica, mutaturque, vt dicitur ſecundum operationem, non autem ſecundum eſſentiam, eadem enim ſemper eſſentia eſt anima, vt præſentia ſolis, & lux, at calor, & operatio variatur ad variationem eius in quo, & per quod agit medium; & pro ratione aeris aliquando turbidus nubiloſus, ſe ipſo vel calidior, & liuidior apparet, potentia igitur eadem eſt, at non eodem modo ſemper operatur, neque eodem modo exercetur; temperies igitur corporis, quæ ſignis; & accidentibus ſenſibilibus à me deprehenditur, ſiue ſit totius corporis, ſiue partium principalium ea eſt, quæ mè docet modum, ac rationem, quam ſeruat, aut ſeruare ſolet vt plurimum, aut ſeruare poſſet, ſi operaretur, & in actum exiret, vt cum videam aliquem craſſo capite præditum, pituitoſoque habitu cerebri, illum dico eſſe obliuioſum, & ſomniculoſum, hoc eſt eſſe talem, qui male vtatur memoratiua potentia, neque ſeruet imagines aſſumptas, neque recipiat, & libenter dormiat.

Quid ſit propenſio.

Quod ergo de moribus animi, hoc est de modis, quibus vtitur, & quos animus seruat ad suas operationes obeundas aliquid rationabiliter possimus asserere, ex his puto esse manifestum, quod fuerat à principio propositum, neque ob hoc tolli liberum arbitrium, aut vim vllam illi afferri, vt infra dicetur.

Ad Galenum autem, & ad eos qui aiunt, in phrenesi, in amore heroico, in delirio, & melancholia, quam hyppochondriacam vocant, curato corpore curari animam, quare simul essentialiter necti vtrumque, ex prædictis iam puto patere, quomodo respondendum sit, quoniam non anima est quæ ægrotat, sed corpus quatenus est organum talis operationis, quare ablato impedimento anima suas operationes, vt prius bene agit.

AN CORPORIS DISPOSITIO Liberum arbitrium impediat. Cap. XXXIV.

Dub. AT iterum videtur dubitandum nunquid si ita res se habuerit, tollatur liberum arbitrium, & quæ ab homine fient ex necessitate materiæ, & organorum existant. Et quod tollatur, & impediatur, confirmari potest, quoniam nemo iustus erit, nemo fortis, nisi qui propensionem, & habilitatem ad iustitiam, & ad fortitudinem habuerit, nemò igitur laudandus, nemò damnandus, quoniam non propria electione boni, vel mali fuere, sed coacti, legislatores igitur iniusti sunt, qui puniunt eos, qui coactè peccant tanquam voluntarie peccantes; Ex aduerso, qui tribuit aliquid inclinationibus, corporeisque organis, & temperaturæ eiusdem, excusationem, & prætextum, atque clypeum iniquissimum malis prætexunt, & præparant, quibus protegantur in sceleribus deprehensi, dicereque possint; ego ita sum inclinatus, ad hoc agendum me trahit natura, quam licet expellam furca, tamen vsque recurrit, ab hac culpa vacuus sum, & immunis, mihi summopere displicet, & huismodi, qualia multa idiotæ homines, & nebulones se ipsos plus nimio amantes suis, vt plurimum, vitijs, & malis actionibus prætexere solent.

Solutio dubitationis. At huic dubitationi iam alias responsum fuit, & nunc etiam ex magis proprijs puto posse responderi, præter quam quod ei, qui dicit se natura cogi ad furandum, ad iniuste operandum, poterit etiam dicere iudex sè ita natura cogi ad suspendio afficiendos fures, ad necandos sicarios, & damnandos exilio iniustos, dico nihilominus temperiem, & membra corporis fortè inclinare, nunquam autem cogere, nisi admodum præter naturam statutum fuerit corporis temperamentum ita, vt vitiatum sit omnino principium.

Cæterum vt hæc omnia intelligi possint, dico, quod eorum, quæ ab homine fiunt, vel homini accidunt, quædam non possunt non esse, & fieri, & hæc dupliciter, vel simpliciter, vel ex suppositione, simpliciter non potest non mori homo particularis, vt Plato, non potest non esse in loco, non potest non esse grauis, & ferri deorsum, nisi quid impediat; ex suppositione dico Platonem non posse non respirare, non posse non comedere, si vult viuere, non posse non sentire si viuat, & sit animal, & de his certa ratio reddi potest, hæc igitur necessaria dicuntur.

Quędã alia sunt nõ necessaria, & ea sunt, quæ eidẽ possunt adesse, & non adesse ab eo non & fieri, hæc vel vt in pluribus, ei accidunt, vel vt in pauciorib. vel ad vtrũ libet; ea accidunt Platoni, ut in plurib. & fiunt, quorum habitũ habet, & paratum organum, ut uidet, audit, loqui-

loqui tur quoniam habet habitum,& organũ audiendi,videndi, & loquendi, atqm̃ loqui, & videre,eſt de genere eorum, quæ non ſemper ſunt in energia, quoniã non ſemper loquitur,non ſemper audit,aut videt,cum habeat organa ad hæc, extantibus organis ijſque ſecundum naturam diſpoſitis,dicam poſſe audire videre,& loqui,& id vt plurimum, facere pro libito;at ijſdem non extantibus,aut male diſpoſitis ita,vt non obediant potentiæ cuius ſunt organa,poſſibile eſt vere dicere, quod Plato non loquatur,vel male loquatur, & audiat, prout male affectum fuerit organum; quæ igitur Platoni ad ſunt vt plurimum, & ſibi certa determinant organa,& oriuntur ab habitibus,& perfectionibus illarum potentiarum quarum ſunt organa, talia ſunt, vt pendeant à voluntate ipſius quidem quoad vſum, & exercitationem, plerunque tamen ſic efficiantur, quoniam tale organum habent.

Aliud genus eſt accidencium,& actionum, quæ ſunt ad vtrum libet,quæque Plato non ſolum poteſt facere,& non facere, ſed nulla cauſa adeſt propter quam magis ſic,quam oppoſito modo operetur, hæ ſunt operationes,quæ pendent ab illis potentijs,quæ ſunt aptitudines tantum,& primæ potentiæ,non autem perfectiones, & habitus, quæ ſanè potentiæ non habent certam, & determinatam partem corporis noſtri cuius præcipui, & proprij ſint actus,vt potentia ſaltandi ad numerum potentia canendi, & ſonandi cytharam, ſed tantum aptitudines, & habilitates quædam animæ; quare neque certum habent organum, natæ tamen ſunt operari ſecundum membrum aliquod cuius primo, & per ſe eſt actus aliqua alia entelechia continens potentia in ſe non nullas alias facultates, vt quatuor,tria &duo,vt vis motiua manuum continet geſticulatoriam,quam exercemus digitis, & cantus potentia, ſi ad actum perueniat, & perfecte per habitum ſuum operetur, vtetur illa manibus,hæc lingua, aſt manus ad cibum parandum primo, & lingua ad guſtandum facta eſt,ſecundario,& ex accidenti hæc membra videntur inſeruire his potentijs;cum igitur nobis notum fuerit, quonam inſtrumento vtantur hæ potentiæ, ſi contingerit illas ad actum perduci, & quale inſtrumentum talis ſit operatio,ex natura, & temperie inſtrumenti,qua ratione futura ſit operatio,& an illa potentia ſit proxima operationi,an remota iudicabimus.

Cum vero hominis anima ſit potentia omnia, & contineat omnes diſpoſitiones, & principia omnium actionum,& operationum, ſi fuerit homo cuius aliquod membrum referat nobis membrum alicuius animalis nati per illud membrum exercere talem determinatam operationem, pendentem à tali habitu animæ illi innato;tunc nos dicimus, quod ille homo habet illam potentiam propinquiorem habitui, & magis ſecundum illam eſt diſpoſitum operari quam ſecundum oppoſitam, vt cum Socratis anima omnes habeat in potentia prima diſpoſitiones, & affectiones quas habent ſingulæ animalium ſpecies ſeparatim captæ, in primo actu;effectum eſt, vt habeat etiam in potentia illam voracitatem quam habet lupus in actu,& enthelechia,quamque lupus exercet lato ore exertis magnis, & firmis dentibus, quæ ſunt propria inſtrumenta, quibus ille ad vorandum vtitur, ſi igitur & os tale,& tales dentes in Socrate videro,dicam illum habere voracitatis potentiam maximè propinquam actui primo, & facile talem potentiam in Socrate ad actum traduci poſſe,non tamen ideo dicam illum eſſe voracem ex habitu, neque non poſſe non voracem fieri,hoc enim falſum eſt, tum quoniam hæc voracitas in Socrate eſt prima potentia, tum quoniam eſt de genere earum operationum, quæ poſſunt fieri, & non fieri à Socrate, & ſicuti in principio facile eſt reſiſtere, quin ad actum deducantur, ita cum tractæ ſunt difficilimè retinentur, nè præſente obiecto, & data occaſione non operentur, & ſic quod à principio fuerat voluntarium, poſtea fit ferè, & quodammodo neceſſarium, poteſt enim Socrates ita vti ſuis dentibus, & ore, & non vti, & poteſt homo mouere pilam, aut rotam à principio, & non mouere, cum autem mouerit primum, non eandem facilitate poteſt retinere eandem, & Socrates cum iam ſæpius lupino more

suis dentibus, & rictu fuerit abusus magna, cum difficultate se cohibere potest.

In his igitur est liberum arbitrium, & sic homo, qui secundum naturam dispositus est, neque corruptus vehementer, circa principia, vt sunt insani, & deliri, vel furiosi, ille inquã ꝓlibito operatur, & suarum operationum est dominus, secundum qđ autem vel magis, vel minus accedit ad præternaturalem dispositionem organorum, sic etiam euenit, vt magis, vel minus videatur sequi rationem, & formam suam, quare, quorum organa penitus corrupta sunt, etiam si maximè velint, minimè tamẽ possunt facere, quin à fine naturali plerunque non aberrent.

Tertium genus operationum, & passionum quæ possunt non esse, & in paucioribus dicuntur, illæ etiam à potentijs primis humanæ animæ pendent, & nullum habent certum 01
corporis membrum, cuius sint actus, & formæ, in his probabilius dicere poteris, non futuras esse operationes, quæ ex illis pendent, quam oppositio modo, vt est in paucioribus accidens hoc, quod homo ceù piscis possit diù sub aqua degere, attamen fieri etiam potest, dico, quod difficile hoc poterit prædici, quoniam inter organa humana nullum est, quod reuera, & propriè ad hoc peragendum sit à natura productum, quod si quis longo exercitio hanc potentiam perfecerit, etiam aliqua ratione affectum apparebit corpus, quod facit talem operationem diù permanendi sub aqua.

Sic igitur nihil necessarij hæc scientia ponit, neque liberum tollit arbitrium, aut consilium, siquidem vnusquisque suarum operationum dominus est, principium enim est in cuiusque potestate, & instrumentum quamuis eiusdẽ qualitas, & dispositio à nobis nõ pen 02
deat, est itaque in nostra potestate videre, & non videre, canere, & non canere, at bene vel male canere, & sic vel oppositio modo, hoc plerunque ad instrumentum referetur, qđ etiam vsu, & exercitatione quatenus est pars animata perfici, vt plurimum solet.

Hactenus igitur quòd liceat ex signis coniectare hominum inclinationes, & mores, & quod inde nulla sit necessitas, & quod non liceat dicere nos non esse dominos actionũ nostrarum, ex his puto manifestum esse.

PASSIONVM, HABITVVMQVE In animalibus distinctio, ex masculini, fœmininiq. generis comparatione. Cap. XXXV. 30

„ *Nunc autem primum tentabo genera animalium distinguere, & quæ ipsorum conuenit permutari, vt sint fortia, & timida, & iusta, & iniusta.* 40

Vsum iudicãdi ab apparẽtia eõueniẽ ti docet

INter oẽs modos physiognomizandi in superiorib. cum laudauit Aristoteles, ac cæteris præposuit, quẽ vocauimus (ex eiusdem instituto) ex conuenienti apparentia, hoc est, cũ viderimus in duobus animalib. siue etiam hominibus apparere idem signum corporeum, si vni ex habentibus tale signum nouerimus inesse talem propensionem, vel morem, etiam & alteri habẽti idem signum, eandem propensionem inexistere iudicabimus.

Verbi gratia, video ego vulpem habere oculos per paruos, & nigros, eandemq. dolosam noui, item video Calliam pariter paruos, & nigros habentem, illum ideo vocabo dolosum, nam cum appareat idem signum in vulpe, & callia, & conuenienter iungatur cum dolositate, & fraudolentia, cum signum idem in corpore Callię intueor, eidem inesse, etiam in ani-

in animo vulpinam fraudem arbitrabor,& cum in apparentibus ſignis conueniant, etiam in non apparentibus conuenire putabo.

Cum inquam modum hunc,vt optimum,& facilem, & paratum ad manus eſſe dixerit, nunc qua ratione ipſo vtendum ſit,declarat, & à prima, & vniuerſaliſſima differentia ſexus,quæ reperitur in omnibus perfectis animalibus exorditur,qualis naturaliter ſit mas,& qualis fœmina,ſecundum corpus exponens,nec non,& ſecundum animam,vt ſi cui indiuiduo maris,vel fœminæ aliqua propria ineſſe videbimus accidentia ſenſibilia,eiuſdem animam tali qualitate affectam eſſe iudicemus, quæ ſolet eſſe priuatum quoddam accidens maſculini, vel fœminini ſexus,& ideo ait. *Intētio.*

10 „ *Nunc primum tentabo diſtinguere genera animalium. Et docebo quænam ſint accidentia,quæ conuenit permutari.*

Hoc eſt, quibus vti poſſumus permutatim ad arguendum.

Quaſi dicat,& docebo quænam ſint illa accidentia, quæ transferri poſſunt ab vna ſpecie ad aliam, ſiue à generibus brutorum ad ſpeciem humanam, vel ab vno indiuiduo ad aliud eiuſdem ſpeciei,vt poſſimus cognoſcere inde qualitates animi, exempli gratia, quænam ſint fortia,quæ timida,quæ iuſta, & quæ iniuſta, Non quod arbitrer iuſtitiæ,aut iniuſtitiæ eſſe capacia bruta, aut illa ſenſum iuſtitiæ habere, ſed ſecundum quandam ſimilitudinem dicimus iuſtiorem eſſe camelum,cane,aut gallo,quoniam ille cum propria ma-
20 tre coire non patitur, quod canis facit, & gallus, hoc ergo eſt, quod nunc ſibi faciendum proponit,Quod vt conſequatur,incipiet diuidere,genera animalium,& conſiderare in vniuerſali quænam certa accidentia corporea comitentur certum ſexum,& quiſnam ſexus habeat certas animi propenſiones, quæ ſi cum ſigno vno iuncta exiſtant, in quo alterum apparebit alterum etiã adeſſe probabile erit; Hoc enim eſt naturæ inſtitutum ſemper eodem modo operari, niſi quid impedierit. *Naturæ opus propriū*

Noto autem Ariſtotelem adduxiſſe duplex genus paſſionum animi, nempè fortitudinem, & timiditatem, iuſtitiam, & iniuſtitiam; quod ideo factum fuiſſe puto, vt indicaret non ſolum de propenſionibus potentiæ ſenſitiuæ, & appetitiuæ aliquid enunciare Phyſiognomum,ſed etiam de propenſionib.potentię rationalis poſſe aliquid afferre.
30 Quamuis non iniuria poſſem aſſerere iuſtitiam non eſſe virtutem intellectus,ſedmoralem. *Notandum.*

At contra omnis virtus eſt cum recta ratione,quare cui adeſt virtus illi adeſt ratio; An certè dicendum eſt? quòd virtus poteſt capi dupliciter vno modo propriè, cum ſignificat habitum in mediocritate conſtitutum per electionem, hæc ſanè in brutis non reperitur, & ſolius eſt hominis; At ſi æquiuoce iuſtitiam, & fortitudinem cæperis, quatenus ſignificant naturales quaſdam inclinationes referentes imaginem harum virtutum, profectò poſſunt, & in brutis, & in pueris reperiri. *Obiectio.*

Sed vtcunque, habet etiam anima rationalis quoſdam habitus, & propenſiones, quæ forſan ſine organis corporeis exerceri non poſſunt; quatenus enim corpus informat ſine
40 corporeis inſtrumentis agere nequit. *Reſp.*

At dices,ſi ex accidentibus corporeis operationes, & propenſiones animæ rationalis poterimus pronunciare, aut etiam quo quo pacto olfacere, ergo anima rationalis erit virtus in materia, & non carebit organo vt Ariſtoteli viſum eſt tertio de anima. *Dub.*

Reſpondeo neminem,quacunque ratione naturali poſſe cognoſcere paſſiones, hoc eſt cogitationes,& conceptus animæ humanæ,ſed bene poſſe cognoſcere paſſiones, hoc eſt, affectiones, & diſpoſitiones inſtrumentorum, quæ deſtinata ſunt ad tales conceptus,& intentiones exequendas, vtrum perturbata ſint bene, vel male diſpoſita ad talem quandam,vel huic oppoſitam operationem perficiendam,vt non noui ego ſanè quid cogitet faber, cum eſt in ſua taberna, at ſi videro eundẽ capiẽtem terebrum, aut maleum nõ dicam *An aiæ rõnalis cõcept⁹ ſciri poſſint, à phyſiognomo.*

illum velle secare lignum, sed terebrare, aut clauum infligere, & si terebellum videro esse corruptum, & mancum, eum vocabo malum terebratorem, & talem operationem non bene facturum; Sic quòd sit ille iustus, hoc est quòd mihi restituturus sit meos, quos inuenit in via nũmos, aut quòd restituere cogitet, nec nè, non potest sciri à me, solus enim Deus est scrutator cordis; at cum ad ipsum accessero, illumque videro trucem, crudelem, iracunda facie præditum, ac totum perturbationibus deditum, quid aliud putare possum, nisi illum à rectæ rationis tramite deflexurum, neque mihi meos nũmos omnino restituturum? si ex altera parte pacatum, ac tranquillum hominem inuenero, probabile est, illum à iustitia non recessurum, sic igitur quamuis intellectus secundum se sit non organica virtus; tamen quoniam ad agendum vtitur organis corporis, & quale est organum plerunque, talis est operatio, contingit ex organorum dispositione, aliquo modo præcognosci posse, quem finem sortiri possit instituta ab intellectu operatio.

Quo operationes mẽtis cognoscãtur.

01

„ *Distinguendum autem animalium genus.*

Prima est vniuersalissima differentia, ac distinctio animalium perfectorum in marem, & fœminam, quæ differentia sexus vocatur, dico igitur, quid sit mas, quid fœmina, & cur animalia perfecta hanc patiantur distinctionem, & quomodo mas, & fœmina sint eiusdem speciei, deinde quę congruant vnicuique sexui, & cur.

Sexum dicunt à verbo Græco, quod ἕξιν, hoc est habitum significat, est enim primus quidam actus siue habitus qui competit animalibus perfectis, quatenus perfecta sunt, vt scilicet distinguantur in marem, & fœminam, masculum vocat Aristoteles animal, quod natum est generare in alio sibi simile in specie, fœmineum quod in se ipso, Videtur autem distingui mas, & fœmina per potentiam, & impotentiam (vt ait Aristoteles) nam mas est, qui habet potentiam concoquendi, constituendi, & secernendi semen, illudque ipsum proijciẽdi in aliud sui generis, vnde sibi simile in specie fieri possit, ex aduerso fœmina impotentiam habet ad semen perfectum generandum, sed bene potentiam ad illud idem recipiendum; quare mas est vnde principium motus, & efficientem refert causam, fœmina vero ex aduerso materiam; Quid mas, & quid fœmina sit ex his iam est manifestum.

02

30

Cur in marem et fœminam distingui species ẋd. Arist.

Cur autem animalia perfecta in marem, & fœminam distincta sint ex Aristotele libro primo de generatione animalium colligi potest, Aristoteles sane ait, quoniam mas est ut mouens, & vnde principium motus, & fœmina est, vt patiens, & materia, quæ duo necessaria sunt in omni transmutatione, sed agens, & patiens sunt re, & ratione distincta ergo mas, & fœmina re, ac ratione distinguuntur, cum tamen sint idem specie secundum totum, at secundum plures partes differunt, sic ait Aristotel. & cum mas, & fœmina simul iunguntur, misceri, & quasi plantas effici, & ab animalis officio, cuius proprium est cognoscere, & sentire (dicit) vtrunque discedere.

Quin etiam forte dicere possemus; in vnoquoque genere rerum, ac demum in omni natura, vt tertio de anima dictum est, in qua reperitur quoddam, quod habet rationem efficientis, in eadem etiam reperietur quoddam aliud, quod materiam referet, in quam illud efficiẽs agit, & operatur; sed genus animalium perfectorum est quoddam ens in quo, si est quoddã, quod rationem efficientis habebit, & quoddam aliud erit, quod materiã referet; at efficiens, & patiens, mouens & motum, ita affectum esse potest, ut uel sit cõfusum simul cum eo, quod patitur, & mouetur, vel ab eo distinctum, & si unum horum modorum dabimus reperiri, necesse est etiam alterũ dari, sed in plantis, & in animalibus Zoophytis, & in insectis quamplurimis, ut in anguillis id efficiens, & patiens confusa sunt, neque diuisi sunt sexus, ergo dabitur etiam, & quoddam aliud uiuentium genus, in quo hæc erunt distincta; & hoc est genus animalium perfectorum, quorum nempe pars agens vocatur masculum ge-

40

nus

nus quod in alio generat', & in aliud agit, & ideo agentis, & efficientis rationem habet, alterum vero pars patiens vocatur fœmininum, quod patitur, & in quo fit generatio; hæc ergo dicta in aliquo quidem genere viuentium confusa sunt mas, & fœmina, in aliquo autem non, confusa sunt in imperfectis, distincta in his quæ perfecta sunt. *animal perfectũ in marem & fœminam distinguit*

Patet igitur, quomodo animalia perfecta sint sexu distincta, & patet quomodo mas sit perfectior, nobiliorque, quam sit fœmina, si quidem ad fœminam se habet, vt efficiens, & mouens ad materiam, & mobile, & ut pars imperans ad parentem.

Sunt autem eiusdem speciei, quoniam quod ex vtroque generatur est idem specie, quod eodem libro sensit etiam Aristoteles, neque enim mas à fœmina secundum essentiã, & formam differt, atque omnia membra sunt similia præter vnicum vterum, penem, & testium situm, & ideo Alexander Aphrodiseus maris & fœminæ differentiam appellauit, esse passionem primam materialem, quę scilicet causatur ab accidentibus materiæ, si enim acciderit illam esse elaboratiorem, & magis de ratione formæ (vt sic loquar) susceptisse, mas erit, sin minus in fœminam degenerabit, qua ratione, & monstrum, & inualidum habere arbitrium deliberandi, aç iudicium dixit primo Politicorum, si hæc igitur vera sunt, iure Aristoteles in marem & fœminam tanquam in primam, & uniuersalissimam affectionem accidentalem distinxit humanam speciem.

,, *Adiungentem id quod congruit vnicuique formæ.*

Hoc est, & cum diuiserimus speciem humanam in partem fœminilem & masculinam, reliquum est, vt enumeremus generaliter, quæ nam dispositiones sequantur masculinam, & quæ fœmininam figuram hoc est, sexus dispositionem & habitum, secundum quem dicere solemus, quosdam habere fœminilem formam, cum tamen sint viri, ex altera parte fœminas quasdam viragines vocamus, quoniã virilem præ se ferunt speciem, cum tamen sint fœminæ, & rationem sui dicti afferens ait. *Quæ sint maris, quæ fœminæ dispositiones.*

,, *Sunt enim similes.*

Hoc puto sibi uelle formas uiriles, & fœmineas in hoc similes esse, ut singulas sequantur propria accidentia, hoc itaque ait, formis masculi & fœminæ addemus sua accidentia, in hoc enim differunt hæ duę formę inter se, ut unaquæque proprias habeat affectiones, & passiones, & similes sunt, quoniam alternatim possunt commutari, ut quædam mascula uideantur habere accidentia figuram, & formam fœmineam, & è contra fœminæ masculinam, masculasque passiones.

,, *Et quas conamur nutrire ferarum.*

Prosequitur hoc loco Aristoteles, quænam sint accidentia, & affectiones quæ sequuntur sexum fœminilem, ut plurimum, hæ autem quas hoc loco recenset sunt numero quinque; comparando igitur genus fœmininum in uniuersali cum genere masculino, ait, fœmina cuiuscunque generis sit, est masculo mansuetior, & animo molliore, & minus crudeli, & fero prædita, & minus robusta, & audax, & facilius parere assuescit, & cicuratur, & minus est iracunda; quas pene affectiones alibi ad uerbum, & præsertim in primo capite libri noni de historia animalium recẽsuit, Expeditis autem omnibus affectionibus fœminilium animorum hic ab Aristotele expressis, quæ nam ex eodem, & ex alijs addi possint breui per curramus. *Qualitates fœminiles*

Mihi sanè uidetur tanquam in his quæ ferè per se notæ sunt, propositionibus Aristotelem procedere à posteriori, uel à signo, ut sit eius ratio talis; animalia fera, quæ nos aliquando nutrimus, & cicuramus, si contingit esse fœminei sexus, facilius mansuescunt, quam masculina eiusdem generis, & minus fera, & crudelia sunt, & (sic interpretor.

Mol-

Fœminæ, viris mitiores. Molliores secundum animã fœminæ sunt, hoc est, habent mitius, & flexibilius ingenium, neque ita truculentum, & ferum vt mares.

Et timidiores. Sunt minus audaces, sed timidiores, & facilius obediunt, & discunt capere cibum, & manus pati, ex quibus sequitur, quod minus etiam sint iracundæ, quam quæ sunt eiusdem quidem generis sed sexus masculini, ex hoc infert à partibus ad totum, ergo genus fœmineum cũ masculo cõparatum tale est quo ad animum, infert autem genus fœmineũ esse minus iracundum, quam masculinum ex præcedentibus conditionibus, nam si genus fœmineum est mollius, & aptius ad mansuescendum, & ad parendum, igitur naturaliter est aptius ad mansuetudinem, minus igitur ad iracundiam propensum, fœminile igitur genus naturaliter minus iracundum videtur, quam masculinum, (dixi naturaliter,) nam si 01
quas reperieris fœminas esse masculis iracundissimis iracundiores, quod aliquando in specie humana contingit, illas omnino præter naturam esse dispositas, & vere monstra truculenta dixeris, discere autem, & disciplinas suscipere, & assuescere ad parendum, est quoddam genus mansuetudinis.

,, *Manifestum autem id ex nobis alicui est, quoniam cum ab ira vincimur, difficillime persuasibiles, & maximè respicimus, ne quicquam vsquã eueniat, ferimur autem ad violentiam inferendam, & patrandum, ad quodcunque ira impulerit.*

Et quod vltimo dixit fœmineum genus esse mansuetum, & ideo minus iracundum masculino, probat exemplo ab ipsis hominibus desumpto, loco ab oppositis, si homines cum 02
irati sunt difficillime possunt persuaderi, & minimum prudentiæ habent, & plurimum audaciæ, nihilque vereantur, sed ferantur violenter ad patrandum quocunque ira suaserit, ergo ex oppositio qui facile persuaderi possunt, neque multum habent audaciæ, & qui timent, neque violenter feruntur ad quodlibet audendum, minus feroces erunt minusque iracundi, sed fœmineum genus tale est, vt scilicet facile mansuescat, minusque sit audax, vt dictum fuit, ergo fœmineum genus minus est iracundum, quam masculinum sibi congeneum, & minus ferox, & audax, vt libro nono capite primo de historia animalium, vbi ait. *Sunt fœminæ moribus mollioribus, mitescunt celerius, manum facilius patiuntur discunt etiam, & imitantur ingeniosius.* Et eodem modo ferè suam positionem probat per 30
genera discurrens, vt hoc loco, vt vere appareat, vel hunc libellum esse Aristotelicum, vel ab illo de historia animalium, & partem hanc, & quæ sequitur fuisse transcriptam.

Cum autem ea quæ in libro de historia animalium clarius, & politius dicantur, puto non inde fuisse transcripta, sed potius ab hoc in librum de historia animalium translata fuisse, quæ hic leguntur, non enim probabile est si quis transcripsisset obscuriorem, & concisum, magis locum redditurum fuisse, quam apud auctorem esset, qui idem ex professo tractaret.

,, *Videntur autem mihi magis malefica fieri fœminea masculis, & proteruiora, petulantioraue, & illiberaliora, & impotentiora.* 40

Totum caput hoc, & præcipue pars superior, & hæc quæ exponenda est, mendis plena est, quod clarè patet, si cum græco comparetur antiquo, & manu scripto codice, In latinis libris vulgatis duas tantum quidam faciunt conditiones, nunc ab Aristotele fœmininо sexui addi, nempè quod sit magis maleficum, & magis proteruum, alij quinque enumerant leguntque fœmineum genus esse iniquius, proteruius, petulantius, illiberalius, impotentius masculino.

Suessanus, & ipse, cui assentit, etiam codex meus græcus, quattuor tantum conditiones agnoscit, quarum vna est, vt fœmineus sexus sit magis maleficus, & ad male agendum, & ad peccandum promptior, quam masculinus, alteram verò conditionem quam interpretes

vertunt

vertunt petulantiam, putarem ego esse temeritatem, vt Aristoteles velit fœminas magis esse temerarias, hoc est magis inconsideratè agere, & sine ratione, & animaduersione, quam facere soliti sint masculi, magis enim temeritas decere videtur fœmineum genus, quam petulantia, si modo verbum hoc significat promptitudinem lædendi alios per contumeliam, vt petulans dicatur, qui proteruo impetu alios petit, & eo magis si nomen petulantiæ, vt videtur Ciceroni, opponitur pudori, qui communiter fœmineo sexui, & præcipuè hominum maximum solet esse, & vnicum ornamentum, tertia, & quarta proprietas est illiberalitas, & impotentia.

Comparatiue igitur de toto fœmineo genere, hæc quattuor prædicata enunciat, nempe sexum fœmineum esse magis maleficum masculo, & magis temerarium, illiberaliorem, & impotentiorem vbi per impotentiam videtur nonnullis, significare timiditatem, quod fœminæ masculis sint minus audaces, & iam supradictum est, fœminas masculis minus fortes esse, quod in idem, vt puto, cadit, verum cum inpotentiores vocat fœminas, crederem, velle illas esse minus tolerantes, minusque patientes, & aptas ad vtranque fortunam ferendam quàm mares Impotens dicitur Dido quæ non potuit per ferre Æneæ discessum, impotenter etiam dicimus Ciceronem tulisse mortem filiæ suæ, & exilium, quoniam animo nimis abiecto, & demisso hæc infortunia exanclauit, quæ impotentiæ sic interpretatæ passio, optimè fœminili generi, & præcipue humani sexus quadrat, hæc igitur, vt arbitor est Aristotelis de fœmineo sexu sententia, & cui attribuit hæc prædicata, quod sit masculino mansuetior, & præditus animo minus fero, & minus audax, facilius cicuretur, obediat, & assuescat obtemperare, & minus sit iracundus, quibus addidit mox etiam alia quattuor, quod nẽpe sit maleficus, & temerarius, & illiberalis, & impotens magis, quã masculinus.

ATTRIBVTORVM CAVSÆ. Cap. XXXVI.

HOrum prædicatorum causam perscrutaturus primum noto, hæc in genere hominum fortè esse vera, ast in omni genere animalium nequaquam, nam primum Aristoteles excipit in libro nono de historia animalium vrsam, & pantheram; alij Tigridem etiã addunt, in viperarum, & aspidum genere fœminas multo fœuiores, aiunt, quam masculos esse, & præsentius habere venenum, & in venationibus exercitatissimi viri dixerunt, leænas ferociissimas, ac maribus ferociores se vidisse, in genere autem auium, & præsertim rapacium, si excellentissimo viro, qui ornithologiam scripsit, fidem adhibebimus fœminas, quidem maiori corpore præditas dicemus, at minus audaces, nisi cũ pullos educunt, aut ouis incubant, tunc enim ex auibus, quam plures, ut gallinæ tum nostrates, tum Indicæ, aquilæ, falcones, bubones, & oti (aues nempe nocturnæ rapaces) mirificè sunt audaces; ex quadrupedibus autem canes, sues, ac forsan etiam quædam alia animalium genere fœmimini sexus propter suos catulos, dum eos lactant omnibus masculis eiusdem speciei sunt audaciora, quòd in domesticis catis uidere licet, quæ cum alias fugiant externorum canum præsentiam, tunc eosdem audacissime adoriuntur. *Aldrouãdus.*

Perpetuam igitur veritatem in omni fœmineo genere habere non puto; at in humana specie sane verificantur, vt enim hominis forma videtur esse potẽtia omne animal, & ideo omnis animalis bonos, & malos habitus apprehendere ac referre potest, cum illorũ, qui in aãlibus sunt habituũ, alij perfectiores, alij imperfectiores sint, tũ perfectiores, tũ imperfectiores homini poterant adesse, & cũ homo diuidatur in virum, & mulierem, & hic ĩñ naturam perfectior sit, illa imperfectior, iure potentias perfectiores viris, imperfectiores

mulie-

mulieribus, aut maiorem illarum partem ceſſiſſe putandum eſt.

At ad propoſitum reuertens iam tandem, cur hæc, & ſimilia in aliquibus mulieribus adſint contemplemur, ſuppona muſque mares, & fœminas; vt videtur Ariſtoteli primo de generatione animalium, quodammodo oppoſitis differentijs, ſiuè, vt aiunt, affectionibus inter ſe diſtingui, vt profectò accidit chirothecis, vel tunicis, quarũ pars vna exterior, q̃ melior, & pulchrior eſt, recta dr, altera vero interior, quæ minus ſpectãda eſt inuerſa à nobis vocatur, hoc eodem modo, cum ſpecies humana totum quoddam ſit, partem vnam, quæ exterior eſt hoc eſt in publicum exit, meliorem habet, alteram peiorem quæ interior eſt, & quæ priuatam domum colere debet, vnde etiam mulieres domi manere, & parta tueri; viri querere, peregrinari, negotiari, nauigare, militare debent. 01

Item, quod Ariſtoteli placuit, etiam virum, & ſexum maſculinum potentia definiri videmus, fœminam vero impotentia, & maſculum habere rationem cauſæ efficientis, fœminam vero materialis, quare, & mares eſſe calidiores, perfectiores, & nobiliores, cum forma, & dans formam, & vnde principium motus ſit præſtantius oppoſito, quare hoc modo, ex eodem Ariſtotele primo politicorum, mas ſecundum naturam eſt melior, & perfectior, quam ſit fœmina ſui generis, ergo hæc parere, mas autem ſecundum naturam debet imperare, quæ omnia ex hoc, videntur principio exoriri quod mas eſt animal, quod in ſua ſpecie generando, rationem obtinet cauſæ efficientis, cuius opus eſt ſecernere ſemen, ſecretumque in aliud immittere, atque formæ principium obtinete, vnde quidam ex recentioribus medicis, ſummus quidem in tota Gallia, dicebat formam, & animam à mare, materiam, & corpus à fœmina fœtui ſuppeditari; ſi hæc igitur ex Ariſtotelis ſententia, vera ſunt, & vt ait Albertus hæc maſculi ratio eſt; neceſſe eſt, ex oppoſito dicamus, fœminam eſſe animal, quod in ſua ſpecie, in operatione generationis vim obtinet cauſæ materialis, eiuſque opus eſt, ſecretum à mare ſemen excipere, & materiam illi miniſtrare, ex his ergo ſic prima paſſio prompte monſtrabitur. *Farnel.* 02

Cur fœmina ſit manſuetior quã maſculus.

Quod ſit manſuetior fœmina quam maſculus, quoniam fœmina materiam refert, aptior igitur ad patiendum, facilius ergo fingi poteſt, & externas recipere impreſſiones, quod huiuſmodi eſt, faciliur cedit, neque perdurat obſtinate, tale autem dicitur eſſe manſuetum, & minimè ferum, ergo fœmineus ſexus virili collatus, eos habebit habitus, qui magis naturam materiæ ſapiunt, cuius proprium eſt omnia ſuſcipere, & fieri, poſſe, & cum ex his ſit manſuetudo, fœminam viro manſuetiorem dicemus. 30

Non tamen putandum eſt hanc manſuetudinem, eam eſſe, de qua tractat Ariſtoteles in ethicis, & quam opponit iracundiæ, ſed per manſuetudinem hoc loco intelligimus promptitudinem quandam ad deponendum priorem opinionem, & nouam aſſumendã, & ad hoc præſertim venire, cum timore, aut alijs affectibus facilè capiatur, quod profecto videtur declarari ab interprete, cum ait, illud ipſum genus fœmineum gerere animas molliores, hoc eſt minus contumaces.

Cur timidior.

Item ex eodem ſequitur ſecundum prædicatum, ſi fœmineus ſexus eſt manſuetior virili, ergo eſt præditus animo minus fero, & minus contumaci, manſueto enim ferum, & contumax videtur opponi; contrariorum vero hæc eſt natura, vt exiſtente vno in ſubiecto alterum neceſſario abſit, neque enim ſimul eſſe poſſunt, quare fœmina manſuetior eſt, minusq; contumax, & minus fera, & minus eſt audax quam mas, quoniam molliorem gerit animũ, facilius igitur percellitur, & mutatur, quoniam non reſiſtit, id autem illi accidit, ſiquidem proprium eſt materiæ facile alienas recipere impreſſiones, eaſque parum reſiſtere, cur igitur non ſit audax, patet. 40

Adde uiro eſſe timidiorem fœminam, qnoniam frigidior ſecundum totum corpus, & mollior, taliſque eſt, quoniam comparata cum mare rationem tenet materiæ, ille cauſæ efficientis, at efficere eſt mouere, quod tribuitur calori, quare mas hac ratione calidior eſt

fœmina,

fœmina, igitur minus audax fœmina eſt, niſi furioſa facta ſit, tunc enim ceu præceps torrens fertur, qui cum ſiluis armenta rapit, &

Sternit, agros, ſternit ſata læta, boumque labores.

At tunc cum in furias mulier ruit, neſcio quo pacto naturam fœminæ exuit, & mare procelloſum, aut ignem maximum ventis agitatum, aut illum ipſum nephandiſſimum cacodemonem refert, vnde Adagium antiquum dicebat, ignem, mulierẽ, & mare eſſe tria maxima mala.

Quartum prædicatum ex ijſdem pendet, nam ſi ingenium fœmininum manſuetius eſt virili, & minus audax, facilius igitur recipit alienas impreſſiones, & minus audet contradicere, quod eſt huiuſmodi facilius cicuratur, & quoniam recipit externas impreſſiones, ideo aſſueſcit parere, quod teſtatur Ariſtoteles in polit. fœminã enim ad parendum natam eſſe arbitratur, minus etiam naturaliter eſt iracunda, quoniã manſuetiorem eſſe diximus; & vulgo etiàm id Adagio receptum eſſe videtur, vt ſi quem cernimus eſſe modeſtum, placidum, & remiſſum, illum hominem ſponſa dicamus eſſe manſuetiorem. *Cur facilius cicuretur*

Eſt deinde fœmina magis malefica, quam vir, hoc enim videtur etiam eſſe materiæ quoddam attributum, nam cùm illi ſemper annexa ſit priuatio, ſicuti etiam fœminæ imperfectio, neceſſe eſt maleficam quãdam propenſionem fœmineo ſexui annexam, puto tamen per maleficum nihil aliud eſſe intelligendum, præter hoc vnum, quod promptiores ſint ad peccandum, & errandum fœminæ viris, errare autem eſt à rectæ rationis via, formulaque, & modo deflectere, quod eſt, malefacere, & ideo maleficum eſſe, cauſam puto quoniam habent arbitrium deliberandi, ac rationem ipſam inualidam, vt Ariſtoteli viſum eſt, quod illis accidit, quoniam imperfectiores ſunt viris, tales autem ſunt, quoniam virilem ſexum diximus habere rationem cauſæ efficientis, fœminã materiæ, & cauſa efficiens habet formã, & actu eſt talis, qualis eſt materia in potentia; quod verò habet actu formam perfectum iam eſt, quod eandem habet potentia, rudimentum quidem quoddam eiuſdem formæ, & inchoationem, aſt perfectionem non habet, vnde, & fœminam eſſe monſtrum, & marem mancum, & (vt nonnulli) occaſionatum, vocant. *Cur ſit magis malefica.*

Dicitur etiam temeraria, & illiberalis fœmina, temeraria quidem qm̃ caſu, & ſine rectæ rationis modulo operatur, imperfectum enim habet rationis vſum, fortuito igitur, & caſu multa agit, hoc autem eſt temerè operari, quare multum apud ipſam fortuna valet, vbi enim parum ingenij, ibi multum eſt fortunæ, & quoniam caſu multas, & ferè omnes ſuas actiones incipiat, & proſequatur, dicimus illam eſſe temerariam, nam temerè agit, ſic autem agit, quoniam ingenium habet inualidum. *Cur ſit temerãtia.*

Illiberalis etiam eſt, quoniam timida, & talis eſt, quoniam non eſt audax, ſed frigida, calore enim caret, in quo diximus operandi principium eſſe repoſitum. *Cur illiberalis.*

Eſt etiam impotens, quod vltimum attributum, dixi, ſignificare inhabilitatem, & imbecillitatem ad tolerandos labores, & ærumnas, & animi moleſtias, quod exemplo Didonis conſtare dixi, Huius cauſam puto, quoniam molliori ſunt animo præditæ, ideo facilius franguntur, nec poſſunt perferre dolores, & animo deſpondent, ac facile deſperant, nam, timidiores ſunt viris vt ſupra declaratum eſt. *Cur impotens.*

Cæterum præter hæc attributa quam plura alia ſunt ex eodem fonte, atque ex ijſdem manantia, primum igitur ſupponendum eſt, quod naturaliter fœmina eſt mare imperfectior, ergo non eſt perfecta, atque talis, qualis ſecundum naturam ſuæ ſpeciei, eſſe deberet, ergo vel excedit, vel deficit, vnde factum eſt, ſi cupiat, magis quam oporteat cupere ſoleat, ſi renuit, uehementius abhorreat, & in omnem partem ſemper ſit nimia, hic enim eſt imperfectionis character, vt à mediocritate recedat, ſi igitur accidit ad ſcientias, aut res bellicas fœminam aliquam propenſionem habere, quoniam fœmina eſt, in mediocritate illius rei ſtare nequit, quare excedit, vnde quę fortes, ac bellaces fuere fœminę plurimis

rimis viris fortiores extiſtere, vt de Pentheſilea, & Camilla, vt de Amazonibus, & quadam virgine Gallica legitur, Similiter ſi in vitia labuntur, nauiter vitioſæ ſunt, & à recto rationis tramite longiſime deuiant, quod de Medea de Clytemneſtra, & Paſiphae, Tarpeia, Citi, & Eriphila Almæonis matre teſtatum reliquerunt ſcriptores; propter hanc cauſam quaſi continuo egeant curatore, viris in cuſtodiam traduntur, vt ipſis ducibus rationi parere diſcant, ſub cuius cura, & regimine cum fuerint, ſi peccauerint in viros culpa, & ignominia cadit, vt pote qui virili officio fungi neſciant, quod eſt imperare mulieri, & illam regere, & ne peccet, ac labatur curare; vanas etiam garrulas, nullius conſilij, iniquas, ingratas, ſuperbas, importunas, amoris expertes, ad odium paratiſſimas, obſtinatas, viles, infideles, obliuioſas, guloſas, procaces, ſordidas, omni luxuriæ labe inquinatas quidam poeta italus vocat, hiſque alia ſexcenta ſcelera adiungit, Euripides etiam nullum animal muliere immanius dicit, quod videtur etiam Virgilio, cũ ait---*Notumque furens quid fœmina poſſit.*

Quod tamen in paucis verificatur, nam quamplurimæ ſunt optimæ; Cauſam puto eſſe, quoniam præter mediocritatem eſt, cum habeat rationem inualidam, & formam viris imperfectiorem, materiamque referat, hæc ſimilis eſt elementis terræ, & aquæ, Hæ cum conceperint malignam qualitatem impenſe illam retinent, difficillimeque deponunt, quare fœmina cum nulla rationis coerceatur lege, nulloque teneatur vinculo, pudoremque, & timorem exuerit, neceſſe eſt vehementiſſime agitari, & ita furere.

Mulier blande loquẽs, male cogitat.

Euripides, quamuis naturaliter male de mulieribus ſentiret, attamen non ſine aliqua ratione videtur dicere, quod mulier blande loquens male cogitat, ſi enim quæ non alias blande ſolet loqui, te inſperato blande alloquatur, probabile eſt, aliquid ex te velle, quod prius non quærebat, vt enim ſuſpecta eſt inopinata lætitia, & riſus ſine cauſa in acutis morbis, ita etiam nihil fidendum eſt inſolitis mulierum blanditijs, & eo magis ſi ſe credant à te amari, & prius duritiem, & grauitatem præ ſe tulerint.

Mulieres in calamitatibus impedimẽtum afferũt.

Impedimentum autem in calamitatibus viris ſemper inferre, ait Sophocles, nam cum timidæ ſint, & impotentes, non ſecus atque cupiditas mẽtem, ita mulier virum virique deliberationes honeſtas impedit, quod clariſſimè monſtrat exemplum leonis Armenij Imperatoris Coſtantinopolitani, qui cum Michaelem Balbum reũ Maieſtatis, & iam conuictũ vltimo ſupplicio deſtinaſſet, ſuperueniens vxor precibus, & prætextu religionis illius mortem diferri in diem ſequentem obtinuit, cui Imperator reſpondit: Mulier factum ſit quod petis, mox quid nobis noſtræq; proli hiſce tuis debacchationibus produxeris, clarè videbis, eadem noctè vinculis ſolutus Balbus Leonem Imperatorem, & eius filios occidit, ac Imperium ſibi aſciuit: Sed hæc puto laſciuorum maligna dicteria.

Cur adeo mulieres ament.

Nam vnde fit ſi tot tantarumque calamitatum cauſa ſit viris mulier, totque vitijs, & imperfectionibus plena, vnde inquam fit, quod adeo amatur, etenim ſolent commoda tantum amari, at mulieres, neque vtiles ſunt, neq; cõmodæ: ex horũ ſententia, vnde igitur tantus in illas amor? non quidẽ caſu contingit eas amari, qm̃ id fit, vt plurimũ, ſed neq; electione, nam non poſſunt non amare plerunq. qui amant, etiam ſi, vt ait Anacreon, ſetiant amare malum, inuictiq. amẽt, vt Catullus in epigram. ad ſe ipſum, ait ſe cogi amare, & ſimul odiſſe, quod ſignificauit Homerus, qui amorem, & venerem dulci amarum vocauit, etenim amaritiem ratio percipit, dulcedinem ſenſus. Quare neceſſe eſt ſit natura, quę ad hoc impellat homines.

An dicemus vt Plato, fœminam eſſe alteram partem noſtri quamuis imperfectiorem, nã vterque noſtrum dimidiatum eſt ſuæ ſpeciei animal, naturale autem eſt, vt quiſque ſe ipſũ amet, ex vtriſque iunctis fit perfectum quoddam, quòd tunc aptum eſt generare; poſſe autem generare ſibi ſimile perfectionis, præcipuum eſt ſignum non ſit autem generatio; niſi duo ſint ſimul pars. ſ. imperans, & parens, nam & videmus plantarum ſemina ferè omnia ſic eſſe in duas partes diſtincta, & in quoddam communi conuenire, ex quo germen oritur;

oritur; si igitur propria perfectio est maximè desiderabilis, & iucunda, perfectio autem ad est cum generare possumus, & id possumus propriè, cum fœminis iungimur, illis igitur iungi est magnopere desiderabile, & iucundũ, sed si desideratur congressus, necesse est etiam illas desiderare, quare, & cupere illis bene esse, vt commode cum eisdem cõgredi possimus, cupimus etiam quod sint pulchræ, & sanæ, & lætæ non secundum se, aut propter illarum bonum, sed propter nos met ipsos. Et quoniam naturalissimum est generare sibi simile, ideo etiam iucundissimum est, omnis enim operatio naturalis, cum sit sine impedimento iucunda est, & iucunditatem, ac voluptatem omne animal quatenus est animal appetit, generare igitur appetit, aut saltem illud ipsum opus facere, quod cum generatione iunctum est, ad quod sequitur voluptas, quam ideo iunxit, cum illa operatione natura, vt eadem allecti homines ad generationem accederent, quam ni fallor nusquam alias aggrederentur, ita enim hæc operatio secundum se homini, quatenus homo est, repugnare quodammodo videtur, vnam igitur voluptatem, quam sibi homines multo maiorem, nescio quo pacto promittunt, quam re vera sit, & experientia ostendat, causam esse puto, secundum quam contingit homines amare mulieres, & illas sequi, ad hoc autem natura instigantur, quoniam naturalissimũ est appetere esse, quod cum mortalia assequi nequeant secundum numerum, saltem secundum speciem esse per generationem quærunt.

At quod viri magis ament, & vehementius concubitum appetant, quam fœminæ primum quidem, an sit verum nec ne ego valde dubito, etenim vt ait Lucretius.

Nec mulier ficto semper suspirat amore
Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit

An fœminæas magis ament viri.

Arbitror tamen minus amorem detegere quam vir, quoniam maiori vinculo tenetur, religionis, timoris, & pudoris maiorque adhibetur diligentia ne peccet fœmina, quam vir; at si quid est, quòd persuadere possit, mares concubitum promptius, quam fœminas appetere, crederem esse naturam, & voluptatem, naturaliter est mas perfectior fœmina, & naturalissimum est generare sibi simile, merito igitur mas cupidior est concubitus venerei, atq; generationis, quam fœmina, voluptatem pariter, nam vt ego arbitror maior, saltem intensiue est viri voluptas, quam fœminæ, illa tamen extensiuè fortè magis delectatur, sic & intensiorem puto esse patrum amorem, quam matrum, quæ cum transeunt ad secundas nuptias facili negotio, & nomen, & maternum animum exuunt.

Sed & certior, ac verior ratio est, quoniam masculus calidior est, quare, & calidius semẽ habet, actiuum igitur magis; magis igitur vellicat partes eas per quas transit, & cum sit spirituosus, & magis agat, probabile etiam est maiorem titillationem parere, cum transit per proprium corpus quam per extraneum, quæ sanè ratio de fœmineo semine, frigidiori, & imperfectiori dici non potest, neque per locos fœminarum penetrans semen masculinum illos ita potest afficere, vt proprios, per quos ferri contingit.

Ast huius rei, an scilicet mulieris voluptas maior vel minor sit quam viri, iudicio Tyresiæ rem remittemus, id tantum addam si contigerit fœminam esse calidioris temperamenti, nec solitam frequenter, cum viris rem habere, aut vehementer virum amare, cum quo concumbit, vehementissima adeo voluptate perfunditur, vt quandoque clamet virum moriatur, oculos contorqueat, suspiret, animo pene linquatur, & apud se præuoluptate non sit, & tota conuelli videatur, sin minus vix mouetur, aut vix monstrat se voluptatem vllam sentire; sic igitur de his dictum sit.

PROBANTVR PROPOSITA

De sexu fœmineo. Cap. XXXVII.

„ *Fœminæ igitur, & quæ apud nos nutriuntur, valde manifesta sunt: quæ verò sunt apud syluam, omnes confitentur, & pastores, & venatores, quòd talia sunt qualia sini dicta.* 13

SPeculatione particularium in diuersis generibus animalium tum domesticis, tum feris qualem esse diximus fœmineum sexum monet; si quidē, quæ fœminei sexus apud nos nutriuntur, vt canes, equi, boues, capræ, tales esse vidētur, & tales esse discimus à pastorum relatione, ferarum etiam quam plurimas, quæ sunt fœminei generis talibus præditas esse moribus referunt venatores; quare omnino tales esse credendū est, videtur autem iu totum quod nūc affirmatur, illi innixum esse principio, quod est in primo ethicorū; vnum quemq. recte iudicare de his rebus in quibus eruditus est, & versatus, quod conuenit, cum eo quod dicitur, standū est peritis in arte, tres autem hominum videtur recensere species, nempè ciuiles, pastores; & venatores, qui ciuiles sunt sciunt rationem reddere fœminarum humanæ speciei canum quorundam, & equorum, pastores vero armentorum, & animalium, quę propriè vocantur domestica, at venatores, cum in siluis exercitati sint, probabile est, multo magis cognoscere feras bestias, quam nos qui in vrbibus, & in vmbra viuimus; At possum ego testari à venatoribus me audiuisse multo difficilius capi vulpem fœminam, & in casses peruenire quam masculum; quod fortè contingit quoniam fraudolentius est fœmineum genus, & timidius quam masculinum. 02

„ *At vero, & hoc manifestum est, quòd singula in vno quoque genere fœmina mare minoris capitis, & angustioris faciei, & gracilioris colli sit, & pectora imbecilliora habent, & minorum costarum sunt.* 30

Ingenium fœmineum, & qualisnam sit fœminilis sexus quo ad animam docuit, nunc quale sit secundum corpus, & eiusdem sexus corpoream, & sensibilem figuram, & qualitates docet, vt possimus cognoscere, quod cui inerunt hæc fœminea signa, vel membra fœmineo more dispositā, probabile sit in eodem etiā fœmineos mores supradictos, vel eorum partem ad esse Primū igitur quas partes fœminæ tribuat Aristoteles explicabo, deinde fœminam delineare tentabo, & præsertim referens, quæ tum secūdum corpus, tum secundum animam illi inest, sic enim facilius ex organorum fœmineorum cognitione, quales sint operationes, & ingenia fœminarum percipere poterimus, igitur ponit quod sexus fœmineus in vno, quoque animalium genere, cum suo masculo comparatus, semper minus habet caput. 40

Quale sit fœmineū corpus.

Dubit.

At primum ego dubito, an id sit certæ veritatis, mihi enim videtur, quod si caput leænæ sit minus mare leone, debeat etiam esse audacior multo leæna quam leo, minus enim refrigeratur cor, & nos videmus in genere hominum, quod qui minus habent caput inter cæteros sunt furiosi.

An certè dicendum est, qđ minus caput, & præcipuè in specie humana pōt capi dupliciter, si .n. comparaueris illud cum lato pectore, in quo est multū caloris, cui inerit minus caput, illi inerit maior audacia, & furor, at si capitis paruitas cum pectoris cōparetur angustia nequaquam audaciā ostēdit, sed bene cerebri paucitatem, similiter igitur fœmineum caput.

vel

vel cum capite virili comparatur ſimpliciter, & ſic dico illud ipſum eſſe minus ſemper viro, vel comparatur cum capite aliarum fœminarum, & inter fœminas, quæ habent minus caput, illæ cæteris ſunt peiores, audaciores, magis vanę, & maleficæ, dico igitur fœmineum ſexum habere minorem capitis quantitatem, quam habeat ſexus maſculinus eiuſdem ſpeciei, ſi non ſemper, ſaltem vt plurimum, quod videtur in vaccis, in equabus, in ouibus, & capris, cauſam puto quoniam vbi calor naturalis, & virtus formatiua eſt debilior ibi fit minor dilatatio, & ampliatio, ſed in fœminis quatenus fœminæ ſunt naturalis calor, & virtus formatiua eſt debilior, quam in viris, ergo contingit fœminas minori capitis amplitudine præditas eſſe, quam ſint eiuſdem ſpeciei mares, habet etiam fœmineus ſexus faciem, anguſtiorem, cõtractiorem, & rotundiorem, eſt anguſtior facies, quam ſit maſculi, quoniam etiam caput eſt minus, in minori autem capite probabile eſt, minorem etiam faciem reperiri, & contractior facies eſt, quoniam anguſtior, & oſſa minora, quoniam à multo calore diſtenta non fuere, & humor magis, quam ſiccitas in principio generante abundabat, vt difficile potuerit cogi, ſiccari, & terminari, Rotundiorem autem puto eſſe faciem muliebrem in ſuo genere, aut etiam fœmineam ſimpliciter, quoniam caloris debilitas id producit, cum enim validus eſt, recta ſurſum verſus moueatur, & mouet, quod cum facere nequiuerit, & impediatur, reuertitur, & in orbem mutatur, faciem ad rotunditatem accedentem producit, & collum gracilius fœminis tribuit, quam maribus, quod in iuuencis, & in equis clare patet, tauri enim multo craſſius collum habent, non ſolum quam vaccæ, ſed etiam quam boues exſecti, & iure ſi enim craſſum, & amplum collum robur uirium deſignat, cui uires imbelles ſunt, quales ſunt fœminæ iure collum non craſſum, ſed gracile habebunt, ſed eadem vis formatiua, quæ caput paruum fecit, collum etiam gracile facere debuit, nam ſi collum fuiſſet craſſum, non pp carnem, ſed propter oſſa, & vertebras, ergo, & principium vertebrarum craſſum, & magnum fuiſſet, at hoc eſt os caluariæ, quod ſi magnum fuiſſet, neceſſario, & caput magnum etiam ſequebatur, quod tamen paruum eſſe ſupponimus, ſi igitur caput eſt paruum, neceſſe eſt etiam collum eſſe gracile, quare & vertebrę paruę, ergo & ſpinalis medullæ materia pauca, quare, & nerui ſubtiles, debiles igitur, qm̃ paruo in corpore paruam etiam eſſe virtutem motricem probabile eſt, ſic ergo cum oſſa ſint parua, & calor naturalis imbellis, neque nerui ficci, & valentes, ſequitur, vt corpus fœminile ſit imbecilius viri, hoc eſt carnoſius quidem, ſed minus valens ad motum, & ad labores.

Fœmina habẽtes paruũ caput, cæteris ſunt peiores.

Et minores etiam coſtæ ſint propter eandem cauſam quoniam capitis caluaria minor, & ſubtilior eſt in fœminis, ita igitur efficitur, quoniam omnia orta naturam ſuorum teſtantur principiorum, ſic itaque cum caput aliorum oſſium neruorumque, & motus localis ſit principium, quale caput eſt, talia eſſe in cæteris membris oſſa, & taliem eſſe virtutem motricem probabile eſt.

,, *Coxendices autem, & coxas magis carnoſas maribus.*

Sic legit textus meus, alius autem habet, fœminam habere latera viro minora, & femora carnoſiora; Porta legit partes circa ilia magis planas, non protuberantes, nec cauas, at mihi dubium eſt quomodo fœmina latera minora viro poſſit habere, cum experientia cõſtet, atq. id anatomes doceat, oſſa ilium fœminea eſſe magis ſparſa, & latiora virorum, qđ accidit pp fœtus comoditatem, & videmus macriores fœminas carnoſis viris partes has habere latiores; quare à tex. græco antiquo non diſcederẽ, qui legit fœminas habere eas partes, quas græci vocant iſchias, viris carnoſiores, per iſchias aut ex Polluce, intelligerem partes carnoſas, quę exutroque ſacri oſſis latere poſitæ, eam partem videntur formare, quã clunes, vt arbitror, vocant, quas à Græcis ſic appellari putat Scriptor theſauri græci, quod ſedentes ſuſtineant, ſic Ariſtoteles in hac ſignificatione concepto vocabulo, quarto de hiſtoria animalium, iſchias, hoc eſt clunes habet, & idem auctor libro ſecũdo Simiam clunib. &

ischijs carere dicit, quare si ita legemus, nullus remanebit scrupulus, fœminam habere partem illam, quæ ex clunibus, & ossibus coxendicum, & osse sacro componitur, carnosiorem, & ampliorem quam viri habeant, non quidem quod os sit maius, vel robustius, sed magis sparsum, & ampliori carne vestitum.

Causa in promptu est, nam fœminam diximus esse humidiorem, & molliorem, ergo & carnosiorem, amplius ab opposito, si enim marium, & virorum fortium clunes sunt verè osseæ, & duræ quod de Hercule traditur, rationabiliter fœminæ, quæ, vt dictum est, viris ferè sunt oppositomodo dispositæ, habebunt & minora ossa, & molliores, & carnosiores clunes; inguina, & partes circum positas, & causa est, quoniam si vlla in parte abundat materia, & calor in muliere, in illa præcipuè abundat, in qua debet formari fœtus, & vbi est multus calor, & humor, ibi fit etiam multa dilatatio, & carnis appositio, ergo iure circa pubem, & clunes, vt plurimum mulieres sunt viris multo carnosiores. 10

„ *Et femora etiam carnosiora.*

Per femur intelligo totum illud membrum, quod ab inguine incipiens, vsque ad genu producitur, quod membrum in fœminis plurima carne vestitum est, ita enim futurum erat commodius ijs, quę vitam sedendo in ocio vt plurimum consumere debebant.

Causa vero propter quam, tanta sit carnis copia in muliebri coxa, eadem est, iam enim diximus partes has, quæ circa loca generationis reperiuntur, esse calidiores, & humidiores in fœminis, quam in maribus, ideo etiam ampliores apparere, quod infra quoq; testabitur, cum virorum coxendices, & femora, minus carnosa esse dicet, id autem videtur consonum ei, quod dicebat aliquando quidam magnus anatomus; partes viriles superiores maiores, fœmineas inferiores crassiores esse, non quidem quod pedes fœminarum sint maiores, sed id sibi volebat, partes superiores hominis ab vmbilico in viris esse torosiores quam in fœminis, & è conuerso ab vmbilico ad pedes vsque multo maiorem carnis portionem esse in muliere, quam in viro. 02

„ *Genua autem flexibilia, & crura gracilia habent.*

Hæc etiam pars varie exponitur, clarum est, id vna voce à græcis explicari *γονόκροτα*, & hac eadem voce ad eandem sententiam exponendam vsus est Aristoteles quarto de historia animalium, quam ita Theodorus vertit, *Fœmina, quam maris genua sunt planiora*; at hæc vox apud Anacreontem, teste Hesichio, menticulosum significat, quod etiam latini animaduerterunt cum timentibus genua labare dicunt. sic Virgilius. 30

Genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis, & alibi.

— Sed tarda trementi Genua labant.

Videtur igitur hæc genuum positio timiditatem innatam, quæ propria est fœminarum, ostendere, quare sic explicarem, fœminas habere genua planiora, & molliora, ita vt signum ossis eius, quod patellam vocant, Anatomi, nullum appareat, quod euenit quando ligamẽtum, & dearticulatio illa est, multa carne referta, non potest autem id fieri nisi etiam mollior sit, quare & laxior; sic igitur puto fœminas dici habere genua planiora, hoc est ita multa carne referta, vt patellæ nullum appareat uestigium extra, quod ideo contingit, quoniã carnosior pars existit, eadem de causa est illa dearticulatio laxior, quare & minus firma, quam in uiris, & cum talis sit, inde factum est, vt in timore facile labascere sentiantur, neq. consistãt, & ideo etiam diximus esse flexibiliora fœminarum genua, quoniam facilius mouentur, quam in uiris propter illarum laxiorem dearticulationem, unde factum est forsan quod nostrates rusticæ commodissime sedeant supra suas calces, & pedum partem posteriorem genuflexæ, quod difficile potest à uiris fieri, propterea quod eorum rubustior, & siccior genuum dearticulatio id uetat. 40

Et

,, *Et crura gracilia habent.*

Hoc etiam est fœminarum attributum, vt earum crura sint viris multo graciliora, & tenuiora, loquor autem præcipuè de osse, nam os suræ muliebre multò gracilius, & tenuius est, quam virile, sed si volumus etiam carne vestitum intelligere, suram profecto eandem minorem, & subtiliorem virilibus suris videbimus, attamen vt dixi, placeret fœminilia crura quo ad ossa scilicet vtraque (nempè tibiam, & suram) ita esse disposita, vt horum ossium vtrunque, & ambo etiam simul iuncta minoris molis sint omnino, quam sint ossa virorum, & causa est quoniam si à caluaria omnia pendent ossa, vt à corde omnes arteriæ, debilius cor, & frigidius minores habet arterias, ita & caluaria debilior, debiliora etiam, & minora, & subtiliora faciet ossa; at talem esse fœminilem caluariam diximus; iure igitur, & ossa tibię, & surę minora, & debiliora erunt, q̃ in viris naturaliter existant, qd̃ fuerat ꝓbandum.

,, *Pedes vero pulchriores, & formam totius corporis molliorem, quàm fortiorem. Minus neruosa autem sunt, & molliora prædita humidioribus carnibus.*

Atq; re vera vox græca καυλοτέρους nõ pulchriores, sed magis scitos, & rotũdiores significat; &, vt mihi videtur, sic est legendum; Non enim pulchri possunt esse pedes fœminiles, cum parui sint, ecqua enim pulchritudo esse potest in corpore, aut membro paruo? vel id testante Aristotele, qui formosum quidem esse posse ait, paruum, pulchrum nequaquam; est autem pulchrum membrum illud, quod maximè dispositum est secundum suam ipsius naturam, & quod rectam sui ipsius consecutum est rationem, & formam, quare non solum substantiam, sed quantitatem, & qualitatem exactè naturalem sortitum esse necesse est, aliter pulchrum non dicetur, sciri igitur, & quodammodo affabre facti, & visu iucundiores fortè erunt pedes fœminei, quam viriles, quoniam, si secundum fœminilem naturam fuerint compositi, ipsi erunt virilib. candidiores, & teneriores, & q̃ molliciei superiorum partium sint indices; at quod iure rotundiores legere debeamus, illud vulgatum persuadet, fœminilem pedem formosum, ac spectandum esse, si paruus candidus, sit & rotundus.

Hoc ergo prædicatum est nunc monstrandum fœminarum pedes sunt virilibus minores, & rotundiores, confirmatur esse minores, quoniam robusti viri, & audacis sunt majores, quare si fœmina, & vir oppositas habent rationes, oppositas etiam habebunt passiones, & quoniam viri fortis magnæ sunt extremitates, siquidem calidior est, ergo imbellis fœminæ extremitates paruæ erunt, quoniam frigidior est, oppositas enim qualitates ab oppositis causis oriri probabile est, sic igitur fœminarum cuiusuis generis, & præcipuè mulierum pedes sunt breuiores, rotundiores, quam virorum.

,, *Et formam totius corporis molliorem, quam robustiorem.*

Per formam non intelligo rationem substantialem, vt mentem, & intellectum, sed formam voco externam illam qualitatem sensibus perceptibilem, quam dico molliorem, hoc est, quæ tactui parum resistat, non sit dura, sed lævis, mollis, delicata, & sensui iucunda magis, quam sit virilis, quæ nescio quid asperi, & duri in se continet, vt tactui videatur ingrata, est igitur hæc ostendenda positio.

Fœmineum corpus est mollius multo, quam robustius, probatur, quoniam corpus fœmineum est prædit um carnib. humidioribus, & eiusdem totus habitus humidior est quam virilis, cuius indicium est menstrua purgatio, quæ sanguis purus est in bene valentibus, & sola quantitate peccans. At corpus humidioribus carnibus præditum est minus robustum, (nam robur in sicco positum est,) & magis molle quam illud, quod sicciores habet carnes, ergo fœmineum corpus multo est mollius, quam virile mollicies igitur in fœminis vincit robur, & quo molliores sunt, eò minus roboris illis inexistit.

Not. Noto autem quamuis humidiores sint fœminarum carnes, quam virorum, & ideo molliores, non tamen ob hoc sequitur quod sint aptiores mente, quinimo tanta mollities obtusiorem illis facit intellectus operationem, nam duplex est mollities, altera quæ arguit aquæ prædominium, & ab humido aqueo causatur, & pituitoso, & hæc in fœminea carne reperitur, vnde factum est vt pituitosiorem habeant sanguinem, & vrinam, etiam subalbiorem, altera est, quæ ab humido aereo causatur, quæ in viris mollibus reperitur, & hæc quoniam multitudinem arguit spirituum, ideo cui adest illum dicimus mente plurimum valere, sed hæc dubitatio alibi diligenter excussa fuit.

MASCVLINI CORPORIS PASSIONES. (1)
Cap. XXXVIII.

,, Masculina autem his omnibus contraria habentia, eo quòd natura sunt fortiore, & iustiore genere, fœmina autem est timidior, & iniustior natura.

HAbitui fœminino ex aduerso opponit masculinum Aristoteles, & ait, quod masculinus sexus sortitus est corporeas dispositiones, & propensiones animi prædictis cõtrarias, vt scilicet masculum corpus habeat carnem duriorem, membra maiora robustiora, 02
& animum iracundiorem, audaciorem ad liberalitatem, & magnanimitatem magis paratum, & causam afferens ait, quoniam masculinus sexus, secundum genus, hoc est in vniuersali, quo ad corpus est robustior, & fortior, & secundum animam etiam iustior, quam sit sexus fœmineus, qui imbecillior est, & timidior, & iniustior, quam sit masculinus, primum itaque quod sexus masculinus sit robustior iam supra declaratum est, quoniam duriorem habet carnem, id autem accidit quoniam calidioris, & siccioris est temperamenti, quam sit fœminilis; eadem etiam ferè de causa est audacior, nam si calidioris est tẽperamenti, prom ptior igitur est, quare & audacior; iustiorem etiam esse ostendemus, si primum quid sit iustitia, & de quanam iustitiæ specie, siue quid per iustitiam nunc intelligat Aristoteles 30
dixerimus,

Iustitiã uocat Aristoteles habitũ, quo homines apti sunt ad res iustas agẽdas, easdemque uolunt, & agunt, & per iniustitiam intelligit habitum oppositũ, quo homines, & agũt, & uolunt iniusta, iniuriasque alijs inferunt, est autem actio iniusta ea, quæ prẽter rationem rectam efficitur, cum aliena offensione, sed de hoc habitu non loquitur, neque de naturali propensione ad hunc habitum, quoniam in genere comparat fœmininum sexum animalium, cum masculino, & nullum animal præter hominem iustitiæ, aut iniustitiæ capax dici mus, quare per iustum, aut iniustum illud intelligerem, qđ alias dictum est magis, uel minus obnoxium perturbationibus, ut sit sensus.

Genus fœminile magis perturbari quam masculinum, cuius indicium est, quod uide- 40
mus timidiores esse fœminas, cuiusque ferè generis, item prolis suæ amantiores, quam mares, igitur in genere uniuersaliter animalium uerum est fœmineum sexum esse iniustiorem secundum hanc significationem, quã sit masculinus, & etiam in genere hominum ,,priè, & simpliciter loquendo uerum est fœminas uiris esse iniustiores, & quod fœmineum genus masculino sit iniustius, hoc est magis perturbationib. subiectum, patet quoniam diximus ipsum esse humidius, & mollius, quare facilius moueri, & mutari, unde efficitur, ut
Mulierum rationẽ esse inualidam. etiam facilius perturbari soleat, & similiter muliebre genus arbitrium, & rationem habet inualidiorem, quare minus secundum rectam rationem uiuit, quod est huiusmodi illud iniustius (nam supradictum est iuste agere, esse secundum rectam rationem operari) patet igi-

tur

tur fœmineum genus esse masculino, etiam in genere humano, iniustius, quod probandum fuerat.

Ita ergo improprie, & communiter per quandam similitudinem capta iustitia magis generi masculino vniuersaliter, quam femineo conuenit, & proprie etiam si capiatur, videmus fœminas viris esse iniustiores, quoniam minus secundum rectam rationem viuunt, sunt enim viris auariores, timidiores, cupidiores, & omnibus perturbationibus magis subiectæ.

At dicet quis piam raræ sunt mulieres homicidæ, raræ sunt, quæ latrocinentur, quæ pyraticam exerceant artem, quæ sicariæ sint, quæ proditrices, quæ furentur, quæ aliena expilent patrimonia. *Dubit.*

An respondendum est, iustitiam, & iniustitiam nunc non ex effectu, sed ex affectu nos metiri, causa autem cur mulier sicaria non sit, non pyrata, non latrocinium, aut furtum exerceat, non est quod ipsa non appetat, & non velit, sed est quoniam timida est, & imbellis; quare sicuti libidine non tentari senem, illumque esse pudicum non affirmamus, quamuis non congrediatur cum mulieribus, neque illas subagitet, siquidem scimus id non facere, quia non potest, non autem quia non velit sic mulierem non dicemus iustam quoniam illas non exercet summas iniustitias cum cesset propter impotentiã, & metum non autem quod nolit timida enim cum nimium sit, sibi prospicit; at si spes sit fallendi misceret sacra profanis, eas autem quas potest iniustitias promptissime exercet, nam fallax est, dolosa, mendax, si verũ est, quod ille cum cogitat, nil nisi male cogitat, & vt placuit Euripidi.

Quod si dixeris mulieres esse deuotas, & maxime, religiosas, raroque impietatis vitio laborare, aut multo pauciores viris hoc nephando sceleris genere teneri; tunc aliquis quod supra replicabit, non virtutis, ac religionis amore, non propter bonitatem, sed timore pœnæ æternæ id facere, timidas enim esse diximus, quare religiosas non solum, sed plerumque, & superstitiosas esse; si autem desciuerint à religione in extremum impietatis vicium, & demonolatriam, siue demonum adorationem degenerant, quo factum est, vt fere omnes has sagas, & lamias quas vulgo striges appellat, sint mulieres, raro autem viri capiantur, & à malo dæmone seducantur, quod forte illis hac vna ratione præsertim contingit, quoniam sunt mutabiliores, & inconstantiores viris, quandoquidem & molliores existunt, persuaderi autem, & mutari facilius potest molle, & mutabile ingenium, quam constans, & durum.

At quando supra dictum est fœminas inualidum habere arbitrium deliberandi, neque vlla confirmatum ratione, primum sanè posset quærere aliquis, quid hoc sibi velit, deinde an sit verum, demum propter quid, quibus quæstionibus respondens dico arbitrium deliberandi appellari vim, & potentiam à natura nobis insitam secundum quam possumus opposita, & alterius oppositi cum ratione voluntas electio est, quare arbitrij deliberatiui finis est electio, vt electionis actio, posse igitur ad vtramque partem contradictionis rationes, & argumenta afferre, hoc opus est liberi arbitrij, quod principium est eorum quę in nostra potestate sita esse dicuntur, huius potentiæ duplex est dispositio, vna bona, & perfecta altera non bona, bonam dicimus rationem, quæ vtens syllogismo, neque in materia, neque in forma peccat, non bona dispositio duplex est, altera quæ fieri potest bona, & dicitur imperfecta qualem habent pueri, & adolescentuli, qui nondum perfectè discurrunt, & à legibus, vel sub tutore, vel curatore detinentur, procedente autem tempore omnino sui iuris fiunt, cum ad ætatem perfectam peruenerint; inualida autem dicitur altera, quæ tempore non potest perfici, neque coalescere, talem autem habent ex Aristotelis sententia primo politicorum fœminæ, quo fit, vt continuo egere dicantur curatore, & facile falli possint. *Dubit.*

Ex his igitur quid sit arbitririum, quid ualidum iudicium, & inualidum, & quid imperfectum

perfectum patet, utrum igitur habent fœminę inualidum deliberandi arbitrium? id sanè videtur lex attestari, quæ illis prohibet omnem administrationem, & rerum alienationem etiam propriarum sine auctoritate mariti, & ex quodam senatus consulto, & ex statuto quodam illis signanter prohibetur fideiussio, alienatio, & suarum rerum distractio, cum enim fœminæ fragiles, & molles sint, facile legislator eas posse decipi putauit, Aristoteles item id ex professo asserit, amplius cupiditati assimilantur, quare ratio illarum, & iudicium inualidum iure dicitur, non enim valet perfectè discurrere, deliberare que, atque eligere quid agendum sit, quod ergo vere habeant imperfectam rationem iam clarum est, propter quid autem tales sũt? An quoniam sunt mares imperfecti ergo earum materia minus elaboata formam, quæ ratio est non perfectè susceptt, est autem hæc imperfectio, quoniam semen aliquid passum est, factaque parua mutatione circa principium, maxima fit, deinde in fine; Ast non puto esse verum, quod quidam aiunt, si ex siniſtro teste fluat semen, fœmineam produci prolem, ex dextro masculinam, quamuis id exemplo arietum, caprorumque probare conentur, hoc inquam puto falsum, nam pictorem noui quendam cui iam adulto alter testis fuerat ex sectus, & tamen vtriusque sexus liberos, velsibi similes ex sua vxore susceperat; idemque etiam à quodam rustico audiui, qui cum altero careret teste, filios tamen, & filias ex vxore sua natos pro suis domi alebat, credo igitur perfectius quidem forsan semen fluere ex dextro, quam ex siniſtro teste at vtrunque posse indistinctè marem, & fœminam generare secundum quod contingit impediri, aut non, vnde effectum est, vt quædam fœminæ in multis partibus naturam viri representent, & quidam viri fœmineum corpus sortiti sint, secundum quod perfectius, ac calidius, & concoctius semen fuerit, aut nõ, & magis, aut minus accidentaliter passum sit in matrice mulieris, aut sanguine aquosiori, & frigidiori plus iusto nutritum principio extitit, vnde non potuit virum perficere, quid igitur sit mulier, & qualis, & qua ratione imperfectam sortita sit rationem, & cur ex dictis patet.

Cur fœminaui vo min' ratione exerceat.

Exemplũ masculi corporis.

„ *His ita se habentibus videtur leo omnium perfectissimè assumpsisse maris formã.*

Cum vniuersum genus animalis distinxerit bifariam Aristoteles in masculinum, & fœmininum sexum, nunc quasi speculum, aut imaginem in qua possibile sit virilitatem, aut animæ, & corporis masculini affectiones agnoscere proponit leonem, quem dicit perfectè assecutum esse formam masculinam, mihi autem videtur quod vnũquodque accidens, quod in pluribus reperitur, in aliquo sit quodammodo maxime propriè, & per se tale, in alijs autem secundum quod magis, aut minus ad illud accedunt, vt quodammodo formæ materiatæ videantur secundum magis, & minus ab indiuiduis participari, est in animaliũ genere sensus, est auditus, est tactus, est motus, est masculina, est fœminina dispositio, habent animalia, vt sibi simile generent, habent vt propriam tueantur vitam, vel fugiendo mala, vel eadem repellendo; vnam quamque harum dispositionum in vnoquoque animalium genere uidebimus, cõmunicatam, uni tamen clarius, & excellentius, alteri obscurius, & imperfectius.

Non igitur dicit Aristoteles quòd leo omnium animalium sit perfectissimum, nam hoc non est, sed quod animalium omnium maximè masculinam figuram consecutus est; ut igitur ens primo, & per se dicitur de Deo, ipse enim est, qui est, à quo cæteris omnibus deinde ocmmunicatum est esse, & ut sol est omnis lucis sensibilis fons, & alia dicuntur esse magis, uel minus lucida secundum quod illi magis, uel minus similia sunt, sic possibile est, uisum in aliquo animali perfectissime reperiri, uerbi gratia in lynce, uel in aquila quæ ita uideat, ut ultra illius potentiam non sit animal, quod uidere possit, sic etiam de auditu probabile est dari animal, quod ita audiat, ut eius auditum nullum aliud animal superet, ceu de uulpe dicitur, quæ etiam appositis auribus supra glaciem

ciem cognoſcit quanta ſit glaciei craſſities, & nunquid illius corpus poſſit ſuſtineri, & appoſita auricula terrę nouit nunquid ſubſint mures nec ne, ſic de odoratu, aiunt enim vultures per ſpacium etiam centum ſtadiorum, vel vltra odorem cadauerum præſentire; guſtus palmam gallinis dat Iulius Cæſar Scaliger, tactum exquiſitiſſimum habet homo, & forte quoniã in hoc eſt ratio vniuerſalis animalium, nam animal in eſſe per tactum ſtatuitur, ideoque dicimus hominem omnium animalium eſſe maxime perfectum, vt autem de ſenſibus accidit, ita de cæteris diſpoſitionibus, nam ſalaciſſimam ſimiam, doloſiſſimam vulpẽ, iracundiſſimam tygrim, inconſtantiſſimum, & maxime mobilem murem montanum, quẽ vulgo fainam vocant, quaſi faginam quod in fagis plerumque, vt ait Albertus habitet atq; ex eorum fructu paſcatur, ſicut autem hæc animalia diuerſas diſpoſitiones in ſummo ſibi ſecundum ſpeciem ſuam vindicarunt vnamquamque ſingula; omnes autem omnia ita dicimus diſpoſitionem, & proprietatem maſculinam in leone eluceſcere.

In panthera, vero (quam pardalim vocat,) fæminei ſexus, Non ſecus atque timiditatem in lepore agnoſcimus, audaciam in muſtela, venenum in baſiliſco angue, quem regulum vocant, quod autem leo formam habeat maſculinam probat Ariſtoteles dicens,

„ *Leo enim habet os ingens.*

Maſculina diſpoſitio ait Sueſſanus poteſt colligi ex bonis corporis, & ex bonis animæ, non autem ex bonis fortunæ, quoniam leo nihil poſſidet, ſed hoc ridiculum eſt, quid enim ſexui maſculino commune eſt cum bonis fortunæ? at melius ille dixiſſet, aſſerẽdo affectionem maſculam poſſe colligi ex qualitatibus animæ, & corporis. *In leone maſculas affectiones apparere, & primum eſt, os valde diductum.*

Videtur autem in maſculo plurium ſpecierum præualere magnitudinem, robur, & pulchritudinem, non tamen in omnibus, neque enim in genere hominum pulchrior vir fœmina, & vaccæ plerunque non ſunt tauris minores, vrſam etiam mare audaciorem, & robuſtiorem dicit Ariſtoteles, attamen, vt plurimum res ita ſe habet, & forſan oculis aliorũ animalium videtur pulchrior uir quam fœmina, quamuis paſſim homines aliter ſentire profiteantur, uenuſtatemque mulierum, ut propriam dotem, fortitudinem, & dignitatem uiris conuenire ſentiant.

Quæ uero Sueſſanus hoc loco ex Alberto dicit de leone, quod febricitet, quod ſimiam uenetur, quod ſanguinem canis potet, profecto, & præter rationem afferuntur, & omnino falſa eſſe experientia docet, ad rem igitur accedentes uideamus, cur maſculinum genus cuius in leone ideam agnoſcimus, habeat illas proprietates quas enumerat Ariſtoteles, ſupponendo quod alias ſupra dictum fuit, omne animal maſculini ſexus comparatũ cum fœminis eiuſdem ſpeciei eſſe illis calidius, & ſiccius, quare audacius, & robuſtius.

Primum igitur dico quod leo habet os ingens, ſciſſuram ſcilicet oris latam, & hæc paſſio eſt maris, quoniam ſignum eſt, quod tale animal ſit multi cibi, quare, & multum concoquit, ualido abundat igitur calore, uel dicamus, cui ineſt leonina diſpoſitio, illi ineſt maſculinitas, cui hæc illi multus calor, & multi caloris proprium eſt aperire, & dilatare, diſgregat enim diſſimilaria calor, ergo, & os in formatione diſcindet, ac dilatabit, leo igitur & propter hæc maſculus latiorem quam fœmina oris habebit ſciſſuram, leoni igitur os eſt ingens, at latius forſan etiam lupo, ea præſertim de cauſa quoniam uorax magis eſt, quam leo; uidetur autem præcipuum uoracitatis ſignum magnus ille hiatus oris, & qui uehemẽter uoraces ſunt in genere hominum illi diductum, & patulum magis os habent; ſic ergo maſculo oris magnitudo tribuitur, & ampla ſciſsio.

„ *Faciem autem quadratiorem.*

Quadratam habere faciem, & leonem, & uirum fortem, ac uirilem dicit; At non iam quadrata; ſed oblonga, & quadrangula apparet, aut igitur per græcam uocem intelligemus *Quadratus vultus*

mus frontem, quæ reuera in leone quadrata est, sicuti etiam eadem vox frontem aciei bellicæ significat, aut difficile est assequi quid sibi velit Aristoteles. Et profecto vox quæ πρόσωπον est apud græcos, vt ait Iulius pollux de homine tantum dicitur, & minus vniuersalis est, quam facies, vt sentit Gellius, significat autem proprie totum illud spatium, quod sub supercilijs comprehẽsum continet oculos, nasum, genas, & mentum, quod spatiũ vix quadratum æmulatur, sed potius frons in leone quadrata est, qua etiam Aristoteles magnanimos designat.

Aut forte vniuersaliter locutus fuit Aristoteles, & abusus est voce quadrati, vt figuram ad quadrangulum accedentem, & rotundæ oppositam designaret, quando quidem fœminarum facies rotunda est, igitur masculorum non rotunda, sed quadrangula esse debebit. 15

Cur autem masculinum animal, & vir fortis præsertim, frontem siue vultum habeat quadrangulum profecto mihi videtur difficile, an dicemus quoniam est perfectius masculinum genus quam fœmininum? at contra instabis cur igitur perfectiorem formam non habet, si quidem rotundum, & circulare omnibus alijs figuris perfectius est?

An, vt aliquid probabiliter afferatur, fortè dicere poterimus, vnicuique semini innatam esse virtutem formandi tale aliquid, quale est illud à quo profectum est, & id quo melius, & exactius possit perficere, vtitur duobus instrumentorum generibus, internis scilicet, & externis; præcipuum internum, & sibi insitum est calor naturalis, & spiritus, quem secum deuexit, externum suppeditatur à corpore, & loco, in quo decidit, neque id solum in animantium sed etiam in seminibus plantarum spectare licet. 92

Cum autem omnia procedunt secundum naturam, & eius actio non impeditur, sed tum interna, tum externa instrumenta naturali intentioni respondent, opus perficitur, quod cum maxime secundum naturam sit perfectum, & pulchrum, tũc etiam creditur; Cum igitur semen humanum, & ipsum natum sit perfectum hominem generare, si omnia concurrant, adsint que, vt par est, debita instrumenta, materiaque obediat, nihilque externi impediat, maxime dispositus secundum naturam efficitur fœtus; quare, & masculus erit, & masculinis insignitus accidentibus, quæ hominis propria sunt; at homini secundum naturam dispositio, caput refert sphæram vtrinque leniter compressam, compressio hæc circa aures, & tempora facta, faciem quodammodo longiusculam faciet, ac saltem quadrangulum aliquo modo referentem, aut igitur sic dicendum est, aut certe aliam rationem reperire difficile erit, cur scilicet optime dispositus, & maxime secundum naturam affectus homo potius faciem quadrangularem, quam rotundam habeat, nisi quoniam ita à natura fuit institutum, non secus si quis quærat cur cancris caput datum non fuit, aut cur tot pedes illis, homini autem tantum duo; Quamquam nescio quo pacto valentior etiam potuit esse mandibula inferior, si figuram quadrangulam facies indueret quam si rotundam, minor enim est mandibula inferior in rotunda facie, quam in quadrangula, & in minori probabile est etiam minorem vim adesse, & minorem habere potentiam motricem, quare, & instrumenta motus quæ sunt nerui minora esse, & principium motus, quod cerebrum est, sic etiam minus existere, quod clare in fœminis posuimus, quarum caput est viro minus. 30 40

Non valde osseam.

Facies non omnino osser.

Quadratiorem hoc magis ad quadratam, quam ad rotundam figuram accedere faciem masculam diximus, quod supra ostensum fuit, nunc subiungit non valde osseam hoc est non esse talem, qualem videmus asinorum, illi enim tardi sunt, & ad frigidum, & siccũ temperamentum accedunt, plurimumque terrestris molis in illis prædominatur, facies igitur non ualde carnosa, & pinguis sed neque omnino macra verũ medio modo disposita, & magis ad macredinem, quã ad pinguedinem, aut plenitudinem accedẽs aliter enim videretur

retur dubitandum, cum ſupra dixerit viri fortis ſqualidiorem eſſe faciem, at vir fortis maſculo præditus eſt habitu, quare facies ſqualidior maſculum deceret.

Squalidam faciem habentis non perfectè nutriri partes videntur, cum vehemens calor reſoluat multas nutrimenti portiones, quare neceſſe eſt macram faciem, & oſſeam habere, & puto color ille ſqualidior nihil aliud arguit, niſi multæ bilis atræ naturalis præſentiam, & caloris præſtantiam, qui ex ſiccat humores, & coquit, vnde idem apparet color, quem aliquando in pratis, montanis auguſto menſe videmus, in quibus herba ad quemdam colorẽ cum virore, & rubore ſubalbidum accedit, qui color ferè in folijs vitium montanarum poſt vindemiam ſe ſe oſtendere ſolet, eſt autem ſub viridis color, qui ad croceum quodammodo accedere conſpicitur.

„ *Mandibulam non proeminentem, ſed equaliter pendentem deorſum.*

Adeo corruptus eſt totus hic libellus, vt vix multorum locorum excipi ſenſus vllus poſſit, varie pars hæc legitur, varie etiam interpretatur, quidam maxillam, quidam genam vertunt, ſed quomodo gena dicatur ſuperior, & inferior, vt maxilla, quam etiam vocant mandibulam non video, Porta ſic legit.

Superiori maxilla non prominente, ſed inferiori aquali.

At Sueſſanus alio modo nempè.

Superiorem genam non prominentem, ſed deorſum decenter pendentem.

Alij interpretes inter ſe variant, ego ex quodam textu antiquiſſimo græco poſſe verti crederem, Hoc modo.

Superiorem mandibulam non præeminere, ſed inferiori ad æquilibrium reſpondere.

Hoc eſt, vt puto, ſi lineam rectam perpendicularem excitaueris, quæ prope exteriorem partem oculi incipiat, quo loco jungitur os iugale appellatum, & deorſum feratur in inferiorem incidet maxillam, ita vt ſuperior inferiori ſit æqualis, in hoc quod neutra excedat, & excedatur, quod apprime videtur conuenire ei, quam ſupra dictum fuit figuræ quadrilateræ, quam refert facies maſcula, vel leonina, cuius quidem affectus eandem cauſam afferrẽ, quod calor naturalis potens dilatat quantum ſufficit, & quoniam naturaliter operatur hoc eſt cum ratione, & ordine effectum eſt, vt omnes partes decentem ſeruent inter ſe proportionem, eſt autem, vt octauo phyſ. idem ratio, proprio ordo, atque natura, aut ſi quid differunt inter ſe, attamen ex eadem cognatione deſumpta ſunt, & quæcunque ſecundum naturam fiunt, ordine ac proportione certa continentur.

„ *Naſum autem magis craſſum quàm ſubtilem.*

Sed hoc primo aſpectu videtur contradicere his, quæ infra afferet; vbi de naſo loquens craſſum ſegnitiei ſignum eſſe dicet, illoſque, vel ad boues, vel ad ſues referet, quorum neutrum videtur eſſe commune leoni, viro maſculo, & forti. Porta naſum legit potius craſſiorem, quam gracilem, vt ſcilicet mediocris quidem ſit, attamen magis ad craſſum, quam ad gracilem accedat, quod etiam conuenit, cum græco textu, qui naſum carnoſum magis, quam gracilem legit, & profecto res ita ſe habere in leonibus videtur, vt illorum naſus ſit plenior, & carnoſior, & quos ſcimus eſſe viros fortes, naſos habent à puerilibus admodum differentes, maiores ſcilicet, & carnoſiores, quod etiam ab Ariſtotele recipitur, qui infra naſum rotundum, & obtuſum fortibus, magnanimiſque dabit, & ad leonem referet, & iure naſus etiam talis eſſe debet, nam quãdo multæ materiæ potenter dominatur calor, magna etiam facit membra, & cum multus calor multa egeat reſpiratione, & magnam debeat aeris portionem attrahere, magnum etiam requirit inſtrumentum, qđ cum ſit naſus non immerito magnus carnoſi; ſque eſt, potius quam paruus, & gracilis, ita tamen vt magnitudo vltra quod deceat naturalem diſpoſitionem, non protrahatur.

,, *Oculos charopos, concauos, non valde rotundos neque valde prominentes.*

Quid per colorem charopum intelligendum sit alias dum signa fortis prosequeremur exposuimus, est autē charopus oculus fuluus, uel cæsius multo splendore ob spirituum copiam refertus, mihi tamen uidetur quod oculi leonum accedant ad colorem quem habet aurum ignitum; cur autem talis color adsit fortibus, & uere masculis ibi dictum est.

Concauos.

Id attributi non admittit Porta, neque omnino leoni concauos dat oculos, sed ex adamantio legendum censet, leonis oculos mediocriter esse dispositos inter prominentiam, & cauitatem, ut à mediocritate sane abhorrere non debeant, cum id quod secundum natu- 15
ram est animal masculinum referāt, propria autem passio est masculini sexus, ut magis sit secundum naturam, quam fœmininum quare etiam mediocritatem assequetur magis, nō igitur concauos, quoniam dolosam arguunt naturam, quæ magnanimæ opponitur, non prominentes quoniam fatui sunt, & ad asinos referuntur, & hoc idem confirmat quod infra dicetur, cum oculos parum concauos dabit magnanimis, & leoni comparabit eosdem.

Nec valde rotundi debent apparere masculi oculi, nam qui rotundi sunt fœminarum sunt, at notandum per non rotundum non debere nos intelligere oculi corpus, siue organum totum, quod ex adnata, & suis humoribus, & tunicis consistit, nam corpus id in homine exacte est rotundum, & perfectam facit sphæram, sed intelligemus per oculum non 02
solum visus organum, sed etiam locum in quo reponitur, dicendumque est, non rotundum esse oculum in leone, sicuti in gallo, aut in pleriſque auibus, vbi adamussim circulum refert sed oculi partem, quæ visui patet oblongam figuram habere, & angulos duos, nempè interiorem, & exteriorem, & hoc est quod dicit, oculos non apparere rotundos, sed sphæram modice compressam referentes, dum in loco proprio existunt, quam figuram ciliorū apertio ostendit, quod autem neque valde debeant esse prominentes, iam dictum est; nam fatuitatem hoc signum indicat, & qui tales sunt ad asinos referuntur.

,, *Magnitudinem vero moderatam.* 30

Est etiam masculi sexus attributum, vt magnitudinē habeat moderatam, etenim quodcunque animal in sua specie nimio plus paruum est, illud forte quidem iracundius erit aliquando, semper tamen imbecillius alijs, vbi enim magnitudo debita non est, ibi neque omnino vires, quæ requiruntur, esse possunt, quod in canibus paruulis, quod in equis, in bobus, in asinis licet tueri, quæcunque enim minora sunt iusto ijs, quæ sunt sui generis eadem omnia inualidiora existunt, videmus etiam ferè omnes mulieres, quamuis magnas omni viro mediocri minores, & in animalibus fœminæ maribus ferè semper minores esse, ut cōtemplāti aues, & armenta facile apparebit, magnitudo igitur corporis quæ deficit à mediocritate cum imbecillitatem arguat, ad leonem, & ad masculinum genus pertinere non potest. 40

Sed neque excedens magnitudo, omnis enim à mediocritate recessus prauus est, recedit autem, & qui superat, & qui deficit, & vulgo receptum est, corpora plus iusto grandia, & extensa minus virium habere, & sæpe.

Non est in tanto corpore mica salis,

Causa est, quoniā vbi adeo extensa est moles, calor naturalis deperditur, sicuti in magno cubiculo paruus ignis hebescit, neque corpus tantum regere aut sustinere potest; vnde viderunt patres nostri Bononiæ cum Imperatore Carolo Quinto quemdam gigantē, septē pedum, hic tam vasta corporis mole præditus, primum quidem se ipsum attollere nequibat, sed vt incederet continue deferebat scipionem cui inniteretur, deinde adeo pusillanimis,

nimis, & vilis, atque abiectus animo erat, vt neque solus stare auderet, natus tantum ad bibendum.

In masculo igitur, & leonina figura requiritur, & mediocris magnitudo, ea tñ quæ magis ad excessū quā, ad defectū vergat, vt si exactæ magnitudinis modus sint quinq. cubiti excedant autem sex, septem, & octo.

Deficiant ex aduerso, 2. 3. & 4. induet fortis, & masculus sexus laudabilius numerum senarium quam quaternarium, qui numerus potius est fæminei quam masculini sexus, & hunc magis quam octonarium, aut vlteriorem.

,, *Supercilium ingens, frontem quadratam in medio cauam magis.*

Tria hic ab Aristotele ponuntur, & quo ad primum non lego ego supercilium ingens, sed moderatè magnum, non enim adeo debent eminere supercilia, vt oculos quasi sepeliant, iam enim diximus huic figuræ concauos oculos omnino non attribui, supercilium vocatur pars, quæ pilis vestita oculis imminet, cuius vsus est excipere, quæ sursum venientia in oculos incidere possent, illorumque operationem labefactare, in his igitur animalibus quæ masculinam nacta sunt formam, tumidius erit supercilium, tum quoniam os caluariæ robustius est, quare, & crassius, tum quoniam calor vehementior est.

Sed forte dicemus, cum vnaquæque pars proportionato quodam nutriatur humore, & cibo, si quæ pars verbi gratia biliosa magis cæteris erit, vel pituitosa probabile est, plus in eo membro generari talis humoris nimirum pituitosi, vel biliosi quam sanguinei, aut melancholici, si ergo singula corporis animalium membra omnibus quidem nutriuntur humoribus, qui in venis sunt, magis tamen vno hæc, quam alio (etenim clarum est pulmonem biliosо, cerebrum pituitoso magis sanguine ali,) si cui bene magnum, & bene dispositum caput videbimus illum pituitoso, sanguine abundare dicemus, sic etiam cum alicuius supercilia crassa tumida, carnosa, pilis vestita duris, crassis, & nigris spectabimus, cum hæc pars crasso, & melancholico sanguine præsertim nutriatur, probabile erit, animal illud eo sanguinis genere abundare præcipue in capite, & ea capitis parte.

Cum autem leo, & forte, ac robustum animal omne, fibroso sit, & crasso sanguine præditum, vt Aristoteles sentit quarto meteor. probabile est, supercilia, ossa, & partes corporis, quæ hoc sanguine nutriri solent, reliquis esse pleniora, maiora, & robustiora, quare si quis quærat cur supercilium magnum est, ac tumidum in leone, & in eo quod masculinam formam perfecte susceperit, Respondebimus, quoniam melancholico abundat, & fibroso sanguine, talem autem nactum esse masculum animal verisimile est, quoniam robustius esse debet, ac maiori calore præditum, calor nisi in crassiori materia firmatur, & durat, & si durities membris non accedat, robur adesse non potest; hac ergo ratione cur bene magnum, & crassum supercilium habeant, robusta animalia, probari potest.

Noto tamen, quod non conuertitur, non enim sequitur, si quæ sunt robusta, & masculam sortita figuram illa habent supercilia magna, quod, & conuerso cuicunque adsunt supercilia magna id etiam sit animosum, audax, & robustum, causam puto esse, quoniam humor melancholicus non semper calidus est, neque semper accensus, & calens, sed plerunque frigidus, & siccus, quare quamuis magna facere possit supercilia, quoniam tamen cætera non respondent, & præcipuè calor, quæ causa efficiens est, nullum ijsdem ineſt roboris, aut masculi sexus vestigium, nullaque ad actiones promptitudo elucescit. *Notã. dum.*

„ *Frontem quadratam, & ex medio concauam.*

Quomodo frons dicatur quadrata ex se patet, si quidem mente concipiendum est, non quadratum, sed magis quadrangulum siue paralellogrammum fieri, cuius maiora latera opposita sint duo, quorum vnum super supercilia feratur ad vtranque autem, alterum autem quo loci desinunt capilli, duo verò reliqua opposita incipiant prope externos oculorum angulos ascendentia donec ad alia duo maiora peruenerint, quibus iungantur, non tamen putandum est, exacte fieri quadrangulum, sed in medio ex parte superiori aliquantulum superior linea incuruatur, & capillorum pars quædam leniter descendit, ex aduerso circa extremitates, vbi maiora cum minoribus lateribus concurrunt ad formandos angulos, retrocedunt parum capilli, & eam, quæ in medio frontis occuparunt particulam, in angulis retrocedentes compensant, vt quadrangulum deinde perfecte formatum supponi possit; hæc sanè virilis, hec mascula frõs est, docet enim caluariæ partem anteriorem probe structam, exsiccatamque esse, prout naturæ ratio postulat, & actiuas qualitates optime pas siuis prædominatas fuisse, vt nusquam impedita virtute naturali effectrice, singula quęque locum suum sint decenter sortita. 29

Frons caua adulatoris est signum

Eadem autem subcaua apparebit, hoc est quamdam cauitatis tenuissimam præse feret apparentiam, quorum enim caua multum est frons, viles potius adulatores, quam magnanimi sunt; Causam huius vix deprehensæ cauitatis esse puto, quoniam extrema frontis superiora, & inferiora eleuari videntur, supercilia enim quæ partem inferiorem terminant tumidiora esse diximus, deinde in parte superiori media; capillorum pars quædam prominet, vt colliculum nescio quemdam præse ferat, quo Italici plerunque gaudent, fortis viri signum esse putantes. 02

„ *Ad supercilia autem, & nasum sub fronte velut nubes superstat.*

Hanc sententiam infra clarius exponet, dum ait; Qui frontem nebulosam habent audaces sunt, referuntur enim ad taurum, & leonem, & rationem subdens inquit, nebulosum habitum audaciam significare, quoniam serenus, & hilaris adulationem, sicuti qui medius est decenter se habet, causa ex prædictis manifesta esse potest, nam supercilia, & frontem, & partes frigidas melancholico nutriri sanguine, eodemque repleri spiritu crasso, calido, & sicco fumum referente diximus; cum autem omnia orta naturam suorum principiorum testentur, & simul alantur ex quibus orta sunt, cum supercilia, & frons hoc humore, ac spiritibus plena sint, probabile est, tristem, ac nebulosam nescio quamdam apparentiam generare, hac ergo de causa, si ad calorem, & siccitatem temperatam accedit masculus sexus, & leo qui exacte hanc nactus est figuram, credibile est, nebulosum gerere aspectum, seuerum, & qui, vt Aristoteli videtur in rhetoricis, simul timorem, & delectationem aspicienti incutiat, hoc autem est dignitatis, quæ virum fortem decet, præcipuum vestigium, hoc idem signum, quod nebulam vocat Aristoteles, in viris tristibus, & grauibus, & cogitabundis apparet, quorum singuli sunt melancholici, quare cui inest dominium melancholiæ circa caput, & oculos, illi inest hæc nebula, at robustis masculis, & leonino præditis habitu inest melancholici humoris prædominium, ergo his nebulosa frons inest, dico autem melancholicum humorem, non eum qui præter naturam est, sed intelligo sanguinem crassiorem, & fibrosiorem, & quem, aiunt esse medium inter saporem dulcem, & ponticum, de quo etiam meminit Aristoteles, cum viros ferè omnes magnos sapientes, ac generosos dicebat esse melancholicos. 30 40

Grauis viri nota.

Supra frontem, iuxta naſum habet pilos inclinatos veluti aſylum.

Quam plures interpretes hanc partem non vertunt, neque vocem, velut aſylum, addũt, & idem quidam codex græcus facit; apud eum tamen codicem, qui Baſileæ impreſſus eſt, legitur hæc particula, cuius ſententiam, ac ſignificationem longe aliam puto, ab ea quam attulit Sueſſanus, ait enim aſylum dictum ab hac littera A. hoc eſt ſine, & ſylo, quod ſupercilium ſignificat, quaſi ſint ſine ſupercilijs leones, ſed ille dicit non conſonare ſentẽtiæ Ariſtotelis, neque id ſolum oportebat ab eo afferri, ſed pudere hominem qui profitetur callere litteras græcas hęc nugari, ait, deinde συλὸν, eſſe ſuperciliũ, & paulo poſt ſemet corrigẽs, ait aſylum ſignificare, tabanum. At aſylum in neutro ſignificat templum, quod Romulus condidit; ſed quid ex hoc ſequitur? habetne leo templum, aut tabanum, aut aliquid his ſimile in fronte? hoc enim ille inquit, ſic Ariſtotelicis verbis conſonare, at ridendus eſt, non enim tabanus, à templo differt quod hoc in neutro ille in maſculino genere pronuncietur, ſed differunt quod aſylum penitus græca vox eſt, & ſcribitur per y, at aſilus per i latinum & omnino eſt latinum, quod teſtatur Virgilius, vel eodem Sueſſ. id recitante — *Cui nomen aſilo.*

Romanum eſt, œſtron graij vertere vocantes;

Ex quo patet cum vox græca non ſit aſilus tabanum ſignificans, neque Ariſtotelem potuiſſe, neque voluiſſe de tabano intelligere, vt hic putat, non enim vnquam legi Ariſtotelem latinis vocibus vſum, & eo magis cum ei propria, & græca ſuppeterent, duas itaque, puto, poſſe expoſitiones huic parti afferri, prior eſt, ſi legamus hoc modo, quo in omnibus latinis interpretationibus legitur. Nempe,

Leo habet comas, quæ ſunt ſupra frontem è regione naſi inclinatas veluti aſylum, iungentes vocem veluti aſylum cum hac clauſula, & tunc capientes aſylum, in ea ſignificatione quam græci vſurpant, hoc eſt non ſpoliatum, vt ſit ſenſus leonem habere ſupra frontem è regione naſi comas inclinatas deorſum, & denſas, vt potè qui his non ſpoliatus eſt, ſed frontem capillis habeat ornatam.

At hæc interpretatio non placet, multo magis probatur, vt legamus vocem, (vt aſylum) omnino ab hac clauſula ſeparatam, & ſit tantum hæc ſententia partis propoſitæ vox autem, vel vt aſylum tollatur.

Leo habet comas inclinatas ſupra frontem, è regione naſi, hoc eſt leo, & qui maſculinam induet formam habet capillorum tricam inclinatam ſupra frontem è regione naſi, nempe in ea parte, cui ſubeſt naſus ad perpendiculum, & hanc paſſionem maxime affectare videmus apud nos, qui audaces, ac militares videri volunt, aluntque illam partem comæ, & procurant, vt inclinata ſit in frontem, & conuexa in medio gibboſitatem quamdam indicet, quaſi minorem portionem paruæ pilæ luſoriæ, cuius affectus cauſam puto difficiliorem non minus eſſe, quam demonſtrare, quod leones aſylum in capite habeant, quod ſi quid tentandum eſt dicere, profecto quod eò in loco luxurient capilli, maioreſque euadunt, id fieri neceſſe eſt, quoniam vel ibi cutis poroſior ſit, vel præter hoc, calor maior, qui cauſa efficiens eſt; porrò meatuum pleniorem eſſe eo in loco cutem probabile eſt, quoniam quæ frontem facit cutis eſt craſſior cui ſubeſt muſculus, quare pili in illa non poterãt fieri neque facile euaporare calor, cum primum autem inuenit poris refertam pel lem affatim halitus, qui materia eſt pilorum, atque calor ſe diffundit, quo loco multum pilorum producit, ſic igitur in ſumma fronte è regione oculorum hæc trica capillorum exoritur, ſpiſſa, & inclinata, non autem criſpa, vt moderatum calorem oſtendere poſſit, & ſecundum naturalem ſtatum diſpoſitum.

,, *Caput moderatum veluti asylum.*

Caput fortis, & ma sculi.

Vtrique textus græci, qui sunt apud me Aldinus, scilicet, & Basileæ impressus, veluti asylum cum capite moderato adiungunt, & ni fallor, sic legendum est, vt sit sensus, qui masculinam habent formam, vt leo ijdem caput habent mediocre inter magnum, & paruum, & veluti asylum, hoc est, venerandum, & nescio quid reuerentiæ spirans, vt faciunt deorum asyla, est proprie asylum; locus venerabilis, & intemeratus quem violare fit nefas, à quo nullum abstrahere licebat qui eo confugisset, quale erat templum Dianæ, & Iunonis de quo Virg. erat autem locus hic phanum, vel templum certo deo dicatum, vnde neminem, qui eo fugisset, abstrahere per leges licebat; sic Philo inuiolabiles, & sacrosanctos homines, qui sine piaculo offendi nequeunt, vocat asylos, quales sunt caduceatores, qualesque erant olim tribuni plebis.

Sic igitur mihi videtur, esse Aristotelis sententia, vt leo habeat caput mediocre, & vt asylum scilicet venerabile, & timendum, quæ expositio non admodum refragabit, immo quadrabit cum his quæ dicit primo rhet. ad Theodectem, loquens de viro pulchro; quem ait ita esse iucundum aspectu, vt simul quoque dum spectatur, terreat, quod sane leonis videtur esse proprium, eius enim est terrere, & quibus superuenit timorem incutere, habet igitur masculus moderatum caput, quoniam maximè secundum naturam dispositum est, naturaliaque omnia in mediocritate constituta sunt, habet etiam, vt dictum est, venerabile, & timendum quoddam, quoniam robur spirat robusta autem lacessenda non sunt.

,, *Collum bonæ longitudinis crassum, commensuratum.*

Collum

Non est credendum Aristotelem, per collum bonæ longitudinis intelligere longum vltra medioeritatem, infra enim, colli longitudinem significare dicet timiditatem, & esse ceruorum passionem, quorum collum est longum, sed, vt docet vox commensuratum, significat mediocriter, quod notat etiam auctor Thesauri græci, sic bene magnum, vocari à græcis, quod magnitudinem habet mediocrem, & rationabilem, causam iam ex prædictis patere arbitror, nam omnino secundum naturam est figura mascula, & quod tale est, illud perfectum est, perfectum autem non excedit, non deficit, nihil illi deest, nihil exuperat, quod est huiusmodi in mediocritate consistit, collum ergo in figura mascula commensuratum erit, & mediocriter magnum, crassum etiam, quoniam cum figura mascula, & leonina robur supponat, robusto autem magna sint ossa, & magni lacerti, quare, & nerui validi, necesse est vertebras colli, per quas spinalis transit medulla, magnas esse, & validas, quare & propter hoc collum etiam crassum, & robustum.

,, *Crinibus flauis non planis, neque valde crispis.*

Crines.

Huius proprietatis Virg. conscius, addit Mercurio crines flauos, est autem flauities leonis propria, quem fuluum etiam Catullus vocauit, non minus quam Virg., flauum autem, à fuluo parum distare puto, proprie tamen flauus color ad aristas, & palearum colorem magis accedere videtur, fuluum vero dicimus aurum, & quasi croci colorem æmulatur; crines vtrique virorum in iuuentute consistentium hi sunt, videnturque ex vapore fumido nasci qui eleuatur ex bilioso sanguine, dum illum contingit exuri, quare bilem, & sanguinem clarum, & subtilem à calore pati arguit, quæ passio virorum est, & eorum quæ robusta sunt animalia, nõ plani debent esse capilli, hoc .n. est timidorũ, & eorũ qui patũ in se caloris habent, sed neq. crispi, hoc .n. multũ caloris, & multum bilis argueret, at quibus

mul-

multus calor adeſt, celeritatem in actionibus nimiam, & inconſideratam temeritatem animaduertimus, quod longe à perfectione illa naturali abeſt, quam diximus adeſſe maſculinæ figuræ, ac ipſi demum leoni, in quo hanc affectionem contemplamur.

Vt autem mihi videtur criſpus capillus etiam timorem indicat, Æthiopas enim, & Meridionales ferè omnes maxime criſpos videmus, fæminas etiam adoleſcentulas, cum ſecundum naturam diſpoſitæ erunt, criſpos videmus habere crines, & pueri etiam criſpi ſunt, qui omnes timidi potius, quam fortes ſunt, aut audaces, ac robur vllum ſpirantes, quod teſtãtur omnes ferè Phyſiognomi; qui valde criſpos capillos meticuloſum hominem ſignificare dicunt; videmus autem, & canes qui criſpum habent, ac longum pilum, omnes eſſe cæteris multo timidiores, quare, & minores habent dentes, & ad diſciplinas aptiores fiunt, & celerius quæ monſtrata ſunt, addiſcunt, quales igitur ſint maſculorum capilli patet.

4. Quæ ſunt circa humerorum claues ſpacioſa magis, quàm coniuncta, humeros fortes, & pectus iuuenile, & metaphrenum latum.

Per ea quæ ſunt circa humeros, humerorumque claues, vt nonnulli textus habent; intelligo partem pectoris ſuperiorem, quam in leone, & ſupra in fortis figura explicabamus, neceſſe enim eſt, qui maſculinam nactus eſt figuram, quique robuſtus eſt, ſiuè homo, ſiuè leo multo calore abundet circa cor, quare, & cum calidi ſit dilatare, magnopere latam eam partem habere, vbi calor præcipuè dominatur probabile eſt; latum igitur eſt pectus ſu ea oſſa quæ claues dicuntur. *Humeri.*

Et humeri etiam lati, ſupra forti ab Ariſtotele tribuebantur, & Virgilius Æneam laudans dicit humeros latos habuiſſe, & Daretem, quam etiam proprietatem Statius Tydeo tribuit, vt eam paſſim omnes tanquam heroicam agnoſcant; ſpatioſæ igitur, & non contractæ eſſe debent eæ partes, quæ ſunt circa humeros, & pectus, vt dictum eſt, & humeri debent eſſe robuſti, vt prompte vi multa valeant, & onera ferre, & propulſare, ſi quæ ſunt pellenda, aut ſe trahenda.

,, *Et pectus iuuenile.*

Per iuuenile, vegetum legerem, non exſiccata, carne prædĭtum, vox autem νεανικὸν quam iuuenilem verterunt interpretes, ſonat etiam ſtrenuum, validum, & ferox, nec non, & per magnum; quare dum ait iuuenile debere eſſe pectus præcipue de thorace, & ea parte, quam vocant os pectoris cõmuniter, intelligerem, quod Græci ſternon appellant, eſt itaque hæc ſententia.

Quod leo, & maſculum animal ſiue maris formam, quod conſecutum eſt, habeat latum magnum, & ſtrenuum, ac robuſtum pectus, & partem eam anteriorem, quæ inter mammas reſidens vſque ad principium ſtomachi deſcendit.

,, *Et Metaphrenum latum.*

Phrenes antiqui ſeptum tranſuerſum vocarunt, eſt autem membranoſus quidam muſculus, qui ſpiritualia membra diuidit ab his, quæ nutritioni deſeruiunt; quare pars dorſi quæ præcordijs obiecta eſt, propriè dicitur eſſe metaphrenum, quo loco ſunt coſtarum principia, & vertebræ quibus iunguntur, eadem de cauſa pars hæc erit etiam lata, quoniam calor prædominatur humori, & materia eſt obediens, efficitur igitur, vt facile dilatari poſſit, & dilatata deinde ſecundum naturam à multo calore exſiccatur, & valida, ac dura efficitur; hac igitur ratione animalia robuſta, & quæ maſculinam ſortita ſunt figuram latum habent dorſum.

„ *Robustis costis, robustoque dorso abunde præditum.*

Eadem etiam ratio afferenda est, cum superiori, nam robustæ costæ sunt, robustumque dorsum; si naturalem sortitæ fuerint magnitudinem, si carnem duram habuerint, si validis ligamentis iunctæ fuerint suis vertebris; si vertebræ magnæ, ac valenter simul coniunctæ steterint, quæ omnes passiones effectus sunt caloris naturaliter prædominantis, & materiæ parentis, ita, vt nullo negotio natura perfectè suas operationes, & munera possit perficere, quæ omnia ferè in figura fortis etiam exposita sunt.

„ *Coxendices non carnosas, nec coxas:* 10

Coxæ. Nihil horum habetur in textibus græcis, sed in latino vtroque meo textu legitur, (& sic habet etiam auctor thesauri græci) leonem habere dorsum, cui tribuuntur hæc tria prædicata, vt sit magnum, bene lateratum, & validum, tria enim verba idem illi significant; bene lateratum autem videtur vocari animal, cuius latera sunt firma, & valida, est autem proprie in homine latus pars corporis quæ sub axillis est, & supra os femoris, quo loco ensem ligamus, sic Virgilius

--Lateri argiuum accommodat ensem

Sic Cornelius Tacitus, *exsoluit à latere pugionem.*

Ponitur etiã firmitas laterum pro viribus, & spiritu, quare qui præditi sunt voce magna, & firma illos lateribus valere dicimus. Non nego tamen, quin qui masculinam formam sunt adepti clunes, natesque carne non multa, & dura vestitas ferant, nam hoc verum est, & supra id etiam confirmatum fuit; coxæ autem proprie vocantur ossa carne vestita, quæ ab inguinibus vsque ad genua producuntur, quæ sanè in robustis crassæ quidem, & osseæ sunt, & carnem non multam, neque quantam habent fæminæ possident, & quæ adest dura est, & fibrosa, & multis operta pilis, id enim validarum virium signum est. 20

„ *Incessum iuuenilem.*

In meo latino textu vno, atque altero desunt quædam, quæ in Basilienſi codice græco habentur, hæc autem sunt ad uerbum, incipiendo à Metaphreno. 30

Pectus iuuenile, & dorsum latum, & decenter, beneque lateratum, ac validum; amplius leo animal est habens clunes, & ossa laterum modica carne vestita, similiter etiam, & coxas, crura, & pedes robusta, & neruosa Incessumq; iuuenilem.

Quæ sanè omnia partim supra in figura fortis, partim ex his quæ diximus apparent, paucis etiam eadem percurramus. Iam declaratum est pectus iuuenile intelligendum esse ualidum, & strenuum, quæ affectio ex multo calore orta in pectoribus fortium, & eorum animalium, quæ masculinam nacta sunt formam reperiri solet, cur etiam dorsum latum eidem tribuatur, & quid per dorsum intelligatur expositum est; amplius quid sit bene lateratum, quid latus, & quomodo de leone dicatur, & de forti, ualidum etiam debet esse, hoc est aptum ad labores sustinendos quod causabitur à carne dura, & solida à ualidis, & fibrosis musculis, & à neruorum magnitudine multos spiritus motiuos deferente, qui multi sunt, quoniam illorum materia multa cerebro suppeditatur, hoc autem accidit, quãdo cor multos generat uitales spiritus, quos per arterias ad cerebrum transmittit, & multi sunt cũ naturaliter multum aeris inspiratur, & multus sanguis abundat, quod contingit quando cor est calidum, & uegetum, ut in leonibus, & in uere masculis, & integra ætate præditis. 40

Habet leo clunes, & ossa laterum, siue ilium, non multa carne uestita, secus in fæminis apparet, causam puto, quoniam maiore calore abundat qui pinguedinem sub cute, & mollem illam carnem, atque multo excrementitio humore præditam colligi, ac conflari non patitur; Addo autem ego non solum carnem esse decenter modicam, neque tantum esse,

in ma-

in maſculino, quam eſt in fœminino ſexu, ſed dico maxime differre, nam maſcula caro dura eſt, fibroſa, & aſperiuſcula, fœminea verſa vice eſt mollis, laxior, & lœuior.

„ *Crura, & pedes robuſta, & neruoſa.*

Profecto neceſſe eſt forti, & leoni id adeſſe, cum in eius pedibus, & cruribus anterioribus poſita ſit eiuſdem maxima vis, & potentia, vno enim anterioris pedis ictu ferratos thoraces, & loricas diſcidit ac lacerauit, & hominem qui venabulo ipſum vulnerauerat diſcerpſit; robuſta igitur crura ſunt, & pedes, quoniam neruoſa, & magnis tendinibus, & firmiſſimis ligamentis munita, quod ex robuſtiſſimo ac firmiſſimo vngue coniectari licet, cum vngues ſint extrema tendonum, in quos degenerant muſculi, & nerui, qui virtutem à cerebro ſuſcipiunt.

„ *Iuuenilem inceſſum, & totum corpus articulatum, & neruoſum.*

Iuuenilem baſim, legit Sueſſanus, & neſcio quid de ſpina, & de carina adiungit; An per inceſſum iuuenilem, ſtrenuum, & vt vulgo dicitur, reſolutum intelligemus? At ego hoc nõ ad pedes, ſed ad motum refero, vt ſcilicet ſtrenuè, & potenter incedat, & exultet, ceu de Ænea, & de Turno inquit Vigilius, cum illum leoni aſſimilat de ſpecula obſeruanti in cãpis meditantem prælia taurum, hic autem inceſſus eſt valens celer, exultans, vt vix terram pedibus ſummis tangere videatur, qui ſane inceſſus, & virtutis motiuæ robur, & caloris, ac virium præſtantiam arguit, cum enim virtus quæ mouet corpus valida eſt, bene attollit corpus, & leue adeo monſtrat, & agile, vt vix terram tangat, & vt ait ille.

Intactę ſegetis poſſit per ſumma volare
Gramina, nec curſu teneras offendere ariſtas;

Sic etiam dicimus totum corpus articulatum probe, & neruoſum, hæc dearticulatio ea eſt, quæ muſculos, & lacertos exprimit, cum igitur bene expreſſos videmus per totum corpus muſculos, illum virum, aut quoduis aliud animal dicimus, perfectè ac probe à natura elaboratum finita enim, & probe formata ſunt ſingula, quare perfectum totum eſt, & ad maſculam figuram refertur, cum autem ſic dearticulatum, & muſculoſum eſt corpus, illud ipſum eſſe neruoſum neceſſe eſt, nam ratione neruorum, qui muſculis ſpiritus, & virtutem motricem miniſtrant, ille artuum, & lacertorum tumor prominet, atque conſpicitur.

„ *Neque valde durum, neque valde humidum.*

Corporis maſculi, hæc etiam paſſio eſt, vt neque valde durum, neque valde ſit humidũ, ſed mediocritatem inter extrema obſeruet.

At primum ſubit dubitatio, quomodo corpus, & caro virilis dura valde non debeat eſſe? *Dub.* iam enim diximus, Herculi heroum omnium fortiſſimo nates oſſeas fuiſſe attributas, & ob hoc etiam quandoque Melampygum vocatum; amplius ſi idem, vt etiam Entellus, habebat, magnos lacertos, unde fit, ut carne priuatus ſit robuſtus, & fortis, lacertus eñ eſt caro.

Rurſus, & ratio perſuadet, quod ualde dura debeat eſſe caro robuſti, & virilis, nam ſi fœminilis caro eſt ualde mollis, & iam certum ſit, quod contrariorum, ſiue oppoſitorum ſint oppoſitæ qualitates, & diſpoſitiones, probabile eſt, in maſculis, & virilibus carnem eſſe mirificè duram; amplius infra de natibus loquens, dicet nates oſſeas fortem indicare, & oſſeũ durum eſt, quare in leone, atque in eo animali quod ſibi formam maſculã aſſumpſit, probabile eſt duram ualde eſſe carnem.

Contrariũ tñ hoc loco ſentit Ariſt. & forte ẽt id rõne confirmari poteſt; nã figura maſculi in ſuo genere perfecta eſt, perfecto, ut ſæpè dictũ eſt, cũ nihil deficiat, nihil ſuperſit, accidit, ut in mediocritate poſitũ ſit, ergo figura maſculi in mediocritate quadã ſita erit, quare & euis appẽdices, ergo, & caro neq. dura erit, neq. ualde mollis, ſed mediocriter diſpoſita. *Sol.*

Puta-

Putarem huic dubitationi poſſe reſpõderi, quod ſi per duram carnem intelligamus exſiccatam, qualem Ariſtoteles dat natibus ſimiarum, quod talis caro nullo modo conuenit forti, & hoc confirmatur ex eo oppoſito, quod illi appoſuit nempe neque humidam, humidum autem non opponitur duro, ſed proprie ſicco; quare puto ſic intelligendum, vt vir fortis, & leo, & quodcunque animal in ſua ſpecie maſculam ſortitum eſt figuram, & diſpoſitionem, ſit ita affectum, quod carnes illius neq. valde humidæ ſint, quales ſunt infantium, neque valde ficcæ quales ſunt ſimiarum, nam priores ſtupiditatem poſteriores malitiam, & dolos arguunt; at quando dicitur quod Herculi oſſeas carnes, & nates tribuebant non de carne exſiccata, & oſſea intelligendum eſt, ſed quod clunes magnas quidem propter oſſa, ſed pauca carne veſtitas haberet, eam tamen lacertoſam, & validam, & magnos qui lacertos heroibus tribuunt, non tamen ideo duros, hoc eſt ſiccos, ſed ſi quandoque duri appellabuntur, vox illa nihil importabit niſi robuſtos, & ſolidos non flaccidos, & remiſſos, quæ paſſio indicat ſpirituum inopiam, aut duri vocantur muſculi, & dura caro, ſi comparẽtur cum vulgaribus hominibus, ab hac perfectione declinantibus.

Et cum dicitur, ſi fæminiles carnes ſunt molles, & humidæ, ergo viriles debent eſſe ſiccę, & duræ, hoc non ſequitur, ſed ſi fæmineæ cũ tales exiſtunt carnes, vitioſæ ſunt, (etenim excedunt,) ergo quæ laudabiles ſunt, in mediocritate poſitas eſſe, probabile eſt, quid ergo per nates oſſeas intelligendum ſit, iam dictum eſt.

Dub. Sed rurſus dubitabitur quomodo humidum duro oppoſuit; An ſupra diximus, hoc ideo factum eſſe, vt intelligamus, durum non accipere, Ariſt. in hac ſignificatione, quod maxime tactui reſiſtit, ſed intelligere ſiccatum, vt ſit ſenſus, neque muſculi carnem plus iuſto eſſe debere ficciorem, neque humidiorem.

Qđ autem talis eſſe debeat caro leonum, & maſculorũ, & cur talis exiſtat etiã manifeſtũ eſt, nam in mediocritate poſita ſunt ea omnia quę perfectè ſecundum naturam conſiſtunt, quæ vero animalia nacta ſunt maſculam naturam illa perfecta ſunt, ergo in mediocritate poſita, tum ſecundum totum corpus, tum ſecundum partes, quare, & carnem ab vtroque extremo declinare probabile eſt, & ſic neque duram eſſe, neque mollem.

Notandum tamen cum mediocritatem dicimus non illam ſimpliciter, ſed humanæ ſpeciei intelligendam ita, vt maſculus neque ſiccatus ſit, vt ille Achemenides Virg. neque ita mollis, vt Atys Cybeles ſacerdos.

,, *Ambulans tarde, & magnificè incedens, & ſeſe in humeris cum incedit quatiens.*

Hæ ſunt paſſiones motus, & inceſſus magnanimi, quem Ariſtoteles in, ethicis tarde incedere dicit; cum enim rebus magnis intentus ſit, non velociter graditur, ſi enim calor eſt circa caput, aut circa cor non erit in pedibus. Cum autem magnanimus dicatur leo, iure etiam, & tarde incedet; illum aiunt, cum venatur, ſaltu feras inſequi, quas niſi ſecundo, aut tertio cæperit, indignatus deſerit, eundem cum periculo ſe ſubducit, ſcribunt, lente, ac tarde progredi, quaſi dedecus, & infamiam fugæ vehemẽtioris metuat, quæ ſola dedecoris, & infamiæ, aut verius culpæ nota, viro forti, & bono eſt metuenda.

Hanc incedendi rationem, vt arbitror, in Ænea expreſſit Virgilius, cum illum in quarto comparat Apollini, ſic etiam de Anchiſe loquitur, quem alijs celſiorem iuiſſe dicit, eſt autem proprius habitus nuſquam timentis, vt celſo capite incedat, frontemque ferat erectã, & audacter huc illuc ſpectet, Contra mulieribus conuenit, vt terram aſpiciant, & pudorem præſeferant; & hunc inceſſum dixerim illum eſſe, quem vocant magnificum, ſeu magnanimo quodam more factum, Hoc modo antiquos ſacerdotes pompas duxiſſe, legitur, & apud Apuleium inceſſiſſe eum, qui roſas obtulit, & corium illi dempſit a ſinistro.

Quod vero tarde, & magnifice incedentes humeros quatiant, hoc eſt, modo partem dextram, modo ſiniſtram moueant, qui motus crurum concomitetur, hoc re ipſa licet in-

ſpicere

ſpicere in his, qui militariter incedunt, aut luſus militares exercent; hos enim videbis ita progredientes, vt cum crure dextro ſimul dextrum humerum moueant, & cum ſiniſtro ſiniſtrum; quem incedendi modum in domeſticis catis, ſi quando vel ſe ſe efferunt, vel canē quemdam externum adoriri volunt, clare ſpectare licet, quod igitur id fiat certum eſt, cur autem id accidat obſcurum.

Dici tñ poſſe, q̄ qui tardè, & robuſte mouentur neceſſario totū corpus modo ſupra vnū pedē, modo ſupra alterū ſiſtunt, vnde cū firmati ſupra partē dextram procedere volunt, ne ceſſe eſt, vt non ſolum ſiniſtrum crus proijciant, ſed etiam ſiniſtrum humerum conuertāt, & aliquantis per in anteriorem partem inflectant, & ſic humeros ad ſingulos greſſus mo-
10 uere, & torquere videntur.

An etiam poſſet dici; quod robuſtum corpus bene compactum eſt, & fortiter ligatum, quare partes, quæ coherent totæ ſimul mouentur, cum igitur ſuperiora cum inferioribus aptiſſime cohæreant, per latera, in leone, & viro forti firmiſſime iungantur, accidit ad inferiorum motum, ſuperiora ēt eodem modo intorqueri, & humeros alternatim cōmoueri.

An tandem quædam ſunt proprietates, quæ ſequuntur naturam compoſitā vniuſcuiuſque, neque illis adſunt ratione propriæ materiæ, aut propriæ formæ, ſed propter nexum, quem habent materia, & forma ſimul? quod clare quandoque apparet in mixtione vini, & aquæ, contingit enim ſecundum varias complexiones vini, & aquæ ſimul ſaporem in diluto variari, & ille ſapor diuerſus non diluto, ineſt propter vinum, aut propter aquam,
20 ſed propter certam illam rationem, & habitudinem ſecundum quam aqua, & vinum iunguntur ſimul, ita etiam quod leo, ſic moueatur, neque à materia, neque à maſculi forma petendum eſt, ſed ab eo nexu quem leonis maſculi forma cum propria materia habet, quis autē ille ſit, & qua ratione cōſiſtat profecto me latet, quod etiā plurimis differentijs rerum materialium accidit, quale igitur ſit corpus leonis qđ deſcripſit Ariſtoteles, in quo tāquā in ſpeculo, vt diximus, licet formam, & habitudinem maſculi perfectè ſpectare patet.

In qua figura deſcribenda mihi videtur præcipue laboraſſe circa caput, & faciem, quā illi dedit eſſe 1. quodammodo 2. quadratam non valde oſſeam, ſed neque valde carnoſā, 3. cum mandibulis æqualibus, vt ſuperior inferiori non promineat 4. Frontem quadrangulā 5. in medio depreſſiorem 6. in ſuperiori parte frontis capillorum tricas mediocriter incur-
30 uatas, & pendentes verſus naſum, 7. ſupercilia ingentia, & tumidiora 8. ſupra quæ, & ſub fronte veluti nubes quædā ſuperſtat 9. oculos cæſios, & formidabiles quorum obtutus vix tolerare queas eoſdem non valde concauos, neque prominentes oblongiores, vt de Auguſto legitur, ſic enim charopos interpretantur, qui ſcilicet, & placeant, & timorem incutiāt, 10. naſum craſſum magis, & rotundum quam paruum, & ſubtilem, 11. caput totum reuerentia dignum, neque magnum, neque parum, 12. crines flauos, non planos, ſed neque valde criſpos, & hæc de capite, ſecundum Ariſtotelis mentem, leonino aſſeruntur.

Secundo loco, collum contemplatur, quod ait eſſe debere mediocriter longum, 2. & craſſum, 3. & commenſuratum, vt deceat caput, & corpus ad quod refertur.

40 Ad humeros, & pectus, & eam partem quæ vſque ad ilia extenditur, tertio ſe conuertit, docetque humeros debere 1. eſſe ſpatioſos, & latos, 2. fortes, 3. expanſos, 4. pectus iuuenile, 5. dorſum latum, 6. robuſtas coſtas.

Quarto loco ſunt oſſa ilium 1. magna 2. firma, 3. clunes non carnoſæ, ſed validæ 4. femorum oſſa magna dura, 5. crura robuſta, neruoſa, 6. pedes magni non minus, quam manus robuſti, bene compacti.

Quinto totum corpus ſpeculatur, 1. quòd mediocris magnitudinis eſſe debeat, nam pumiliones, & gigantes plerunque furioſi ſunt, vel fatui, & nullo corporis robore præditi, niſi penitus monſtra ſint; 2. item dearticulatum, & neruoſum, 3. neque valde exſiccatam carnem habens, neque nimium humidam, & mollem.

Sexto

Sexto tandem ad motum respicit, leonemque dicit, 1. tarde incedere, 2. adde, & magnos gressus facere, 3. magnificè, & superbè se mouere, 4. strenue, ac more quodam iuuenili progredi; 5. & dum incedit armos alternatim quatere; tot igitur proprietatibus leonem secundum corpus esse affectum docet, vt si has, vel his conditionibus similes omnes, vel plurimas in homine deprehenderimus, illum vel magis, vel minus ad leoninam, ac masculinam figuram accedere sciamus, & in eiusdem anima inclinationes insidere iudicemus, quæ similes sint ijs potentijs, quibus leo vtitur ad proprias operationes obeundas.

PASSIONES ANIMÆ MASCVLÆ. Cap. XXXIX.

„ *Quæ autem circa animam susceptiuum.*

DEscripsit corporeas leonis, siue masculi proprietates, nunc quænam sint animi dispositiones, quæ per has corporeas cognosci possunt docet, neque sane putandum est; omnes hic haberi, aut his habitis alias non posse inferri, nam non est difficile syllogismo, ex his quæ cognoscuntur plures, & ignotas addiscere, sic enim natura effectum est, vt ex notis nobis ad ignota transeamus, quæ plerunque notiora natura existunt, sicuti faciunt ægroti, qui ex sibi sanis, simpliciter tamen non sanis, ad ea quæ sana sunt simpliciter vsurpanda, non minus quam alij valentes perueniunt, cum hac ratione sanitatem receperint; nos igitur primum quid masculo, vel leoni tribuat Aristoteles, & cur videamus; deinde quidnam ex his attributis deduci possit speculabimur.

Primum igitur attributum est, quod leo, & animal masculinum naturaliter est susceptiuum, (legit latinus interpres,) ego acceptabile, & gratum cum Hesychio, legerem, nã vere leo videtur esse animal animi grati, si Solino credimus, & Plinio, referũt; enim, quemdam leoni obuium, in cuius pede spina hæserat, extraxisse, leonemque gratum se præstitisse, idem ferè Elpi Samio accidisse, cui in Africam e naui descenso occurrit leo hianti ore, ascendit homo arborem maxime timens, adhæsit arbori leo quasi precabũdus, ille audacior factus, anima duertens quid fera expeteret, descendit, ac de feræ dentibus infixum os extraxit; quo beneficio adductus leo, quo vsque in Africa Elpis mansit partem prædæ continuo illi attulit, quare de illius gratitudine nõ videtur dubitandum; ingenui enim, & magnanimi propria passio est gratitudo, quod etiam Plinius, & Solinus Ælianus, & Albertus in libro de animalibus testantur; Leo igitur animal gratum est, ac memor accepti beneficij, gratum autem illud dicitur, quod se debere agnoscit; & pro accepta gratia cum potest aliam referre tentat, aut saltem habere decet, cur igitur animum gratum leo, vel masculum animal habet? An sane quoniam magnanimum est, ac sibi fidens? Nõ certe hoc videtur esse verum, nam magnanimum dicit Aristoteles, libenter quidem facere, At non libenter beneficium accipere, an id dicere est petere principium? nondum enim ostensum est, magnanimum esse, sed tantũ gratũ, alia igitur ratio inuenienda, & forte hæc est, quæ à natura, ac rei ratione pendet, si quidem leonem, & quod cunque perfectam figuram masculinam susceperit, dicimus igneam quamdam referre naturam in suo genere, & plurimum propter hoc, formæ participare; proprium autem est formæ, & ignis agere, se ipsamque propagare, pro ratione, ac natura eius quod potest susciperе, sicut igitur accensa candela, quæ accepit ignem alijs non solum cõmunicare potest, sed nec ideo quidquã de suo deperdens communicat, ita animal quod perfectum est, quam accepit refert gratiam, sibi enim fidit, quare eadem confidentia, qua ductus accepit, eadem etiam beneficium restituit; Putoque

signum

ſignum grati animi illud eſſe præcipuum, quod docet maxime perfectum eſſe animal, & optime figuram maſculinam adeptum, quod eſt habere corpus moderata magnitudine præditum, totumque optime dearticulatum, & commenſuratum, præcipueque facies illa verenda ſimul, & amabilis, cum ea nubecula grauitatem quandam ſupercilij decoram indicante, grati, & bene nati, ſiue ingenui animi, ſignũ eſt, videtur quoque, & hanc eandem eſſe iracundorum paſſionem, qui enim ea bile abundant, quam vocant ſubtiliorem ſanguinem, purpureum quidem, & florentem, illi ad amandum promptiſſimi ſunt, & liberales admodum, & quod beneficium acceperint, libentiſſime referunt; hanc videmus eſſe iuuenum naturam, qui ad liberalitatem prompti ſunt, ſenes è contra auari, & illiberales, iuuenis igitur naturam ignis ſapere videtur, vt, & libenter res ad ſe trahat, in ſe ipſum vertat, & libenter etiam ſe ipſum rebus alijs cõmunicet; eſt ergo gratus leo, & cur patet ex his. *Ingenui animi ſignum.*

Ad hanc naturam neſcio quo pacto vir bonus, & iuſtus accedit, eſt enim maximè ſecundum eſſentiam ſuam, & naturam diſpoſitus qua propter mas eſt, ergo & bonus & ob id, & benefacere, iuſtumque, & gratum, eſſe vult.

Alij leguut acceptiuum, hoc eſt manſuetum, at hoc replicaretur.

,, *Liberale.*

Hoc eſt ſecundum attributum, & ſane ſi eſt gratum probabile etiam eſt, vt ſit liberale, illum dicimus eſſe liberalem, qui ſuas fortunas cum alijs cõmunicat, aut etiam alienas oblatas accipit, provt recta ratio poſtulat, nunc quoniam de hac liberalitate non loquimur, non enim leo habet rectam rationem, quinimmo neque rationẽ vllam, ideo per liberalitatem intelligemus propenſionem naturalem ad participandum cum alijs, quæ bona nobis adſunt, aut à fortuna oblata, aut proprio labore parta, aut quauis alia ratione quæſita, quo ſane modo, & puerulos dicimus liberales, qui nuces, aut edulia ſua cum ſodalibus cõmunicant, & ſic canes nonnullos meliteos, qui facile patiuntur alios ſecum cibum capere, dicere ſolemus liberales, quod autem leonibus hæc inſit paſſio teſtatur Ælianus qui ait, quas venati fuerint feras, cum ad ſatietatem cibo repleti fuerint, alijs ſuperuenientibus reliquias non inuident, quod de aquila etiam me legiſſe memini, & apud feras huiuſmodi liberalitas erit ea, quam Solinus ex Plinio (niſi fallor) fæminas, & pueros à leone exterreri ait, nonoccidi, ſed impune dimitti, niſi cum vehemens fames illum agitauerit, quod ergo veſtigium liberalitatis in leone appareat ex hoc manifeſtum eſt.

Neque mirum hoc videatur, virtutum, aut vitiorum exemplaria, & figuras in quam plu ribus animalibus reperiri, nam merito id factum eſt, vt ſingula in hãbitu, & à principijs internis de potentia materiæ educta ineſſent ſingulis animalium ſpeciebus, quæ deindè vniuerſaliter in prima potentia omnia ſimul eſſe debebant in homine, qui ope intellectus, & liberi arbitrij vſu, eas ad habitum, & ad energiam reuocaret, quæ illi placerent, & ſicuti cęterorum animalium forma in ratione quadam certa eſt poſita, ita humana forma nihil eſt præter ipſam rationem ſimpliciter; Quæ forma ſimpliciter, natura, ac ordo omnium, quæ hic ſunt dici poteſt, iure igitur antiquorum quidam, hominem vniuerſi compendium dixere, cuius humanę formę, exemplum mihi ſuggerit dictum illud, de omni, & de nullo, vnde forma ſyllogiſtica fluit, & à qua ſimpliciter omnis ſyllogiſmus vim capit. *Cur in brutis quædã ſint virtutum exẽpla.*

Cæterum ad propoſitum reuertentes dicamus, cur leoni, & viro vere maſculo inſit liberalitas.

Crederem cauſam eſſe, quoniam leo fortis eſt, ac robuſtus, non igitur timet, ſed ſibi fidit, qui autem ſibi, ſuiſque viribus confidit, neque timet quidquam, idem etiam fame, & inopia non metuit opprimi, & talis non eſt auarus, neque admodum copiarum partarum amator. Hic autem ſecundum liberalitatem diſpoſitus eſt, nam hæc eſt liberalitatis proprietas, vt non admodum tangatur rerum externarum, & diuitiarum deſiderio, ſequitur

igitur

igitur hac de causa, vt leo, & qui naturam leonis refert, ceù vir vere masculus sit omnino liberalis; Vnde potest, tanquam à signo præcedens prædicatum confirmari: nam si liberalis est; ergo libenter dat quibus debet, ac libenter eorum quæ accipit meminit, talis gratus est leo igitur gratus.

Dub. At primo aspectu poterit credere aliquis ingratum potius, quam gratũ naturaliter debere esse liberalem, eum dico, non qui virtutem liberalitatis, sed qui tantum propẽsionem habet ad dandum, cum sit sibi fidens, & nusquam timidus; Primum sanè id potest confirmari ex Aristotele dicente magnanimum libenter beneficium facere, pudere vero si receperit, naturaliterque despicere quam plurima, quæ ab alijs mirificè quæruntur, ex quo sic potest argui, demostrando liberalem non esse gratum; nam si magnanimus est liberalis, magnanimum autem pudet accepisse beneficium, & quem pudet, ille etiam dolet, dolens autem se accepisse beneficium, gratus esse non potest, patet quod liberalis non sit gratus, Neque gratus sanè liberalis, nam si dolens se accipisse beneficium gratus esset, cum grati proprium sit læto, & hilari animo beneficium rependere, patet, quod gratus propter acceptum beneficium lætus non erit at lætitia, & dolor contraria sunt, quæ simul in eodem subiecto esse nequeunt, amplius si magnanimus despicit naturaliter, & se dignum multo maioribus rebus putat, quam illa, quæ recipit, qui talis est, non solum referre gratiam, sed ne agere quidem vult, liberalis igitur omnino non erit gratus.

At ex oppositο, & ratio idem confirmat, proprium enim liberalis est dare quibus debet, quando, & quomodo, præcipuè autem debet dare ei, à quo accepit, quare gratus est liberalis, non minus enim in accipiendo, quam in dando consistit liberalitas, idem autem videtur Aristoteli, & in ethicis; quare omnino eiusdem generis sunt gratitudo, & liberalitas.

Sol. Ad solutionem autem prædictorum dicendum est, magnanimum quidem non libenter beneficium accipere, quoniam id suæ imperfectionis quoddam testimonium est, libentissime tamen gratiam refert, nam id ipsum, se nihil dante inferiorem nihilque ipsi cedere do cet; hoc igitur libentissime facit, accipere autem beneficium dolet; neque etiam, si dignum se putet rebus magnis, ideoque beneficium acceptum non admodum curet, sequitur, vt sit ingratus, vt enim vir pudens non libenter petit ab amico mutuam pecuniam, quoniam & egere, & alijs incommodo esse dolet, cum autem potest libentissime debitum restituit, ita vir magnanimus quãuis nõ hilari aĩo beneficiũ accipiat, lætissimo tñ idem ipsum reddit, & quasi quod debet, ex soluit, sic enim se met ipsũ in libertatẽ vindicare quodãmodo iudicat.

„ *Et magnanimum, & victoriæ amans.*

Prædictis, duo alia addit, quæ ex eodem fonte, ijsdemque pendent principijs, si enim gratum est, & liberale genus animalis leo, idemque vt dixímus in calido, & sicco statutam habet naturam, cum calidi, & sicci ratio cum igne ferè eadem sit, ignis autem proprium sit alijs supereminere, aliaque continere elementa, & perficere, vt forma quædam, quodque alijs excedit suspiciendum est, & valde bonum, quare & honorabile, quoniam bene facie, aut bene facere potest; sequitur, igitur quod liberale, & id animal cuius ratio in calido, & sicco posita est, fit valde honorabile, quod est huiusmodi magnanimum est, & magna tantum coniectat; ergo leo, & homo quicunque virilem animum, & vere masculum habet, magnanimus etiam est.

Magnanimitatem in leonibus esse, vel auctoritate omnium ferè scriptorum confirmatur, qui leonem magnanimum vocant; Notat Plutarchus Antonium in triumpho curru vsum fuisse leonibus tracto, vt doceret magnanimos suis armis cessisse, ipsum quoque leonem, inquit Solinus cum à canibus, & venatoribus premitur, ancipiti recessu timorem dissimulante contemptim abire, si in campis nudis, & patentibus vrgeatur, quasi testem ignauiæ reformidet; perinde ac honoris sensum haberet, hoc igitur magnanimi opus, & proprietatem

prietatem esse volunt sicut, & non nocere inferioribus, & puerulis, aut fœminis, quas contemnit præteriens, quod ergo quædam magnanimitatis vmbra sit in leone, & cur ex his patet.

Amare etiam victoriam dicitur, & id in lib. de historia animalium testatur Aristoteles, & dum feras venatur, generose illas sequitur; sæpè pro sola victoria dimicans, causa eadem est, nam si supereminere cupit, ergo, & superare, ergo, & victoriæ amans est; mansuetum etiam esse, cum primum cicur factus est, & ludis, ac iocis delectari, cum non est ieiunus, nam ieiuno stomacho non placent ioci, docet Ælianus, & Plinius.

Refert Aelianus Berenicem vnum mansuetum habuisse, qui illam lambebat, & lingua tergebat, Hanno Chartaginensis alium ad clitellas, & onera ferenda mansuetum aptabat, videtur autem ideo mansuetum fieri quoniam gratus est, qui enim grati sunt, beneficijs deliniuntur, & captantur, & cum delectantur his rebus, habitu facto mansuescunt; Quod ergo leones grati liberales sint, magnanimi, & victoriæ amatores, & mansueti ex prædictis clarum. Quæ si uera sunt, ut dicuntur.

Mihi sanè videtur, leonis has omnes passiones ad appetitum irascibilem pertinere, qui maxime secundum naturam in hac fera dispositus est, eo modo, quo secundum habitum rectæ rationis in homine deberet esse, vt natura homini exemplum quoddam proponere voluerit, à quo doceretur vsum irascibilis appetitus, & quomodo illum vsurpare deberet; irascibilis enim obiectum est contemptus, & ignominia, & huic opposita passio, exstimatio bona, & honor, sicuti concupiscibilis est iucunditas, & molestia, quę desiderium aut desiderij frustrationem, aut assecutionem consequuntur; propter irascibilem igitur potentiam recte se habentem tales homines sunt, vt mansueti, magnanimi, laudis, & honorum cupidi vocantur, quare, & grati, & liberales, sic enim cum fecerint, bene audiunt, & laudantur, quod valde cupiunt.

Videtur autem quod masculinam formam susceperit magis ex irascibilis, quàm ex concupiscibilis appetitus præscripto viuere, vnde iram melle dulciorem dicebat Homerus, fluere per pectora virorum fortium, & magis venia dignum ducimus eum, qui ira perturbatus peccat, quam qui victus cupiditate rectum animi non seruat; fœminas etiam politici in domo referre appetitum concupiscibilem, filios autem, masculosque adolescentes irascibilem dicunt, promptior autem, & paratior est ætas adolescentium ad perfectionem rationis accipiendam, & ad viuendum secundum ipsam, quam sint mulieres, quas iam ex Aristotele rationem inualidam habere diximus, partem corporis, quæ potissimum potest esse signum desiderij victoriæ, & magnanimitatis, puto esse oculos, & supercilium illud, quale supra expressimus; memini enim plures magnanimos, & victoriæ appetentissimos, tales, & legisse, & vidisse, quod in Alexandro Magno præsertim, & in Iulio Cæsare, & in Augusto notant scriptores, oculi lucidi, clari subnigri, quasi micantes cum quadam dignitate seueri, eiusdem etiam qualitatis sunt quædam aliæ notæ, quæ illi ab Aristotele in libro de historia animalium assignantur, quod nimirum sit generosus, sit fortis iracundus, & terribilis si lædatur; nam diximus esse calidum, & siccum, igitur iracundum; magnanimum autem, quare, & generosum etiam, & quoniam talis est, etiam suis viribus maxime fidit, strenuumque, etiam eundem esse probabile est, ac valde simplicem, & ab omni dolo, & suspicione remotum, ait Plinius, & vt equus generosus auribus, sic ille cauda animi sui motus indicat, quod proprium est magnanimi, vt à dolis, atque fraudibus distet nihil enim videtur esse vulpi cum leone commune, quare cum animi suos affectus non abscondat, signo aliquo manifestare debet.

„ *Iustum*.

Iustitiam in leone proprie dictam esse, non est cur quis credat, ait enim Aristoteles primo politicorum, soli homini sensum inesse iustitiæ.

At cum dicimus iustum leonem intelligendum est, masculi operationes vestigium iustitiæ continere talesque esse, vt similes sint illis, quæ à iusto homine proficiscuntur.

Iustitiæ propria ratio est, neminem lædere, & quod sibi aliquis nollet, alij non facere, quæ sunt diuina præcepta, est enim iustitia, quæ in se virtutes continet omnes, præcipuè tamen eum dicimus iustum, qui neminem lædendo, quod suum est cuique decenter reddit, neque alijs facit, quod sibi fieri nollet, talem ex historia videtur leonem esse, legitur enim apud Ælianum, leonem aliquando tale quid peregisse.

Fuit quidam qui vrsam, canem, simul, & leonem alebat, quodam die vrsus per procacitatem, & petulantiam canem contubernalem occidit, & vorauit; hoc viso exhorruit tantam iniquitatem leo, & vrsam adorsus truculenter dilaniauit, similiter cum Aristotele idem Ælianus, vt leonum monstret iustitiam ait, si quis leonem aggreditur, vt lædat, ille primum cauda terram, deinde tergora sibimet flagellat, nescio quodãmodo calcaria addens, & ad rem gerendam se ipsum incitans; cum autem qui adoritur si prior vulneratus, sit inclementer vulnerat, sin minus, & exempli gratia iacto telo aberrasset, leoni sat est hominem prostrauisse, ac perteruisse, ita vltionis seruat modum, at quem pro dignitate, ac pro rationis rectæ modo pœnas, & præmia tribuentem videmus, illum iustum vocare solemus.

Quodque masculis, vt leoni, iustitiæ insit vestigium, sic persuaderi potest, nam viris excellentissimis, vt Scipioni Aphricano, Tito Manlio, Fu. Camillo, Agesilao, Aristidi, Pelopidæ, Epaminondę, Socrati, & vt, nonnulli dicunt Herculi etiam cum robore animi iuncta fuit iustitia, viris igitur apprime cordatis, & masculam figuram referentibus iure iustitiam inesse dicemus, causa hæc esse forte potest; quæcunque animalia (quod in mulieribus, & vulgaribus hominibus certissimum apparet) cupiditati magis obediunt, & affectibus voluptatum, illa magis iniusta esse videntur, si autem affirmatio affirmationis, negatio negationis erit causa, quare si cui inest multum cupiditatis, illi inest parum iustitiæ, ergo cui inest parum cupiditatis illi multum inerit iustitiæ.

Cum itaque ijs quæ vere sunt masculæ parum adsit cupiditatis, neque facile à desiderio eorum, quæ offeruntur, se trahi sinant, ergo illis quæ vere sunt masculæ, animalia, quales sunt leones multum inerit iustitiæ, si comparabuntur cum fœminis sui generis, eò quod minus videntur cupiditatibus seruire; unde factum, aiunt, difficilius esse cassibus masculas capere vulpes, quam fœminas, quoniam minus se vinci ab appetitu sinunt, quod etiam de leonibus legi.

„ *Et amans eorum cum quibus versatur.*

Nam si gratus est, si iustus necesse est etiam, amet eos cum quibus versatur, cum ab illis, & cibum acceptum referat, & beneficio affectum se sentiat, causam autem puto in eius habitudinem naturalem reijciendam esse, nam cum siccus sit, si à teneris obedire, & ludere cum altero assueuerit, facile mordicus, quem recepit, morẽ retinet, in hoc à simijs, & à lupis differens, quarũ mansuetudini raro fidere potes. At profecto si vera sũt quę apud recẽtiores

auctores de leonibus legi, & præcipuè apud Ioannem Leonem Africanum, si etiam quæ audiui ab ijs, qui leonum curam gesserunt, qui eos tractarunt, ac venati sunt, qui que mansuefecerunt, & gubernarunt, aut dicendum est hæc fabulosa, & vana esse, aut leones mutauisse omnino naturam, non secus atque populi quidam, qui cum olim ferociſſimi, ac fortiſſimi, & sapientiſſimi essent, nunc inertia summa, & ignorantia oppressi viles, & abiecti viuunt; vt enim videmus non Parthos, non Græcos, non, & Italos, esse eosdem, qui olim fuerant, sed longe alios mores habere, ita (ni penitus falsum velimus hoc loco, & in libris animallium dicere Aristotelem) necesse est credere mutatam esse leonum naturam, illiberalem, iniustam, crudelem effectam. Narrat Ioannes Leo.

In desertis Numidiæ ferociſſimos esse leones, qui audeant centum homines adoriri, & quem primum occiderint, rapere iterumque redire, pueros fæminasque indifferenter discerpere, inter se ferociſſime pugnare tempore coitus, vni leæne pleroſque incumbere, illamque sequi eo, quo canes apud nos more; Audiui quemdam aluisse leonem cum quo ludere solebat, videbaturque mansuetiſſimus, tandem cum Romæ præsentibus quibusdam periculum facere vellet mansuetudinis illius animalis, ijsque ostentare, quantum cum Rege feratum ipsi liceret, dum pecudem quādam voraret, accessit, ac manu caput attigit, vix tactus leo, nulla adhibita cura, nullaque mora hominem miserum vnguibus in pectore impactis, subito necauit, extractaque illius interiora cupientiſſime vorauit, relicta quam prius comedebat oue: Aliud etiam virtutis leonis nō dissimile exemplum Florentiæ contigit, custos leonibus de more cibum de quadam satis alta feneſtra porrigebat; assultabant leones, vt citius cibum assequerentur, quidam ex leonibus cæteris vegetior, ac robustior, strenue vsque ad labrum feneſtræ peruenit, hominem arripuit, & secum in carceres detraxit, accurrerunt quot quot aderant leones, & omnes miserum custodem illos cibare solitum dilaniarunt, hæc igitur est eorum iustitia, hic illorum lusus, & iocus, Generositatis specimen non minus narrat idem auctor de leonib. montanis: Ait enim illos adeo viles, & ignauos esse, vt ceu lupi, solas oues aggredi audeant, & à pueris baculo se abigi sinant, vnde in Africa tractum dicunt esse prouerbium, cum in aliquē timidum, & degenerem animaduertere velint, soleant vocare, illum esse generosiorem, & fortiorem leonibus montis Atlantis; hi enim, vt dixi vel à solis fœminis se verberari patiuntur, quare uel Aristoteles famam secutus est, uel ita de leone locutus est, ut corporis uirorum fortium notas quasdā, quasi ad oculum offerret, quibus obseruatis uir masculus cognosceretur, quo etiam modo in geometricis supponimus lineam bipedalem esse, quamuis nullo modo sit bipedalis.

FÆMINEI CORPORIS, ET ANIMI qualitates. Cap. XXXX.

„ *Pardalis autem, inter ea quæ fortia videntur, fœmineæ formæ magis est, nisi secundum crura, his autem operatur, & aliquod opus fortitudinis facit.* 10

PArdalem, quam vocat, puto esse pantheram, quæ in specie pardi, fœmina est, quamque, vt vrsam, dicit esse in sua specie ferociorem, quam sit masculus; primum igitur dicamus, quænam sit Aristotelis intentio, cur pantheram potius quam leænã acceperit, aut aliquam aliam molliorem si genus fœminile designare volebat, deinde quod sit talis tum panthera, tum quæ per hanc designatur mulier.

In memoriam reuocandum est, prima diuisione distinctum fuisse humanum genus in marem, & fœminam, quæ distinctio omnibus perfectis speciebus communis est; deinde enumerata sunt, quæ virilis, siue masculi corporis videntur esse indicia, & quænam accidentia sequi soleant secundum animum, ea animalia, quæ sortita sunt tales corporis notas. 02

Quæ, vt facilius memoria tenerentur tanquam exemplar nobis proposuit leonem, in quo omnia illa masculini sexus signa animaduerteremus, simulque quasi speculando illud ipsum in eius anima agnosceremus propensiones quasdam, siue habilitates, ex quibus, ceu argumentantibus in tertia figura, tandem consurgerent quædam propositiones vniuersales, quibus in exercenda hac arte vteremur, ceu regulis; vt cui inest frons quadrata cum antijs, seu tricis capillorum, flauioribus naturaliter conuexis, & supra nasum pendentibus illi inest liberalitas, & animi magnitudo, aut cui inest incessus tardus cum motu humerorum illi inest gratitudo, & iustitia, & huiusmodi, cum igitur ea quæ ad masculinum sexum pertinebant sint executa, nunc ad fœmininum contemplandum se conuertit, eodem modo in fœmina omnium simpliciter perfectissima, demonstraturus exemplũ 30 dicendorũ. Cur autem pantheram potius, quam leænam acceperit, aut equam, aut aliquã aliam fœminam, vt ceruam quæ ualde timida est, timorque mulierum est proprium, quæ-
Dubit. rit Suessanus, & dubitationi respondẽs ait, hoc ideo factum esse, quoniam sunt tres species sub eodem genere proximo communi quidem, innominato tamen, leo scilicet pardus, & leo pardus, quas simul misceri docet, non secus atque equi, & asini apud nos, medium esse leopardum, extrema leonem, & pardum, quare uidentur esse eiusdem speciei hæc tria animalia, dicit, autem, non accepisse leænam, quoniam nimis participat naturam masculinam, quasi uelit hic dicere pantheram esse penè eiusdem speciei cum leone, sed quoniam mas, & fœmina secundum qualitates uidentur opponi, & magis leoni opponitur panthe- 40
ra, quam leæna, ideo de panthera, non de leæna mentionem fecit, quæ scilicet secundum ipsum Suessanum, videtur esse mollior, & minus fortis, quam sit leæna, quasi dicat si Aristoteles equo virum comparasset, asinæ mulierem debebat assimilare, quoniam minus generosa est quam sit equa.

At hæc sua positio non est vera, etenim si quid & Aristoteli, Æliano, & Plinio, & recentioribus credendam est, ferocius multo est animal panthera, quam leæna, & leonem aggredi non timet, atque cum illo pro cibo, & pro fætu dimicare, neque Hyrcanæ Tigridi omnium animalium, quæ cognoscuntur, crudelissimæ, ac ferocissimæ vllo modo

cedit

cedit, neque est ut asina inter species animalium, quæ solidam habent ungulam; putarem igitur ego, pantheram ab Aristotele acceptam fuisse, vt ostenderet qualis est fœmina inter ea animalia, quæ fortitudinem sortita sunt, & quæ generosa nuncupantur, & ideo attulisse pantheram, vt exemplum fœmineæ fortitudinis haberemus perfectissimum, in sexu fœminili; hoc autem est panthera, non ergo fœminam simpliciter nobis vult describere Aristoteles, sed fœminam fortissimam, & quæ in genere fortium sit cæterarum idea, dico autē fortium, vt fortes, & robusti generari possint, fortes enim creantur fortibus, & bonis, & vulgo apud nos dicitur, quales vxores tales solere filios, in ijs etiam, quæ sunt non sensitiua eadem est ratio; nam quæ in montanis frumenta nascuntur, ex eodem semine ab his quæ in campestribus creantur, longe diuersa existunt, vt nihil penitus communis in pondere, & in colore, & sapore habere ferè videantur; non ergo Aristoteles pantheram speculandam accepit, eo quod effeminatior sit leæna, sed quoniam est ferocior, & perfectior, & dignior, quæ iungatur siue opponatur leoni; ut fœminam mari, quare putandū est animalium genus quoddam esse quod forte, & robustum dicemus.

Fœminis fortitudo qualis.

Hoc diuidatur, secundum marem, & fœminam, fortissimum, marem esse, vt leonem, fortissimam fœminam, vt pantheram, ex his fortissimis deligendi sunt viri, & fœminæ, quæ secundum se probe dici possunt, & si cui viro aut fœminæ hæc inerunt accidentia, ex his orientur filij, optimi, in vtroque sexu, & secundum se perfecti.

Hanc igitur puto causam cur Aristoteles pantheram potius, quam leænam selegerit, & vrsam, quoniam vrsa nescio quo modo, casu factum, & ineptum, & turpe gerit corpus, at panthera tota pulchra est aspectu, quę videtur propria fœminarum perfectio, & vt quidam volunt odorata, quo aspectu, & odore feras reliquas, vt dorchadas, & hinnulos ad se allicere, allectasq. deuorare dicitur, sic igitur iure dixit Aristoteles, panthera inter ea quæ fortia animalia siue audacia, & robusta dicuntur, tenet primas partes in sexu fœmineo, quod inter animalia robusta, & audacia generis fœminei panthera sit omnium perfectissima, docet, & omnes partes habere, quæ naturam fœmineam decent, exacte, præter vnica crura anteriora quibus non minus quam leo potenter, ac strenue operans magis masculinum refert organum, quam fœmineum, pantheræ enim crura, & anteriores pedes mediocriter crassi robusti non carnosi duris, & strenuis unguibus sunt armati, vt non minus quam leo his pugnet, uenetur, & se tueatur; est autem fœmineæ temperaturę ratio in frigidiore, & humidiore proportione, quam uirilis posita, ita, ut fœmina uiro sit frigidior, & humidior secundum totum corpus, quamuis forte secundum aliquam partem superet, sicut autem se habet mulier ad uirum in specie humana, ita simpliciter in genere animalium perfectorum, & eorum præcipue quæ audacia, & robusta uocantur, se habet panthera ad leonem, quare sicuti leo est idea uirilitatis perfectæ, ita panthera perfectam nobis fœminei sexus ideam proponit; hanc igitur arbitror esse Aristotelis sententiam; est itaque, talis panthera, præter quam in anterioribus cruribus, & pedibus, & causa diuersitatis est quoniam his exercetopus forritudinis, quoniam unguibus, & uenatur, & quæ apprehenderit fortissimè tenet.

Habet enim faciem paruam, os magnum.

Quod talis sit panthera, nempe facie parua prædita comparatione corporis, id ipsum docet experientia, & qui uiderunt uiuas testantur, os latum illi commune est cum omnibus carniuoris, adde quod inter fœminas hæc omnium audacissima est, naturaliter tamen in genere hominum mulieres omnes habent faciem, & os uiris minus, causam credo, qm minoti sūt calore circa partes illas præditæ, & pauciorē nactę sūt materiā, unde, & caput minus existit, & minus ēt os, nisi necessitas aliměti cogat, quare cū panthera p capitis natura

minus deberent os habere, quam aliud genus fœminile respectiue, aut saltem quam pardi mares, eandem tamen cum illis sortitæ sunt latitudinem, propterea quod tali oris rictu necessario egerent propter cibi, quo vescuntur naturam, & quamuis audacter pro magno reposuerit paruum Porta, puto tamen ita legendum, vt stat.

,, *Oculos parvos, concavos, albos.*

Tria sunt oculorum huius animalis attributa, quod sint parui, neque possunt esse rationabiliter magni, cum caput paruum sit, & animal sit totum aspectu pulchrum, paruos autem non solum vocat Plinius, sed similes oculis felium, vt scilicet cum luna eorum radij augeantur, & minuantur, in sole hebescant, in tenebris radient, aeris autem, aut marini fluctus colorem imitantur.

An sanè causa, cur parui sunt oculi, hæc vna est, quoniam spirituum multitudo, ac calor vegetus igneus, & dilatans est mediocris, neque quantus, est in leonibus, aut quoniã panthera animal capite sicco præditum est, & sicco cerebro, ceu cati domestici, concaui autẽ sunt, quoniam parui, nam si magni exerti essent, aliter enim in paruo capite stare nequirent, concaui malitiosum indicant animum, & sane hæc sunt symptomata duo, ab eadẽ, vt puto, causa prouenientia; nam cum parui sunt oculi, & concaui, siccitas adest, & calor, & spirituum quantitas moderata, minus igitur mouet à centro ad circumferentiam, vnde sequitur, quod & minores, & minus porrecti, & exerti appareant oculi, & sic magis concaui esse videantur, albos autem dico hoc est cyaneos, & ad aeris colorem accedentes, quẽ colorem plerunque in felium oculis deprehẽdimus, & ab eadem causa fieri colorem hunc Galenus in libro artis medicæ dixit, mediocritas enim spirituum cum siccitate quadam, & luminis abundantia tales causat oculos, quales videmus in noctuis, & in domesticis felibus, quorum oculi noctu lucent; quòd pauco humore, & multo lumine eorum oculi abundent, est autem paucus humor quoniam oculus est paruus, & quoniam paucus est aqueus, & vitreus, & siccus humor christallinus, ideo est lucidus admodum, quo fit, vt noctu magis videre possint, quam ea animalia, quæ nigros habent, non credendum tamen est, pantheras, & huiusmodi animalia, quæ oculos cæsios, vel glaucos, vel, vt vocant, noctuinos habent noctu, & in tenebris melius, quam interdiu videre, hoc enim falsum est, nam media nocte in tenebroso cubiculo occlusis fenestris, & sublato lumine sic male, pene videt noctua, vt homo, quod experientia compertum est, & assertum ab excellentissimo viro, qui ornithologiam recens scripsit, vnde animalia hæc non tota nocte, sed sub vtrumque crepusculum in dubia luce, venari solent, nocte autem intempesta, ipsa quoque quiescunt, vnde rustici instare diem suspicantur, cum volantes noctuas, aut bubones etiam obscura nocte animaduertunt.

Malitiosi signum.

Aldr.

,, *Ipsoque circum vagantes magis.*

Quarta est oculorum, pantheræ proprietas, vt sint circum vagantes, hoc est, vt puto, sint in continuo quodam motu, & circum circa rotari videantur, memini enim me diligenter oculum huius feræ inspexisse, eumq. deprehendisse, non stantem loco sed continue agitatũ non secus, atque stellæ nobis nictari, & scintillare continue apparent, quo motu, & agitatione quamdam acerbam, & superbam sibi comparabat speciem, vere toruam, & timendam, vt non iniuria, & Aristoteles, & Ælianus eius aspectum cæteris feris, timorem incutere dixerint, circum agitatio ea forte à spiritibus exoritur igneis, & pauco humore temperatis, circum vagatio enim agitatio est, ac motus, motus autem motorem arguit, motor est spiritus, hicque, vel quoniam calidus est, vel quoniam continue mutatur è mutabilissima animalis phantasia, & cupidissima, facit illam oculorum præpetem, & continuam agitationem.

Pron-

„ *Frontem longiorem, verſus aures rotundam magis, quam planam.*

Quidam legunt frontem anguſtiorem, quam ſcilicet leones habeant; aſt id mihi ferè idem eſt, nam illi quadratiorem habent, pantheræ oblongiorem, eſt alius textus, qui frontem longam, & aures paruas, & rotundas legit, quam lectionem peruerſam vocat Porta, ſed tamen aures paruas mihi videtur habere panthera, & rotundiores, & mulier etiam omnis viro minores aures ſortita eſt, adde, & rotundiores, nam minus etiam naturaliter eſt os, quod illis aliqua ratione reſpondet, dicamus itaque frontem eſſe longiorem ſi comparetur cum leonibus, non quoniam reuera ſit longior quoniam illud fieri nequit, cum minus habeat caput, ſed longior videtur, quoniam anguſtior, vt longiorem iudicamus hominem cuius corpus eſt ſubtilius, & tenuius quamuis ſit breuior eo, qui paulo pleniori præditus eſt habitudine, cauſa eſt, quoniam, ſi pulchrum, & ſymetrum eſt caput pantheræ, cum ſit minus neceſſe eſt etiam proportionate minorem eſſe frontem, & arctiorem, & ſucceſſiue diminuta, latitudine videri longiorem, rotundam autem verſus aures, ſi quidem ea in parte retrahentur pili capitis; At non hoc mihi videtur ſentire Ariſtoteles, ſed partem, quæ circa tempora tumidiorem eſſe, & in ſphæræ, aut pilæ, aut portionis globoſæ formam attolli, id enim in his animalibus animaduertiſſe videor, vt pars frontis quæ prope aures apparebat, tumidiuſcula videretur, quod ſignum audacis ſuperbiæ in ſuo genere manifeſtè docet, audax, ſuperba, & immitis eſt panthera, vt pote quæ teſte philoſopho, numquam cicuratur, neque obſequijs vllis deliniri, aut manſuefieri poteſt, ſic igitur rotundam magis, quam planam, legerem, vt rotunditas illa, nõ circulum, ſed tumorem quemdam indicet, quod etiam denotat vox illa (non planam) quæ ſi de figura circulari loqueretur, fuiſſet ſuperflua; nunc autem vt intelligeretur, rotundam, ideſt in tumorem eleuatam, addit vocem (nõ planam)

Audacis ſuperbiæ ſignum.

„ *Collum longum, & gracile valde.*

Mihi (vt verum fatear) non contingit hanc colli pantherini longitudinem aduertere, non nego tamen in mulierum genere hoc eſſe peculiare accidens, vt illorum colla ſint longiora, & graciliora collis virorum, naturaquè etiam molliora, cuius paſſionis crederem eſſe cauſam calorem diminutum, qui ſi in longum mouet, non tamen ſecundum omnes dimenſiones id poteſt facere, quod facit in maribus, vbi vigoroſior, & vegetior eſt; At dicet aliquis, quid timidæ ne ſunt pantheræ? at illas immites, & feroces admodum diximus, Reſpondetur ex Ariſtotele illas etiam aliquo modo eſſe timidas, cuius cauſa eſt, quoniam habent cor magnum, vt tertio de partibus animalium teſtatur; in magno autem conceptaculo, vt ipſe ait, calor exoleſcit, ſanguiſque frigidior efficitur; Inter illas autem feras, quas ait cor habere magnum, & ideo pauidas eſſe, enumerat, murẽ, leporem, ceruum, hyanam, aſinum, pãtheram, muſtelam, & hæc omnia animalia aperte timida eſſe ait, & magno corde prædita, idemque de alijs quoq. timidis eſſe ſentiendum, vt vniuerſalis ſit regula, Quorum corda ſunt proportione ſui corporis maiora, illa ſint timidiora, & quæ timidiora illa maiorem ſortita ſunt cordis molem, & quæcunque talia ſunt, ea etiam magis doloſa ſunt, & magis fraudulenta, & minus aperta, & ingenua; Sed propter hoc non videtur tolli dubitatio, ſiue contrarietas in Ariſtotele, qui timidam ait eſſe pantheram, eandem tamen eſſe pardis, & quæ ſui generis ſunt audaciorem, & magis ſtrenuam, quapropter nõ videtur poſſe dici timida; An reſpon. pantheram cum leone comparatam timidam eſſe, & malignam, ſi vero cum alijs animantibus, quæ ſunt fœminei ſexus, eſſe audaciorem, quam ſint aliæ fœminæ, quamuis non ſolum de vrſa, ſed etiam de quibuſdam equabus audiuerim referri, qd plurimis equis maribus eſſent generoſiores, qualis erat quædam cuiuſdam Itali Imperatoris, omni generoſo equo generoſior, & pernicior, ſed id vocari poſſet monſtrum, ego autem ideo puto pantheram dici poſſe timidam, quoniam vt aiunt fuga ſibi ſalutem comparare

Dubit.

Reg.

parare quærit, neque pugnat, nisi aut propter catulos, aut propterea quod aliter se tueri nõ posse putat, aut demum propter cibi auiditatem, quo sollicitatur.

„ *Pectus costarum expers.*

Dicit textus, sed quis vidit animal perfectum, ac respirans sine costis? bene igitur legit Porta „ Pectus paruis costis, & non apparentibus præditum, quæ proprietas abundè in virginibus bono habitu præditis, nec non, & in pueris obæsioribus spectatur, vt in eorum thorace, & pectore, nullum costarum vestigium appareat; Pectus igitur videtur esse exossatum, & sine costis, quoniam paruæ sunt, tales autem sunt, quoniam multus humor, & mediocris calor dominatur; cum igitur materialis causa absit, (ex terra enim fiunt ossa, & vbi magna ossa, ibi terra multa) necesse est ossa, costasque minores esse, neque apparere, quæ eadem passio etiam in felibus nostratibus fœminis, pantheram quandam paruam referentibus facile potest animaduerti, hac ergo ratione fœmineum genus minores costas habere probabile est, hoc est subtiliores, & debiliores quam virile. 10

„ *Et longum dorsum.*

Pantheras tales esse, res ipsa ostendit, causam puto, quoniam saltu venantur, vt etiam tigres; quare se in arcũ flectunt, deinde vehementi impetu elongantes corpus, se met iactant, & certe longiores leonibus apparent, sunt enim tenuiores, quo longiores videntur, sed etiã in fœminis humani generis id aliquo modo spectatur, quoniam, si spectes locum in quo ipsæ se cingũt ab eo ad pubem vsque, & ad cocygem, multo maius intercedit spatium, quam à loco in quo cinguntur homines vsque ad eosdem terminos pubis, & cocygis, cuius causa est quoniã cum vtero deberent ferre fœminæ, & locum capaciorem, vel saltem longiorem sortitæ sunt, quare longiori dorso præditæ sunt. His adde quoniam robustiora, strenuiora, & calidiora futura erant animalia masculini generis, & pectus sit locus, & fons caloris, quibus maior futurus erat calor, ijsdem etiam maior thorax debebatur caloris enim vehementis proprium est dilatare; ex quo fœminam, minorem quidem thoracem, maiorem autem, & longiorem ventrem inferiorem habere oportuit. 20

„ *Femora carnosa, & coxas.* 30

Sic latini textus. Porta clunes legit, & rectè, nam loquitur Aristoteles de illis carnosis partibus, quæ ossa illium cooperiunt, & circum quaque vestiunt, quæ propriè in his animalibus, & in fœminis secundum naturam rectè dispositis pleniores apparent, has igitur partes in pantheris, & fœminis carnosiores, & obæsiores esse patet, causa est, quoniam, ex Hippocrate, pars hæc in fœminis propter generationis instrumenta calidior est, quam cæteræ sui corporis, calor autem tantus est, vt attrahat, digerat, apponat, non autem vt resoluat, cum igitur multus sit humor corporis fœminei, quod indicant menstrua, ad ea loca ducitur, ibique coalescens in multam carnem, mollem, & lenem excrescit, vnde circa partes illas fœminæ maribus videntur esse crassiores, eadem etiam de causa coxæ sunt carnosiores, quoniam propinquiores calori, & humore attracto participant; in genere autem humano memini, doctissimum virum, dum anatomen exerceret, dixisse ideo mulieribus crassiores clunes, & obæsiores datas fuisse, quoniam cum seruanda foret domus, neque illas deceret huc atq. illuc excurrere, sed artes sedendo exercere, vt texere, & filare, aptiores ad hoc munus erant, quando illis commodius sedere licebat, quod contingebat, cum partes prædictas carnosiores à natura haberent, & pinguiores. 40

Arantius.

„ *Quæ sunt circa ilia, & ventrem læuia magis.*

Per læuia, si intelliges glabra, profecto falleris, nam pilosæ magis circa ventrem sunt pan-

pantheræ, at puto id velle Aristotelem, quod partes, quæ sunt in illis locis, pilis mollioribus sint coopertæ, quã alibi, quoniam, cũ carnosiores, & obæsiores sint, quare, & humidiores, tenuiorem etiam, & molliorem edunt halitum, vnde & mollior succedit pilus, eadem etiã de causa contingit in mulieribus, partes illas esse læuiores, & delicatiores, quam sint cæteræ, non solum quoniam magis coopertæ permanent; sed etiam quoniam cum circa ea loca sit multus calor, & magna vasa à quibus multus humor adfertur, & excoquitur, effectũque est, vt multa caro humidior ibi generetur, ex qua deinde sequitur illa mollities, & iustè id factum est, vt virili corpori, quod partes has duriores, & exsiccatiores habet quodammodo opponeretur fœminea constitutio tamquam contraria, ex contrarijs enim est generatio, quæ maris est, & fœminæ operatio.

„ *Color autem varius.*

Idem sentit quinto de gener. animalium, & id pantherarum generi tanquam propriũ tribuit; omnes enim vult tales esse; at memini legisse alicubi pantheras esse albas, non minus quam vrsas, dicitur autem sub artico polo omnes vrsas esse candidissimas, & nõ minus in mari expiscari quam lutræ, aut fibri, si autem intima, per externa cognoscuntur, probabile est variam pantheræ pellem, varioſque pilorum colores, a varietate materiæ causari, ex qua cum diuersi eleuentur halitus, alij magis pituitosi, alij melancholici magis, effectum est, vt pili varij exoriantur, albi, nigri, subrubri, siue flaui, & quoniam actio est hæc naturalis, ideo etiam ordinem certum seruat; Ex hac autem colorum diuersitate varium, ac subdolum huius feræ, & numquam aptum ad mansuetudinem ingenium notare licet, nam si in brutis (vtpote quæ rationem, & intellectum non habent) operationes plerumque sequuntur potentias, & inclinationes naturales, quibus bruta, neque resistunt secundum se, neque resistere, ère sua esse putant, cum hæ potentiæ, & inclinationes sint humorum primorum, & eius rationis quam inter se habent, apotelesmata; in quibus variam, & multiplicem, & instabilem humorum deprehendemus mixtionem, in ijsdem ingenij instabilitatem, & varietatem; quare & fraudem, ac dolum diuinabimus, hanc autem varietatem in pelle quidẽ pantheræ conspicimus, at in muliebri corpore non videbimus, sed in animo multo maiorem; quod Plutarchus à vulpe obiectum fuisse pantheræ dicit, cum enim illa de varietate suæ pellis exultans gloriaretur, respondit vulpes suam interiorem esse multo picturatã magis, magisque variam, ac distinctam, quam foret illius exterior.

„ *Et totum inarticulatum & incommensuratum est.*

Inarticulatum non vocat, ideo pantherarum corpus Aristoteles, quod illæ articulis careant, hoc enim ridiculum esset, sed ideo dicitur inarticulatum, quoniam lacertorum tori, & musculi non spectantur in panthera, & in muliebri corpore, sicuti in virili, & in leone; sed sunt molliores, & humidiores, quare non ita terminati, & distincti, vt perspici possint sub cute, quæ deinde etiam cum pinguior sit quam virorum cutis, effectum est, vt difficilius appareant, sic igitur pantherarum, & fœminarum humani generis corpus vocat parum articulatum, quoniam non apparent musculi, & dearticulationes expeditè, sicuti in viris, & in leonibus.

„ *Et incommensuratum est.*

Iam quod incommensuratum sit muliebre corpus diximus, cum partes quæ sunt sub cintura longiores in illis, quam in viris, ostendimus, at incommensuratius simpliciter est muliebre corpus, quam sit virile, quod etiam Albertus Durerus nobilis pictor in suo libro de humanis mensuris testatur; primum sanè, quæ solet esse reliqui corporis mensura, caput, minus est iusto, & facies rotundior instabilis adeo se promit, vt inde regula non possit elici,

idem

idem de ore dicendum est, cui si penitus respondérent aures plus iusto paruæ essent, collum etiam longius est, quam deceat, neque illi crassities proportionata existit, breuiora sunt iusto brachia, si cum manibus quæ longiores esse debent, comparentur; si vero partes inferiores cum superioribus aptentur, penitus incommensuratæ sunt, & crura coxis minus conuenientia, & pedes parui, & teretes, non respondent coxarum, & clunium crassitiei, & pinguedini, iure igitur incommensuratum esse muliebre, & pantherarum corpus dictum est ad uirile comparatum, & ad leonem, causam esse putarem, quoniam cum calor sit mediocris, & materię perfectè non dominetur, neque naturaliter, hoc est perfectè mouet, ergo nec cum mensura exacta, & uniformi, ex quo contingit incommensuratum fieri corpus; si enim cum calor, & uirtus formatrix perfectè dominatur materiæ, corpus cõmensuratum, & exquisitum fit, probabile est, cum non exactè dominatur, neque exactum, atque commensuratum fieri, & si incommensuratum corpus, animam similem fortitum esse, uerisimile est, in corpore hoc in commensurato uarium, mutabile, & irrationabile reperiri ingenium (si modo uera sunt quę in superioribus de habitudine animę, & corporis inter se dicta fuere) videtur iure asseri posse.

„ *Forma corporis talis est.*

Pantheram descripsit Aristteles, ut in illa exemplum fœmineę perfectionis spectare possemus; quoniam ut excessus, & defectus rerum cognoscere possimus fieri oportet comparationem ad quoddam, quod determinatum sit, id autem est quod perfectum, & formatum, & secundum naturam dispositum est, uno enim tantum modo res bona est, at mille modis imperfecta, & nequam.

Ideo ut humanos mares iudicamus, & qui magis, & minus ad masculinam accedant figuram, cognoscimus speculando partes leonini corporis, & ingenij, ita etiam fœminas fęminarumque ingenium cognoscemus, contemplando pantheram, quæ perfectam figuræ fęmineæ decentiam, secundum Aristotelem uidetur referre.

Nunc ad animam se conuertens, ut in leone fecit, ceu leoni tribuit quod sit liberalis, & magnanimus, iustus, & apertus, ita pantheram uocat pusillanimem, hanc enim esse passionem puto, quę opponitur magnanimitati, vt enim dixi, non videtur panthera se periculis obijcere, neque pugnare, nisi cum necessitas cogit, alias autem fugere, & se abscondere non putat turpe, timida igitur est, quare neque fortis, neque magnanima; cor enim, vt ex Arist. diximus, magnum habet, q̃ est signũ pusillanimis subfrigidioris animi, & mollioris.

Videturque hoc idem Aristoteles in principio libri noni de historia animalium sensisse, cum fœminas dicit esse masculis eiusdem speciei molliores, malitiosiores, astutiores, insidiosiores, & in nutrienda prole magis sollicitas, mares contra ferociores, animosiores, simpliciores, minusque dolosos, & insidiosos.

Furaci ingenio præditam etiam dicit pantheram, nam & furaci liberale opponitur, & dolo furari ei, quod est apertè, & libenter dare.

Atqui rapere, quæcunque possunt pantheræ expertum esse aiunt in Syria, & Africa, quã etiam naturalem passionẽ inesse mulieribus nouimus, illę enim sunt viris illiberaliores, & tenaciores, frigidiores enim, & timidiores, quibus vtrisque rationibus factum est, vt mulieres viris videantur magis furaces, & dolosæ, hoc est promptiores ad decipiendum, facile etiam mutantur, & de earum ratione, est hoc modo mutari, neque in eodem mentis statu permanere, quod autem pantherarum genus dolosum sit, ex eo modo quem obseruat in captandis simijs facilè conijci potest.

Has mirificè scribit Aelianus simias appetere, quare vbi frequentes cõueniunt, eo panthera se proijcit, ac spiritum retinens, mortem simulat, simiæ quæ supra arbores morantur infensissimum hostem pauentes, & admirantes tuentur, & quamuis prostratam videant,

tamen

tamen deſcendere non audent, donec vna alijs confidentior ſenſim ex arbore deſcendens primum pede poſteriori de arbore ſuſpenſa tangit, ac leniter premit, non mouetur panthera, illa audacior facta arborem deſerit, & mortuæ inſultans circumquaque inſilit, deſcendunt aliæ, & ſaltationem ſimijs conuenientem aggrediuntur circa pantheram, quam mortuam putant lætantes, quod earum ſæuiſſimus hoſtis iaceat, tunc confeſtim ſurgit panthera, & alias vnguibus, alias dentibus necat, plurimas diſcerpit, & ſic earum vlciſcitur petulantiam, aut credulitatem, ſimiliter Ariſtoteles (ex quo, probabile eſt, Plinium idē tranſcripſiſſe) ait eas, dum venantur, doli genus quoddam nectere; conſciæ quod earum aſpectu, & odore feræ aliæ delectentur, at capitis, & vultus terreantur atrocitate, ocultant intra vepres caput, cum aliquò peruenerint, vbi feras eſſe ſuſpicantur, odore illectæ illæ ad pantheram ſpectandam accedunt ipſa arreptas protinus enecat.

Quod igitur puſillanime, fallax, illiberale, & doloſum animal ſit panthera, & ex hoc etiam, genus omne fæminile ex prædictis patet, amplius iniuſtum, crudele neſciens manſuefieri, hoc enim de pantheris præſertim ſcribit Ariſtoteles, vt autem dicebamus virilem ſexum, & genus maſculinum magis ſecundum iraſcibilem appetitum viuere, ſic ex aduerſo ſentiendum eſt, fæminēum genus magis concupiſcibilem appetitum ſequi; vnde, & facilior, & aptior eſt ad ſtruendas inſidias viro mulier.

„ *Animalia igitur, quæ videntur fortia, conuenientiora tranſumpta, maſculinæ formæ, & fœmininæ, dicta ſunt, alia autem quæcunque ſunt, facile eſt vtique pertranſire.*

Hoc eſt, vt ſane mihi videtur, cum animalium, (vt etiam in alijs rerum generibus accidit) quædam ſint perfecta, quædam imperfecta, & perfecta ſint, quæ fortia, ſiue ſtrenua, & robuſta ſunt, quæque à ſe ipſis propellere poſſunt damna, & incommoda; imperfecta autē quæ non poſſunt, ſed neceſſe eſt, vt fuga ſibi conſulant vel alio modo, & ſe à periculo ſubducant, perfecta vero, & ſtrenua diuidantur, in marem, & fœminam, iam diximus, qualia ſint, tum ſecundum corpus, tum ſecundum animam, quæ ſibi maſculinam, & quæ fœmineam formam aſſumpſerunt, hæcque ipſa ſpeculati ſumus, in leone, ac panthera tanquam perfectis maribus, & fœminis in genere perfectorum, & ſtrenuorum animalium, quoniam autem, vt ſæpius iam dictum eſt, rectum ſui, & obliqui indicium eſt, perfectum ſimiliter ſui, & imperfecti regula eſt, hoc enim indeterminatum eſt, & indefinitum, at perfectum, eſt certum, & ſignatum, cum de perfecto, & omnibus numeris abſoluto mare, & fœmina in genere ſtrenuorum, & fortium animalium ſermonem fecerimus ex his quę dicta ſunt ſupra quales ſint aliæ fœminæ, & mares in alijs generibus non ſtrenuis cognoſcemus vt enim per regulam rectam cognoſcimus ligna, quæ magis, & quæ minus ſunt obliqua, ſic per cognitionem fœminæ in ſuo genere fœmineo perfectæ, alias fœminas etiam in alijs generibus imperfectioribus poſitas cognoſcemus, quo enim magis, aut minus pantheræ corpus, & mores referent, eo magis, aut minus perfectam fœminam in ſuo genere, & genus illud etiam melius, aut peius vocabimus, idem de maribus dico, ad quos ſe habet leo, vt panthera ad fœminas, exempli gratia, cum vacca ſit fœmina in genere ſtrenuorum, & fortium, tauri enim fortes ſunt, & robuſti, dico quod quæ vacca cum altera comparata magis ad qualitates corporis pardalis accedet illa etiam in ſuo genere, vt fœmina erit perfectior, & melior, ſic in genere hominum, quæ mulier corporis diſpoſitiones quaſdam pardalim referentes habuerit, & animi inclinationes ſimiles ijs, quas habet panthera, ſortita fuerit, ea in genere mulierum maxime mulier dici poterit, hanc ergo puto eſſe huius loci expoſitionem, & ſententiam, Et cum dicit.

„ *Alia autem quæcunque sunt.*

Hoc est qualitates tum corporis tum animi aliorum animalium, quæ sunt extra genus strenuorum, & perfectorum, poterunt pertransiri hoc est contemplari, ex comparatione prædictorum, ita enim res fert, ut contrariorum sit eadem scientia, & cognito vno contrariorum facile alterum cognoscatur, vt autem se habent inter se mas, & fœmina in genere perfectorum, ita etiam se habent mas, & fœmina in genere imperfectorum, & sicuti se habet totum genus perfectorum ad totum genus imperfectorum, ita mas, & fœmina generis perfecti ad marem, & fœminam imperfecti generis, iure igitur dictum est, quod cognitis maribus, & fœminis perfecti generis facile est, & mares, ac fœminas imperfecti, & totum genus imperfectum simul cognoscere.

„ *Quæcunque autem ad physiognomonizandum inspicere conueniet ab animalibus, in electione signorum dicetur.*

Hoc est, cum igitur in vniuersali, qua ratione sit procedendum, & quomodo corporea signa cum animi dispositionibus conueniant dixerimus, nunc intimius rem considerantes, ad certiorem cognitionem propensionum animæ humanæ; quæ possunt ex similitudine, quam habent partes humani corporis cum brutis colligi, & inferri, deueniamus, & quænam ab animalibus, & brutis signa eligere debeamus, vt de homine possimus aliquid certi afferre sic igitur se ad sequentia continuat, & quomodo ab vniuersalib. ad singularia descendere oporteat docet; hæc igitur mihi videtur esse huius loci sententia, cum vniuersaliter dictum sit, quomodo à natura, & similitudine animalium, tum masculorum, tum fœmineorum ad cognoscendas viri, & mulieris animæ propensiones procedatur, nunc quoniam post communia, & vniuersalia ad singularia, & propria est deueniendum, nobis erit explicandum, quomodo ex singulis signis ab animalium corpore sumptis, & in homine similiter apparentibus, poterimus humanæ animæ dispositiones, & inclinationes cognoscere; patet igitur, quod electio fiet signorum, quorum vsus erit exponere tantum speciei humanæ passiones, quare cum partes aliquas hominis reperiemus, quæ certum quoddam brutum referant, probabile est in illius hominis anima reperiri quandam propensionem, quæ similis sit illi, quæ est in prædicto bruto, dispositioni, quare sicuti se habet totum corpus ad totã animam à qua perficitur, & actuatur, ita se habet pars corporis ad partem, siue ad potentiam animæ; & è contra.

Quæ a brutis signa capi possint, vt horum cognoscantur inclinationes.

Quare sicuti se habebit totum corpus vnius animantis ad totum corpus alterius, sic, & anima vnius ad alterius animam, ergo, vt pars corporis vnius ad partem corporis alterius animalis, sic etiam se habebit pars animæ vnius ad alterius animæ partem, vnde si pes, aut manus hominis quodãmodo similis erit anterioribus, aut posterioribus leonis, aut simiæ, aut canis pedibus, probabile est in illius hominis anima reperiri quasdam propensiones, quæ affectiones aliquas, siue habitus animæ horum animalium referant; qua ratione igitur in vniuersali, & quomodo particulariter sit, ex signis sensibilibus repertis in corporibus brutorum physiognomizandum, & aliquid prædicendum de naturalibus hominum inclinationibus, & animi propensionibus ex his est manifestum, cuius dicti praxis inferius exercebitur ab Aristotele.

DICTO-

DICTORVM EPILOGVS.

Cap. XXXXI.

PLanũ eſt, cognitionẽ hanc nõ eſſe eorum omnium, quę animę humanę accidunt, quis enim hominũ cogitationes nouit? ſolus Deus ſcrutator cordiũ; ſed neq. eorũ cognitio per phyſiognomiam eſſe poteſt; quæ per habitũ intellectus acquiruntur, neq. eorũ omniũ, quæ sũt ẽt in anima appetitrice p̃ conſuetudinẽ introducta; nã virtutũ, & vitiorũ quę à nobis acquiruntur p̃ electionem volentibus, & ſcientibus, aut aliquãdo ẽt nõ aduertentibus, ſigna in corpore nulla plerunq. apparent, quare neq. deprehẽdi poſſunt, niſi p̃ operationes & effectus. Reſtat igitur, vt phyſiognomia verſetur tantũ circa quaſdam animæ humanæ qualitates, quæ illi inſunt à natura, quatenus. ſ. tale corpus informat, ſiue quæ compoſito inſunt p̃ materiã, & ab anima tanquã principio exerceri ſolent, hæ aũt sũt potentiæ, & impotentiæ naturales, quę habilitates à quibuſdã dicuntur, quarum alię magis alię minus ad habitum, & perfectionem accedunt, quã entelechiam, ſiue potentiã ſecundã vocant; ſunt etiam, & modi, ſecundum quos non ſolum has proprias, ſed communes ſpeciei, & generis exercemus propenſiones, nam omnes homines iraſcuntur, quod autem hic certo quodammodo, ille alio admodum diuerſo afficiatur, id fieri contingit dupliciter, vel ab habitu acquiſito, & tanquam ab externo principio, de quo per hanc ſcientiam non eſt cognitio, vel fit à materiali cauſa, & intrinſeca, & huius cognitio ad præſentem pertinet tractationem, quem enim videmus habitu pituitoſo præditum, aut ſanguine frigidiori, illũ ipſum minus iracundum, neq. adeo ex ira furentem, & inſanientem, vt alium quemdam bilioſi, & melancholici temperamenti dicemus; quod ergo non omnium, & quorum ſit phyſiognomia, & propter quam cauſam ex his eſt manifeſtum.

Anima & corporis nexus.

Animæ autem, & corporis nexus maximus eſt, vt ſupra etiam oſtenſum eſt; Nam ſunt materia, & forma, ex quibus adeo fit vnum, vt nihil magis vnum ſit in his inferioribus; Accidit tamen, huic vni, vt ſit viuẽs, & animal, atq. homo, at vnius vna tantũ eſt propria operatio, plures vero communes, Harum principium anima eſt, quæ corpore tanquam inſtrumento operatur, at compoſitum eſt quod agit, quare ſi agenti proportionatum debet eſſe inſtrumentum, neceſſe eſt corpus animæ aptari, & illi atq. illius operationibus accommodari, ſic igitur effectum eſt, vt quale ſit corpus, talem ẽt eſſe animam iudicemus. Et ſi inter ſe conſentiunt, ergo ex altero alterius paſſiones inferre licebit, & certa anima certũ habet corpus, & quod fit ex utriſq. certas etiam habet potentias, quibus ſua munia exerceat, ex vtriuſq. nexu emergentes fruſtra enim anima equi, vel bouis haberet potentiam ad volandum, cum careat inſtrumentis ad hoc peragendum neceſſarijs.

Cum autem paſſiones iſta ſint effectus quidam naturales in corpore naturali exiſtentes, non ſine certa cauſa eſſe poterunt, hæc duplex eſt materialis, vel efficiens. Materiam voco ex quo inexiſtẽte aliquid fit, vt quod tabula ſit combuſtibilis, cauſa eſt, quoniam ex ligno, quod autem ſit quadrangula, vel exacte affabre facta, pendet ab efficiente in quo principiũ motus habuit; De cauſa materiali nunc agitur hæc corpus eſt organicum, diſſimilare igitur, quare ex ſimilaribus quæ ex quattuor elementis conflata ſunt.

Ex quibus ſit homo.

Hæc caſtigata, & ad elementa hominis traducta iam ſunt quattuor humores naturales, ſanguis nẽpe, vtraq. bilis, & pituita, ex quibus tanquã propinquiori ſubiecto fiunt, tũ corporis partes ſolidę, tum ſpiritus præcipua animę inſtrumẽta: Quę ſunt animæ, & corpori communes, paſſiones, plurimum alterari contingit, & à cauſis externis, ut à regione, ab aere, ab ætate, à cibo, & potu, & ſimilibus, ſtudia etiam conſuetudines, & leges, uoluptates, & dolores maximè poſſunt mutare, ubi fit, ut aliter de eodẽ ſępe, & aliter ſentiamus, ut

A quibus, & quomodo mutetur homo.

Empedodi, & Homero uidebatur, percussiones enim corporis, ut in Hectore, & uulnera hominum uoluntates, ac sententias mutant, quare alij aliis studijs tenentur, & diuersis diuersa placent, & mutatio etiam fit à causa interiori, & cum hæc mutata est, in corpore etiã mutationem facit, mutatio enim in principio quamuis modica, maxima in fine sequi solet, sic in affectibus parum immutato corde mutatur, & spirituum generatio, & totum corpus alteratur, introductisque nouis phantasmatibus, nouæ habilitates, & dispositiones excitantur, ex quibus notui habitus, qui quasi nouæ formæ nouã producunt opera, quæ sanè interior mutatio, si à receptis phantasmatibus per sensus rectè dispositos, ab electione, & uoluntate fiat, propriè tunc a principio fieri intrinseco dicimus, & perse, si autem aut per cibos, aut propter aerem, aut propter uulnera, aut morbum, & morbosos affectus mutatio contingat in massa sanguinea, & spiritibus tunc dicimus eam omnino à principio externo generatam esse, cum itaque hæc ratio materiæ sit, materiales quæ causæ sint, quibus passiones physiognomicas exponimus, iure Aristoteles animalium genera per differentias primas materiæ conuenientes expressit, quæ sunt maior, & minor elaboratio, quæ dicitur perfectio, & imperfectio, mas, & fœmina, nam quod equorum, hi meliores, pulchrioresque sint, illi turpiores, & peiores non accidit propter formam, nam in omnibus equis eadẽ est forma, sed causa est materia, quę minus prompte aut magis formam susceipit, & agentis admisit operationem. 1

Quid p fectum animal

Illud animal dicitur esse perfectius, quod ad sui conseruationem est magis aptum, & paratum, hoc autem est, quod res noxias, & pericula promptè propellere potest, resistere, & sustinere, neque facile corrumpi, aut de suo statu moueri, quod autem tale est, strenuum, forte, & robustum dicitur, perfectum igitur animal est strenuum, atque audax, ut leo, cuius inditium est, quod etiam in specie humana, qui strenui sunt, & fortes ijdem uiri perfecti, & probi, & cordati dicuntur, quasi quod perfectio, & fortitudo, seu uirium robur cum audacia coniunctum perfectionem in animali dicat, neq. in sentiendo, & patiendo, sed in agendo, & resistendo consistat, & quoniam eadem materiali differentia genus perfectum diuiditur in masculinum, & fœmininum sexum, eadẽ de causa Aristoteles in genere fortium exemplar maris, & fœminæ leonem, & pantheram attulit; omnium enim strenuorum masculorum cuiuscunque generis uidetur leo fortissimus, audax, & strenus maximè, similiter inter omnes fœminas cuiusque sint tandem speciei, audacissima, & fortissima uidetur esse panthera, cuius nomen præsertim ferocitatem summam sonare apparet. 2 3

Cur tãta animalitũ varietas.

Videtur aũt huius diuersitatis aĩlium esse causã, quod necesse est in mundo, omnia quæ possibilia sunt reperiri, & esse, nã uniuersũ est, quare nihil excludit, & perfectũ est, quare oĩa continet, & nihil deest, oportet igitur in eo fortissima aĩalia, & ferocissima reperiri amplius, & timidissima, & maximè imbecilla, & quæ media sunt, & inter ferocissima quædã erunt species, quibus æque masculis, & fœminis erit attributa ferocia, quod in mantichora Plinij obseratũ est; quædũ aliæ erunt, quæ non æqualiter participabunt eadẽ fortitudine, & inter has quædã sunt, quæ fortiorẽ habent masculum, vt leo, & aquila, quædam ferociorem fœminã, vt panthera, & vrsa. Bene noto quod in genere ferocium plures sunt masculi, qui robore, & prestantia uirium fœminas superant, pauciores qui superantur à fœminis, neq. credendum est, hanc strenuitatis, aut imbecillitatis distinctionem solis terrestribus forsam conuenire, sed inter uolatilia, & aquatilia eadem ratio uiget, aquilas enim, & falcones, & accipitres videmus esse fortes ac strenuos, contra columbas, sturnos, alaudas timidissimas, similiter in genere aquatilium ferociter exultat delphinus, & maiores etiam prouocat pisces; physiteres, & orcæ, & phocæ præsertim Indici maris, & qui vocantur tyburones, & Balenæ sæuissimæ sunt, & ferocissimæ, ex oppositio quamuis maximè, & cætacei generis testudines, illæ tñ timidissimæ sunt, quod etiam in vulpæ marina, & in galeis quamuis ad magnitudinẽ cætaceorũ accedãt, animaduertitur; est ẽt bos marinus, quem nonnulli manatum 4

Not.

tum credunt maximus ille, ſed timidior, & cicuratur, & cum homine piſcatur, inſipidus quidem, attamen iniuriarum memor, & ſi genus inſectorum percurramus, ſiue illa volatilia ſint, ſiue aquatilia, ſiue tandem terreſtria, veſpas, & cabrones au daciſſimos, timidiſſimas cicadas ſpectabis, ſic etiam in alijs. Iure igitur ſecundum materiam omne animal in perfectum diuidetur, & imperfectum quaſi in ea duo prima oppoſita, quæ formæ, & priuationi reſpondent, & genus deinde perfectum, & generans ſibi ſimile, in maſculinum ſecatur, & fœmininum, vt diximus.

Cumque temperatum eſt vnum quodque in ſuo eſſe ſecundum propriam ſpeciem, id dicimus eſſe ſanum, & valens, ac propriam natum eſt perficere operationem, quæque in maſculo perfectio eſt, ac temperies; in fœmina eſt intẽperies, & imperfectio ſunt, enim res diſparatæ, & quæ homnis temperata eſt conſtitutio, non eſt equi, & bouis aliter bos, & equus præter naturam diſpoſitus eſſet, neque operationes quæ ſunt equi, & bouis perficere poſſet, immo neq. bos eſſet, aut equus, vt igitur ſingula propriam nacta ſunt materiam, & formam propriam, ita etiam propriam temperiem ſortita ſunt, & operationem; Amplius addatur, quæ eſt vnius hominis conſtitutio temperata, & ſana, ea in alio eſt morboſa; Adeo nigri guineæ ab Hiſpanorum diſtant temperie, vt quæ vni ſunt ſana, alteri ferè ſint lethifera; in Inſula Medera cum ſol ad illius venit Zenith, quotidie fiunt pluuiæ, tunc nigri bene ſe habent, ac valenter omnes operationes ſuas exercent, ex aduerſo chriſtiani, quicunq. albi ſunt, pene animas effiant, neq. tantũ viriũ habent, vt vix ſe ipſos mouere poſſint; quare quæ eſt primi, aut ſecundi climatis hominum conſtitutio, & temperies, eam in ſexto, aut ſeptimo climate nõ eſt quod quæras, itaq. & diuerſos habent cibos, & mores aerẽ herbas, atq. arbores diuerſas; unde non nullis grauibus viris nunq̃ arriſit, quod Arabica medicamenta Italis, aut Germanis applicarentur hominibus, primum enim non eadẽ eſt virtus, non eadem temperies, uerbi gratia lactucæ, aut fęniculi naſcẽtis in Aphriça, & in Germania, adde quod neque eadem eſt utrorũq. conſtitutio, unde neque ſi eam quæ eſt in Aphricano ſolo induxeris, in Germanicũ plantam res bene cadet, ſed ſingula ſingulis animalibus, & locis, & temporibus decenter à natura ſunt reddita, & quoniam ſingularium differentiam preſertim ſexti climatis inquirimus, Qualis ſit naturaliter maſculus, & qualis fęminæ contemplemur.

Maſculus homo cũ ad caliditatẽ uergat cũ mediocri ſiccitate cõiunctã picis nauticę, aut colophoniæ naturã referet, qualis aũt ſit ſm̃ corpus, & ſupra in deſcriptione leonis, & paulo ante, ex Ariſt. ſentẽtia dictũ eſt, nunc aũt quæ corporis cõditiones quaſdã animæ indicẽt dicamus, ut facilius ſit, cognoſcere, quęnã cuiq; reſpõdeãt, deinde ſi unã talẽ in corpore Platonis exiſtere uiderimus, quid ſentiendũ de Platonis anima dicere probabiliter ualeamus. Primum itaq; à capite incipiamus. Cui capillus eſt nigrior craſſiorq. quã fœmineus, medius inter criſpũ, & planũ (qđ ſignũ cũ materiã craſſiorẽ, & melãcholicã doceat abundare ex qua eleuãtur fuligines, talẽ crinẽ generãtes) dicemus, & ſanguinẽ habere fibroſũ, & corpus robuſtũ, & ingeniũ audax, mediocre ſimplex, & apertũ, frons quadrata, & cui antię illæ capillorũ inſidẽt, mediocriter eleuatæ magnanimitatẽ portẽdunt, & qui tales sũt mirificè honorari cupiũt, & honorẽ affectãt, ſupercilia dura magna lõga, qualia uidemus in pleriſq. Venetis Senatoribus prudẽtiã, & rerũ cognitionẽ multã arguũt, adde grauitatẽ, & ſtabilitatẽ, & conſtantiã, indicat .n. ſuperciliũ illud, qđ cogitationibus magnis, & aſſiduis frequenter homo det operã, unde ad illas partes effluxo calore, & exhalatione fumida, exoritur pilus, lõgus, craſſus duruſq. Oculus caropus ſiuè cęſius mediocris, nõ ualde concauus, nõ prominens animoſitatẽ, & ferociã notat, eſt .n. leonis proprius oculus; Nubecula, quã ſupra naſũ ĩminere dicimus, nulla res alia eſt, niſi rugoſus quidã, & uix apparẽs tumor, qui cõtractionẽ quãdã leuẽ frõtis indicat, quo ſigno grauitas, & ſeueritas, ut plurimũ notatur, naſus craſſus, nõ acutus, ſed potius magnus, quã paruus liberalẽ, & mãſuetũ animũ ſignifi

cat facies magna, & nõ ossea probitatis, & mãsuetudinis præcipuũ est indiciũ, talẽ vidimus pictũ Traianum Imperatorem, ad huius ẽt figuram accedit Titi facies, quorum hominum mansuetiores, aut meliores non vidit illa ætas; os ingens, & dentes firmi, non rari, mediocres, & candidi, qui virorum magis quam fœminarum proprij sunt, diuersa notant; nam magnum os voracitatem, & simplicitatem; dentes firmi, & non rari, & numero 32. indicant viuacitatem, hos enim viuaciores esse volunt, quorum firmiores sunt dentes; & plures & non rari, quasi natura ei animali cui longam præparauit vitam, instrumenta etiam plura firmiora, & duratura diutius fuerit largita; mandibulæ superiores inferioribus sint æquales, neque excedant, neque excedantur, nam sic homo deformis esset; at masculum natura perfectum facit, quod perfectum est secundum naturalem statũ illud omne pulchrum est; tales igitur esse debent mandibulæ, & partes capitis, quæ concinnitatem in animo, & in cerebro, & in sensibus docent, hoc signo, vt mihi videtur, taciturnitas, & non curiosi hominis animus expromitur; Aures mediocres bene exculptæ, dearticulatæ hominem ad disciplinas habilem, & cui veritas persuaderi possit, docent, si enim in externis, & non necessarijs perfectè suum finem assecuta est natura, in necessarijs etiam, & quæ de ratione viri sunt, probe se gessisse probabile est, caput moderatæ magnitudinis ad maius tamẽ, quam ad minus accedens, & ut ait Aristoteles, venerabile, ita ut hominis huius prima facies, & nobilis aspectus magnam spem generet in illis qui auxilio egent, qualem fuisse dicunt Hectorem, cuius aspectus vim, & robur in suorum militũ pectora inspirabat, cui forte alludit Virgilius, cum inducit Hecubam ferè Priamum senem irridentem qui sumptis iuuenilibus armis in mortem ruebat, dicens.

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget, non si ipse meus nunc afforet Hector.

Signum hoc, si quod aliud est, confidentiam, audaciam, & promptitudinem ad agendum, & in rebus strenuitatem demonstrat, auctoritatemque cum grauitate coniunctam, integritatem etiam, & animi probitatem ab omni fuco, & fallacijs remotam præ se fert.

Magnitudo totius corporis. Magnitudo etiam totius corporis moderata quidem secundum se, in comparationẽ vero ad mulieres maior esse debet, quæ magnitudo temperata hominem, non insidiosum, neque dolosum indicat, qui enim dolos struũt, (quod in vulpibus, & catis videre licet) omnes vel parui sunt, vel cum hoc præsertim faciunt quodammodo se se met contrahunt, & quasi se ipsis minores fieri, & apparere tentãt; videmus ẽt animalia parua multo magis esse dolosa, quam magna, & vt vis in magnis, sic dolus in paruis manet, collum crassum, & cõmensuratum, & crassities non ex multo adipe, sed ex magnitudine vertebrarum, & musculorum oriatur, ac tendinum, qui caput mouent, robur denotat stabilitatem, & firmitatem quamdam animi, humeri lati, & fortes, pectus amplum, iracundiæ, ac audaciæ index est, dorsum latum, & robustum, costæ magnæ, & solidæ, quas in virili homine reperiri ait Aristot. nihil aliud à prædictis ostendent, nisi quod tolerantiam, & patientiã laborum, & in aduersis æquanimitatem addunt; clunes, & coxæ mediocriter carnosę, sed carne solida, nõ molli, neq; flaccida, vires ẽt indicãt, & robur, & strenuitatẽ, ac prõptitudinẽ ĩ periculis subeundis, pſertim aũt hæc significãt ĩ pegrinationib. patiẽtiã, vt possint lõga tolerare itinera, & multas regiones obire, & à mutationib. ciborũ, aeris, & locorũ nihil, aut mediocriter affici, & alterari; crura neruosa, & sursũ cõtracta, robur partiũ inferiorũ ĩ incedendo, in cursu, & agilitate designãt, totũ aũt corpus qđ bene dearticulatũ est, qđ torosũ, & lacertosum dicitur, pfectũ, & sm̃ naturã bene cõstitutũ, nihil aliud nisi animi simplicitatẽ, & ingenuitatem, non dolos nõ iniustitiã monstrat, quam ingenuitatẽ sequitur ueriloquentia, & iustitia quã tm̃ non proprie dictam capimus, sed eam dispositionem secundum quã nõ lacessiti nemini graues sumus, neminemque iniura afficimus. Carnem solidiorem Aristot. quam rariorem, aut molliorem tribuit masculo, quoniam est robustus; Incessus grauis, tardus, erectus, magnani-

gnanimitatem, victoriæ appetitum, ſuperbiam, imperioſitatem monſtrat, quæ eorum, qui ſibi confidunt, neque quidquam timent propria eſſe ſolet, huic inceſſui tribuit etiam vehementiam, in his quæ aggrediuntur, non tamen impetum præcipitem, ſed conſideratum; ſuccedit humerorum in inceſſu commotio, & quædam concuſſio, quam viris, & maſculis aſſignat, quæ ſociabilem virum, & ſatis manſuetum indicat, & qui cum amicis, non male poſſit conuenire, qui gratus ſit, & accepti beneficij memor, qui poſſit veniam petentibus ignoſcere; Huic viro alibi, carnem attribuit Ariſtoteles calidiorem tactu, nam calor in ipſo ſuperat, quo factum eſt, vt ſit ferocior, & impiger, & nouarum auctor rerum; mulieri autem corpus maius habet, ac firmius, & melius compactum, quoniam robuſtior eſt. Inter ea tamen quæ viri, & maſculi propria ſunt, hoc maxime notat Ariſtoteles, quod partes ab vmbelico ſuperiores ſunt maiores, craſſiores, firmiores, & carnoſiores quam ſint inferiores, ſecus in fæmina, quæ paſſio maſculinum habitum præcipuè oſtendit, quare, & in animo adeſſe proprietates, viriles, vt magnanimitatem, conſtantiam, & liberalitatem, & ingenuitatem, oſſa maiora craſſiora, & ſolidiora quæ in viris, quam in fœminis ſunt, manſuetudinem denotant, qualem videmus in bobus, & aſinis etiam, ad manſuetudinem enim nata eſſe videntur, quæ multa terra abundant; neque ſit mirum ſi oppoſita in eodem apparere videntur, nam ſecundum quod diuerſimode afficiuntur, id contingit; videmus enim ferrum eſſe frigidiſſimum, ſi autem igni imponatur calidius, ac feruidius multo quam flāma, ac pruna ipſa efficitur, qualis igitur ſit homo maſculus tum ſecundum corpus tum ſecundū animam ex his eſt manifeſtum.

FOEMINILIS CORPORIS, ET Animi paſsiones. Cap. XXXXII.

RElíquum eſt, vt eadem methodo fæminile corpus, & animum deſcribamus ex Ariſt. hic, & alibi; quæ adduci ſolēt referentes, eſt fæmina in quo animal ſibi ſimile natum eſt fieri, materiæ igitur, ſeu loci in quo, rationem ſubit, igitur eſt humidior; nam quod materiam refert alieno termino facile terminatur, hæc autem humidi natura, & ratio eſt, ſi humidior eſt, & materiam referens, igitur ab efficientis ratione diſtabit, quod calidum eſt, calidi enim eſt agere, & mouere, & facere, & formare, ſubfrigidior igitur erit muliebris temperies, & ſanguis, qui per uenas, & arterias illius deferetur, pituitoſior quodāmodo; mulierem igitur dicemus eſſe pituitoſam cum ſubdominio ſanguinis, aut ſanguineam cū ſubdominio pituitæ, & magis fœmineam temperiem eſſe, puto priorē, nā humidiorem fœminā credo, & frigidiorem quam conueniat ſanguineæ temperaturæ, etiam cum ſubdominio pituitæ, vtraſque tamen formæ muliebris exiſtimo capaces, vt autem viri perfecta, & ſumma virtus in animo, & illa eſt ſecundum quam vir magnanimus, & fortis dicitur, & propriè præditus virtute, cuius uirtutis officium proprium eſt benefacere, & prodeſſe multis, & maxime propter hoc laudatur, & honoratur, & carus eſt patriæ, & amicis; ita muliebrem perfectionem in corpore puto ex Ariſtotele conſiſtere, & illam eſſe, quam dicimus pulchritudinem, & ſecundum quam mulier formoſa, & pulchra dicitur, per quam proprietatem maxime iucunda, & appetibilis apparet, & propter quam maxime amatur, & cara eſt ijs, qui illam cupiunt, aut poſſident; poteſt autem id confirmari, tum quoniam hoc maxime gaudent nomine laudari mulieres, hocq. donū, inter alia maximè colunt, maximè exoptant à Deo, & vt ille ait, formam puellis optat ſancto.

Murmure, cum Veneris phanum videt Anxia mater,

Tum qm̄ hoc dignum præmium putauit Europa, atq. Aſia, quo grauiter duro, & lento

bello colliderentur, neque fuit solus Paris, qui Helenam cupiuerit, vel Theseus solus, nam & Virginiam adeo amauit Appius, & Lucretiam Sextus Tarquinius, vt dignas putarint, propter quas omne nephas admitterent, neq; minus Hercules pro Iole, aut Omphale, aut pro obtinenda Deianira laborauit, quam pro fama, & immortalitate (secundum antiquorum captum) consequenda, cum ergo hanc corporis formam illæ maxime exoptent, & tanquam rarum, & diuinum quoddam donum suspiciant, & colant, & vnice sit iucundum, delectabile in muliere, quo vno illæ, & ad declinanda mala, & ad alliciendos, & sibi subigendos homines vtuntur tanquam proprijs armis à natura sibi concessis.

Meritò dixi hanc esse summam fœminæ, quatenus fœmina est, perfectionem, vt enim se habet anima ad corpus, materia ad formam, sic mulier ad virum, quare, & perfectio muliebris ad perfectionem virilem; si igitur viri perfectio est in anima, ergo quæ mulieris est, ad corpus pertinebit, dicamus igitur, quale nam esse debeat corpus muliebre omnibus numeris absolutum.

Absoluta muliebris forma.

Capilli multi longi, subtiles, densi, aurei, in extremo mediocriter crispi, tactui molliſſimi, frons candida, nullis rugis, aut lineis notata, longior quam sit virorum, & ad rotunditatem circa tempora accedens, vt inuersum arcum turcicum referat, in qua neque tumor, neque gibbositas appareat, neque nubes vlla, non vlla seueritas, aut tristitia, sed læta, & pudica quædam hilaritas, capilli propriè timiditatem indicant, & impotentiã resistendi, frons autem prædicta blanditias arguit, hoc est talem fœminam aptè scire blandiri, & blandiẽdo etiam datam negare fidem, vt quamuis id fieri audias, & sentias, dolere tamen, & illam incusare nescias; facies rotunda, visu iucunda, & elegans, omnis doli promptam signat artificem, quæ sciat mendacia, dolos, & insidias struere, os paruum parumper, & vix hians timorem, earum etiam rerum, quæ non sunt timendę, & plures homines hoc ore dotatos videbis timere lemures, & somnia, & phantasmata, similiterque esse pauci cibi, & facile saciari, quamuis gulosi sint, hoc est in qualitate peccent, non tamen voraces, quoniam multum cibi non appetunt, aut exquirunt, dentes parui, candidi breuiusculi pari numero 28. tantùm, non rari, neque densissimi, hoc etiam indicat timorem, sed magis mollitiem, & vitæ breuitatem, & virium impotentiam, labia crassiuscula, corallina cinnabarim imitantia, parumper hiulca, ita tamen, vt dentes vix conspiciantur, dum tacet, aut non ridet, immota, hoc est, ea mulier non contorqueat, neque mordeat, neque sibimet fugat, quæ impudicitiæ, aut vanitatis notam afferre solent; labra inquam descripta, mirificam muliebri faciei comparant gratiam, & dignitatem, docent, hæc quoque à venereis uoluptatibus non omnino auersam, auaritiæ tamen, aut illiberalitatis non paruum est signum, nec non, & falsitatis, his labris ĩsignitos uidemus Aethiopas, & eos nigros, qui ex Aphrica, uel Guinea, afferuntur, quorum præcipua passio est auaritia, uel furacitas, & turpe mendacium, neque omittendus est nasus, uultus, honor, & ornamentum, qui rosæ partem exteriorem referat, mediocris, rectus, mundus, cum obtusitate quadam acutus, narium autem foramina parua quæ signa sunt animi garruli, instabilis, & uani, adde mendacis, & glorioſi, quinetiam superbi; mentum rotundum, candidum, glabrum, & candor nescio quamdam suspicionem rosei coloris uideatur intuentibus afferre, nullum autem penitus uestigium, aut in labris, aut in mento, nec sensus ullus pilorum uideatur, nam hoc pessimum, & dolosum animum indicaret, cui neque pater; aut filij fidere possent, tale mentum pulchrum, glabrum, & rotundum, & carnosum indicat ingenij obtusitatem quamdam, & tarditatem effæminatam.

Quod si mentum suspicionem scissionis in medio, aut concauitatis cuiusdam uidentibus incutiet, indicat animum à rebus uenereis non abhorrentem; & qui optime sciat illecebras, & blanditias iucundissimas in illo actu intexere, & fabricare; linguã paruam, breuem, purpuream decere mulierem certum est, quæ tamen uix, aut nunquam uideatur, & uix summitas aliquando inter loquendum appareat, linguam hanc sagacitatem, & credulitatem

litatem ſignificare quidam dicunt, mihi ad ſerpentes, aut ad canes referri poſſe uidetur; ſignumque iniqui animi, & malitioſi ingenij putarem, eius inquam ingenij, cui cordi foret lites ſerere, maledicta referre, contumeliaſque comminiſci, ut inde bella, & inimicitiæ oriantur, quod à muliebri ingenio nuſquam abhorrere uidemus, & teſtatur Euripides.

In ſupercilijs genis, & oculis præſertim muliebribus omnes ueneres, & lepores omnes, ſedere ab omnibus poetis græcis latinis, & italis paſſim decantatum eſt, ſupercilia debent eſſe nigra, ſubtilia, diſiuncta, mollia, & leniter inflexa, quæ animum inſtabilem, & varium etiam ſignificant, oculi ad paruitatem declinantes ſubnigri, concaui, vagantes, ridibundi hilares, ſplendentes, morum proteruitatem, laſciuum, ſubdolum, & inconſtans ingenium indicant; quæ vero eiſdem conueniunt malæ rotundæ, glabræ, omnino carnoſæ, roſeæ, & referentes, quæ autumno candida mala rubent, aut liguſtra roſis iuncta, mendax ingeniũ, & importunum cum quadam lenta ſegnitie, & impotens monſtrant, quibus tamen qualitatibus adiunctus eſt pudor, & quædam verecundia; his ſuperſtant tempora, quæ candida non minus, quam frons eſſe debent, & ſine oſſium vllorum ſuſpicione, non tamen tumida, non depreſſa; ſed parum admodum, & vix concaua, quod ſignum doloſum ingenium, & verſutum, ac paratum ad inſidias ſtruendas docet, aures exculptæ, breuiuſculæ, molles, & delicatæ colore roſarum diluto aſperſæ, promptum ad verecundiam animum, ſed timidum, & puſillanimem denotant, caput totum potius paruum, quàm magnum, rotundius, quàm viri, decorũ, erectum, eleuatũ docet inconſtantiã, ſuperbiam, & arrogantiam illam fœminilem, quà ſibi omnia à uiris debere tribui autumant, collum longum, valde gracile inarticulatum, candidum, lene, nullis rugis obſeſſum; debile, & pudẽs, & meticuloſum neſcio quid inſidere animo indicat, carnoſum pectus, candidum, glabrum in quo nulla videntur coſtarum indicia ſignificant loquacitatem, garrulitatem, timiditatem, longum, & arctum dorſum iniuſtitiam, & ſegnitiem, venter glaber, candidus, planus ſine rugis circa pubem parumper eleuatus, quaſi colliculus quidam, cuius inferior pars in angulum inclinatur, & linea quadam diſtinctus, deinde iterum ad pubem eleuatur, vt ſexus nullum veſtigium appareat, ſummam quidem mollitiem, cæterum verſutiam, & inſtabilem animum arguit; coxa, & latera carnoſa mollia, læuia, glabra ſubfrigida, candida ſe mutuo tangentia fœmora, & ſtricta, cupidum, infidum, varium, & mutabile ſignificant ingenium, nates pulchræ, candidæ, rotundæ, carnoſæ, lenes, frigidæ, mollitiem animi, dolorum, & paſſionum impotentiam demonſtrant. Corpus totum male dearticulatum, paruum, ſi cum viro mediocri conferatur, & incommenſuratum, aſtutiam, malitiam, inuidiam cum ſagacitate cõiunctam oſtendit; Manus longæ, ſubtiles, ſtrictæ, candidæ, digiti longi, teretes, albi, carnoſi, non craſſi, non rugoſi; illiberalitatem, & timiditatem important, crura, & tali carnoſi, nõ articulati, hoc eſt tales, vt dearticulatio non appareat, mollitiem in anima deſignant, timorem etiam, & leuitatem; genua eburnea, carnoſa, rotunda, ſubfrigida, in quibus dearticulationis nullum ſentiatur veſtigium, aut ſuſpicio; quæque ad interius vtræque modice ſe conuertant, & ferè ſe tangunt, molliſſimum animum, & timidum, & vere fœmineum, ac mendacem manifeſtant, pedes parui, rotundi, candidi, carnoſi, contracti, decentes admodum, eumdem timorem etiam, & animum ad miſericordiam, & ad mollitiem propenſum ſignificant, etenim neſcio quid veneris arguunt, paruoſque, & decentes pedes habebat Venus, & Thetis argenteos, non minus ex mari, quàm venus orta; totius corporis color eburneus (præter genas, quæ roſas, & labra, & mammarum capitula, quæ corallos, aut rubinos imitari debent) cum ſanguinis, & pituitæ prædominiũ, & ſubfrigidum quemdam ſignificet habitum, ſequitur vt mollitiem quamdam ſegnem in animum inducat, ut igitur virum decebat ſqualidior color, ſic eburneus fœminæ conuenit, caro humidior, laxior, & leuior, quam virilis timiditatem, & impotentiam, & ad dolos promptitudinem docet, & quoniã caro mollis, factum eſt, vt citius creſcant, & ad naturalem ſuam magnitudinem

veniant

veniant, quam homines masculi, quoniam tenerior, humidiorque cum sit illarum materia etiam calori suo facilius paret; quamuis sit remissior, quam in viro, vnde effectum est, vt naturaliter sint breuioris vitę, nam præcociores etiam fructus inter eos, qui sunt eiusdem speciei serotinis minus durant, sed & hoc corporis augmentum prȩcox animi acumen aliquando hæbetat, calor enim minor efficitur cum idem in maiori vase, quam prius recipiatur corpus igitur mediocris magnitudinis sit, etenim nequit fieri, vt in maiori corpore ita adamussim omnia fabricentur, & perfecte excudantur, sicut in mediocri; vox acuta, canora, mollis, decens interrupta, eandem mollitiem notat, & effæminatum non solum animum, sed ad libidines etiam turpes inclinatum; nisi educatio, aut lex, aut ratio obstiterit; risus in formosa muliere modicus omnino esse debet, at labia tamen nescio quo blando, & iucundo more subridentia videantur, arguit aũt signum hoc, & libidinem, & versutiam, metus quæ tali sunt bucca raro incassũ rogantur, nisi animi elatio, aut quid aliud, vt lex, religio, & pudor earum inclinationem impediat, hæc de risu Porta, quoniã Aristoteles nullibi, quod sciam, quid risus portendat, exposuit, neque earum differentias notauit; gressus breuis, tardus, inuersis ad partes exteriores modice pedibus fractus, & quodãmodo à digitorũ summitate incipiens, cum quodam decore, totum corpus ferens, segnitiei signum est, & vt sic dicam animi irresoluti, & qui cogitationibus magnopere dant operam hoc solent motu procedere; Nemo autem ideo sit, qui, si mulier omnes habeat has conditiones, illam subitò putet, esse pulchram, & omnibus numeris absolutam, non enim hoc verum est, sed, vt barbitos, aut lyra non ideo dicitur armonicè, & concinnè parata, quoniam pulchras, & probas habeat chordas, aut quoniam sit aurata, sed quoniam armonicis inter se numeris concordant, ideoque bene sonat, & laudatur, sic mulier nisi prædictæ partes inter se aptè conuenerit, & concordauerint, neque pulchra, neque decora est.

Quæ autem dictarum partium perfectio est; & quasi anima, dicitur venustas, decor, & concinnitas, ac partium quædam inter se naturalis concentus, & vnio, quæ ferè nec verbis explicari possit, quem concentum partium, gratiosus quidam motus, ac totius corporis situs exornat. Hactenus ex Aristotelis, & peripateticorum sententia, qualis sit masculus, & fœmina in specie hominum fuit expositum; videturque Aristoteli quod sicuti corpus masculinum, & fœminile interse opponuntur, ita etiam animi inclinationes ad modum esse diuisas, & viros ad virtutem magis paratos, quàm fœminas, quas iniustas, pusillanimes, garrulas, timidas, impudentes, malitiosas, maleficas infidiosas, ad simulandum, ac dissimulandum paratissimas vocat, amplius auaras, segnes, furaces, cupidas, varias, infideles, credulas, molles, debiles, misericordes, dolorum impatientes, molestas, inefficaces, nusquã recte perficientes negocia, iracundias, quę deinde tamen facile mitescant, superbas, contumaces aliorũ probis monitis, incõsideratas, præcipites. Quæ tñ tãta, & tot nõ sũt, vt aiũt.

Cum igitur masculus, & fœmina pro se quisque natura tales existant putandum est humanam speciem esse quasi lineam quamdam, cuius extrema, & prima principia sint vir, & mulier, hunc dicemus A. illam G. quibus vtrisque, & secundum animam, & secundum corpus, quæ perfectè, & purè competunt singulo, quatenus talis est, conueniant; inter hæc extrema sint media B. C. D. E. F. necesse est igitur primum ipsi D. simpliciter medio, aut A. & G. vtraque adesse, aut abesse vtraque, si vtraque simpliciter aberunt, ergo D. in specie humana non esse, quod est contra suppositum, vel si esse poneremus, rationem hominis non haberet, quam materialiter his qualitatibus determinauimus, nõ igitur vtraque habebit, ac iam contraria simul esse nequeunt secundum suam perfectionem, non igitur in D. simpliciter est A. neque simpliciter est G. sed secundum quid, est enim medium hoc non per abnegationem, sed per vtriusque extremi participationem quodammodo.

a ——— g

Num videbitur igitur D. & sñ corpus Androginos, & secundũ animam ad vtrumq. habi-

habitum paratus;quare prædictarum animæ diſpoſitionum nullam in habitu habebit,ſed æque omnes in potentia,vt argilla vda ad omnes figuras vaſorum ſe habens, ad quemcunque animæ habitum,at B. virilem quidem diſpoſitionem minus tamen quam A. retinebit C. vero, & plures partes fœmineas, & ſecundum corpus, & ſecundum animam habebit, vir tamen erit, degener,timidus,vilis,auarus,malitioſus,vt autem C. ad A. ita E. ad G. ſe habebit, magiſque ingenuam fœminam referet F. quam G. & in F. & E. inæqualiter tamen,virilium membrorũ imaginem virileſque obſeruare mores poteris.

Quid igitur colligemus?neminem eſſe hominem in quo vel viri, vel fœminæ non reperiantur aliqua membra, & propenſiones, & hoc, vel ſimpliciter, pro, vt in A; & in G. vel ſecundum quid provt in intermedijs B. C. D. E. F. & quod in hac latitudine ſpeciei humanæ obſeruatur, idem de alijs ſentiendum eſt; & ſicuti hæc ſexus diſcrimina indiuidua ſpeciei humanæ mutant,ita loca,climata,cibi, aer, & cætera de genere hoc, alterant ſexus prædictas qualitates, alia enim eſt campeſtris fœmina, alia montana, & quæ nata eſt in Aphrica,& quæ habitat Sarmatiã ;vtræq. quidem comparatæ cum viris ſuæ regionis erunt timidæ, vtręque ſubdolæ, ſi inter ſe cõferantur, audax erit Sarmatis,aut Germana, & Pœna timida, ſed doloſior, & inſidioſior, at e contra Germana erit apertior, & ſimplicior, & aptior,quæ decipiatur; Id exemplo noſtrarum patet, nam audaciores, & laborũ patientiores apud nos ſunt montanæ mulieres,& liberales magis,at e contra, quæ loca paludoſa, & campeſtria habitant, ſunt debiliores timidiores, & minus aptæ ad labores tolerandos; quæ vero in medijs regionibus habitant medio modo ſunt diſpoſitæ, & vtroque participant extremo;hæc igitur ſic determinata ſint,unde patet quod nobis inexiſtentia corporis membra maſcula,vel fœminea tales etiam vel oppoſitas in anima indicant propenſiones, quæ deinde alterantur,augentur,uel minuuntur prout locus, aer, cibuſque, & cætera ſuperius dicta requirunt;uerum igitur erit affirmare,quod in quolibet indiuiduo, uel fœminile eſt corpus,uel maſculinum,aut membrum aliquod fœmineum, aliud maſculinũ, aut utrumque ſimul confuſum, hocquè maſculum referens,illud uero fœminam,quare uel in anima cuiuſque indiuidui erunt omnes diſpoſitiones uiriles,uel omnes fœmineæ uel quædam,quæ uel alteratæ,uel adauctæ, uel diminutæ ſe ſe patefacient,pro,ut locus,ætas, aer, cibus,educatio,inſtitutio,ſtudia,parentes,legeſque patientur, ut autem in uirili ſexu ſpeciei humanæ ſunt,aut eſſe poſſunt imagines, & ſimilitudines omnium ferè, & ſingulorum membrorum cuiuſuis perfecti maſculi,ſic etiam in muliere poſſunt omnes cuiuſuis animalis fœminei ſexus artuum imagines reperiri,quare, & nulla eſt inclinatio, nulla propenſio naturalis,animalis,quamuis ferociſſimi,aut humilis,quam in aliquo homine non reperias crudeliſſimæ tigres,ferociſſimæ pantherę,aſt crudelior multo,& Scilla,& Medęa,& Acciolinus de Romano,libidinoſiſſimæ ſunt ſimiæ, & multo libidinoſior fuit Phedra, & Meſſallina,& Fauſtina, & Iulia, & forte quam plures aliæ,quarum nomen, & fama cum ſuis dedecoroſis ſcelerib. ſepultæ ſunt; at Tigris, quæ proprios filios diſcerpat nulla legitur quędã uero matres etiam proprium partum patribus comedendum appoſuerunt, quinimo ipſęmet uorarũt quod aliquãdo faciunt, noſtrates feles,ut Ioſephus in expugnatione Hieroſolimitana ſcriptum reliquit; in ſpecie humana igitur omnia ſunt potentia, quæ in alijs ſunt in actu,quare, & ſua membra aliorum animalium, ſi figuram referre poſſunt, credibile eſt etiam, & in anima ſimilitudinem harum propenſionum,quæ ſunt in animalibus exiſtere,iure igitur dictum eſt,omnis animalis maſculi in uiro, & omnis fœminei ſexus in muliere apoteleſmata reperiri poſſe,homo enim, quodammodo eſt omne animal, & totius orbis quædam ſpecies, & imago quare pars hæc fœmineum,illa maſculinum refert genus omnis autem ſpecies, & collecta ſimul indiuidua, omnes, & ſingillatim ſingula ſingulas paſſiones nata ſunt repreſentare;eleganter igitur dictum fuit ab Aeſopo,cum facto homini non ſupereſſet,quid illi dare poſſet actus; Mercurium iuſſu Iouis, omnia dolia, & omnes py-

pyxides in quibus erant proprietates animalium lauisse, & loturam homini tanquam formam, & perfectionem suam tribuisse, vnde factum fuit, quod homo nullam quidem absolutè propriam perfectionem, at omnium inchoationes, & rudimenta sumpserit, quibus mediantibus, quid quid alijs tributum est animantibus sibi ipsi arrogare etiam possit.

Neque ideo putandum, mulieribus uiros esse multo meliores, quoniam ipsi sunt duriores, & fortiores hoc est robustiores.

Virorum etenim illæ sunt partes, & tandem memores sint uiri, quod fructus sunt mulie bris uentris, qui si bonos se esse credunt, & causam unde orti sunt, non probare non possunt bonus enim fructus bonæ arboris est fructus, sed esto etiam acerrima ficus est, & amara olea, uerũ quoniam illa dulcissimos fructus, hæc utilissimum humanæ uitæ humorem fundit, utraque excolitur, amatur, & omni diligentiæ genere curatur, sic igitur neq. illaudatæ sunt mulieres, neque desunt auctores, qui illas exornent, & diuinis propè honoribus celebrent cum illa sint, quæ generi humano æternitatem conciliant, quæ ciuitates implent, & homines Dei imaginem producunt.

Finis Tertiæ Partis.

COMMENTARII IN PHYSIOGNOMICA ARISTOTELIS.

Pars Quarta.

DE PASSIONVM, HABITVVMQVE SIGNIS à corporis partibus sumptis.

Quibuscunque pedes bene formati, & magni, & articulati, & nerυosi, fortes sunt secundum ea, quæ sunt in anima, reducuntur ad masculinum genus.

METHODI omnis hæc communis quędam ratio est, vt cum vniuersalia speculata fuerit ad particularium cognitionem descendat, in quibus exerceatur, & sic duplici cognitioni satisfiat, ei nempe quam scientiam, & alteri quam experientiam, græci pediam dixere, hactenus igitur vniuersaliter de his quæ ad naturæ humanæ cognitionem pertinent egimus, nunc ad particularem exercitationem descendendum est. Primum itaque in memoriam est reuocandum, quod humanum genus per duas primas differentias secundum materiam, siue secundum corpus diuiditur, in marem, & fœminam; quare omnis homo vel sortitur fœmininum corpus, vel masculinum, corporis autem humani cum actus, & perfectio sit humana anima, cui tanquam proprium instrumentum seruit corpus, hęcque anima, & corpus sint ad aliquid, plerunque cui inest corpus fœmineum, illi etiam anima fœminea, & cui masculinum illi mascula etiam inest anima, sicuti autem tota anima totius corporis actus est, ita pars animæ partis corporeæ certus actus est, & sicuti tota anima toto vtitur corpore ad eas operationes obeundas, quæ totius sunt hominis quatenus homo est, propriæ, sic etiam priuata potentia priuatis vtitur membris, ad priuatas operationes exercendas, quæ secundum illas potentias homini competunt; quare cui (vt dictum est) tale instrumentum adest, illi probabile est, talem etiam adesse propensionem, & potentiam, homini igitur secundum quod sortitum est corpus masculum, necesse est illi adesse corporeas qualdam partes, quæ illius masculinitatem ostendant, & vt corpus simpliciter masculum dicatur, faciant; prima masculini corporis differentia est membrum, quod virile dicitur, pedes deinde, manus, caput, & cætera membra, à fœmineis differunt, & totum etiam corpus uirile à fœmineo certis quibusdam

busdam delineamentis, & accidentibus distinguitur; prima passio corporis masculi, est robur, & virium motiuarum, & actiuarum præstantia, in omni enim ferè genere animalium præcipue tamen humano, vir fœmina est robustior, & fortior, cui igitur inest figura masculina, & partes corporis omnes virilem in modum formatæ, ac dispositæ illum secundum corpus dicimus esse robustum, & in eodem reperiri etiam dicemus, quæ robur corporis cõ sequuntur, aut quæ sunt ei cognata, & aliquo modo connexa, vt si robustum est, igitur facile resistat externis, neque facile patiatur, aut alteretur, solem, & frigus bene perferat, patiens sit famis, & sitis, & huiusmodi. Ei autem, quod in masculo corpore reperitur robori in anima mascula respondet audacia, quare, & robur, secundum corpus, & audacia secundum animam, est prima passio hominis, quatenus est masculus, has deinde, & secundum animam, & secundum corpus congeneæ sequuntur; congeneas voco qualitates, quæ ab ijsdem principijs, vel à similibus secundum proportionem pendent, vel vna alteram infert, aut simpliciter, aut secundum proportionem; sic audaciam, & impudentiam, timorem, & auaritiam, mollitiem, & desidiam congeneas dicere solemus passiones. Fœminilis corporis præcipua ratio est muliebre pudendum, secundum quod dicitur esse fœmineum animal, & huic partes reliquæ corporis secundum formam, ac delineationem respondent, pulchritudo autem, ac partium venustas, & concinnitas in specie humana, fœminea est passio, cui secundum animam respondet timor, & dolus, & solertia quædam seruilis, quæ ingenuitati opponitur.

Referri igitur ad masculum nihil est aliud, nisi habere membra, quæ similia sunt masculinis membris, quare, & probabile est in anima esse etiam passionem de illarum genere, quæ masculis insunt. In anima autem humana dictum est reperiri potentias, habitus, & affectus, de potentijs sermo nobis est; habitus enim in nostra positi sunt potestate, & ab arbitrio pendent; potentiæ vero sunt qualitates, quæ materiam concomitantur, sicut in libro 2. de generatione dictum fuit, quarum quamuis aliæ magis sint propinquę habitui, & perfectioni, omnes tamen sunt potentiæ, quæ siue propinquæ aut remotæ sint, materiam sequuntur, & ex ipsa educuntur, & pullulant, hic igitur inter alios physiognomizandi modos vnus est, vt scilicet, ad hæc duo principia, omnia corporea signa deducantur masculini scilicet, & fœminini sexus per quæ cognoscamus, quæ masculæ, quæque fœmineæ potentiæ in cuiusque anima existant, & hic modus etiam si non det causam propter quam res, est facilior tamen est alijs, & in promptu magis, vt interrogantibus possit satisfieri, sed iam ad examinandum Aristotelicum apotelesma veniamus, quod est huiusmodi.

APOTELESMA PRIMVM.

Quicunque pedes bene formatos, magnos, articulatos, & neruosos habent, illi sunt fortes secundum eas passiones quæ in anima.

Apotelesmata putaui vocanda, hæc Aristotelis pronunciata, deducta voce à verbo græco, quod ex Eusthatio ad primum Iliad; significat propriè decreta, & effectus horoscopi, hoc est quid quid cęlum ex astrorum concursu in cuiusque genitura futurum de illo qui natus est statuit, & ob id Apotelesmatici olim vocabãtur, qui, & Chaldæi, & Genethliaci, & Astrologi hodie dicuntur, qui nihil non planetarum subijciunt potestati, & propterea (ex Firmico) non solum apotelesmata vocantur Astrologorum responsa, sed, & prædictiones, & iudicia omnia in vniuersali prolata (qualia sunt hæc Aristotelica) meritò nomine apotelesmaton significari possunt, quo nomine etiam Iulius Cæsar Scaliger vocauit effata Hippocratica in eo libello, quem de somnijs inscripsit; Hæc igitur est sententia Aristotelis.

Quicunque homines habent pedes bene formatos, magnos dearticulatos, & neruosos

siuè

ſiuè muſculoſos illi ſunt fortes, aut verius audaces, & manu prompti, atque ad actiones obeundas parati, ſiuè ad audaciæ habitum valde propenſi, & habiles.

Pedes bene formatos dico, qui ſecundum naturam valde ſunt diſpoſiti, hoc eſt, ſunt rationabiliter longi, & lati, ita tamen, vt non dedeceant, docent enim virtutem formatricem validam fuiſſe, tum quoniam membra aptè, etiam ſecundum naturam perfecit, tum quoniam, ſi in extremitatum fabrica, vbi iure eſt debilior, non defecit, probabile eſt, etiam non defeciſſe in principio, & in his partibus quæ ſunt circa principium. Bona igitur formatio ad virtutem efficientem pertinet, illiuſque robur, & rectam diſpoſitionem denotat, ſicuti mala conformatio eiuſdem debilitatem, & impotentiam arguit, oppoſitos enim effectus ab oppoſitis oriri cauſis rationabile eſt.

Magnitudo autem ſe tenent à parte cauſæ materialis, magna enim corpora ſunt, quæ multum materiæ ſunt ſortita, ad hoc autem, vt naturale compoſitum perfectum ſit, & materia, & forma requiritur, illa, vt multa potius ſit quam pauca, ſed forma deinde dominetur, & illam bene diſponat, ſic animal fit magnum, & bene formatum non tantum ſecundum partes, ſed etiam ſecundum totum.

Tertia proprietas eſt articulatio, membrum dicitur dearticulatum cum partes ipſum ſtatuentes, bene ad inuicem diſtinctæ ſunt, ac perfectæ, vt earum termini, ac finis ſenſibus cognoſcantur, & ipſum etiam membrum ab alijs probe ſeiunctum ſit, & determinatum, quod item, vt bona formatio, ad virtutis efficientis reducitur perfectionem quam arguit, & docet, vt effectus cauſam, vt ſignatum ſolet oſtendi à proprio ſigno, diximus enim hanc doctrinam à poſteriori, vt plurimũ procedere, & ex his quæ nobis nota ſunt, probare ſuas concluſiones.

Neruoſitas etiam neruorum bonam ſignificat diſpoſitionem, nam neruum nunc non puto intelligendum eſſe, pro ea particula corporis, quam medici ſenſum ferre dicunt, ſed neruum voco partem illam, quam tendonem vocant ex neruo, & cartilagine compoſitam in qua motiuum robur præſertim conſiſtit, neceſſe eſt igitur neruoſos eſſe pedes, ſi debent eſſe robuſti, & magnos, qm̃ ſi parui forent, robuſti eſſe nequirent, nã in parua magnitudine multa virtus eſſe nequit, & duorũ corporum quæ ſint eiuſdem ſpeciei, vtriſq. ſm̃ naturam diſpoſitis, non ægrotantibus, non ſenio, aut alia aliqua ratione debilitatis, ſemper maior vis, maiuſq. robur eſt in maiori quam in minori, ſm̃ quam rationẽ cõtingit etiã adoleſcentẽ, eſſe puero robuſtiorẽ, quorũ igitur tales ſunt pedes, illi habent animã talem, vt inter eius potentias, ea quæ fortitudinis habitũ, & operationẽ reſpicit, ſit præcipua, & maxime prompta, vt in habitum exeat; per fortitudinem non intelligo veram virtutẽ, aut habitudinem ad ſuſtinendas res aduerſas percuſſiones, & vulnera, & mortem, ſed audaciam, & ad pericula ſubeunda, & prompte ſuſtinenda, vt tandem ſit ſenſus, homines quorum pedes ſunt bene formati, magni, dearticulati, & neruoſi, illi ſunt parati ad audaciam, & efficaciter poſſunt ſe offerre periculis, & confidere, confidentia enim, & audacia loco hoc, nomine fortitudinis ſignificari videntur.

Hoc apoteleſma, vt probet Ariſtoteles, ait, quòd reducuntur ad maſculinum genus, vt ſit argumentum, quorum pedes ſunt bene formati dearticulati, neruoſi, & magni illi reducuntur ad genus maſculinum, at quæcunque animalia maſculinum referunt genus, illa ſunt fortia, ergo quorum pedes ſunt bene formati, magni, neruoſi, & dearticulati illi ſunt fortes, & audaces ſecundum animam, vt facile pericula deſpiciant, & timore nullo teneantur, & plerumq. etiam ſupra vires aggrediantur ea, quæ deinde perficere nequeunt, quo fit vt viri iſti non ſint valde prudentes, & cauti; Minor confirmatur, quoniam quæcunque formatricis uirtutis ualiditatem ſignificant, & caloris exceſſum illa maſculinitatem designant, maſculum enim calidum,

& siccum diximus,& ignem referre, pedes autem formati bene,& magni uigorem, & ualiditatem causæ efficientis denotant,quare,& pedes tales ad masculinum genus referuntur, maiorem supra declarauimus, audaciam enim, & confidentiam ad marem dicebamus referri,non secus, atque timiditas,& diffidentia ad fœmineum genus; Cum enim in vnoquoque genere duæ sint secundum naturam species (omne enim genus in duas species seu partes per oppositas differentias diuiditur)vna semper rationem melioris, nobilioriſque, altera peioris, & ignobilioris habet; siue genus id secundum differentias materiales, siue secundum formales diuidatur; quare cum genus animalium perfectorum, & ipsum secundum materiam diuidi soleat in marem, & fœminam, contingit marem habere rationem melioris, & nobilioris,fœminam vero ignobilioris, & peioris;quare cum omniũ oppositorũ hæc sit natura, vt vnum melius sit, alterum peius, & vt dicebant antiqui alterum sit sumptum ex coordinatione continentium, alterum vero contentorum, siquidem peior qualitas peius sequetur genus, & melior melius comitabitur; ergo si audaciam, & pedum magnitudinem, & neruositatem in corpore virili videbimus,in fœminili pedum paruitatem, & debilitatem,& in anima timiditatem agnoscemus.

Dub. Neque dubitandum est, quod dixerimus vnum extremorum semper boni, alterum mali rationem habere, eo quod bonum in mediocritate consistit, extrema autem vtraque à medio recedunt; Nam huic dubitationi satisfiet, si considerabimus, quod extrema in abstracto si capiantur, semper vnum habet rationem priuationis, & mali,alterum verò formæ, & positionis,& boni,uel cum in omni motu sint duo termini,unus sit à quo, alter ad quem tendit quod mouetur,inde factum est,ut necessario unus rationem boni, alter rationem mali, & priuationis teneat,sic album, & nigrum,dulce, & amarum, calorem & frigus morbum, & sanitatem, parem, & imparem numerum opponi dicimus; si uero capiamus contraria in concreto, & pro ut in subiecto sunt, cum subiectum naturale, & compositum fuerit, quare non sit extremum, sed extremorum participans,melius illi uidetur esse, ac magis secundum naturam dispositum apparebit, si æqualiter quodammodo ab utroque extremo recedat, & in mediocritate sit positum.

Quin etiã simplicia corpora ab his excessibus extremorum distare uidentur,qui enim elementaris est ignis, & aqua, neque excessum caloris habet, qualem in flamma, & prunis uidemus, neque aqua glacialis frigore concrescit, & riget sicuti quando per frigoris excessum in glaciem uertitur, omne igitur si principiatum est, quoniam fit ex contrarijs in mediocritate quodammodo consistit;si autem pincipium est,neque etiam in excessu positum est simpliciter, sed tantum rationem contrarij sustinet, materia enim cum ex sui natura omnis sit expers qualitatis, sua hac naturali priuatione excessus extremorum contemperare uidetur, ut quamuis in igne nullum penitus sit frigus, in eodem tamen excessus caloris non reperiatur naturaliter, & si excedat calor non amplius ignis,sed pruna, uel fumus accensus, uel quid aliud dicetur. Hanc puto esse Aristotelici huius apotelesmatis sententiam.

Nunc quænam ex hoc deduci possint contemplemur, quorum alia secundum corpus, alia secundum animam dicentur, ea secundum corpus adsunt, quæ ex ijsdem corporeis principijs ducuntur, at secundum animam, quæ ex posita potentia, & propensione inferri rationabiliter possunt aliæ habilitates, ut si quem ad auaritiam propensum uidemus, illi etiam inclinationem ad furtum, & ad iniustitiam tribuemus, Cui ergo pedes magni, & bene formati, & neruosi fuerint, illi,probabile est, & magna adesse ossa, quare & caput, & robustum os caluariæ, & bene formatum, & densæ texturæ, nam si raræ, iam esset molle, & non robustum, neque ossa forent magna,

ceu

ceu ſuppoſuimus, & quoniam denſa textura eſt, non facile ab aere, & ab ambienti lædituꝛ, & robuſtum erit cerebrum, & capitis pars poſterior eleuata, & tuberoſa, quoniam cerebellum magnũ eſt, neruoſi ſiquidem pedes ſunt; Quoniam autem bene formati pedes ſupponuntur, probabile eſt, corpus etiã eſſe quadratum, & concinnum, & mediocriter incuruatum in partem anterioꝛẽ, ita tamen, vt vix curuitas percipiatur, & lati ſint humeri, & coſtæ magnæ, dearticulatæ, & manus magnæ, & robuſtæ; naſus item, & os magnum, & color faciei ſqualidior, & pectus piloſum, oſcum, & quale demum in maſculi deſcriptione ſupra diximus; quoniã autem pedum officium eſt mouere corpus, & illud ipſum ſuſtinere, tale autem genus pedum certo modo ſuſtinet, ac mouet, qui magni ſunt bene formati, neruoſi, & dearticulati illud ipſũ corpus, & bene mouent, & validè ſuſtinent, quare quorum tales ſunt pedes, non ſolum ad motum ſunt apti, ſed ad ſtandum, neq. facile de veſtigio moueri poſſunt, aptioꝛes igitur ſunt ad reſiſtendum, quam ad cedendum, & fugiendum, neruoſi enim ſunt, & magni, ſi uero, & currere, aut fugere neceſſe ſit, fugiunt, & ocyores Euro currunt; quod ſi hoc uerum eſt, tales igitur pedes eam animæ propenſionẽ, & potentiam perfectam eſſe denotant, quæ tunc perfecte operatur, cum talia ſortita fuerit inſtrumẽta, hæc autem eſt motiua potentia, ſi ergo audax, & ſibi confidens ad reſiſtendum, & repellendum oppoſita; quæ imminent, & lædere ualent, requirit neruoſos magnoſque pedes, ac bene dearticulatos, cui tales aderunt, illum audacem dicemus, & quoniã audax eſt, & ſibi confidens, ſuperbus etiam, neque libenter ad alienum auxilium implorandum ſe conferet, & quamuis ad iuuandum alios ſit paratus, aliorum tamen non promptè implorabit opem, impotentiæ enim id putat eſſe ſignum; ſiticuloſus, & bibax erit, magis quam edax, carneq. magis, quã alijs edulijs delectabitur, ſincerus, & apertus, non doloſus, non bilinguis, hoc enim iam fœminei generis accidens eſt, Hæc autem, & quãplurima alia ſyllogizando licet ex dictis colligere, ut alias fuit animaduerſum.

Sed hoc loco dubitandum uidetur, primum, ſi una tantum pedibus ineſſet conditio, aut altera, aut tres tantum quid ſentiendum erit? nam ſi idem prædicatum ineſt homini habenti pedes magnos tantum, quod ineſt illi, qui non ſolum habet magnos, ſed etiam bene formatos, & neruoſos, ergo aliæ conditiones erunt ſuperfluæ, & Ariſtoteles reprehendendus, quæ prædicata non per ſe, vt per ſe, hoc loco nos docuerit; ſi vero non idem prædicatum ineſt, cur vni conditioni, & formæ ſubiecti vna non addita eſt paſſio, non autem quattuor conditionibus vna tantum; nam ſi figuræ æreæ triangulari contingit habere tres, paſſio hæc per ſe, & primo nulli alij niſi triangulari adeſt, & illi ſubiecto non quatenus eſt figura, vel quatenus eſt ærea tale ineſt prædicatum, ſed quatenus eſt triangularis; vnius enim formæ quatenus vna eſt, operatio, & paſſio vna eſt tantum. *Dub.*

An ſane dicendum ex quattuor illis pedum conditionibus ſimul iunctis fieri vnum tantum, ſicuti ex animali quadrupede, manſueto, cornigero aratore fit vnum, quod dicitur bos, & ſicuti vna eſt proprietas bouis, quatenus eſt bos, quæ primo, & per ſe illi, quatenus talis eſt, accidit; ita habenti pedes ſupradictos quorum forma illis quattuor conditionibus continetur, & deſcribitur, adeſt propria quædam paſſio, quam audaciam diximus, hoc eſt promptitudinem ad reſiſtendum laboribus, & robuſte mouendum corpus, & ſuſtinendum, quæ nocent, & repellendum, quę vim inferre tentant; ſi vero vna tantũ ex his quattuor adſit cõditionibus, iam audacię vix vlla ſuſpicio putabitur, quin imo cõtingit plerũq. pedes magnos, & præcipuè ſi male formati ſũt, timore arguere, & materiæ tũ multitudinẽ, at ciuſdẽ inobedientiã, & virtutis formatricis debilitatẽ, ſi vero cũ magnitudine, bona formatio ũt adſit, ſed neruoſitas, deficiat, pfectã *Reſp.*

non esse propensionem ad audaciam, sed inchotionem tantum quamdam adesse dicemus; illa autem perfecta dicitur potentia, siue propensio, quæ nullis, aut minimis eget exercitationibus, vt perfecte ad operationem exeat, & suum actum exerceat, sic egregiam dicimus habere potentiam, & propensionem ad musicam illum qui nullis fere, aut minimis eget adiumentis ad hoc vt actu canat, & paucis actibus, & exercitationibus potentiam ad perfectum habitum, & entelechiam traducit; at si contigerit hæc omnia adesse in pedibus, & deinde caput, & nasum, & os, & manus contrarium indicarent, in eo homine tamquam in monstro quodam, & secundum hanc partem præter naturam affecto, initium audaciæ quidem agnoscemus aliquod, at tale tamen, quod facile refrangi antequam susceptum opus perficiat, & impediri possit, Tales autem sunt, qui timidi audaces dicuntur, qui plerumque cum à periculo absunt, arrogantes sunt, in periculo deinde pusillanimes euadunt, & cum leones inceperint, in pecudes desinunt.

Pedes autem hos decere athletas certum est; & eos, qui pedestrem militiam exercitaturi sunt ad staturiamq. pugnam non aliter dispositos esse conuenit; vnde, & Germanos, & Heluetios optimos dicunt, plerumque esse hastatos, quoniam, & eorum naturalis dispositio talis est, neque solum pedes tales habent, sed reliquum corpus, vt plurimum, his optime respondet.

Quid igitur sibi velit hoc primum Aristotelis apotelesma, ex his puto satis patere, & quænam ex hoc deduci possint, & propter quam causam.

APOTELESMA SECVNDVM.

„ Quicunque autem pedes paruos, strictos, inarticulatos habent, & uisu pulchriores, quam robustiores, molles sunt secundum ea quæ sunt in anima, referuntur ad fœmininum genus.

OPpositum habet hoc superiori apotelesmati, cuius hic videtur esse sensus. Quicunque habent pedes paruos secundum longitudinem, & secundum latitudinem, & eosdem in articulatos, lenes, delicatosque, & visu delectabiliores, quam sint pedes robusti, illi habent propensionem ad mollitiem eam nimirum, quæ audaciæ confidentiæque, & patientiæ laborum, periculorumque opponitur, prævaletque in his propensio ad mollitiem, & desidiam alijs, quæ in ipsorum anima reperiuntur potentijs.

Pedes paruos dicimus si comparati, tum corpori, cuius sunt pedes, tum alijs corporibus, quæ sunt eiusdem speciei, habentibusque eandem molem, defecerint, in illisque minor quam in alijs eiusdem speciei, quantitas materiæ existat, quod enim in magnitudine deficit paruum dicitur, sicuti quod in multitudine paucum; arguunt parui pedes materiæ paucitatem, sicuti magni dicebant excessum; vbi autem paucitas est materiæ, & minor quam naturaliter esse deberet, virtus quæ nata est esse in tali materia, neque ipsa valens, & viuida potentia est, (iam enim dictum est quommodo in minori quanto cuisdem speciei cæteris paribus, minor est virtus) si vero stricti sunt iam non erunt bene formati; strictũ. n. dicimus, qđ lato opponitur; latũ aũt est, cuius partes ĩter se dissident, & distinctæ sũt, medium erat bene formatũ esse, quare strictũ illi opponitur, qđ in primo apotelesma te bonã dicebat formationẽ etenim inarticulatũ docet, nam si dearticulatũ dici-

dicimus membrum, cuius partes diſtinctæ ſunt; è conuerſo ſtrictum, quoniam partes confuſas habet, neque bene diſtinctas, ideo in articulatum dicemus; videmus autem hoc clarum in pedibus mulierum, qui cum breues ſint, & rotundiores inarticulati etiam exiſtunt, & paruos habent digitos, & nullum, aut oſſium, aut tendinum apparet veſtigium.

Et viſu pulchri magis, quam robuſti.

Differt bona formatio quæ in pede virili ab hac, de qua nunc agimus pulchritudine, nam huiuſmodi pedes dicuntur non ſimpliciter pulchri, ſed viſui delectabiles, quoniam ſunt albi, & molles, & rotundi, & nullam oſſium habent ſuſpicionem, ſed tantum docent mollitiem quandam, quæ ſenſibus iucunda eſt, candidi igitur, & lenes, & rotundi, & delicati cum ſint, ait Ariſtoteles pulchriores, ſiue viſu eſſe delectabiliores, quam ſint robuſti, hoc eſt qui magis placeant videntibus illos, quam proprium munus, cui deſtinati ſunt, promptè exequantur, non igitur ſecundum formam iucunditas huiuſmodi pedibus, de quibus loquimur adeſt, ſed à materia aquea, molli, & delicata id paſſionis genus pendet, ac prouenit.

Hæc igitur eſt vna pedum certa ratio, quæ indicat ſubiecto cui ineſt ſecundum corpus eidem, etiam ſecundum animam ineſſe mollitiem, ſecundum quam homo facilis eſt, vt perſuadeatur, & timeat, neque reſiſtere audeat periculis, & laboribus, proprie autem mollia ea vocantur corpora, quæ facile nata ſunt cedere pellentibus, & in ſe met ipſa contrahi, & pellentem vim circumplecti, ad huius corporis ſimilitudinem, facta translatione, animum dicimus mollem, qui & facile cedit perſuadentibus, minitantibus, & inſtantibus, qui facile mutari, turbarique poteſt, qui labores, pauperiem, doloremque ſuſtinere nequit, hic igitur eſt verborum, quæ apoteleſma cõſtituunt, ſenſus.

Quod probat Ariſtoteles dicens: referri ad fœmininum genus, hoc eſt pedes huiuſmodi eſſe fœmineos, & fœminarum proprios; Nã qui tales pedes habent, illi ſecundum pedes fœminis ſunt ſimiles, quare, & potentia quæ in anima exiſtens pedibus reſpõdet (vel quoniam ijs tamquam inſtrumentis præcipuè vtatur, vel quoniam illorum forma eſt, & ratio) illa inquam, animæ potentia, fœminilis erit, & talis qualem fœminas videmus eſſe fortitas, vt ſit ſyllogiſmus.

Omnis homo cuius pedes ſunt parui, ſtricti, inarticulati, & magis viſui iucundi, quam ad vſum valentes, ille ſecundum hanc partem ſimilis eſt fœmineo generi, & fœminam refert; at omnis homo qui fœmineum genus, ac fœminam ipſam ſecundum pedes refert, ille etiam ſecundum animam mollis eſt, delicatus, timidus, imbellis, inaudax, & impatiens laboris, doloris, & malorum, ergo homo cui pedes parui, & ſtricti, & inarticulati ſunt, & viſu iucundi magis quam ad vſum apti, ille eſt ſecundum animam mollis, inaudax & imbellis ad labores, & aduerſitates tolerandas; æſtus, & pulueris impatiens.

Hæ propoſitiones ſpeculandæ ſunt, an ſint veræ, & propter quid ſint, minor quod ſit vera non eſt qui negare poſſit, nam ſi oppoſitorum, & oppoſitas formas habentium, oppoſitæ ſunt qualitates, cum pedes his oppoſiti dicantur maſculini, ergo iure hos fœmineos dicemus, propter quid autem huiuſmodi pedes ſint fœminiles cauſa eſt quoniam arguunt vim formatricem, calorem nempe naturalem eſſe debiliorem, & remiſſiorem, nam ſi intẽſus, & viuidus magnos pedes, & formatos bene facit, ergo non intenſus, neque uiuidus, non magnos, non articulatos faciet, ſi enim affirmatio, vt ait Ariſtoteles, eſt cauſa

affirmationis,negatio etiam negationis erit causa,at viuidus calor masculinus est ergo nõ viuidus,fœmineus dicetur,quòd igitur minor sit vera, & propter qd ex his est manifestũ.

Maior erat, qui fœmineum genus secundum pedes referunt, illi secundum animam molles sunt,inaudaces,inefficaces, & laborum,ac ærumnarum impatientes.

Quod sit uera non habet difficultatem,at propter quid dubitandum est;qui etenim fœmineos pedes habent fœminas referunt, fœminisque similes sunt, quas in confesso est, esse secundum animam,molles,inaudaces, & ærumnarum impatientes, fœminarum enim ploratus, & eiulatus est proprius,quod Hercules œteus sentiens pudore suffusus dicebat.

Heù virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo vlli ingemiscentem malo.

At ꝓpꝙd pedes hmõi potius mollitiem aĩæ,quã dolũ,infidelitatẽq. & sexcentas alias fœmineæ aĩæ propẽsiones indicent, inquirendum est; nã nulla videtratio ꝓp quã animũ mollem, & imbellem talis pedum dispositio,& structura doceat,An certe ratio adest,neq. alia esse potest, præter hanc vnam, quod nempe ab ijsdem principijs, & ex ijsdem fiat pedum talis in corpore dispositio, & in anima talis affectio,quam mollitiem nominat, quęcunque igitur duo sunt ita affecta, vt ab ijsdem causentur principijs in eodem subiecto, si vnum illorum in subiecto reperietur,necesse erit etiam alterum adesse,vt flamma, & fumus,cum ab eodem principio generentur in ligno,nempe ab igne,si videbimus inflãmatũ torrem,illum dicemus esse ignitum, & si ignem habet calidus est torris; quare cum fumat calefacere aptus est, & cum inflammatus est, etiam fumat, ergo quando duæ affectiones ab eodem principio natæ sunt fieri,existente una necesse est illud principium adesse, & alteram etiam,& e contra,si altera existat,vel non existat,necesse est alteram etiam existere, vel non existere, sic etiam medici aiunt, si bilis flaua peccat, & febrim tertianam facit, & non excedentem duodecim horas, & si febris non excedit typum duodecim horarum,exquisita est tertiana, & bilis flaua peccat, & hæ passiones se mutuo sequuntur,quoniam ab ijsdem pendent principijs,nemini igitur est dubium,quod quæcunque duę passiones ab ijsdem principijs, & causis pendent, si vna illarum in subiecto aliquo reperta fuerit, necesse est alteram etiam in eodem subiecto, & causas,ex quibus utræqne pendent, omnino existere,huic principio subdamus, sed pedum paruitas, & inarticulatio, & iucunditas aspectus eorumdem,quæ in homine certo existit, & mollities animi, sunt duæ qualitates in eodem subiecto repertæ, quæ ab ijsdem pendent principijs, ergo cui inerit pedum paruitas, & figura constricta, & inarticulata secundum corpus,illi etiam inerit mollities secundum animam, quod autem eadem sint principia quæ faciant in corpore tales pedes, & in anima mollitiem,sic puto ostendi;animam iam diximus esse formam, & actum corporis,parteſq. corporeas eiusdem esse instrumenta,& qualia sunt instrumenta tales esse operationes,animam item causam esse in triplici genere causæ, & etiam ipsam uti proprietatibus materiæ,calore, & frigore tamquam principijs actiuis instrumentalibus, & secundum horum dispositionem,& habitudinem quam habent inter se agere, & mouere,siccitatem autem, & humiditatem ab eadem anima usurpari, tamquam principia passiua, & secundum harum passiuarum qualitatum dispositionem,& rationem quam habent interse effici,vt hæc, vel illa potentia passiua magis,aut minus ad entelechiam accedat.

Cum igitur pedes parui sunt, & delicati,parum adesse materiæ terrestris,siue siccitatis manifestum est,ergo in passiuis præualet aqua,saltem secundum virtutem, vnde efficitur, vt paruus sit, & mollis pes, & cum læuore quodam delicatus, & pulcher visu, & quoniam talis est,ideo ad vsum est ineptior,quoniam non est robustus,nam si foret pes robustus prę ualeret non solum secundum molem,sed etiam secundum virtutem terrea siccitas;sed quoniam vis aquæ dominatur,ideo etiam est inarticulatus,nam humidi est difficile retinere terminum,quamuis illum facile capiat;tales igitur pedes arguunt materiam, ex qua facti

sunt

ſunt eſſe aquam, & terram, ita inter ſe coniunctas, vt ſecundum uirtutem aqua prædominetur terræ, hoc eſt, vt maior ſit humidi portio, quam neceſſario requiritur, ad ſtatuendos pedes ſecundum naturam perfectam, & minor ſicci, & in vniuerſum minor corporeitas.

At pedes ſunt extremum alterum corporis, in quo naturaliter prævalere deberet uirtus terræ, cuius indicium eſt, quod omnis ferè animalis partes extremæ, & quæ vel pedes ſunt vel rationem pedis ſuſtinent, ſunt cæteris duriores, & id rationabiliter, quoniam reliquum corpus ſuſtinere debent, minus igitur quam aliæ cedunt, quare cum reſiſtant duriores exiſtunt, alterum autem extremum eſt, in quo aquea vis prædominatur, in capite enim poſitũ eſt cerebrum, & illud frigidum, & humidum.

Hæc igitur ſunt duo diametri extremi in quorũ altero naturaliter terra, in altero aqua prædominari, & prævalere deberet, centrum autem eſt circuli, in quo principium mouens, quod anima dicitur, præcipue poſitum eſt, quod centrum in medio diametri exiſtẽs, vtrorumque extremorum rationem habet, nec non, & utriſque opponitur; cum ergo extremorum, & mediorum eadem ſit materia effectum eſt, ut cum in pedibus ſuperet humor, ille idem etiam in corpore magis prædominetur, quare, & in centro, quod ab extremis æqualiter diſtat, & ubi eſt principium motus, prævalebit; quod cum moueat, & diſgreget, rarefaciat, & calefaciat; erit calor mouens ſpiritus maximè humidos, & ad naturam aquę, & nebularum albarum accedentes, at quorum ſpiritus tales ſunt, & ad naturam albarum nebularum accedentes, illi ſunt ſecundum animam faciles, qui perſuadeantur, & inſtabiles, & non obſtinati, quare neque duri, molles igitur, ergo quorum pedes ſunt parui ſtricti, & inarticulati, & uiſu iucundi, ijdem ſecundum animam ſunt molles, ac inefficaces, quod probandum fuerat.

Cur igitur potius mollitiem animæ, quam aliquam aliam fœminilem paſſionem doceant pedum ſupradictæ qualitates, ex his puto manifeſtum eſſe.

Animaduertendum eſt autem, quod eadem penitus numero eſt materia, ex qua fiunt partes corporis, & ex qua ſpiritus, qui animæ deſeruiunt, quare qualia uidemus eſſe corporis membra, tales etiam ſuſpicandum eſt debere eſſe ſpiritus, talemque illorum eſſe propenſionem, quales autem ſunt ſpiritus talia ſunt prima animæ inſtrumẽta, quare tales operationes, & propenſiones, quæ uocantur animæ accidentia, & ab Ariſtotele nunc, (Ea quæ ſunt in anima.) Non ab re igitur à certa corporis parte, & ab eius cognita natura ad ſpiritus cognoſcendos, & ad certam animæ propenſionem aſcendere poſſumus;

Nam ſicuti ſe hẽt corpus ſimpliciter ad animam ſimpliciter. Ita etiam priuatæ ac particulares corporis partes determinant ſibi priuatam quandam animæ potentiam; quare ſicuti illa pars eſt in corpore, ita hæc potentia in anima, & ſicuticum talis pars adſit nempe inarticulatus, & paruus pes, tunc abeſt oppoſita qualitas, magnitudo ſcilicet pedis, & dearticulatio, ita in anima propinquior eſt entelechiæ, & actui potentia illa, quæ mollities, & timor quidam dicitur, quam ea, quæ huic opponitur, hinc factum eſt, ut ſit difficilius fortem, & durum, & laboribus, ac periculis reſiſtentem facere illum hominem, qui pedes paruos habuerit, quam illum qui magnos, ſimiliter, & difficilius molleſcent, uiri quorum pedes ſunt magni, dearticulati, & neruoſi, quam qui oppoſito modo diſpoſiti ſunt; Non ob id tamen tollitur quin uſu, ac diſciplina homo omnis in contrarium etiam trahi habitum non poſſit, ei ad quem naturaliter propenſum eſſe dicimus; quod de Theodoſio primo Romano Imperatore teſtatur Zoſimus, Qui cum naturaliter mollis eſſet, & inefficax, attamen cum res id poſtulabat fortis, uirilis, ad agendum promptus, & audax fiebat; neque id mirũ erit ei, qui contemplans humanam animam, ipſam eſſe omnia, ac omnia poſſe fieri intelliget, quare, & mollis, in habitum audaciæ poteſt mutari, & audax, timidus, & imbellis reddetur, ſi ad oppoſitas exercitationes ſuæ naturæ raducetur, quod facere illud eſt quod aiũt, naturam expellere furcu quæ etiam ſi aliquã-

do

do recurrat, refracta tamen, & semper minor apparet; vt tandem abolira putetur omnino.

Cæterum quæ ab hoc Aristotelico apoteleſmate deducantur facile est cognoscere, primum enim secundum corpus ea sequuntur, quæ superiori oppoſita sunt; cuiuscunque igitur tales pedes erunt (ſi modo secundum suam factus fuerit naturam, neque humano capiti coniunctam habeat equinam ceruicem) ille faciem præ se feret omnino fœminilem, carnosam, & glabram, neque multis pilis circa genas vestitam; amplius, & ossa ideo erunt parua neque crassa, & caluaria capitis subtilis, & rara textura, & facilis ad patiendum ab externis, neque robur corporis multum aderit, & ad fugiendum erit paratus, neque loco facile stare poterit, pedesque, ac manus agitabit, nam animæ mollities hominem promptum ad omnem mutationem secundum animam indicat, ita eumdem etiam secundum corpus talem facit, vt facile manus pedes quem iactet, ac gesticuletur, quod in pueris, ac fœminis quibusdam est animaduertere, qui nunquam loco stare, nunquam extrema sistere sciunt, cum enim propter spirituum fluxibilitatem, infirmitatem, & mollitiem, qui nusquam sunt vniformes, continua fiat circa centrum mutatio, quamuis illa parua sit, & propter suam paruitatem insensibilis in anima, in circumferentia tamen, hoc est in manibus, & pedibus vehementer apparet; similiter secundum animam quæ ex mollitie sequi solent, illa eadem etiam de homine paruos pedes habente enunciabimus. 10

Si igitur mollis est qui facile cedit, hic igitur facile persuadetur, credulusque erit, quare, & plerumque superstitiosus fiet, & magis aliorum auctoritati, quam proprijs discursibus fidem adhibebit, & quoniam talis est, ideo secundum se irresolutus erit, & confusus ad scientias, & speculationes quidem ineptus, sed ad viriles actiones etiam multo ineptior, paratissimus ad iram, sed quam etiam prompte ponat, puerilem enim temperiē referet, & probabile est humidi esse temperamenti, & inter aquam, & aerem existere, facilis etiam est ad risum, & ad ploratum, nam fœmineos mores habet, fœmina autem facile mutabilis est, vel dicente Poeta 20

—Varium, & mutabile semper
Fœmina;

Et quoniam est huiusmodi adaccipiendum etiam, & captandum paratus, accipereque cupiet, quoniam auarus est, auarus autem, & enim timidus, & talis nam imbellis, quæ imbecillitas mollitiem sequitur, aliena autem dicta, ac secreta captat, quando quidem curiosus, taliſque est, quoniam garrulus est, & qui facilis in omnem partem conuertatur, si quidem externas prompte natus est accipere impressiones, quærit igitur cognoscere, & scirè quamplura, quæ nihil ad ipsam pertinēt, quod est curiosi proprium, & garruli. 30

APOTELESMA TERTIVM.

Quibus pedum digiti curui, inuerecundi, & quibus vngues curui referuntur ad aues curuorum vnguium. 40

A Pedibus non discedens Aristoteles, inquit; Quod homines habentes digitos pedum, & vngues incuruos sunt inuerecūdi, duo igitur attributa corporis, nempe digitorum, & vnguium curuitas, inuerecundiam siue propensionem ad inuerecundiam docent.

Pedum digiti non secus atque manuum sortiri possunt quattuor figuras, aut enim recti sunt, aut concaui, aut conuexi, aut mixti; concauos dico incuruos, quorum pars inferior versus terram respiciens est concaua, & quasi arcum, aut semicirculum referens.

At conuexos digitos voco qui versus partem superiorem in curuantur, & eorum conuexitas respicit partem inferiorem, vt inuersum referat semicirculum; rectos, qui non magis supra quam infra curuantur, mixtos, qui ex concauo, & conuexo compositi videntur, qua-

les

les igitur ſint digiti curui ex his patet; vngues etiam curuos vocamus qui inflectuntur, & catorum, vel leonum vngues repræſentant; eſt vnguis extremum tendinis, hic autem ab oſſibus, & neruis trahit originem, qualis igitur vnguis talis neruus, & os; at nerui omnes à cerebro, oſſa vero omnia à caluaria pendent, omnia que orta ſuorum principiorum teſtantur naturam; quare ex vnguium figura ſtructura, & natura probabiliter cerebri, & oſſium, & neruorum, & motiuæ virtutis ſubſtantia poteſt cognoſci; incuruantur autem vngues propter ſiccitatem, & calorem, ceu videmus in his qui phthiſi, vel hectica febre iam inueterata laborant; quare quibus in ſunt huiuſmodi vngues, in his, atque in principijs vnguiũ præualere ſiccitatem, cum calore probabile eſt. Inuerecundia pudori opponitur, eam autẽ puto ſignificari affectionem, quam impudentiam ſupra dixit, & ſpeciem quamdam audaciæ, & peruicaciæ, ac petulantiæ eſſe; propria verò actio, & operatio huius impudentis, & inuerecundi eſt, vt ſit muſcæ ſimilis, & quamuis abigatur millies, impudenter tamen reuertitur ad idem, quare impudens ille eſt, qui non admittit alienas admonitiones, & reprehenſiones, & ignominiam, & vituperationem pro nihilo ducit; quin immo illas magis irridet, externa igitur repellit, neque facile admittit, durus igitur, & propoſiti tenax, ad ſiccitatem igitur refertur hæc affectio reſpectu qualitatum paſſiuarum, & ex actiuis caliditatem ſibi aſciſciſcit, ad audaciam refertur impudentia; audacem autem quodammodo fortem, iam ſupradictum eſt, fortem autem calidum eſſe.

Eſt igitur Ariſtotelici Theorematis ſententia.

Homines habentes digitos pedum, & vngues incuruas ſunt inuerecundi; huius dicti cauſam affert dicens, quod rrferuntur ad aues curuorum vnguium, quas rapaces vocamus. Aues quæ rapto viuunt, ſiue diurnæ ſint, vt Aquilæ, & Falcones, & vultures, ſiue nocturnæ, vt noctuæ, bubones, & oti, atque huiuſmodi, ferè omnes, roſtrum habent aduncum, vngues, & pedum digitos etiam; nec ſolum curuos, ſed robuſtos, & ad prædam capiendam, ac retinendam paratos.

Genus autem harum auium ferè non bibit, aut parum admodum, quamuis naturaliter ſit calidum, & ſiccum, puto cauſam eſſe quoniam cum animalia vorent, quæ aucupantur, eſt probabile, eorum ſanguine vtantur tamquam potu, quo ſitim extinguant, ſic Aquilas aiunt cum præcipuè ſenuerint ſanguinem fugere, vnde ortum eſt adagium in bibaces Senes; alios memini dixiſſe, hoc ideo contingere, quod harum auium natura ſit calida, & ſicca, ſecundum ſe igitur abhorret humidum, & frigidum; ſicuti enim ſtomachus naturaliter frigidus, & humidus, congeneis delectatur, ita etiam animalia, quæ calida, & ſicca ſunt conſeruantur ſimilibus, abhorent extranea, & magis etiam oppoſita, quare cum ſicca, & calida ſit horum temperies, effectum eſt, vt ab humido, & frigido, & demum ab aqua abhorreant; animalia autem hæc audacia ſunt, prompta ad rapiendam prędam, neque facile abigi poſſunt, quod in miluijs clarum eſt, nec non & in eo accipitre, qui venatur paſſeres, eſt igitur Ariſtotelica ratio huiumodi.

Homines habentes pedum digitos curuos, & vngues aduncos ſunt ſimiles auibus rapacibus ſecundum partem corporis, ſecundum quam repacitatem exercent, at qui ſunt huiuſmodi illi ſunt inuerecundi, & procaces ergo homines quorum pedes ſunt adunci, & incurui vngues, ijdem inuerecundi exiſtunt; minor nullam habet difficultatem, maior conſideranda eſt.

Primum autem ſupponendum eſt, ea duo inter ſe dici ſimilia, quæ in aliqua eadem cõueniunt qualitate, magis, aut minus talia vocantur, quæ eadem magis, aut minus participant; contingit autem qualitates eaſdem, reperiri in duobus toto genere differentibus, vt in ceruſſa, in niue maris ſpuma, & ſale, & ſaccharo reperitur albedo, at in hoc dulcedo, in illo ſalſedo, acuitas in ceruſſa, aut acciditas quædã, in niue inſipiditas, quoniam inter ſe differunt ſecundum genus, & ſubſtantiam, quatenus autẽ alba ſunt, eadem rationem habent,

& ſub

& sub eodem genere, licet fortè innominato continentur, cui primo, & vniuersaliter ineſt albedo, & si duo sint homines qui eundem habeant oculorum colorem, quem cæsium, siue cæsium dicunt, probabile est, & potentiam visiuam in vtroque esse similem, & simili modo suam operationem exercere, qua propter cum alter illorum noctu commode videat, alterum etiam commode videre enunciabimus, similium enim similes sunt operationes, & dissimilium dissimiles, & oppositorum oppositæ, quare quorum, & digiti, & vngues similes sunt digitis, & vngibus rapacium, illos esse rapaces probabiliter dicemus, pariter etiam, & secundum animam eadem habere qualitates, quas videmus in rapacibus, quod auium genus cum audax sit insolens, & impudens, & inuerecundum, homines etiam quorum pedes, & vngues aduncì sunt impudentes planè iudicamus, quod igitur hoc verum sit, iam patet: At quod aues rapaces sint audaces, & inuerecundæ, & insolentes, ceu muscę inductione confirmari potest, speculando naturam accipitrum, Aquilarum, Falconum, & aliorum huiusmodi volucrum rapacium, & aduncos habentium vngues, quarum propensio hæc est naturalis, vt procaciter impudenter, & cum nullo delectu, nulloq. amore, & (vt sic loquar) reuerentia, cibum summant de manu eorum, qui illas nutriunt, videmus etiam catos, qui & ipsi curui vnguis sunt, porrigentibus panem dominis, aut carnem insilire, ac vnguibus porrigentium digitos plerunque ferire, quod in canibus non est videre, propter quid autē, quicunque tales habeant pedum digitos, & vngues sint inuerecundi, nunc perscrutādum, primum itaque accipiendum est quod qualis est habitudo primarum qualitatū circa principia corporis, ex quibus illa cōstituuntur, quæ sunt cor, cerebrum, & epar, talia etiam sunt corporis reliqua mēbra, & tales spiritus, quorum anima primus est actus, & quales hi sunt, tales etiam operationes, & potentiæ à quibus causantur, oportet autē putare hoc dici tum de qualitatib. actiuis, tum de passiuis, passiuæ qualitates aquā, & terram præsertim referūt actiuæ autem in elementis, quæ continent eluescunt, vt quarto meteor. dictum est, quare in quo superat siccitas in eo terra terræque qualitates, & quæ illius formam sequuntur, apparebunt, si cum siccitate calor, igneum erit animal, & ignis consequentia in illo extabunt; vt autem Aristoteles duo principia passiua vocabat aquam, & terram, & primum dicebat esse siccorum terram, & humidorum aquam non quidem simpliciter, sed tantum prout sunt materia corporum mixtorum. Ita etiam ignem, & aerem actiua principia dicere poterimus.

Nam interior ignis, & exterior aer, ea duo sunt quæ ad tuendam animalium vitam requiruntur. His igitur sic positis dico, quod cui sunt vngues, & pedum digiti incurui, illi ineſt calor, & siccitas circa principia interna corporis, spirituſque calidos habet, & siccos, at quodcunq. principia corporis interna, & spiritus siccos, & calidos habet, est inuerecūdum, impudens, & procax, ergo cui pedum digiti, & vngues sunt incurui illi inerit inuerecundia petulantia, & audacia, & procacitas.

Causa igitur huius passionis est siccitas interna spirituum, cum calore coniuncta, ex igne igitur, & terra conflata videntur, & calcem viuam propriè referunt illorum spiritus, quare sicuti calx aquam, & humorem promptissimè trahit, fugit, absumit, ita hæc animalia rapacia vehementissime ad se trahunt, & vorant auidissimè alimentum; minorem contemplemur, quod pedum digiti, & vngues incuruati doceant circa principia corporis interna dominari siccitatem, cum calore coniunctam, nam si pedum digiti sunt incuruati necesse est, tendines etiam breuiores esse, quam corpus illud, cuius sunt tendines deceret, breuior autē fit tendo, & omnis cartilago, cum à calore sicco patitur, quod in hædinis cartis flammæ applicatis promptissimè cognoscimus; si ergo digiti curuantur necessario tendines contrahuntur, atque id à sicco illis accidit; si verò nerui siccìores sint, necesse est, & principium à quo pendent esse siccius, ergo quorum digiti pedum, & vngues curui sunt, illa circa principia interna habent siccitatem, & caliditatem. Maior etiam confirmatur eadem ratione,

nam

nam ſi principia interna ſicca ſunt, & calida, ergo, & cerebrum ſiccius ſecundum ſuas operationes videtur, ergo & ſicciores ſpiritus, quare, & cor, à quo oriuntur, ſi autem cor, & principium primum, in quo anima reſidet ſiccius fuerit, & calidius, ſpiritus etiam ſiccio-res, & calidiores pariet, quorum propria eſt audacia, ſiccum vero raro, ac difficile alienas formas admittit, quare, & impreſſiones, & phantaſmata, non ergo docilis admodum eſt homo, cuius ſicci, & calidi ſunt ſpiritus, ſed inuercundus, ceruicoſus, obſtinatuſque, & nihili faciens, quid de ſe alij ſentiant, ergo quicunque ungues, & digitos curuatos habent, illi inuerecundi omnino erunt, & impudentes, quod Ariſtoteli viſum eſt.

At primum dubitandum videtur, nunquid ſi digiti conuexi forent, idem etiam ſentien- *Dub.*
dum eſſet? ſane videtur quod non, ſi quidem liberales dicuntur quorũ digiti conuexi ſunt, & in partem poſteriorem conuertuntur, Amplius laxitati articulorum, & tendinum id attribuitur, Tertio, hæc affectio fœminarum eſt, & ad fœmineum genus refertur, qui vero digitos, & vngues incuruos habent maſculinum referunt affectum, qui audaciam denotat, audacia autem eſt maris; amplius ſi dicas à calore, & ſiccitate cõtrahi, & contractos fuiſſe neruos, & tendines, qui mouent digitos, & vngues in partem interiorem, & verſus vólam pedis, manuſque.

Vna etiam, eademque cauſa videtur, propter quam digiti, & vngues in oppoſitum flectantur, non ergo conuexitas liberalitatem indicabit.

Huic dubitationi, puto, poſſe reſponderi hoc modo; Pedum digiti, manuumque, ſi longi *Reſp.*
& conuexi fuerint, articulationes docent eſſe laxas, & molles quare ad fœmininum genus referuntur, & quoniam mollia humidũ, & aquam referunt, hærent igitur alijs, alienaſque ſuſcipiunt paſſiones, perſuaſibiles igitur, & creduli, & ſi addatur calor, bene ſperantes, quare, & benefici, vnde, & non illiberales vocantur, quod uero à calore, & ſiccitate non contrahantur ad partem ſuperiorem digiti, & ungues, hanc puto eſſe cauſam, quoniam contracto principio promptius ea quæ principium ſequuntur, mouentur, & contrahuntur, ad quam partem naturaliter inclinant, quam ad oppoſitã, cum itaque ad partem interiorem, & ad concauitatem magis naturalis ſit tendinum motus, & ſic natum ſit mouere animal digitos, & ungues, horum enim officium eſt, ut corpus moueant, ſuſtineant, & tertio comprehendant, quæ ſubijciuntur, ut facilius poſſint corpus ſuſtinere, hinc manifeſtum eſt, talem concauitatem eſſe ſiccitatis effectum, cuius oppoſitum, erit humiditatis, quare quorum digiti, & ungues curuati ſunt, illi ſicci erunt ſecundum animam, uel animæ principia, & inſtrumenta prima, & qui oppoſito modo fuerint affecti, etiam oppoſitam nactos fuiſſe temperiem probabile eſt, neque uerum eſt adeo robuſtos eſſe muſculos, & neruos, qui aperiunt manum, quam qui occludunt, quod re ipſa ex inſpectione anatomica in promptu eſt cognoſcere.

Secundo dubitari poteſt, an omnis inuerecundus, digitos aduncos, & ungues incuruos *Dub.*
habeat, nam inuerecundæ ſunt, & rapaces aues, quas picas uocant, & corui, cum, & mures rapiant, & pullos gallinarum, & auiculas, nequaquam tamen incuruos ungues habent, non igitur conuertitur, quare neque propria erit paſſio corporis, cui inuerecundia, & impudentia conueniat.

Putarem omnino non conuerti propoſitionem, & dicerem utique omnem hominem, *Reſp.*
cui tales adſunt pedum digiti, & ungues eſſe ad impudentiam natum, at è contra non omni impudenti contingit tales adeſſe digitos, & ungues; cum ex mala educatione non minus poſſibile ſit hominem fieri inpudentem, procacem, & petulantem, quam ex naturali inſtinctu, & potentia interna.

Tertio quærendum etiam eſſe uidetur, an ſi quis digitos pedum tantummodo curuos haberet, non autem ungues, idem de eo eſſet pronuntiandum.

Non ſanè ut mihi uidetur, nam ab externa cauſa poſſunt incuruari digiti, non mutatis unguibus,

vnguibus, & è contra si enim contingat calceos breuiores esse necessario, contrahuntur digiti, & inuertuntur, & aliquando incuruantur, contingit etiam, vt in magnis exsiccationibus, incuruari vngues, illæsis digitis, & immotis, omnino autem id secundum naturam esse videtur, vt prius incuruentur digiti, deinde vnci fiant vngues, maior enim causa est secundum quam exsiccantur vngues, quam ea quæ digitos curuos facit, cum, & dilatatis tendonibus, & breuioribus redditis incurui fiant digiti, nequaquam patiantur vngues.

Quos autem contingit tales habere digitos, illi plerumque, & breuiores habent, & robustiores, Nam crassiores, & solidiores, quare quorum manus robusta est ad modum, illorum contracta est, & crassa, & breues digiti, & crassi, quod in robustis colonis licet animaduertere; Impudentiam, & inuerecundiam sequi solet ingratitudo, irrisio, contumeliæ, despectus, & ad maledicendum, & blasphemandum propensio, sæuitia, & morum asperitas, & infidelitas quædam, & alia huiusmodi, quam plura; si enim impudens est aliquis, pudorem non habet, neque honorē, aut quid homines de ipso sentiant curat illos igitur, illorumque contemnit iudicium, & contumelios us, quos contemnit nihili facit, quare, & irridet, proprium enim est irridentis hoc agere.

At quos multum æstimamus, illos non irridemus, sed honoramus, suspicimus, & veneramur; quoniam autem alios nihili pendunt, multumque sibi tribuunt, efficitur, vt se multum ament, seque bonos putent, & merentes omnia bona, si quis igitur illis bene fecerit, id non illius humanitati, sed suo tribuunt merito, & illum teneri credunt, quare neque gratias agunt, neque referre vnquam cogitant, quod hominum agrestium est proprium, & adolescentum, qui credunt omnes sibi esse deuinctos, nō minus quam fœminæ, quæ si quādo pulchræ sint aspectu, aut se tales credant, hac sua dote autumant, omnes homines obligatos, illis inseruire, ijsque morem gerere, & omnibus modis obsequi, sæuitia etiam hoc genus hominum sequitur, nam cum omnes contemnant nullos æstimant, nullos amant, quare si à quopiam parum admodum offendantur, subito tamqam canes feræ irascuntur, & si nocere possint, sæue, & insigniter hoc faciunt, sin impediantur, ad maledicendum conuertuntur, & si hoc etiam non securum admodum putauerint iam ad blasphemias, se conferunt, sic enim suum se putant contemptum, quem magnanimitatem credunt notum facere, & ita ab alijs, qui audiunt timeri, & coli debere existimant in futurum.

Ab ijsdem principijs asperitas morum oritur, quoniam qui irrisores contemptores hominumque deorumque sunt, vt ait ille, in cæteris etiam Mezentium imitantur, & cum nullos curent, ament, colant, æstiment, asperi dicuntur, à nullis enim amari, & coli hos certum est, inamabiles enim sunt, vnde, & asperi vocantur neque parentibus, aut vxoribus aut suis vllo modo cari esse possunt, & quod protulit de Nerone Suetonius; Hos mori iubet vxor, mater, pater.

APOTELESMA QVARTVM.

„ *Quibus pedum digiti coniuncti sunt, timidi referuntur ad coturnices, & ad aues strictorum pedum in lacubus morantes.*

HOc etiam à pedibus sumptum est; vtrum autem in tex. sit mendum valde vereor, nā in figura timidi ponebat Aristoteles supra manuum gracilitatem, & longitudinē, quare, & quidam alij longitudinem digitorum fœmineum, ac illarum nobile, & decorū dicebant accidens, fœminas autem, & pudor, & timor decet, putarem igitur sic pronunciādum præsens apotelesma. Quibus pedum digiti sunt longi, tenues, & coniuncti, hoc est non dearticulati, vel coniuncti, vt vix videantur ad inuicem diuisi, illi timidi sunt secundū

ea, quæ

ea, quæ in anima ſunt accidentia, longos uoco in comparatione ad eos, qui ſecundum naturam maſculinam diſpoſiti ſunt, non putandum eſt autem, fœminas ſubito digitos longos habere, ſed bene quæ pulchros pedes habent, digitos etiam ſecundum proportionem ad ſuam plantam pedis longiores habent, quam ſint virorum digiti, vt ſi planta viri ſit, vt 12, & digitus virilis ſit, vt duo ad 12, ex aduerſo plãta muliebris cũ ſit, vt ſex eiuſdẽ digitus erit, vt vnũ eũ dimidio, quare longior hoc modo eſt fœminilis digitus, quam maſculinus.

Tenuior etiam eſt idem, quoniam debilior, & mollior, nam ſi valentior eſſet, neceſſario & neruoſior, quare, & craſſior, & maioris molis, & enim cæteris paribus in maiori quanto eiuſdem ſpeciei maior eſt virtus, coniunctos voco, non dearticulatos, & non bene diuiſos ab inuicem, notantes formatricis virtutis debilitatem, eam debilem dico, cum à proprio frigore non omnino libera eſt, neque materia perfectè obſequitur, vnde datur turpitudini occaſio, turpitudo enim præter naturalis eſt diſpoſitio, & hæc ab affectione agentis cauſæ pendet, cum impeditur ab oppoſito, & hoc dupliciter, vel quoniam agenti cauſa mixtum eſt, vel quoniam priuatio quæ in materia eſt agenti quodammodo rebellis eſt, ac magis reſiſtit, aut minus, quam oporteret, vnde non perfecta exiſtit naturalis operatio, ſed aliquid eſt, quod vel demere, vel addere habeas.

Quorum igitur pedes tales digitos ſortiti fuerint, illi ſecundum animam timidi ſunt, timidos voco, qui magis quam oportet cædem pericula, plagas metuunt, quando non oportet, aut à quibus, aut tandem quomodo non oportet.

Quod timetur, malum eſt futurum ſed imminens, hoc autem dupliciter terret, vel poſitiuè, vel priuatiuè, igitur timemus, vel ne nobis malum accidat, vel ne bono, ſiue id verum ſit, ſiuè apparens, priuemur, friget qui timet gelidus etenim vocatur timor, & Virg.

—Gelidus coit formidine ſanguis;

Non enim eſt timor niſi quædam contractio caloris circa principium, vbi eſt contractio ibi & cauſa contrahens, vel pellens hæc frigus eſt; proprium igitur eſt frigidioris temperamenti timor, propter quod, & ſenes, & fœminæ, & ægroti magis quam his oppoſiti timent, pueri autem non propter ea quod ſint frigidi, ſed quoniam humidi, & inexperti, & creduli quandoq. nõ timẽda timent, cũ ijdem quæ deinde timẽda ſunt, nihil metuant.

Quorum igitur pedes habent digitos quales diximus illi vocantur timidi, quod Theorema ab Ariſt. cõfirmatur, dicẽte, tales referri ad coturnices, & ad aues, quæ sũt ſtrictorũ pedũ, ſteganopodas puto, quarũ digiti iuncti sũt ſimul, ſicuti in anſeribus, & anatibus.

Huiuſmodi igitur homines aſſimilat Ariſtoteles duobus generibus auium, coturnicibus nempe, & auibus paluſtribus, quæ non ſolum longos digitos habent, ſed ſimul iunctos, inter media pelle, Coturnices timidas ex earum perſpecta natura cognoſcemus; Hæ aues ſunt maxime perdicibus ſimiles, craſſiores tamen corpore, & pennis colore ſubpurpuraſcẽte circa collum, eas tentari aiunt plerumq; epilepſia, non ſecus atq. aliæ quædam auiculæ, quæ picæ glandariæ vocantur, id autem ideo illis accidere putatur, quoniam meatus, per quos ſpiritus feruntur paruos, & ſtrictos habent, & ſpiritus craſſiuſculos, pp quã cauſam.

Eaſdem aues helleborum comedere, eoque victitare teſtatur Lucretius.

Nobis veratrum eſt aere venenum.
At cãpris cibus eſt, & coturnicibus idem.

Nam nõ ſentire noxã probabile eſt, qm̃ ad principia vitę nõ peruenit veratri virtus, niſi valde alterata, peruenireque nequit, qm̃ venæ ac meatus tenues valde sũt, quare diu hæret antequã ad cor veniat, diuque manens mutat naturã, eædem coturnices digitos pedũ longos habent, pedeſq. ſubtiles, & crura ſubtilia, quę omnia has aues frigidas, & pituitoſas quare, & timidas arguunt.

Aſt mihi profecto non videtur coturnices eſſe omnino timidas, & ita, vt quam plures aues, & animalia ipſis multo timidiora non ſint, nam pedibus validis ſunt, & pro-

be formatos digitos habent, quare suspicio non pauca mihi fit Aristotelem coturnices non scripsisse, nam, & quidam textus uocem hanc non habent, sed per coturnices, cum additione strictorum pedum, intellexisse fulicas, vel genus id auium tale videtur, nam, quæ dicuntur fulicę coturnicibus ferè similes magnitudine corporis sunt, & molliſſimas habent pennas, & timidiſſimæ sunt, & ferè semper clangunt, quæ autem multum vocalia sunt animalia, plerumque timida; videmus enim timidas mulieres multo magis garrulas quam sint viri, quare dicerem. Qui tales pedes habent, fulicis esse similes, aut illis auibus, quæ in lacubus, & paludibus degentes continue obstrepunt, quę pedes habent strictos, hoc est digitos pelle simul coniunctos, quod animalium genus, puto, timidum esse, quoniam deficit calor circa principium, nam si calor non deficeret, sed validus esset, ergo, & vis formatrix quæ hoc tamquam præcipuo vtitur instrumento viuida esset, si autem hoc fieret, sequeretur, vt partes corporis extremæ etiam aptè formarentur, quare, & ab inuicem distinguerentur, caloris enim est disgregare, & distinguere, & si distincta forent extrema, ergo digiti pelle non simul iuncti; ergo neque pedes, vt diximus stricti, quod cum suppositio repugnet, probabile est tale auium genus frigidum esse, qua propter, & timidum, vt igitur diximus, quorum pedum digiti sunt subtiles longi, iuncti, hoc est, nõ bene, & perfectè diuisi, sed vniti simul, hi erunt timidi, & si timidi erunt secundum animam, & debiles secundum corporeas vires, & dispositiones, sequetur probabiliter, homines huiusmodi cito senescere, paucus enim est calor, neque diu durabilis, neque labores sustinere poterunt, & ab iniurijs externis aeris facile lædentur, sunt enim debiles, ægrotique facile sanabuntur, nam causa leuis erit secundum quam ægrotare contigerit; nec moles corporis magna erit admodum, nam caloris est dilatare, cum autem abest, aut fit constrictio, aut saltem materia non valde dilatatur, abundant carne, plerunque, & adipe; hæc enim passio est, quæ à remisso fit calore, vnde effectum est, vt circa quadragesimum annum plures, & præsertim mulieres, & pinguiores, & carnosiores efficiantur quam essent, crurum, & brachiorum ossa exilia sunt, & debilia, nam, & vis corporea debilis est, neque uenereis gaudent admodum nisi melancholici sint, & flatibus abundent, & cum pedes stricti sint, pedumque digiti iuncti simul, probabile est in hominibus his manus strictas, & longas esse, & digitos longiores, & quasi inter se iunctos; pectus item strictum glabrum, & capillos molles, & cætera quæ timidi esse accidentia, docebat Aristoteles.

Passiones animæ. Secundum animam autem, quæ naturaliter insunt fœminis, de huiusmodi hominum genere poterunt enunciari; nam hæc dispositio corporea fœminilis est; contingit autem in fœmineo corpore animam fœminilem reperiri, non enim, ut iam sæpe dictum est, in corpore ouillo leoninam reperies animam, neque, ut Pythagoras, dixeris leoninam animam sortiri posse corpus agninum, quod sentit Aristoteles secũdo de anima, etenim certi corporis est actus certus, & quatenus certi corporis actus est, eatenus certum requirit corpus in quo sit. *Not.*

Notandum, vt mihi uidetur in his quattuor apotelesmatibus, quæ à pedum digitorumque natura, & dispositione sumpta sunt, duo ad masculinas, duo ad fœmininas dispositiones reduci; nam primum, & tertium ad mares, secundum, & quartum ad fœminas pertinent, est enim audacia, & inuerecundia uirilis, seu masculi animalis magis propria, timiditas autem, & mollities, quæ secundo, & quarto docentur, ad fœminas spectant.

Videntur autem accidentia omnia, quæ naturaliter in unumquemque hominem cadere possunt; & ea præsertim quæ potentiæ animæ, & dispositiones uocantur corporis, esse tales, ut uel sint propriæ maris, uel fœminæ; cum enim species humana, absque medio diuidatur in masculum, uel fœminam, neque sit medium inter hæc duo nisi casu, & per accidens; (Androgyni enim sunt præter naturam) & nullum

sit indi-

ſic indiuiduum humanum ſecundum naturam affectum, quod non ſit, vel maſculinum, vel fœminum, neceſſe eſt accidentia, quæ è ſubſtantiæ ratione pendent eſſe talia, vt quædam magis naturam corporis fœmineam, quædam naturam maſculinam repreſentent; naturaliter enim inter marem, & fœminam nihil cadit, vt inter par, & impar, oppoſitæ enim differentiæ, quibus genera diuiduntur, medio carent, ſecundum ſe, vt animatum inanimatum, ſenſitiuum inſenſitium rationale, & irrationale.

Quare, vt ens, & non ens, affirmatio, & negatio ſecundum ſe non habet medium, ſic etiam maſculinitas, & fœminilitas omni medio caret; niſi forte per vtriuſque abnegationem reperiri medium diceremus, vt cum lapidem neq; cæcum neque videntem dicimus; Sed hoc non eſt ad rem, nam ſermo eſt, de ſubiecto ſuſceptibili, harum paſſionum, à quo non poſſunt ambæ negari.

Vt autem entium quædam magis perfecta ſunt, quædam minus (communicatum enim non eſt omnibus æqualiter eſſe, ſed his clarius illis obſcurius, & quæ minus perfecta, magis ad non ens accedunt, & minus non entia magis de ente participant) ita etiam dicendum videtur, omnem hominem vel membra corporis, & animi paſſiones viriles habere, vel fœminiles; & id vel ſecundum totum, vel ſecundum partes plures, aut pauciores, tum animæ tum corporis, Viriles affectiones ſunt entis, & melioris naturæ, fœminiles autem non entis, & pecoris ſpeciem ſuſtinent; vt ergo ex luce, & tenebris omnes colores conſtare dicimus, & differre inter ſe ſecundum quod magis, & minus de altero extremorum participant, ita omnia humana indiuidua compoſita eſſe ex membris partes mares, & fœmineas referentibus, & ſic, per marem, & fœminam determinari, aſſeremus, & ex his, atque conſequentibus hæc, omnes indiuiduorum differentias ſtatui, vt alia dicantur ſecundum totum maſcula indiuidua, alia fœminea, & eorum quæ maſcula ſunt, quædam dicantur ſecundum certas partes fœminea, ſecundum quaſdam alias maſcula, item quæ partes, & affectiones dicuntur fœmineæ, vel maſculæ, eædem ſecundum magis, & minus differunt, vt carnis mollities, & extremorum concinna paruitas, cum vtraque ſint accidentia fœminilia magis tamen decet fœminam mollities quam extremorum paruitas, & ſimiliter cum virile accidens ſit vox magna, & grauis, & latum pectus, & robuſtum, attamen virilior, neſcio quo modo, eſt diſpoſitio, & magnis propria virorum vox grauis, quam latum pectus, ſi modo pectoris latitudo à graui voce ſeparari poteſt, & plures reperientur fœminæ quæ latum pectus habeant, quam vocem magnam, & grauem.

Notandum eſt etiam, eorum quæ in anima exiſtunt corpus humanum ſequentia, alia certiora, alia incertiora, & magis principijs corporis propinqua, ſi quidem audacia ſiue propenſio ad audaciam, & confidentiam, ſeu videtur eſſe maximè propria virorum, At fœminas decet magis timor, & magis in alijs, aliorumq; auxilio, quam in ſe ipſis confidunt, Cauſam puto quam ſupra tetigi; virtutẽ formatricem, in certo quodam gradu caloris ſitã, quo tamquam principio, ac præcipuo inſtrumento natura formatrix ſiue anima vtitur, ad formandum corpus. Not.

Hæc virtus ſi ſecundum ſe fuerit, in eo gradu vltra quem ſi intenderetur perfectum, & ſecundum naturam non faceret hominem, cum materiam nacta fuerit obediẽtem, mas generabitur, in quo cum præualeat calor cuius proprium eſt dilatare, & diſgregare, erit magnitudo conueniens, & potius magnus homo, quam paruus, & pectus latum, quam ſtrictum erit; & quoniam calidi eſt mouere, & facillime moueri, & alijs ſupereſſe elementis, hic etiam promptus erit vehemens, & audax, è contra ſi calor ſecundum ſe ab eo gradu vltimo perfectionis declinauerit, iam remiſſior erit, & corpus fœmineum generabit, mollius, & preſſius, & ſecundum animam minus audax, timidum, & ſibi diffi-

dens, & alia quæ hæc sequuntur accidentia inerunt, ex his enim alia quæ congenea sunt inferri nihil vetat.

Dub. At videbitur absurdum virtutem formatricem esse in excessu positam, quando alias dictum fuit virtutem omnem naturalem in mediocritate sitam esse, & ideo ab excessu ac de-

Solut. fectu pati: An vtrumque verum, etenim si virtutem formatricem, & omnem naturalem, & moralem contemplabimur, videbimus eam, esse secundum se in summo, quoniam illi nihil addi potest, & iam suum finem vltimum attigit vltra quem finem procedere non potest, & si quid illi adiungeretur vtique corrumperetur, & sic secundum se virtus omnis, tam moralis, quam naturalis in summo esse dicitur.

Rursus uocatur medietas quædam, & ratio certo modo dispositа, quoniam si quid accedat, aut si quid quam dematur, operatio laudabilis non existet; sic iustitia secundum se quoddam exactissimum, & bonum in summo positum dicitur, eius tamen operatio in mediocritate consistit, vt neque plus neque minus quam oporteat, aut quamquis mereat illi tribuat.

Ex his itaque quid physiognomica apotelesmata ab Aristotele à pedibus accepta portendant, & cur puto satis esse manifestum.

APOTELESMA QVINTVM.

„ *Quibuscunque ea, quæ circa talos sunt neruosa, & articulata, fortes sunt secundũ animam, referuntur ad masculinum genus.*

TAli vocantur tubercula illa ossea, quæ vtrinque prope pedes prominent, sunt autem extrema ossium, quæ crus statuunt, inferiora, quibus alligatur pes, & ea quæ circa talos existunt, caro, & tendines, & cartilagines, & cæt. quæ ibi sunt; In hac parte robur pedis, & vis, tum sustinens, tum mouens corpus humanum apparet; dicit ergo.

Quorum hominum partes quæ sunt circa talos, & pedis principia erunt neruosa, & bene articulata, illi habent dispositionem, & propensionem ad fortitudinem, hoc est sunt audaces, & parati ad subeundum omne genus periculorum, & ad omnes labores tolerandos; Non absimile dictum superioribus, quorum pedes erant magni, dearticulati, neruosi, illi audaces, & supra in figura fortis, suras dicebat contractas; quas nunc vocat neruosas; oportet autem, per neruosas partes hoc loco intelligere, eas definentias musculorum, quæ in tendines degenerant robustos, & offi calcis implantantur; vt sit omnino inter virilem, & fortem suram, & fœmineam, ac debilem hæc differentia, virilis sura sit, non carnosa, sed tota neruosa circa talos, & caro sit sursum contracta circa mediam suram, & uersus genua, & pars illa inferior, quæ talis iungitur, & calci sit bene dearticulata, firmiter implantata, & probè distincta, ut sub cute tendines magni, & solidi appareant.

At fœminilis ex oppositо sit tota carnosa, non neruosa, non dearticulata, sed massa quædam mollis carnis uideatur, & multo quam uirilis crassior circa partes talorum, neque appareant tendines, neque ossa, & uix tali agnoscantur, aut potius talorum locum quam talos ipsos suspicari possis. Causam eandem cum superioribus, & huius existimabis esse affectus.

Nam si quæ sũt circa talos ea sunt neruosa, & dearticulata, ergo extrema corporis erũt, & neruosa, & dearticulata, ergo, & probè ac perfectè facta, igitur, & uirtus formatrix est potẽs, & ualida, quare, & circa præcordia, & principia animalis prædominatur calor, & siccitas, ubi (in animali) circa principia dominatur calor, & siccitas tunc audax est, & promptum ad operandum, & ad subeunda pericula, referturque ad masculinũ genus, ergo, cui

quæ

quæ ſunt circa talos erunt neruoſa, & dearticulata, ille ſecundum animam fortis erit, hoc eſt, vt diximus paratus ad ſubeunda pericula, & repellendas iniurias, non enim fortis eſt, hoc eſt inſignitus illa fortitudine quæ virtus eſt moralis, nullæ enim morales virtutes innatæ ſunt, ſed omnes diſciplina vſu, & exercitatione acquiruntur.

Medium Ariſtotelicum tale eſt, quorum quæ circa talos ſunt neruoſa, & dearticulata illi referuntur ad maſculinum genus, & maſculam animam, potentiaſque maſculas ſortiti ſunt; qui tales ſunt illi ſecundum animam fortes, & audaces ſunt, & ad labores atque dolores perferendos parati, ergo quorum, quæ circa talos poſita ſunt, neruoſa, & dearticulata exiſtunt, illi ſunt homines audaces, & tolerantes laborum, & dolorum, & fortes ad operationes obeundas. Aſſumptas propoſitiones puto ex prædictis ſatis patere.

Minor clara eſt, quorum quæ circa talos ſita ſunt neruoſa, ac dearticulata, illi validam habent virtutem formatricem, quare, & calidi ſunt circa principia vitæ, & ad ignem referuntur, qui tales ſunt, maſculini generis, & temperamenti ſunt, ergo quorum quæ circa talos neruoſa ſunt, & dearticulata, illi ad genus maſculinum referuntur; At maior multo notior eſt, nam quæ maſcula ſunt, & calida, & ſicca, & ad ignem referuntur, quæ talia ſunt, & audacia ſunt, & ſtrenue ſua munia exequuntur; patet igitur, quod quæ maſculini generis ſunt, quæque maſcula ſortita ſunt membra, eadem etiam ſunt animalia audacia, & parata ad pugnam, & repellenda quæcunque illis noxam inferre tentant.

At quærendum videtur, ſi cui dearticulata quidem forent, quæ circa talos, non autem neruoſa, aut ſi neruoſa, & non dearticulata, nunquid foret fortis ſecundum animam, & dato quod fortis non foret, quis tandem eſſet; A quo vtræque abſunt conditiones, neque vlla adeſt alia conditio, quæ audaciam doceat, illum puto, à nemine dicendum eſſe fortem, ſi vero neruoſitas quidem adſit, non tamen dearticulatio ſiccitatem quidem dominari, non tamen calorem eſſe in ſuo gradu, & perfectione, & ſecundum naturam ſuam indicat, nam ſi foret perfectè validus, materiam viciſſet, & dearticulatas partes efformaſſet. *Dub.*

Hic ergo corpore quidem ſatis robuſtus, ſed animo durus, & obſtinatus, prævalet enim ſiccitas, ad terram igitur refertur, quæ primum ſiccorum eſt; ſicci autem eſt difficile formari alieno termino, terraque opaca eſt, quare, & parum alienas admittunt admoniones, & obſcurum, ac tenebroſum ſortiti ſunt diſcurſum, vnde feri, & crudeles, & ſuſpicioſi ſunt.

Cui vero quæ circa talos exiſtunt dearticulata, non tamen neruoſa decentiam quandam referunt, & ſecundum eas partes aſpectu ſunt iucunda, quare formatricem virtutem validam quidem eſſe, ſed deficere ſiccitatem, & humorem prævalere docent, & niſi ſit aliud, quod impediat, circa animam erit bona indoles; & ad agendum promptitudo, & ad artes, & ſcientias capeſſendas propenſio, temperies enim calida eſt, & humida, ſecundum quam humani, ciuiles, & bene nati fiunt homines, non plus, quam deceat manu prompti, non audaces plus iuſto, ſed neque etiam timidi, & viles, ſi autem contingeret ea quæ circa pedes ſunt maſculinam habere diſpoſitionem, quæ vero circa talos fœmininam profecto neſcio quid monſtruoſi animalis illud ipſum dicendum erit, exempli gratia timidum audacem vanum, inconſtantem, robuſtum corpore in principio laborum, ſed non potentem durare, & ſicuti circa corpus contingit apparens præter naturalis diſpoſitio, ita etiam ſecundum animam probabile eſt, miſceri contrarias quodammodo affectiones atque potentias, & hominem non ſibi conſtantem, varium, & omnino inſtabilem exiſtere.

Erat quidã, qui pedes p paruos habebat ſi cũ reliquo fuiſſẽt corpore cõparati, at ſuras deinde cõtractas, beneq. carnoſas, & latũ pectus, deĩde caput paruũ, & os, nasũq. iuſto minorẽ

quare timidus, audaxque erat, vanus, instabilis, nunc leo, nunc lepus videbatur, cum inferioribus terribilis, cum superioribus vilis, & abiectus, cum amicis insolens, audax, manu promptus, cum inimicis meticulosus, taciturnus, non audens vel hiscere.

Idem erat valde edax, & bibax, & ideo etiam valde carnosus, obscœnus in verbis, magis quam in factis, omnino talis secundum animam, qualem esse decebat hominem qui corpus tale sortitum fuisset.

APOTELESMA SEXTVM.

,, *Quicunque autem sunt tali carnosi, & inarticulati, molles sunt secundum animā, referuntur ad fœmininum genus.*

NVllam habet difficultatem hoc apotelesma, & consimile est secundo, in quo dicebatur pedes visu iucundos, & paruos mollitiem arguere; est autem huius sensus; homines quorum tali, & partes, quæ circa talos positæ sunt carnosæ, & inarticulatæ, & indistinctæ, vt neque tendones appareant, neque talorum extrema, sunt omnino secundum animam molles, ratione huius dicti affert, quoniam homines tales referuntur ad genus fœmineum, hoc est habent partes quæ sunt circa talos, quales naturaliter solent habere mulieres secundum naturam dispositæ; hoc enim illis proprium est, & peculiare, & propter hoc laudantur, si contingat illis pedes paruos habere, & partes quæ sunt circa talos carnosas, succosas, molles, lenes, & rotundas, & fusi quadantenus forma imitantes.

Est igitur talis deductio Aristotelicæ rationis; quicunque homines habent partes quæ sunt circa talos, carnosas, & inarticulatas, illi sunt secundum corpus similes fœminis, at quicunque sunt similes fœminis, illi sunt molles secundum animam, neque laborum tolerantes, neque periculorum, aut molestiarum patientes, sed facile animo despondent, ac desperant ergo qui talos habent inarticulatos, & carnosos, sunt secundum animam molles, & impatientes: Minor inductione iam probata fuit, & rationem habet, nam tales partes, ut dixi, & abundantiam humoris, ac materiæ, & defectum caloris, & formantis virtutis imbecillitatem arguunt, vbi autem hæc reperiuntur, ijsdem adsunt fœminea membra, & dispositio fœminilis; Maior etiam supra declarata est, nam si fœminea sunt membra, & fœminilis temperies ergo humidior, & frigidior virili, simpliciter enim fœmineus calor remissior est virili (quamuis forte secundum aliquam partem videatur esse calidior, vnde ossa ilium sunt in fœminis, quam in viris latiora) quod autem fœmina omnis remissiorem habeat, quam vir calorem, testatur etiam Galenus causam reddens cur putauerit Hippocrates nullam fœminam vnquam ambidextram apparuisse; cum id eò fieri dicat, quoniam naturaliter fœmina uiro frigidior est, non ergo tantum caloris in ulla fœmina reperiri potest, ut ea fiat habilis ad usum æqualem utriusque manus, nam si id contingeret, nō amplius fœmina, sed uir esset.

APOTELESMA SEPTIMVM.

,, *Quicunque crura habent articulata, & neruosa, & robusta fortes sunt secundū animam referuntur ad genus masculinum.*

DE cruribus tria enunciat Aristoteles, quod sint articulata, hoc est, musculosa, ita, ut appareant quodammodo distincti sub pelle musculi; Quod sint neruosa, hoc est

contracta,

contracta, vt ſupra dictum fuit, & tendones fortes habeant; tertio quod ſint robuſta, ita, vt promptè, facilèque, diu, & celeriter mouere, & ſuſtinere valeant corpus; crus autem nunc ſignificat illud totum, quod à genu ad pedis principium porrigitur, conſtans ex duobus oſſibus magnis, pluribus muſculis venis, neruis, & arterijs pelle veſtitis iunctis, ac terminatis ad ſtatuendum organum, quod mouere, ferre, & ſuſtinere debet totum animal, ſiue ipſum hominem; de hoc ergo homine cui contingit talia crura (enunciat Ariſtoteles) illum eſſe fortem, hoc eſt valde propenſum, & paratum ad exercendas operationes, quæ forti, & audaci viro conueniunt, & in textu ſui dicti cauſam affert, dicens, quod quicunque habẽt talia crura hi referunt genus maſculinum, huic propoſitioni addas, & quicunque referunt ſecundum membra corporis genus maſculinum, illi etiam ſecundum animam habent propenſiones, quæ in maſculino genere ſolent reperiri, tales autem inclinationes ſequuntur ignem, & viuidum calorem, vt audacia, & propenſio ad fortitudinem, & magnanimitatem, ergo cui inſunt crura tales conditiones habentia, eidem etiam ineſt ſecundum animã ad fortitudinem, & ad tolerantiam laborum, & periculorum propulſationem propenſio; minor prima nullum habet dubium, illa enim virilia eſſe crura patet, ſunt enim oppoſito modo diſpoſita, ac illa, quæ paulo ante fœminis tribuebamus, videtur autem adeo proprium eſſe hominis ſecundum corpus robur, & ſecundum animam audacia, & ſecundum quod compoſitum eſt oris dignitas, & corporis, atque capitis erecta ſtatura; & fœminæ ſecundum corpus mollities, ſecundum animam pudor, & ignominiæ metus, & venuſtas ac gratioſus quidam decor, vt communiter uituperetur tum mas, tum fœmina, qui proprijs carens; oppoſitis diſpoſitionibus affectus reperitur; maior iam ſæpè repetita fuit, nam qualia ſunt membra, talis eſt uis quæ illis utitur, & tales ſpiritus prima animæ inſtrumenta.

APOTELESMA OCTAVVM.

Quicunque crura gracilia neruoſa habent luxurioſi ſunt referuntur ad aues.

DE crurum qualitatibus etiam nunc agit, & ait, ſi quis habuerit crura neruoſa quidem, & robuſta, ſed non dearticulata, hoc eſt non muſculoſa, uerum ſubtilia; ille erit ſecundum animam luxurioſus; gracilia crura dicuntur habere capræ, & perdices, & qualeæ, paſſerculi etiam, & uniuerſaliter genus ferè omne auium, & earum præſertim, quę cum dormiunt uno tantum pede ac crure innituntur, gracilia crura ſatyris, & faunis dedit antiquitas, hac forte de cauſa, ut eos admodum eſſe luxurioſos indicaret, qui autem tales ſunt, quoniam neruoſa habent crura, & ideo etiam robuſta; iure ad maſculinum genus referuntur, tum quoniam ſecundum has partes robuſti ſunt, tum quoniam non eſt proprium fœminarum, gracilia crura habere, ad maſculos igitur potius pertinebit.

Hoc loco, ut mihi uidetur, per luxurioſum Ariſtoteles intelligit appetentem coitum, & ſeminis eiectionem, qui nullam differentiam faciat in ſexu, & in ætate, loco, & tempore, quod experientia ipſa confirmatur, nam qui ueneri multum dant operam ſecundum crura gracileſcunt, & quicunque ſecundum naturam, non autem propter morbum gracilia habẽt crura, illi ad modum ſalaces, ac uenerei ſunt; cæterum iam Ariſtotelicam rationem contemplemur, ait ille.

Quicunque habent crura neruoſa, & gracilia referuntur ad aues, iiſque ſecundum hanc partem ſimiles ſunt, at quicunque ſimiles ſunt auibus ſecundum crura, ut ſcilicet ſint neruoſa, & gracilia, illi ſunt luxurioſi, & in uenerem plus æquo propenſi, verũ neque hoc de uiris tantum, ſed etiam de fœminis eſt intelligendum, & eo magis ſi contingat tibias eſſe in utriſque piloſas, cum calore enim etiam adeſſe materiam terreſtrem, & melancholicam pili deſignant, ex qua contingit flatus, & humorem quendam ſalſum generari, qui uellicans,

cans, & mordens partes generationi destinatas, tum homines, tum fœminas irritat ad venerem. Minor propositio ex ipsamet inspectione patet, nam nullum ferè aliud animal in comparatione ad corpus suum crura, & tibias habet graciliores, & neruosiores, quam genus auium, & earum præsertim, quæ minores sunt, & quæ cauda carent, vt grues, & huiusmodi; causam propter quam aues talia sint sortiti crura puto, quoniam illis volandum erat, quare tota pene caro debebat alis seruire, pedes autem leuiores facere oportebat, sed robustos, vnde graciles fuere, sed neruosi, ob id multa caro in coxa est, tendinesq. omnes in crure, & sicuti se habet caro humanæ suræ ad tendines, qui sunt circa virilem talum, ita se habet caro coxæ ad eos neruos, qui sunt in cruribus auium, patet igitur quod cui tales sunt suræ, illi referuntur ad aues, maior nunc consideranda est, quod scilicet, qui referuntur ad aues, hoc est qui similes sunt auibus in habendis suris neruosis, & gracilibus, illi sunt libidinosi, & profectò nemini dubium est, quod medium hoc à signo est, nam hoc sibi vult, quod gracilium crurum, & neruosorũ homines sint libidinosi, exemplo auium, aues enim gracilia, & neruosa habent crura, auesque ferè omnes sunt admodum luxuriosæ, & præcipuè minores, ergo quæ crura neruosa, & gracilia habent, illa sunt animalia libidinosa, cur autem aues crura neruosa, & gracilia habeant causa est ex Aristotele quoniam aliter impediretur volatus, & corpus non bene libratum foret.

Dub. At magnopere videtur dubitandum, an verum sit, quod dixit Aristoteles, nempe habẽtia crura neruosa, & gracilia referri ad aues, genusque auium esse, vt dicit, omne libidinosum, etenim clarum est, omnes aues, tam nocturnas quam diurnas, quæ aduncum habent rostrum, & vngues curuos esse pauci coitus, neque admodum in libidinem ferri, causam ex Aristotele afferre possumus, quoniam cum semen genus quoddam sit excrementi, & excrementum in auibus adunco rostro, & vnguibus præditis, ferè omne in pennas, & vngues abeat, ipsæque sint ob hoc calidæ siccæ, & terrestres, efficitur, vt minus superfit alimẽti, quare, & minus fęcundæ sunt, vt minusque irritantur ad coitionem, vnde sunt minimũ libidinosæ, vel etiam, vt quidam dicunt, quoniam cum raptu viuant, natura ijs quæ rapiẽdæ erant auiculis prouidens, & earum conseruationi quantum fieri poterat consulens, pauca ex rapacibus, multas ex rapiendis produxit, non ergo verum est, quod qui auibus similes sunt, ij sint libidinosi, quoniam non omnes aues sunt libidinosæ, tum exemplo rapaciũ tum ex eo, quod dicitur de turture, quæ castè, & solitariè viuit, si contigerit consortem vitæ, & thalami perijsse.

Qua permoti dubitatione quidam in hanc venere sententiam, vt per aues intelligerẽt gallos, vt esset sensus, quarum crura sunt neruosa, & gracilia, illi sunt similes gallis, qui autem similes gallis sunt, secundum animam eadem propensione participant, quæ in gallis maximè se promit, hæc autem est libido, & in uenerem propensio, ergo quorum crura sunt neruosa, & subtilia, illi sunt libidinosi, quod autem vox græca ὄρνιθας aues significat quæ gallos, gallinaceumque genus significet, cõfirmatur auctoritate Alexandri Aphrod. & in geopon. Didimus, per oua auium intelligit ea, quæ Columella vocat oua gallinacea, Idem testatur Atheneus, qui nescio quendam Mirtillum inducit vocantem, nomine auiũ græco gallinas, & apud auctorem prouerbiorum ὀρνιθῶν γάλα legitur, quod latine lac gallinarum interpretatur.

Mihi igitur videtur, cum Aristoteles ait, quorum crura neruosa sunt, & gracilia, hoc est carne nuda, illos esse libidinosos, quoniam referuntur ad aues nihil aliud intellexisse nisi quod sunt similes gallis gallinaceis, quod vero gallorum in suo genere robusta sunt crura clarum est ex sola experientia, & id confirmat etiam ratio, si quidem gallorum crura ossea sunt, & calcaria habent, quæ omnia siccitatem arguunt, in sicco autem robur esse supra ostensum est, vnde fit quod robustissimi carnem durã habent, fœminæ, quæ imbelles sunt, mollem, signum roboris, hoc est etiã, quoniam in pugna his ipsis vtuntur calcaribus, quibus ple-

bus plerunque carent gallinæ, quod uero sint salaces galli testatur Varro, & Columella, & id experientia quotidiana constat. Videmus enim gallum unum pluribus sufficere gallinis.

Dub. Cur habentes crura subtilia & neruosa libidinosi sint.

At propter quid quorum crura talia sunt, ijdem sint libidinosi examinandum est, profecto libidinosos dicimus, qui continuo emittendi semen desiderio sollicitantur; si ergo quibus insunt crura supradicta inest continuum hoc desiderium illos dicemus esse libidinosos omnino, inest autem tale desiderium illis, quibus inest causa materialis, & causa efficiens. Materialem uoco multitudinem seminis, efficientem dico calorem cum salsedine quadam spirituosa coniunctum, partes inferiores uellicantem; Ex his igitur assero.

Qui crura habent subtilia, & neruosa, & robusta accidere, ut nutrimentum ad inferiora multum, & præsertim humidius non perueniat, quare superius remanet, alimentum autem concoctum, & nulli parti determinatæ applicatum semen est, ergo multo semine abundant, quorum crura sunt subtilia, quod uidemus in claudis accidere, isti enim cum crurum alterum non probè propter uitium nutriatur, salaces admodum sunt; sic ergo cum multo semine abundent causam materialem habent libidinis continuæ, & cum materia turgeat, irritat, expultricem uirtutem, & hoc est desiderium coeundi, Quodque sit passio in materia patet optimè in adolescentulis, qui cum mirifico ueneris ardore teneantur, & in amplexus alicuius mulieris auidissimè ruant, sibique spondeant se uelle pluries cum illa rẽ habere, attñ cum primum quæ turgebat materia seminis, & quęque maximè irritabat exiuerit, subito desiderium abit, neque nisi noua suggeratur seminis materia iterum aggrediuntur opus, & quod est mirabilius, quam prius desiderabant subito abhorrent, & fugiunt, ratio forsan est, quoniam abeunte causa abit affectus, adolescentulus semine turgens deperibat mulierculam eodem semine dispositio, oppositio modo disponitur, oppositio modo dispositus oppositos affectus percipit, quo fit, ut mulierem illam negligat, quam affectabat prius; habent igitur cupiti concubitus causam, quorum crura sunt gracilia, & quoniam eadem sunt neruosa, ergo robusta, quare calida, & sicca, ad terramque accedunt, at quod calidum est, & siccum, salsum est, nam salsum est siccum terreũ à calore uehementer passum; in his igitur salsus adest humor, qui partes inferiores ad expulsionem prouocat, & multus calor multum etiam spiritum ex humido excitat, quo, & membra generationis excitantur, & turgent.

Quorum igitur crura sunt gracilia, & robusta, ac neruosa his propẽsio adest ad coitum, quare, & libidinosi existunt, quod erat demonstrandum.

Ex ijsdem pendet principijs, quod garruli sint, quod frequenter cantillent, nam calor, & multus spiritus sibi ipsi continue difformis, nouorum phantasmatum continens est materia, quare leuissima de causa nouæ illis succurrunt imaginationes, vbi enim maxime disposita est materia, ibi minimo negotio recipitur forma secundum quam materia determinatur, vt vbi est puluis pyrius, ibi facillime, & minima de causa ignis excitatur.

Quod multas imaginationes, leuesque sequatur garrulitas, & cantillatio docent auiculæ, & adolescentes dum amant, qui continuè occinunt.

Eadem de causa iracundi sunt, mutabiles; pugnaces, audaces (& quales dicunt esse gallos propter gallinas, & venerem) qui sunt rixosi, canori obstreperi corpore mediocri, cruribus robustis, calcaribus duris, vnguibus incuruis aliquantulum rostro robusto, & sub adunco in extremitate, crista breui rubicũda, capite elato, oculis rauis, splendentibus, quod præcipuum est salacitatis indicium; tales igitur sunt, & huiusmodi, tum secundum animã, tum secundum corpus, quorum crura sunt robusta, neruosa, sed subtilia, quod erat propositum, & patet, quod huiusmodi homines sunt libidinosi, & propter quid, hos autem quãuis ad gallos referat Aristoteles, cum galli masculinum genus representent, proprium-que sit maſculi præ se ferre libidinem atque lasciuiam quamdam, sicuti fœmine ostendere pudici-

pudicitiam, & temperantiam; & venereæ voluptatis inappetentiam, ideo homines hos ad masculinum genus referemus.

APOTELESMA NONNVM.

Quicunque crura valde superflua habent, & parum disrupta, hi sunt odibiles, & inuerecundi, referuntur ad apparentem decentiam.

COmmunis est hæc interpretatio huius apotelesmatis, quæ in vulgatis habetur codicibus, ego nullo modo sic posse legi puto; quid enim sibi vult habere crura superflua, & parum disrupta, vtrum duas, aut tres suras, siue crura, aut tandem quomodo parum disrupta crura dicentur? quare, puto, sic agendum, vt sententia hæc, deinde veritas, & veritatis causa aperiatur; primum itaque verborum significationem exponemus, exinde quid sit sentiendum apparebit.

Non puto Aristotelem nunc de crure loqui, sed vocem κνήμην proprie accepisse in sua significatione, quæ tibiam significat, hoc est cruris os maius, ex hac enim, & sura componi crus dicit Celsus; & per crus intelligi totum illud membrum, quod à genu vsque ad pedem, & talum porrigitur, tibia igitur os exterius significat, interius suram dicimus, os tibiæ in parte interiori carnem non habet, in exteriori carnem habere incipit, puto igitur, quod cum hic, de quo nunc loquitur Aristoteles, sit præter naturam dispositus, neque secundum animam, neque secundum corpus formosum esse; quare cum tibiæ à parte exteriori, eaque suppositæ ad perpendiculum Mammis, & extremitatibus ossium ilium erunt superfluæ, hoc est plus iusto tumentes, & multa carne plenæ, & parum disruptæ, hoc est, & caro illa ita sit disposita, vt contiguæ videantur carnis portiunculæ, & quasi musculi appareant, & imaginem quodammodo referant, eius intestini, quod colon appellant, si quando fuerit carne suilla oppletũ, vt quasi videatur, corpus ex multis ita confectũ illi (ait interpres) sunt odibiles, sed græca uox, ex characteribus Theophrasti significat hominem ualde perfrictæ frontis, & summè impudentem, qualem ibi dicit Theophrastus, esse, qui coram honestissimis mulieribus, & sine causa tractare uirilia auderet, atque petulanter obscæna loqueretur, & per risum, & contumeliam alienis rebus abuteretur, eadem uoce uidetur usus Aristophanes, vt ostenderet mendacem extremè impudentem; mihi tamen propriè uidetur significare uox hæc, qua utitur hoc loco Aristoteles, hominem contumeliosum præ impudentia, & quoniam talis est, ideo odiosum execrabilem, & abominabilem, quodque in hac ngnificatione capiat βδελυρὸν declarat, quæ subsequitur uox, designans impudentiam propriè, quare, vt diximus, Apotelesmatis propositi sensus hic erit, cuius plus iusto, & præter rem carnosæ sunt tibiæ in parte exteriori, cum quibusdam tumiditatibus referentibus eas, quas videmus in intestino, colon appellato, cauitates, & receptacula, illum dicimus esse præ nimia impudentia abominabilem, & odiosum, sed cum hæc scripsissem ad manus codex græcus antiquus mihi peruenit, in quo hac legebatur sentẽtia.

Quorũ tibię sunt valde superuacaneæ, hoc est multa carne redũdanti repletæ, quæ, quasi fluere videatur, tremula sit, & parũ dearticulata, illi sunt præ impudentia oĩno abominabiles, quæ sñia, vt mihi vr̃ experiẽtiæ quadrat, & clarior, & certior est superiori, habemus qd significet, qd autẽ sit uerũ in primis experiẽtia ego testari possum qui duos cognoui talibus tibijs præditos, quorum alter, quamuis iam natu grandior, ad eo impudens erat, vt passim doleret coram oĩbus se non esse adolescentẽ, & imberbem, vt saltem absque expensa reperire posset, qui eo abuteretur, corãq. omnibus, & præcipuè uerecundis adolescẽtibus absq. delectu obscæniſſima quæque, & proferebat, & profitebatur, alterum autem adeo extreme, atque insolenter impudentem, vt quid, & superiores, & amici, & inimici de illo sentirent

tirent omnino deſpiceret, cumque ſæpiſſimè, ac diutiſſime in carceribus detruſus foret, maleque audiret apud quam plurimos, non ob hoc dolebat, aut ſe miſerum dicebat, uerum, & homines, & Deum contemnens, omnes ridebat.

Ariſtotelicum autem medium, quo probat ſuam poſitionem eſt, referri ad apparentem decentiam; at quid ſibi hoc uult? ait Sueſſanus, Ariſtotelem argumentari loco ab oppoſitis, ut ſit ſenſus quoniam qui uerecundi ſunt, habent tibias, prout decet carnoſas, ergo quorum tibiæ plus quam decet carnoſæ fuerint illi erunt inuerecundi, ſed hoc eſt dicere oppoſitum, ut intelligamus oppoſitum, ut ſi quis quærat cur Socrates non reſpirat, alius reſpondeat quoniam eſt uiuus, hoc eſt mortuus. Idem penitus eſt dicere refertur ad decentiam, hoc eſt ad indecentiam, mihi ſanè, (ut uerum fatear,) non apparet, quid ſibi uelit Ariſtoteles, poſſet aliquis credere, & interpretari uocem græcam ἐπιπρέπειαν, pro conuenienti ſpecie, ut foret ſenſus, Qui tales habent tibias illi ſunt inuerecundi, hæc enim eſt ſpecies, & figura illis conueniens, At mihi uidetur, quod hoc etiam eſt ipſummet petere principium, & ignotum, per ignotius exponere, an forte poſſemus explicare uocem illam, quæ deſignaret ultra mediocritatem, & ultra id quod conuenit, nam, & uox ἐπὶ aliquando ſupra denotat, ut Hæſichius, & πρέπον decus, & conueniens ſignificat, quare forte dicemus, Quibus tales adſunt tibiæ illis ineſt diſpoſitio ſupra id quod deceat, quorum tibiæ ſupra quam deceat carnoſæ, illi ſunt præ impudentia inuerecundi, ergo quorum tibiæ ſunt tales illi præ impudẽtia ſunt abhominabiles, ſed maior, quo ad me, nullam habet in ſe ueritatem apparentẽ, quin immo mihi uidetur concluſione ignotior, reſtat igitur, ut dicam, Ariſtotelem non reuera, rationem ſui dicti afferre, ſed tantum indicare ad quod nam genus hominum referuntur hi, quorum tales ſunt tibiæ, cum enim hominum genus primo in fœmineum, & maſculum diſtinguatur,

Rurſus tum maſculinum, tum fœmineum, uel eſt ſecundum naturam, uel præter naturam, ſecundum naturam dicimus illud, quod eſt ſecundum quod humana forma, ratioque requirit, & eſt ſecundum decentiam, hoc eſt pulchras partes decoraſque habet, & pro ut decet, ac natura requirit, eſt diſpoſitus; præter naturam item duplex eſt, uel infra, uel ſupra quod deceat, dicimus illum, cui tales adſunt tibiæ in exceſſu peccare, hoc eſt ſupra quam deceat habere carnoſas tibias, quare, & exceſſum in animo habere, & ſupra quam deceat eſſe impudentem, aut in alio genere exceſſus peccare.

Hunc itaque ad fœminile an ad virile genus reduces? non ſanè ad fœminile, etenim indecens nimium eſt, fœminas eſſe inuerecundas, quarum prima, & maxima virtus eſt pudor, & caſtitas; ac temperantia; ergo ad virile, at neque virum decet adeo perfrictæ frontis eſſe, atque adeo proſtituti pudoris, vt præ impudẽtia ſit abhominabilis, & execrabilis; quare etiam ſi ad virile referatur genus, non tamen ad id quod eſt ſecundum naturam, ſed ad præter naturam diſpoſitum reducetur; hoc autem duplex eſt, vel eſt infra quam deceat, vel ſupra nõ ad id in quo deficit forma maſculina, ſed ad exceſſum, hoc eſt ad genus, quod ſuperat ipſum conueniens, reducendus eſt ille, cui tibiæ prædictæ ſic præter naturaliter affectæ ad ſunt. Hæc Ariſtotelis, vt puto, ſententia eſt, quã tenere poterimus quouſq; melior ſubeat, propter quid autem cui tales adſunt tibiæ, illi etiam adſit impudentia abhominabilis nunc inquirendum; ſupponamus igitur primum, quod etiam ſupra in figura inuerecundi diximus.

Impudentiam eſſe impaſſibilitatem quandam ab inhoneſto, & turpi, illum enim, qui non mouetur ob imminens dedecus, neque vllo modo afficitur, egregrè dicimus eſſe impudentem; quare in ſicco excedente, & calido poſi tam eſſe hanc paſſionem putamus, in ſanguine igitur craſſo, & aduſto circa cor, & præcordia exiſtente, hoc principio ſic poſito, dicamus, cui inſunt tibiæ multa carne in exceſſu, & valde ſupra quam deceat, obductæ, quæ tremula ſit, & inelaborata, neque apte in muſculos digeſta, vt ſolet eſſe in forti, illi partes

inferio-

inferiores in humido, & calido excedunt, vltra quam conueniat, & quoniam inferna, & superna sunt loca opposita, & in locis oppositis, quæ ponuntur, secundum naturam opposita esse, & oppositas qualitates etiam oppositas habere, probabile est, ergo cui insunt infernæ partes excedentes in humido à mediocri calore non probè elaboratæ, eidem partes superiores, & quæ sunt, intus sitæ excedere in sicco exactè digesto, & à multo calore terminato, credi potest, cui autem circa præcordia sanguis adest siccus, & calidus, & adustus illis, & tales spiritus adesse necesse est; taliter autem dispositos, nauiter uocauimus supra in figura inuerecundi, excellenter impudentes, ergo quibus tales tibiæ aderunt iure canibus dicemus esse impudentiores; præ calore enim audaces sunt, & præ siccitate, quæ est circa præcordia, non admittunt neque mouentur populi uocibus, securi quid homines de illis sentiant, qualis igitur sit huius apotelesmatis sententia, & cur talis esse possit, & quomodo ex his patet.

APOTELESMA DECIMVM.

Qui genu flexibiles cynædi, referuntur ad apparentem decentiam.

Sic legit textus latinus, antiquus autem habet, qui sunt secundum genua crassi; Alius quidam Basileæ impressus legit.

Quorum genua sunt plana illi sunt cynædi. Ego nullum possum omnino probare; est uox græca de cuius interpretatione disputatur γονύκροτοι uox hæc in thesauro interpretatur ita, vt sit cum Blæsso, & Balbo, eadem, Hesychio paraliticum significat, hoc est habentem membra resoluta; at si respiciamus, quomodo uox hæc, quam loco isto usurpat Aristoteles, est composita ex γόνυ, quod genu, & κρότον quod pulsum significat, præcipuè manuum, cum videlicet extẽtæ strepitum quemdam emittũt, patebit Aristotelicum apotelesma cum vulgari dicto conuenire, vulgariter enim affirmatur, quod quorum genua inter ambulandum crepitum quemdam emittunt; illi sunt molles; quam sententiam præter Portam ex Aristotele, etiam Polemon, & Adamantius agnoscunt.

Quibus igitur inter grãdiendum genua crepitum emittunt hi molles sunt, non autem simpliciter dico cinædos, vt scilicet præ posteram pati venerem delectentur, sed tantum ad mollitiem, & ad naturã fœminilem referri dico, & hanc eandem corpoream affectionẽ ad τὴν ἐπιπρέπειαν hoc est ad excessum eius quod decet, vel ad id qd excedit cõuenientẽ, & naturalem dispositionem reduci, non enim decet genua inter eundem crepitare.

Dub. Sed dubitandum videtur quomodo significet excessum nunc vox hæc, qua vtitur Aristoteles, cum signum hoc non arguat virilitatem vllam, sed qui tales sunt ad fœmineum genus referantur. Puto ego, superiorem passionem ad masculinum genus referri, præsentẽ autem ad fœmininum, & sicuti superior passio corporea docet quemdam excessum in masculino genere, decet enim virum habere carnosas tibias, at superuacue carnosas, & multo magis, quam deceat, excessum quemdam indicat qui excessus in anima significat quod magis quam conueniat homo talis est impudens, & inuerecundus, ita passio presens quam genibus accidere diximus, ut inter eundum crepitent, ostendit quemdam excessum in genere fœminino, qui excessus hic est, quod cui insunt talia genua crepitantia non solum fœmineum genus referat, sed superat etiam id quod fœminam decet, magisque mollis est, atque eneruatus, quam quecunque fœmina delicata.

Hanc ergo puto esse Aristotelis sententiam, quod autem id verum sit, quotidiana experientia confirmari potest, nam qui adolescentes molles sunt, & genua carnosa habeant, & intus innuentia, & ferè dum ambulant se collidentia mutuo, & talem strepitum edentia plus iusto fœminiles habent mores, & fœminę tales cæteris magis lasciuæ, ac meretricium

tricium morem ſeruantes, & magis molleſcentes, talem corporis habitum ſeruant, ſic ergo genua mouentes, intemperantiæ magnæ, & fœminei cuiuſdam habitus videatur eſſe inſigniti.

Cur autem id accidat nunc eſt videndum, profecto cui genua inter eundum crepitant, ille laxos habet articulos, & ligamenta mollia, & eneruata; qui talis eſt, totum habitum, in quo prædominatur humiditas cum mediocri calore poſſidet, hic eſt pituitoſus cum ſubdominio ſanguinis circa cor, & præcordia, qui talis eſt ille habet ſpiritus referentes naturam vaporis ex aqua dulci, & clara, eleuati autem ſpiritus huiuſmodi humidi ſunt, & maximè alienis formis, & impreſſionibus, terminabiles, quibus tales adſunt ſpiritus hi facillimè perſuadentur, neque reſiſtunt externis mouentibus, molles igitur, & delicati ſunt, ergo cui adſunt crura inter eundum crepitantia illi extremæ ſunt mollitiei, tum animi, tum corporis. *Cauſa paſſionis huius.*

Noto hęc quæ hactenus dicta ſunt apoteleſmata, alternatim alia ad fœmininum genus, alia ad maſculinum referri, cum autem hæc maſculinitas, & fœminilitas ſint quodammodo formæ naturales, & ideo in mediocritate poſitæ, exceſſus, & defectus in vtraſque cadit; ſunt ergo tres maſculi, & tres fœminei gradus, duo in mediocritate qui decent; duo in exceſſu, & duo in defectu, qui à ſenſibus iudicantur, an ſint ſecundum decentiam nec ne.

At ſi cui crepitant genua illi ineſt mollities, nunquid cui non crepitabunt ille mollis non erit? aut ſi mollis erit ſubito ne etiam crepitabunt? Reſpondetur primum ſublato antecendente non ſemper tollitur conſequẽs amplius materia hæc eſt naturalis, & in naturalibus non eſt neceſſitas ſimpliciter, ſed tantum vt plurimum, non ergo cui crepitant genua illi neceſſario ineſt mollities, ſed vt plurimum, neque habitum dicit hæc qualitas, ſed tantum propenſionem, & diſpoſitionem quam vocant potentiam; vnde poteſt etiam non mollis eſſe ille, cui crepitabunt, cum id genus potentiæ ſiue qualitatis, vel à ratione, vel ab habitu oppoſito poſſit corrigi, & erit mollis, cui non crepitabunt, cum talis per habitum fuerit redditus, & ſi cui crepuerint etiam ab oppoſito habitu corrigetur; habemus igitur quid ex hoc apoteleſmate, probabiliter enunciari poſsit.

At rurſus dubitandum magis eſſe videtur, vnde factum eſt, quod ad demonſtrandum primum, & ſecundum apoteleſma non vſi ſumus ijs principijs, quibus nunc vtimur, at ad demonſtrandum paſſionem abominabilis impudentiæ ſumpſimus hoc principium, quòd contraria loca continent contraria corpora, contrariorum autem corporum ſunt contrariæ qualitates, quare, & contrariæ virtutes, vnde poſt modum effectus contrarij, ſi igitur exceſſus humidi eſt in extremis, defectus eiuſdem eſt in medio, quare, & quorum pedes multum ſudant, & putidi ſunt, vt plurimum obſtinati erunt, & ceruicoſi, & impudentes; ſi ergo hoc verum eſt, cur non etiam quorum pedes ſunt magni, neruoſi, dearticulati, bene formati, & per conſequens robuſti ſiccique, ijdem interiora non habent oppoſito modo diſpoſitæ, vt ſcilicet ſecundum animam ſint molles ſecundum corpus humidi, debileſque, ſiquidem contraria loca, corpora continent, ad quæ ſequuntur contrariæ qualitates, & virtutes; neque hoc habet principium dubitationis, videmus enim in mundo hoc clariſsimè factum, ignis, & terra opponuntur, nam alter leuiſsimus eſt, & rariſsimus, altera grauiſsima, & denſiſsima; & in locis oppoſitis collocantur, ergo quæ oppoſita ſunt, loca etiam oppoſita occupant. Rurſus ad demonſtrandum decimum apoteleſma uſi ſumus hoc principio, quod omnia orta naturam ſuorum principiorum teſtantur, quare cum ligamenta ſunt laxa, & nerui molles, etiam oſſa, & cere- *Dub.*

brum iusto erit mollius; quare & tota substantia mollior, & principium præcipuè motiuum, quare, & secundum animam est mollities, cur igitur eodem modo non dicimus in nono apotelesmate, quod ille sit mollis secundum animam? aut cur etiam nunc non dicimus, cui crepitant genua illum esse audacem, & inuerecundum?

An sanè respondendum videtur; multo diuersam rationem esse eorum, quę secundum naturam dispositā sunt, & eorum quæ præter naturam, si quidem, & homines, animalia, & quæcunque ea sint, si secundum naturam formata esse contigerit, cum externa bene dispositā, perfectaque habuerint, interna etiam bene elaborata esse docebunt, nam si virtuti formatricis vis, & potentia in externis eluceſcit, tanto magis illam ipsam pollere circa principium suum putabimus, si quidem si de quo minus inesse deberet, & ineſt, ergo & de quo magis, vt vulgo dicitur; quare cum externa robusta, & dearticulata, & bene formata videmus, iure etiam interna magis, ac melius dispositā esse censendum est, si quidem natura ea est vis agens, quæ ab intus ad extra mouet, at quæcunque præter naturam dispositā sunt, illa etiam male formata esse contingit; quare neque probe mixta, elaborataque cum itaque animalis corpus ex quattuor constet elementis, atq. ex primis quæ in ipsis sunt qualitatibus, si bene mixtum fuerit, probequè formatum partes partibus respondebunt, & omnia erunt inter se consentientia, & conspirantia, sin præter naturam, quare & non probe facta fuerit mixtio, necesse est, si excessus vnius elementi, aut elementaris qualitatis reperitur in vna parte, defectus in oppositā parte reperiatur, quare vt in pumilionibus videmus, si parui sunt pedes, & caput erit proportione maximum, & in quibusdam fœminis, extrema sunt carne destituta media corporis carnosa, si ventricosæ sunt natibus carent; & aliquando posteriora carnosa, & anteriora carne destituta; vt enim dictum est, cum ex ficco, & humido factum sit animalis corpus, & secundum naturam dispositum sit in mediocritate, illud quod est præter naturam affectum necesse est, vt in mediocritate non existat, quare & in excessu sit, & in defectu, cum igitur nimia humiditas sit circa pedes, vel manus, nimiam siccitatem in partibus oppositis adesse probabile est, sic ergo in hominibus, quorum sermo factus fuit ab Aristotele, cum superabundantiam, & excessum quendam carnis malè formatæ, & non bene à calore superati, & digesti humidi sit in partibus inferioribus, & externis, probabile est, in partibus superioribus, & internis oppositum reperiri, nempe siccitatem, informem irrationabiliterque à calore male digestam, & temperatam, ad quam dispositionem sequi dicimus obstinationem, superbiam, impudentiam, petulantiam, irrisionem, aliorumque contemptum, hac igitur ratione dubitationem priorem tolli posse putarem.

Quo autem ad posteriorem iterum insistens in priori responsione dicerem, hunc cui genua crepant esse dispositum secundum naturam muliebrem, & ideo interna, externis esse consimilia, & correspondentia, quare & secundum corpus, & secundum animam mollem esse; vt enim superior ad genus masculinum, ita hic de quo nunc loquimur ad genus fœmininum refertur, amplius cui crepant genua, vel cætera corporis membra laxa sunt, & consentiunt, vel non, si consentiunt ille mollis est, sin minus non ideo quod genua crepent mollis dicitur.

At si crura fuerint carnosa, & superflua, & cæteræ deinde partes sint proportionatæ, & secundum naturam dispositæ non ideo sequetur, quod ille sit impudens; plus enim ponderis, & veritatis habent plura naturalia signa, quam vnum, aut alterum præter naturale. Videtur autem præcipuè significari, & notari vitio impudentiæ ille, qui cum habeat enormia crura, reliqua deinde

corpo-

corporis membra pauca ſunt carne veſtita, vt totus ille homo præter naturam omnino diſpoſitus appareat.

APOTELESMA XI.

Quicunque coxas oſſeas, & neruoſas habent, illi ſunt fortes, referuntur ad maſculinum genus.

CRuribus annexæ ſunt coxæ, quarum nunc mentionem facit, hæ ſunt membra, quæ ab acetabulo oſſis ilium incipientia ad genua vſque deducuntur; vnico oſſe, eoque maximo conſtantia, & multa carne veſtito, quæ decem muſculos femur mouentes conſtituit; eſt igitur Ariſtotelis ſententia, quicunque coxarum habent oſſa magna, femorum carnem, & muſculos neruoſos, illi, & corpore ſunt robuſti, & animo fortes, atque audaces, magna oſſa, hoc eſt craſſa, & robuſta, ſic Virgilius cum Entelli robur docebat, illi magna oſſa, lacertoſque tribuebat, quæ enim ſunt longa oſſa, & ſubtilia, debilia ſunt, & quæ breuiora ſunt ſimiliter præter naturam, quæ proportionata, & craſſa ſunt terram prædominari, & oſſium principium robuſtum eſſe demonſtrant, quæcunque autem præter naturam illa ſemper improbanda exiſtunt, ſiue excedant, ſiue deficiant, in vno autem excedunt, & ſimul in altero deficiunt, quoniam à medietate recedunt, cæterum neruoſas coxas eas eſſe dicit, quæ habent carnem fibroſam, & robuſtam, caro autem fibroſa eſt, cum muſculus eſt validus, quare, & caro ſolida, quam ſupra in figura fortis contractam vocabat, hoc eſt in ſemetipſa conſiſtentem, non deductam, non fluxam, flaccidam vero, aut facile in omnem partem tractilem. Si autem fibræ ſunt in coxis robuſtæ ergo id à quo principium ſumunt robuſtum eſt, & ſecundum naturam maſculinam diſpoſitum, cuius naturæ eſt proprium, vt ſit audax, & fortis quare Ariſtotelis ratio hæc erit, quorum coxæ ſunt neruoſæ, & magnis oſſibus ac robuſtis præditæ, illi habent ea membra diſpoſita ſecundum naturam maſculinam; qui habent membra ſecundum naturam maſculam diſpoſita, illi corpus habent maſculum, maſculo corpori maſculus etiam competit animus, at maſculus animus fortis, & audax eſt, ergo quorum coxæ oſſeæ ſunt, & neruoſæ, illi fortes erunt ſecundum animam.

Cauſa autem propter quam maſculus omnis in ſua ſpecie robuſtior eſt ſecundum corpus, & audacior ſecundum animam, ſi cum alijs ſuæ ſpeciei comparetur, quæ maſculi non ſunt ſexus, alias dicta fuit, quod maſculus fœmina eſt calidior, & in eodem maior eſt ignis portio, quam in fœmina; At calidi eſt attrahere ad ſe materiam attractamque dilatare, & dilatatam formare, & ſiccare, ſiccum enim eſt, quod proprio termino terminatur, hinc ſequitur marem, vt plurimum, eſſe fœmineo corpore maiorem, & vt plurimum materiam habere ſolidiorem, quare carnem, & oſſa duriora, & propter hoc etiam robuſtius eſt corpus maris, quam fœminæ, vt autem ferè ſemper, niſi ex accidenti robuſtius eſt animal maſculum, quam fœmineum; ita non ſemper corpore eſt maius, contingit enim in aliqua ſpecie mares fœminis eſſe minores, ceu de quibuſdam ſcribitur auibus, & piſcibus, mares tamen ſemper audaciores ſunt, & robuſtiores; huius autem effectus cauſam puto, quoniam eadem materiæ portio, cum ſiccior eſt minorem locum occupat, quam cum eſt humidior, ſiccior autem cum fuerit, magis etiam calorem conceptum retinet, quare hoc modo quamuis minor ſit mas, attamen robuſtior, & audacior eſt fœmina, in ſicco enim robur conſiſtere iam demonſtratum fuit, quatenus igitur ſiccior eſt eatenus robuſtior, quatenus autem calidior, eatenus audacior, ignis enim maximè actiuus eſt, & penetrat, aperit, rarefacit, continet etiam, ac ſuperat, & velociter

fertur, ad quæ animæ consequi videtur audacia, quare quo calidior est mas fœmina, eò etiam dicitur esse audacior, cæterum audaciæ, & roboris videntur esse prima signa quæ in coxis, cruribus, & pedibus spectantur; Quæ Naturalis sunt instrumenta motus, in motu autem præcipuè spectatur robur, & audacia, & velocitas; Nam mouere corpus promptè magnaque pondera sustinere, robusti est proprium, & audax illud animal dicitur quod aggredi, & adire labores, & pericula non dubitat.

APOTELESMA XII.

„ *Quicunque coxas osseas, & carnosas habent sunt molles, referuntur ad fœminam,*

COxam intelligit Suess. iunctura m vertebrarũ simul cum neruo vertebram continente, & os similiter, & id confirmare nititur ex Plinio Iuniore, & ex Suet. Plinium referentẽ, quod quidã per leue, ac lubricum pauimentum vadens fallente vestigio cecidit, coxamq. fregit, quæ parũ aptè collocata reluctante ætate male coijt; Suet. ait, In Augusto dicere, coxendice, & femore, & crure sinistro, nõ perinde valebat. At si dictionum græcarũ thesaurũ consulamus, per vocem, quam hoc loco vsurpat Arist. intelligemus præcipuè totum illud membrum ex carne, & osse compactum, quod desinit in poplites, & genua, & incipit, atque implantatur in parte superiori in osse laterum, ex parte in qua ea sunt magna acetabula, quæ os feminis recipiunt, quare sane valde dubito, quid sibi Suess. velit, cum suis illis vertebris, nec sat scio quid vertebris commune sit cum coxis, & femoribus, & clunibus, neque Plinius, aut Suetonius suæ fauent causæ, vt ex ipsa re clarum est, quod autem id membrum significetur voce coxarum testatur. Celsus dicens, coxis proxima sunt genua, Aristoteles igitur ait; quicunque coxas osseas habent, & carnosas molles sunt, referuntur enim ad fœmineum genus.

At Porta, cui ego in hoc adhæreo, mendum in textu esse putat, & profectò sic legi non potest, nam includit contradictionem osseum esse, & carnosum, nam si osseas coxas dicimus, quæ multum ossis habent, carnosas quæ multum carnis, & illæ duræ sunt, hæ molles, si molle, & durum opponuntur, osseum etiam, & carnosum non conueniunt; amplius si osseum, & neruosum ad marem referuntur, & quæ hoc loco dicuntur ad fœminam, cum, & mas, & fœmina neruosum, & carnosum inter se contrarientur, necesse est, vt osseum opponatur illi voci quæ hoc loco cum carnoso coniungitur, qua propter loco vocis, osseas, legerem ego ex osses, nam osseum, & exos. videntur opponi, vt neruosum, & carnosum, quare osseæ, & exosses opponentur coxæ.

Cuicunque igitur coxæ exosses, & carne multa mollique plenæ aderunt, illum dicemus esse molle, & effœminatum, refertur enim ad genus fœmininum, Nam proprium est fœminarum, vt clunes, & coxas, & femora habeant ad modum carnosa, & multo pleniora viris, in quibus superiora, cum calidiora sint, etiam maiora existunt quam in fœminis, quare sic Aristotelis ratio potest deduci, Quorum tales sunt coxæ illi referuntur ad fœminas, at qui ad fœminas referunt ijdem sunt molles, & timidi, ergo quorum femora sunt carnosa, & exossia illi sunt molles, & timidi, quod minor sit vera non est dubium, sensui enim patet, talia esse fœminarum fœmora, & coxas, nempe carne plenas, & in quibus ne minimum quidem ossium subolet vestigium; Noto autem loqui de fœminis secundum naturã humanã dispositis, & in mediocri ætate cõsistẽtibus, sanis iuuenculis, & ad generationẽ aptis, causã superius attuli, qm̃ superiora frigidiora sũt in fœminis, quã in maribus. Ast ex Hipp: possẽ dicere causã p̃p quã fœminarũ mẽbra sub vmbilico posita sunt crassiora,

& carno-

& carnoſiora, & molliora, quam virorum, eſſe hanc præcipuam, quoniam, & in hac parte maior calor eſt in mulieribus, & maior humoris copia, quàm in viris reperiatur; ſiquidem cum in his fieri debeat generatio, quæ calore, & humore perficitur neceſſarium fuit caloris, & humoris plurimum mulieribus adeſſe, non quidem in toto corpore ſed in ea præcipua parte, in qua fit generatio, vnde effectum eſt, vt matrix, ſiuè vterus ſit cæteris partibus corporis, & calidior, & humidior, quod menſtruus ſanguis etiam indicat, vbi autem eſt multum humoris, & caloris ibi etiam multum carnis generatur, quare hac de cauſa fœminæ partes inferiores habent multo pleniores carne, quam viri, qui ſint eiuſdem ætatis, & temperamenti. Vt à fine incipientes dicere poſſimus, ſi in mulieribus debet fieri generatio fœtus, & præcipuè in vtero, neceſſe eſt, ibi adeſſe, & calorem, & humorem, ex quo, & à quo fiat, vbi dominatur calor, & & humor in animalis corpore, ibi eſt dilatatio oſſium, & multa caro, hinc factum eſt, vt oſſa ilium in fœminis ſint expanſa magis, quam in viris, & carnoſiores nates, & coxæ, & molliores propter exceſſum humoris, qui omnino à calore, quamuis maiori in hac parte, quam alijs, non poteſt ſuperari; quod minor ergo ſit vera, & propter quid ex his eſt manifeſtum. Maior erat, qui referunt fœminas ſecundum corpus illi ſunt molles ſecundum animum, hoc eſt habent propenſionem ad mollitiem, & timiditatem quòd iam ſupra ſatis ſuperque oſtenſum eſt, ea autem innixa eſt huic principio, quod anima, & corpus ſunt inter ſe correlatiua, vt materia, & forma, & certa forma ſibi certam determinat materiam, & materia certam requirit formam, & facta variatione penes materiam, neceſſe eſt formam variari, & ſi illa variatur, probabile eſt materiam mutari, videtur autem hoc manifeſtum, nam & morbis, & ætate, & exercitationibus ſi mutetur habitus corporis, notamus etiam propenſiones deſideria, & animæ plurimas inclinationes mutari, vt quandoq. penè alij credantur; Præter hoc autem qui tales nacti ſunt coxas; probabiliter videntur effæminati, laſciui, cinædi, crudeles, inſidioſi, maligni, inuidi, mendaces, timidi, prodigi ad luſus, ac iocos proni, ſed indignabundi, mobiles tamen, & leues, in aduerſis puſillanimi, in proſperis intolerabiles, ſi quando cum alijs fuerint contumelioſi, ſi ſoli manſueti, & quieti, ſuperſtitioſique, cum alijs pene irreligioſi, & imprudentes, & qui corrigi nolint, & corrigentes odio habeant, & quæcunque alia mediocriter calidum, & humidiorem habitum corporis ſequi dicimus, animaduertendum tamen eſt, non ſimul atque alicui tales inerunt coxæ, hæc omnia accidentia de illo enuntiari poſſe; etenim multæ cauſæ ſunt, quæ hæc impedire poſſunt, etiam præter liberum arbitrium, & educationem, ſi quidem nil uetat fœmineis clunibus, coxis, & cruribus annexum aliquando eſſe pectus maſculum, & vere leoninum, vt de Selimo primo Turcarum Imperatore legitur, & de Othone primo, qui Galbæ ſucceſſit in Imperio, hoc tamen eſt præter naturam, & cum id accidit ſuperiora inferioribus non conſonant, magis quam ſi humano corpori ceruix iungeretur equina, niſi quod ſic de ſpecie exiremus, & mixtio fieret ſpecierum, nunc autem licet maſcula, & fœminea forma non ſeruetur, ſed confundatur, non tamen exceditur ſpecies, ſunt enim diſtinctiones materiæ mas, & fœmina, vt ſupra dictum fuit non ſpeciei, & formæ. Cæterum neque difficile eſt ea quæ enumerauimus accidentia demonſtrare. *Not.*

Nam quorum coxæ ſunt tales, & reliquæ partes corporis etiam correſpondeant, vt omnes fœminam referant, primum quidem iure effæminati dicantur, cum ornatu, & inceſſu, & voce fœminam referant, & laſciui ſunt, quamuis non multum ſeminis emittant; nam cum conuertatur in carnem, & coxarum craſſitiem alimentū non ſuperabundat ita, vt vehemēter coitū appetāt, ſed laſciuos dico, qm̄, & verbis, & moribus, & motibus, ac toto demū corpore laſciuiā quādā, & mollitiē præſeferūt, & qđ de Adonide, & de Athyde in fabulis legitur, vt de Heliogabalo, & de quodā Ptolomeo Ægyptiorū Rege dicitur

idem de his sit sentiendum, & quoniam lasciui, & effæminati, etiam ad omnem libidinis speciem inclinati sunt, nam quo excrementum humidum vergit, eo etiam, vt ait Aristoteles semen fertur, cum igitur multa humiditas ad partes inferiores horum consistat, eò etiã & semen illorum fertur, & si uiæ per quas transit obcæcentur iam glisc̃te, ac turgente materia, excitatur pruritus, vnde hoc hominum genus in fœmineam libidinem proni fiunt, & quoniam ad fœminas referuntur timidi sunt, & ob id creduli, & persuasibiles, quare, & leues, & propter eandem causam instabiles etiam, caput enim paruum habent, quare neq; bene sensati sunt, hoc est non prudẽtes, & qm̃ timidi insidiosi sunt, quare, & maligni, vnde etiã sequitur inuidia, pusillanimes enim sunt, quod propriũ est inuidorũ, & cũ sibi timeãt, & maligni sint, & pusillanimes, effectũ etiã est, vt sint crudeles, cũ enim timeãt, ne sibi noxa infligatur aliqua, facile ac minimo negotio ad tollẽdam timoris causam incitantur, quare crudeles efficiuntur, id in Nerone, in Vitellio, in ipsomet Tyberio licet conspicere, qui cũ timidissimi essent, ijdem etiam crudelissimi extitere, secus in Traiano, in Augusto, in Antonino spectare licet, & cum molles sint, & lasciui ad lusus, ac iocos proni sunt, & cum ipsis, si qui iocantur, facile irascuntur, timidi enim cum sint, subito ne contemnantur, ac rideantur metuunt, contemptus autem apparens iram excitat, ex quo quando associati, & in sociorum viribus confidunt, tunc contumelioſi sunt, & arrogantes, vilesque canes imitantur, qui cum dominis suis, aut in propria domo, & curia audaces, extra timidi existunt, causam finalem, puto, vt naturalem illum timorem insitum tegant, & sibi se non timidos esse persuadeant; aut id faciunt, vt alios deterreant, ne ipsis noxam inferant, quoniam omnes metuunt, vt igitur à nocendo sibi absterreant homines, & se audaces monstrent ac fortes, libenter contumeliam exercent, & crudelitatem; quo vitio omnes penè fœminas, quæ regnarunt (nescio an unam excipiam Zenobiam) laborasse etiam diebus nostris compertum est, eadem de causa, quoniam sibi timent, cum soli sunt, neminem lædunt, modestiam ac iustitiam simulant, quo factum est, vt in periculis viles, & superstitioſi appareant, & cum in secunda fortuna constituti sunt, si neminem sibi posse nocere putent, intolerabiles, insolentesque euadunt, eiusdem rationis est, vt sint mendaces, & infideles, etenim mobiles, & leues esse diximus, & creduli, sed omnium pessimum est, quod incorrigibiles sunt, non enim, cum se mirifice ament, seque probos putent, corrigi patiuntur, indignantur enim, & timidi, & suæ imbecillitatis sibi conscij semper ne despiciantur, timent, quare cum ad monentur omnem admonitionem in despectus trahunt suspicionem, quod fœminis, quã plurimis accidit, atque ijs præsertim, quæ cum pulchræ sibi esse persuaserint, amari cupiunt, vnde dolent mirifice, cum ex aduerso aliquid illis contingit, quod huiusmodi opinionem suam tollere possit.

APOTELESMA XIII.

„ *Quicunque nates acutas osseas habent sunt fortes.*

DE natibus, & clunibus, quæ partes sunt coxis, siue femoribus superpositæ instituit sermonem, eo, quem suscepit ordine procedens. Quæ partes sint, quæ nates vocãtur omnibus est in confesso, videntur autem homini datæ, quoniam ei, qui artes exercere debebat, necessarium erat quiescere, quod prompte exequi non poterat propter corporis sui rectam staturam, nisi sedisset; non enim erectus stare semper valuisset, sed neque humi stratus, vt autem ex eadem materia dicimus constare cornua, & dentes superiores animalium, quoniam videmus omnibus cornigeris deesse superiores dentes, & ferè conuerti, nisi camelus exciperetur, cui materia dentium in callum quendam palati degenerauit, quare cum careat cornibus, neque tamen dentes habet, ita eadem videtur esse, quæ caudam, &

nates

nates producit,quibus enim nates adſunt illis cauda non prouenit, & quæ caudam habent natibus omnino carent,vt in equo,aſino, boue, cane, & quamplurimis alijs videre poſſumus,ſimia quoque cum rudimentum quoddam habeat natium, & locum quodammodo in quo fieri debebant,ideo illa etiam cauda caret;dicit igitur Ariſt. quicunq. nates acutas & oſſeas habent illi ſunt fortes. Supra in figura fortis ei aſsignauit,neque leues,neque rugoſas nates,nũc aut dicit acutas,& oſſeas;quid igitur per acutũ intelliget?nõ enim acutæ sũt nates,vt ſagittæ, vel ſpinæ, ſimiliter neq, acutas dixeris eas,vt ſonos,vel ſapores vocamus, quare ſicuti ouorũ quædã dicimus eſſe rotunda, quædã autẽ oblonga, & acuta; ita etiã natium quædam rotundæ apparent, & vtræq.ſimul acceptæ ſphærã quodãmodo ſtatuunt dimidiatã,in duas quartas diuisã;& hæc fœminarum ſunt,quædam aliæ coni rectanguli portionẽ,aut parabolæ ſectionẽ quandã emulantur,& hæ ſunt virorum,oſſeas autem voco, vel quod pauca ſint carne veſtitæ,ſi cum fœmineis comparentur,vel oſſea dicuntur, quoniam caro dura eſt nimis,ad oſſis imaginem, uel multo magis ſecundum rationem, oſſeas dicemus,quoniam ipſis magna oſſa ſint ſubiecta, & dura; ſic enim in figura fortis dicebamus, illi adeſſe oſſa,magna, & dura, & robuſta; ſic ergo cui nates ſunt acutæ, ac magnis oſſibus præditæ, ille fortis eſt, & audax ſecundum animam, & iure ad maſculum habitum refertur;cui enim maſcula corporis adſunt membra,ille ad maſculum refertur,moreſque habet maſculos, qui ſunt audacia, & magnanimitas, cui autem tales nates adſunt illi membra maſcula adeſſe experientia certum eſt, ergo cui adſunt tales nates ille fortis eſt, & ad audaciam, ad labores tolerandos, & contemptum periculorum paratus; Neutra aſſumptarum propoſitionum difficultatem habet; cauſa etiam propter quam cui adſunt duræ nates ille ſit fortis nota eſt; nam cum corporis robur in ſicco, & calido ſed terreſtri poſuerimus, calidaque, & ſicca membra non facile patiantur,ſed ad agendum parata ſint,ſi in externis corporis partibus ſecundum naturam ſiccitas, & calor præualuerit, probabile eſt, & quæ circa principia ſunt partes calidiores eſſe, & ſecundum naturam ſicciores, quare cum ex talibus humoribus calidi, & ſicci eleuentur ſpiritus, hominem audacem,& pene temerarium faciunt, etenim nihil aliud eſt aptitudo, ac naturalis inclinatio, quæ potentia naturalis dicitur, niſi certa ſpirituum diſpoſitio,ſecundum quam nati ſunt magis ab hoc,quã ab oppoſito affici obiecto.

Hinc contingit ſi ſint duo, à quibus audiantur eadẽ conuicia, quod hic ridebit ille iraſcetur,quoniam prior ſpiritus habet ineptos ad patiendum ab eo male dicto, poſterior uero tanquam fomes ad ignem paratus eſt ad ſuſcipiendam paſſionem, & ad iraſcendum, cum igitur ſpiritus ſunt ſicci, & calidi, ut accidit in melancholicis, quando eorum humor aduritur,illi ſunt fortes, & audaces ſecundum animam, ſed quorum nates ſunt oſſeæ, & acutæ illorum etiam ſpiritus,& totus ſanguis eſt calidus, & ſiccus,ergo quorum nates ſunt oſſeæ, & acutæ illi ſunt fortes, & ad pericula prompti.

APOTELESMA XIIII.

„ *Qui vero nates carnoſas, & pingues habent ſunt molles.*

DE natibus maſculorum ſupra diximus, nunc eas quæ ad fœmininum genus referuntur contemplatur; Nates carnoſas dico,quæ multa carne abundant, pingues autem quæ non rugoſæ ſunt,ſed diſtentæ, ac læues, & tactu delicatæ,quales ſunt puellarum, cum ſunt ſucci plenæ, & ſecundum naturam diſpoſitæ.

Has ſignificare animi mollitiem docet Ariſtoteles, quoniam ad fœmineum genus referuntur; cui igitur inerunt tales nates non ſolum carnoſæ, & pingues, ſed glabræ, læues, delicatæ,ac rotundæ,ut ſupra dicebamus,ille ſecundum hanc partem ſimilis erit fœminis, namil-

nam illæ cum secundum naturam sunt dispositæ tales sortiuntur nates, cum autem secundum has partes, quæ motui seruiunt imitentur fœminas, hocque organum sit organo fœminarum simile, probabile est, vt eadem ratione ac modo suam perficiant operationem, quo fœminæ, cum igitur clunes, ac nates fœminarum sint instrumenta, quæ incessum mollem, tardumque in fœminis faciunt; quæ libenter vitam sedentariam ducunt, vtpote ad quam videntur à natura factæ, vnde illis dedit optima ad sedendum organa, ad ambulandum aût non valde apta, nam pedes paruos, molles, & non dearticulatos habere fœminas diximus, probabile est, cum vsus talium natium, & clunium in mulieribus producat motũ, tardum, mollem, & delicatum, eundem etiam in viro, aut illi similem producere quare cum motum hunc tardum, & fœminilem sequatur animi mollities, & eneruis quædam, ac fluxa dispositio, ergo quibus tales adsunt clunes, & nates ijsdem animum mollem, & eneruatum adesse est ueri simile, quando, vt dictum pluries est, quale est organum talis est operatio organi, & qualis est operatio eiusdem talis etiam est potentia, quæ eidem inest; quod igitur nates carnosæ, ac pingues mollitiem animi arguant, & propter quid ex his patet.

APOTELESMA XV.

„ *Quicunque autem habent modicam carnem veluti delicatam mali moris sunt, referuntur ad simias.*

DE natibus etiam sermo est, atque hæc est tertia passio, quæ natibus ab Aristotele tribuitur, vt sit sensus, quorum nates sunt oppositio modo dispositæ, quo dispositas diximus esse in fœminis secundum naturam. Illi sunt mali moris, itaque si nates in fœminis sunt carnosæ, & pingues, in his de quibus est sermo, nulla sit pinguedo, sed exsiccatę appareant, hoc est, pauca carne, eademque flaccescente præditæ, quales videmus in simijs, quarum hæc præcipua est corporis passio, etenim simiæ neque penitus nates habent, vt homines, neque omnino ijsdem carent, vt cæteri quadrupedes. Huiusmodi etiam nates apparent in quibusdam senibus macris, & multo labore consumptis, nam cum macri sunt pinguedine carent, ideoque exsiccatæ videntur, quoniam autem labore confecti sunt, caro pauca est, eademque corium potius coctum, quam carnem humanam referens, quæ sanè caro ostendit in sanguine, quo animal nutritur prędalere siccitatem, quare melancholiam, neque multam adesse caliditatem, nam si naturalis calor dominaretur nates, vt in fortibus essent ossęę, & caro dura, atque robusta; itaque mihi videtur hanc esse differentiam inter has, & supradictas nates, quod illę sunt carnosę, at hæ carne carent, illæ sunt extensæ, magnæ, duræ, & solidæ, sed pilosæ, & asperiores tactui; hæ verò rugosæ, flacidæ, paruæ, exsiccatæ sine succo, & humore vllo, ac præsertim sine carne, & pilis, vt cutis asperior corium vetus calore siccatum repręsentet; Has Horatius aridas nates vocat, cum de quadam anu libidinosa, & procaci loqueretur, cui igitur tales insunt nates ille ad simiam refertur, hoc est in hac parte est similis simiæ, quod animal est hominis figuram referens, habet enim aures, & cilia, & dentes similes homninibus, mammasque gerit duas in pectore, & brachia, & manus, & digitos, & vngues, & quamplura alia membra homini similia, rudiora tamen, & imperfectiora si cum homine conferatur, siue hominis corpore, videaturque esse medium quoddam animal inter ea quæ duos, & quattuor habent pedes, ideo quodammodo, vt bipes caret cauda, & habet nates, vt qudrupes autem rudimentum habet caudæ, & natibus destituitur, neq. recta incedit, sed quattuor pedibus mouetur, quod autę ait Albertus, interiora simiæ membra ab humanis distare, id neque Galenus, neque sensus ipse confirmat, nam cum dissecari uiderim plures simias, eas in paucis ab homine dissenti-

re, &

re, & in his ſolum, quæ notat Galenus animaduerti, Mali moris ait interpres eſſe ſimiam, ego vocem hanc, dicerem, ex Politiano malignum, & prauum ingenium ſignificare ſic enim κακοηθείαν malignitatem, & prauitatem notare aiunt. Ingenium dicitur prauum, & malignum illa naturalis propenſio, & inclinatio hominis ſecundum quam homo, cum male fecerit, & alij nocuerit, delectatur; propriè autem, qui ſine cauſa male facit, alijſque nocere quærit, & tentat, & delectatur, cum res vtiles alijs, & ſibi innoxias perdit, aut perdere tentat, ille dicitur ingenio prauo, & maligno præditus; nam ſicuti benignum, & humanum dicimus, qui omnibus, etiamſi ab his non beneficium acceperit, neque ſperet, prodeſſe cupit, & in effectu prodeſt, ſic ex aduerſo illum dicimus malignum, qui etiam non laceſſitus, & nocet, & nocere tentat, reſque aliorum perdere, & corrumpere geſtit, in quo refert quoddam puerorum genus, qui neſcio qua ratione ducti, ſi quid ad eorum peruenerit manus, libentiſſimè frangunt, deſtruunt, peruertunt; cum autem nocumentum, & offenſio hominibus, ac rebus inſligatur, aut violentia aperta, aut dolosè, proprium eſt maligni, & praui ingenij, dolosè, & occultè nocere. Cæterum deprehenſus in malo, non pudet, ſed pudere ſimulat, vt errorem agnoſcere dicat, & petat veniam, at ſane id figmentum eſt, ex Theophraſto, qui ait maligni proprium eſſe, ſubſanare, & irridere ſaltem apud ſe, qui illũ deprehenderit, vel defendere ſuum errorem, vel etiam pugnare, & quod latenter incepit, apertè proſequi, ingenium hoc in Tyberio, & in Adriano obſeruatum fuiſſe memoriæ proditum eſt; nam Tyberius occultè plurimis interitum parauit; & Adrianus nullos architectos, nullos artifices ſe ipſo maiores putabat, & illorum operibus continue aliquid opponebat, & magnanimitati, ac factis Traiani ſemper detrahere conabatur, unde & pontem, qui ſupra Danubium erat, demolitus eſt, & quamplura alia dedit malignitatis, & praui ingenij exempla; quid igitur ſignificet Ariſtotelicum apoteleſma ex his eſt manifeſtum.

Ingenium malignũ quid.

Not. Nunc quod ſit verum, & propter quid uideamus. Primum autem ſciendum eſt, tunc probabiliter ex natibus hoc nos poſſe concludere prædicatum malignitatis, quando aliæ corporis partes, vel idem indicauerint, uel nullæ adſint, quæ oppoſitum perſuadeant, nam ſi quæ fuerit, quæ contrarium indicet, ſecundum quod fuerit principalis, uel natium ſignificatio tolletur, uel minuetur; dicit itaque; Quorum nates ſunt exſiccatæ, & modica præditæ carne, illi ſunt praui, & maligni ingenij, probatur quoniam ſunt ſimiles ſimijs, cum igitur referãt in hac parte ſimiæ corpus, probabile eſt, his animum hominis indicari, ſecundũ eam potentiam, quæ cum ad actum deducitur aliquo pacto uel natibus, uel partibus quibus nates annectuntur, homo vtitur; tales itaque nates ſimiam referunt; at ſimiæ nates ſecundum naturam illius animalis diſpoſitæ indicant qualis nam ſit ſimiæ caro, & temperamentum; ergo cui tales adſunt nates, quales dicimus adeſſe ſimijs probabile eſt illos talem habere carnem, quare, & talem ſanguinis maſſam, quare, & cauſam efficientem eſſe talem, ergo, & calorem cordis, & ſpiritus eſſe ſimijs pares; at quorum calor, & ſpiritus ſimiam refert, illorum etiam animæ habebunt propenſiones ſimiæ, & paratæ erũt ad eiuſdem bruti mores exercendos; ſimia uero eſt praui, & maligni ingenij, iracunda, ſæua, & inuida, ergo cui tales aderunt nates, illum maligni, & praui ingenij dicemus eſſe hominẽ.

Dubit. At quoniam, ut ſupra, ſicut tota anima ad totum corpus, ita pars, & potentia animæ ad partes corporis ſe habet; cum igitur tota anima ſimiæ informet ſimiæ totum corpus, & qualis ſit uiſiua potentia, & auditiua, ex eiuſdem ſenſorijs cognoſcamus, ex pedibus itaq; anterioribus, quod ad geſticulationes, & luſus ſit parata ſimia, & ex poſterioribus ad ſaltandum, & utriuſque partis diſpoſitione, quod poſſit arbores ſcandere, Quomodo nates ingenium prauum, & malignum ſignificare poſſunt? certe difficile eſt; nam neque uidentur nates eſſe inſtrumentum exercendæ malignitatis, ſicuti pedes exercendæ ſaltationis, aut geſticulationis? neque in natibus conſpicere poſſumus propenſionem ad malignitatẽ, aut benignitatem, ſicuti tardas; vel celeres operationes in pedum ſtructura, & forma.

An ſa-

An sane membra, quæ seruiunt omni operationi, præsertim autem malignæ, & dolosæ sunt in duplici discrimine, alia enim sunt primaria, & immediata, alia vero sunt secundaria & coadiuuantia; quoniam igitur totũ corpus, & omnia ferè membra, & præcipuè interna cum in se nescio quid rudis, & incõcinni habeant ad dolosam, & malignam actionem concurrunt, illa tamen cognosci nequeunt. Interna enim membra non videntur, quæ vero externa sunt, & secundo concurrentia ea sunt sensu cognoscibilia, inter quæ cum sint nates, ab his malignitatis proprium signum accipimus.

Quod, & qñ nates ĩ. geniũ indicẽt

Quod autem nates quodammodo concurrant ad dolos, & prauas operationes texendas contemplantibus eos, qui dolosè agunt, vel dolos meditantur erit manifestum.

Si enim nates ideo à natura sunt fabricatæ, vt sint instrumentum sedendi, & quiescendi, sedendo autem, & quiescendo paratiores sumus, & magis expediti ad contemplationẽ, inquisitionem, & inuentionem, manifestum est, quod visus natium videtur esse proprius eorum animalium, quæ quiescendo suam operationem debent exercere, quæ ergo animalia perfectè discurrunt, cogitant, contemplantur, & intelligunt perfectas etiam, & completas habent nates, vnde solus homo, qui prudentissimus est, nates etiam optime dispositas sortitus est, prudentẽ autem vocamus, qui bene vtitur intellectu, & ratione, quare si vtens perfecta ratione, & intellectu, & prudens perfectas nates habet, ergo quod non perfectas nates habet, non perfectè vtetur ratione, & intellectu, tales sunt simiæ, quarum nates imperfectæ sunt, & tantum inchoatæ, ergo, & imperfectè vtuntur ratione quodãmodo, imò nusquam vtuntur, cum non habeant, sed tantum imaginem, & vmbram quandam. Quæ vero animalia talia sunt illa sunt timida dolosa, maligna, hæc enim est vt quędam vmbra rationis, sed non bonę, & perfectę, ergo natium priuatio, & exsiccatio, quam in simijs spectamus iure dolosum, & malignum ingenium significat, etenim docet non probe, ac perfectè operari, praue igitur, & præter rectam rationem, sic igitur nates, & natium qualitates in homine ingenium, & propensionem ad bene, vel male agendum, & ad eligendũ quod decet, aut non, designant; An dicemus nates, quoniam admodum carnosæ sunt, secundum quod carnosæ, carnis, & sanguinis temperiem significant? quare, & causas efficientes, & materiales spirituum, quos diximus esse prima animæ instrumenta? ex his autem natibus frigidum, & siccum, præcipuè autem siccum temperamentum ostenditur, quòd deinde sequitur ingenij prauitas, timor, & malignitas, & dolus, Meritò igitur dicemus, cui homini tales insunt nates, illi ineſt caro similis simiæ, quare etiam temperamentum, ergo, & spiritus, ergo, & eas habebit inclinationes, & propensiones in anima, quæ sunt in habitu in simia, erit igitur malignus, & inuidus dolosus, & perfidus.

Non enim dico ego, illum habiturum esse animam simiæ, sed cum sui spiritus sint similes spiritibus simiæ, quod ille homo habebit, in potentia prima quidem, sed admodum parata ad habitum suscipiendum, & perfectionem, illas qualitates quæ sunt entelechiæ, & habitus simiæ naturales; vt non dico christallum, aut adamantem splendere, aut lucem emittere, & radios, vt solem, vel ignem habere, sed bene esse in potentia proxima, & quæ facillime reducetur ad actum, & quauis occasione oblata etiam leuissima splendorem suscipere, & magis quam multa alia lucere, quæ talem non sunt dispositionem sortita.

Ad propositum igitur reuertentes, ex his clarum puto cur tales nates morem simiæ malignum indicent, ac prauum, simia, igitur sm̃ se cum media sit inter bipes, & quadrupes terrestre, necesse est vtroque extremo participet, proprium est igitur hominis habere nates & non caudam, quadrupedum habere caudam, & non nates; simia ergo quatenus est media inter extrema, neque habet nates quoniam non est homo, neque caudam quoniam omnino non est quadrupes sed quatenus ad hominem accedit, eatenus nates habet, & è contra, quo igitur modo nates habet, eo modo ad hominem accedit, imperfectæ, & vix inchoatæ sunt, ergo, & simia quatenus est simia imperfectum, & inchoatum refert quodammodo-

modo hominem, qui autem talis eſt, nō bene ſecundum rationem operatur, imitari tamen eos videtur, qui ſecundum rationem operantur, hoc autem facere eſt maligne operari, & peruerſe patet igitur quod ſimia quatenus eſt ſimia, & caret carnoſis, & perfectis natibus, ſed tantum rudimentum quoddam illarum habet, & caret ratione, cuius inchoationem, & vmbram quandam videtur habere imperfectam, & diſtortam, ſecundum quam peruersè, prauè, & malignè operari dicitur, quod idem eſt, atque ex inſtinctu naturæ; ergo qui habet carnem, & temperiem referentem ſimiam, probabile eſt illum peruersè, & malignè operari, & ſi, vt ſimia operatur, rationabiliter etiam in eodem reperientur partes eor poris ſecundum quas ſimia à reliquorum animalium corporibus diſtinguitur.

10 At forte dicet aliquis ſi ſimiæ peruersè, & malignè operantur, quoniam imperfectam habent rationem, & rudimentum quoddam intellectus. Nunquid igitur ſimiæ animalia ſunt rationalia, & rationem habere dicemus? ſi enim album, aut dulce dicimus inchoatum, & imperfectum quod dulcorem aliquem habet, & alborem, aut illorum imaginē, & ſimilitudinem, ſic etiam in ſimia dicemus eſſe intellectum, & rationem quamuis cum multa irrationalitate, & ineptitudine coniunctam.

At ſanè reſponſum eſt prius, & nunc etiam reſpondendum eſt, in ſimia neque rationem, neque intellectum eſſe, niſi æquiuoce, ſicuti igitur ſe habet ignis, vel nocturna flamma ad ſolem, ita, (vt mihi videtur) ſe habet anima ſimiæ ad humanam animam; ignis enim, & calefacit, & lucet, ac vmbras mouet, vt ſol, verum longe diuerſa eſt ratio lucis, & caloris qui
20 eſt in ſole, & qui eſt in igne, alter enim viuificus, & æternus eſt, alter vero corruptiuus, & corruptihilis, & quæ noctu lucet flamma non videtur à ſtella diſtingui, prope tamen accedentes quantopere inter ſe differant, cognoſcent; ſic ignaris, & parum exacte rem conſiderantibus anima ſimiæ rationalis quædam putabitur virtus, qui vero intimius, ac proprius rem contemplabitur, animæ humanæ ſecundum quod hominis eſt, ac ſimiæ nihil eſſe commune vniuocum cognoſcet, neque inter has duas virtutes eſſe maiorem conuenientiam, quam ſit inter diaphaneitatem, & denſitatem cæli, & chriſtalli. At quoniā diximus nates *Dub.*
exſiccatas, & modicam habentes carnem, peruerſum, & malignum ingenium oſtendere, ſimiamque referre, nunquid igitur quorum nates erunt valde turgidæ, & ſucci plenæ optimum habebunt ingenium, & bona erunt indole prædiți? ſic igitur fœminæ viris eſſent
30 meliores, & præſtantioris indolis, & naturæ, moreſque laudabiliores haberent, ac magis ſecundum rationem operarentur, quam homines, at hoc videtur falſum, ergo, & falſum erit depiges, & exſiccatas nates peruerſi, & praui ingenij eſſe inditium, nam ſi fœminarum ingenium ſubdolum, & malignum ſupra docuit Ariſtoteles, fœminæ autem habent carnoſas, & molles nates, non autem exſiccatas, manifeſtum eſt, quod quorum nates molles, & carnoſæ ſunt illorum prauum, & malignum eſt ingenium, non ergo verum quod dicebat depiges nates prauitatem ingenij dicere.

Huic dubitationi crederem poſſe reſponderi; primum quod mediocritas laudabilis eſt, *Reſp.*
omne autem extremum vitioſum, vitioſique operatio vitioſa, & illaudabilis eſt; quare, &
40 depiges nates, & carnoſæ nimium, ſunt vtræque igitur improbandæ, extremū enim quoddam ſapiunt, extremūq. etiam indicant, quare & illaudabile, quæ autem mediocriter carnoſæ etiam ſolidæ, & oſſeæ ſunt, illæ ingenium, naturamque maſculinam ad bonos mores propenſam declarant, contrariorum autem cum eadem ſit ſcientia, quæ à mediocritate diſcedunt, vtraque vitioſa ſunt, quatenus autem hoc excedit, illud deficit oppoſito modo à laudabili inediocritate recedunt; Simiarum igitur ſiccæ, & nimium turgidæ, ac carnoſæ nates vtræque à mediocritate, & perfectione ea, quæ ſecundum rationem rectam, & mores probos, & laudabiles facit, diſcedunt, & propter hoc tum ſimiæ, tum fœmininæ nates indicia praui moris ſunt; at quoniam longe diuerſo modo recedunt, etiam diuerſa, & oppoſita indicia exiſtunt, nam minus ab illa perfectione maſcula, & virili diſcedit mulier

quam

quam simia, deinde excedit fœmina in humido, deficit simia ab illo, quod viri propriu est, ac masculum statuit.

A latitudine materiæ humanæ non recedit fœmina in tantum, vt desinat esse homo, at simia tantum abest, vt nomen hominis, & formam illi attribuere non possis, eiusdem speciei est mulier, cum viro, non eiusdem est simia, peior igitur est indoles simiæ, quam fœminæ, illa non potest persuaderi, neque ad frugem reduci, mulier ad bene faciendum persuaderi, & cogi potest, patet igitur quod vtræque, nempe & simiæ, & mulieres à recta ratione deficiunt, sed quod alio, & alio modo id accidat in simia, & muliere, & quod in fœminis naturale mentis acumen ab humido obtunditur, & à mediocritate reuocatur, in his autem animalibus quæ depiges, & exsiccatas nates habent, propter siccitatem, accidit, vt eorũ ingenia distorta, obscura, terrestria, & ideo sint maligna, inuida, perfida ad male, & perditè agendum paratissima.

Dub. Sed cum omnis dispositio indiuiduorum in specie humana, vel ad masculinum, vel ad fœmininum genus reducatur, vel tandem sit mas, vel fœmina in suo genere perfecta, nunc cui tales adsunt nates ad quodnam genus reducemus; nunquid ad marem, an ad fœminã? si mores animi respicimus, vtique ad fœmininum, fœmineam enim animam occupari diximus à malignitate inuidia, timore, perfidia; si vero corporis qualitates ad masculinum genus rationabiliter redigemus, etenim si nates, & caro calida, & humida nimium, est fœminea, quæ ex aduerso disponitur ad oppositum genus reducetur.

Resp. At mihi quod & supra, videtur posse responderi, cum masculinum genus sit in mediocritate, fœmineum vero extra quodammodo, sicuti prodigalitas videtur liberalitati similior, quam auaritiæ, ita hæc dispositio magis ad masculum, quam ad fœminam accedit, vt autem tam prodigalitas, quam auaritia sunt vitia, & sub genere vitij vtræque comprehenduntur, manifestum est, quod prodigalitas à liberalitate magis, quam ab auaritia distat, ex quo factum est, quod auaritia, & prodigalitas possunt esse simul in eodem subiecto, vt in rapacibus uidemus, vt in Nerone, & in Domitiano, & quibusdam alijs principibus obseruatum est; qui malè, & iniustè parta pessimè, & iniquissimè dilapidabant; sic ergo hi quorum nates sunt exsiccatæ si considerentur quo ad corporis temperiem magis accedunt ad marem, quam ad fœminam, hoc est magis distant à naturali temperamento fœminarũ, quã masculorum, at si animi qualitates conferantur inter se, dico hunc hominem cuius nates sunt siccæ magis similem esse moribus fœmineis, quam masculinis, quoniam excedit à mediocritate, & uitiosos mores habet, non secus ac fœminæ, atque illis similes.

APOTELESMA XVI.

„ Qui lumbosi, amatores ferarum sunt, referuntur ad canes, & leones videbit vtique aliquis, & canes ferarum amatores, lumbosos esse.

QVos interpres lumbosos vocat, crederem esse eos, quorum latera fortia, & robusta sunt, hoc est quorum musculi, qui à vertebris circa renes positis oriuntur, & in ossa coxendicum, & ilium implantantur, & desinunt, sunt mediocriter carnosi, sed neruosi, & magni, & probè formati; dicuntur ab Aristotele ferarum amatores, hoc est uenationis studiosi, & ad uenandum propensi, uenationis autem studium, ut mihi uidetur, est desideriũ quoddam persequendi, & capiendi feras, non quidem pisces, aut aues, nam illa piscatio, hoc aucupium dicitur, sed propriè quadrupedes syluestres, quæ solent nomine ferarum designari.

Quidam uenationem bellicam meditationem uocant, & regium quoddam studium, nam Reges plurimos, & Principes incessanti uenandi desiderio, ac libidine olim detensos fuisse

ſos fuiſſe legimus, ferarũ autem aliæ fuga tm̃, vt lepores, & capreæ ſilueſtres, aliæ pugna, vt leones, & Pãtheræ, & Tigrides, aliæ vtroq; mõ, vt apri, lupi, & onagri, & tauri mõtani ſibi sũt præſidio; plurimi nobiliſſimũ, ac ſtrenuiſſimũ vocãt exercitiũ, & in hoc multũ virtutis militaris eluceſcere putãt; mihi ſanè videtur ex hoc ſtudio poſſe inferri hoĩem hmõi eſſe alienorũ, & præcipuè uetitorũ ualde appetentẽ, uirũ audacẽ inquietũ, uictoriæ cupidũ, & cui cõtentio, & pugna ſit cordi maximè, quare, & factioſum, & rixosũ eſſe probabile eſt. *Quales venatores.*

Neq; id præter rationẽ uidetur, nã ſi uenãdi cupidus, uenationumq. ſtudioſus ille ẽ, qui feras, tũ fugaces, tũ bellicoſas, & pugnaces perſequitur, capere, & occidere auet, ac delectatur, manifeſtũ ẽ, illũ, & audacẽ eẽ, & laborãdi cupidũ, nõ .n. abſq. labore, & audacia opus huiuſmodi põt fieri, capere, & occidere agreſtes feras, & quæ nocere tentant, aut ſe ipſas tuẽtur, illaſq. ſuperare, genus qd dã ẽ uictoriæ, præcedit .n. cõtẽtio, iure igitur uenãdi cupidũ, cõtẽtionis, & uictoriæ ſtudioſũ dixi, quare, & iracũdũ, & manu promptũ, durũ, & crudelẽ, nã ſicuti ſtudia ĩ mores abeũt, & mores naturã mutãr, ſic ẽt natura ſtudiũ rei ad q̃ homo naturaliter ꝓpenſus ẽ, excitat, ex ſtudio mores oriũtur, & naturalẽ inchoationẽ ꝓficiũt.

Propriũ ẽt eſt uenatorum, quas nõ cæperũt feras ardẽter ꝓſequi, & multa ĩ dagine cõtinẽter quærere, quas uero iã cæperũt oĩno deſpicere, ex quo alienorũ, & eorũ q̃ nõ ſine labore poſſunt obtineri uidentur eſſe amatores; quæ deinde cum conſequti ſunt nihili faciunt quod ergo uenationum amatores quidam exiſtant, & quales ſint, & quinam eſſe dicantur illi, quos interpres uocat lumboſos ex his eſt manifeſtum.

Cæterum quod lumboſi ſint uenationũ ſtudioſi primum ex Ariſt. probemus, deinde propter quid tales exiſtant dicemus, & quænam hæc conſequantur.

Eſt Ariſt. poſitio lũboſi sũt uenationũ ſtudioſi, qd̃ probatur, qm̃ lũboſi sũt, in parte illa corporis, q̃ eſt ſub hyppocõdrijs; ſimiles canibus uenaticis, & leonib. qui ſimiles sũt his animalib. referunt animalia, q̃ sũt uenationũ ſtudioſa, ergo lumboſi ſunt uenationũ ſtudioſi. *Ariſtotelis poſitio.*

Minorẽ Ariſt. declarat, reuocãs auditorẽ ad ſpeculãdos canes uenaticos; hi .n. qui admodũ ſint uenationũ ſtudioſi, & qui cũ leporẽ, aut ceruũ uidẽt, loco ſtare nequeũt; ita affecti sũt, ut neruoſos admodũ, & robuſtos, & cõtractos uerſus ſuũ principiũ habeant illos muſculos, qui à uertebris, & coſtis infernis oriẽtes in oſſa coxẽdicũ, ſiuè iliũ deſinũt, canes igitur ad uenationẽ apti, neq. uẽtricoſi, neq. lati, aut laxi sũt circa oſſa iliũ, ſed ſicuti homines robuſti lato pectore, & ſtricto aluo sũt præditi, ſic uenatici canes laudãtur, quorũ pectora lata, & ampla sũt, at circa lũbos, & umbilicũ ſtricti sũt, ſed neruoſi, ut ẽt uidetur Xenophõti, qui canes leporarios laudat, quorũ ilia nec mollia ualde, nec dura sũt, inter magna, & parua, clunes obæſas poſterius carnoſas, ſuperius mediocres, inferius cõtractas, inferiora uẽtris cũ ipſo uẽtre inania, & alia q̃ ĩ libro de uenatione legũtur, ſed hãc ẽt paſſionẽ, q̃ interpres hoc loco uocat lũboſitatẽ; agnouit eodẽ ĩ libro Xenophon, dũ leporem deſcribit, ut eius agilitatẽ ad curſũ oſtẽdat, & robur; dicit .n. pectus nõ anguſtũ, & latera tenuia, & caua clunes obæſas habeat, qd̃ ergo talis eſſe debeat canis uenaticus, & qd̃ homines qui hãc canum ſecundũ corpus nacti sũt paſſionẽ, ſint uenationũ amatores ex his manifeſtum eſt.

Nunc ꝓp quid paſſio hæc lũboſis accidat contẽplãdũ; itaq. ponamus naturã eſſe de genere eorũ agentiũ, q̃ ꝓp finẽ agũt, animalia igitur cũ ipſa ſint naturæ opera ꝓp aliquẽ finẽ inſtituta fuiſſe, certũ eſt, finis animaliũ eſt ipſorũ operatio, vnde & formã talẽ habent, quæ illius operationis eſt principiũ, cũ aũt totũ animal ſit huius graria, ẽt aĩalis mẽbra erũt talis operationis organa, eſt .n. animalis corpus organicũ, ut totũ animal ad totã quandã operationẽ, ita certũ membrũ ad certã ſuę operationis partẽ exercendã natũ ẽ, ad q̃ aũt natũ eſt, ad eãdẽ ẽt aptũ, & ꝓpenſũ dicit eẽ aĩal, cuius tale eſt mẽbrũ, & quo magis aptũ eſt ad talẽ obeũdã opationẽ eo magis aĩal illud inclinatũ dicim⁹, & ꝓpẽſũ ad id ipſũ præſtandũ, quare cui aĩali uidemus cornua ualde acuta cornupetã, & cuiungues magnos aduncos, & robuſtos, illud ẽt rapax appellam⁹. Et cui alas neruoſas dearticulatas, & robuſtas celer ad volandum

landū, quare ſm qđ organa magis diſpoſita sūt ad certā operationē, ſic ēt animal illud magis inclinatū ad talē obeundā dicimus; lumborū muſculi, & qui sūt dorſi, & mouētes coxas illi sūt, quibus ad incedēdū, & ad ſaltādū, & currēdū vtimur, ſi itaq; contigerit alicui animali hos muſculos eſſe robuſtos, & neruoſos, illū maximè aptū, quare, & diſpoſitū, & propensū ad ſaltū, & ad cursū dicemus ergo, & ad laborē, ijs aūt vnuſquiſq. delectatur ad quę propēſus eſt, & inclinatus, lætabitur igitur curſu, & ſaltu, & labore multo, & alios ſuperare pulchrū putabit, lætabitur igitur victoria ēt, & contendere curſū delectabitur, qui aūt, & victoria gaudēt, & curſu, & ſaltu, ac laborare, & laborādo ſuperare alios ſtudēt venationis sūt ſtudioſi, nā venationis deſideriū ex victoria labore curſu, & perſuaſione voluptatē quærit; cui ergo homini tales muſculi inerunt, quales diximus ille erit venationis ſtudioſus, Quoniā eſt ſi animalia, quæ ad venationē nata sūt, illa tales lumborū muſculos habent cui igitur ēt homini ſimilis inerit lumborū diſpoſitio, illum ad venationē paratū, venationiſq. ſtudioſū dicemus, ſi ergo interrogati fuerimus cur lumboſi ſint venationū ſtudioſi, reſpondebimus id eſſe, qm̄ ſortiti sūt mēbra talia, qualia sūt eorū animaliū, quæ naturaliter producta sūt ad venādū, ſicut ſi quis quęreret ꝓp quid aues pectore carnoſo præditæ diuturno volatu poſsūt vti, dicā qm̄ habēt muſculos, qui alas mouēt, robuſtos, validos, & neruoſos.

Cæterū, vt dixi, nō ego ſimpliciter ſignū prædictū puto ſignificare ſtudium venationis, ſed credo ſpeciem pro genere ab Ariſtotele poſitam fuiſſe, vt ſit ſenſus.

Lumboſos eſſe aptos ad currendū, & ſaltandū, & ad omnē laborē ſuſtinēdū, currūt aūt, & ſaltāt, & labores ſuſtinēt promptè, & ſine dolore qui venationū ſunt ſtudioſi, quare ſic venationis ſtudioſos huiuſmodi viros vocauit, qui qm̄ sūt robuſti geluq. durātur, & æſtu, ideo ad genus maſculinum referūtur, qđ ſi tales sūt, vt victotia cū labore delectētur ēt honoris cupidi sūt, quare ſuperbi, & ambitioſi, contētioſi ēt præcipuè, cū venationi dāt operā quare, & iracūdi, & cū quærere, & captare q̄ nō habēt aueāt, alienorū raptores, aut ſaltē cupidi sūt, q̄ vero habēt immodice expēdūt, & profundūt, etenim ambitioſi sūt, & ſuperbi.

Sunt ēt libidinoſi, nā ſi curſu, ſaltu, & equitatione delectātur, neceſſe eſt inferna incaleſcere, quare, & multū alimēti attrahere, vnde omnes equiſones, & equorū domitores, libidinoſi, & venerei apprime exiſtunt, & qm̄ continuo agitātur ſpiritu, & in motu perpetuo sūt, vel ſaltē delectātur, ad ſtudia litterarū, & ad contēplationes idonei nō sūt, ledendo .n. & quieſcēdo anima fit ſapiens, nō currēdo, aut ſaltando; hos eoſdem homines crudeles sāguinolentos credemus validi etiam ſunt, & vocem magnam, & grauem, cum loquuntur emittunt, multum enim caloris circum præcordia habent.

Quoniam autem qui volunt finem, etiam ea quæ ſunt ad finem amant, eadem de cauſa illos eſſe canum, & equorum amatores probabile eſt, & facere plurimi quæcunque ad feras, vel capiendas, vel indagandas ſunt accommodata.

APOTELESMA XVII.

„ *Quibus ea quæ ſunt circa ventrem pinguia, bene fortes exiſtunt, referuntur ad maſculinum genus.*

PEr pinguia circa ventrē nō intelligit Ariſt. qđ vēter debeat eſſe obæſus, nā quorū uētres pingues craſſi, & magni sūt, plerunq. rudes ſunt, improbi, fatuiq. qđ ēt teſtatur Galenus ad Traſibulū, & homo uētricoſus ēt in comedijs apud poetas uir nequā, ſtolidus, & indiſcretus habetur, qđ ſi quis dixerit, & Aeſopum, & pertinacem Imperatorem fuiſſe vētrioſos, vtriq. tñ viri boni. At quid mirū, nō .n. vna hyrūdo facit ver, & vētricoſus Nero, & Vitellius peſſimi, & intēperatiſſimi fuere, nos nō sēper, ſed vt plurimū ſic rē ſe habere dicimus, nā in naturalib. & in his præſertim, prædicata deficiūt à neceſſario, & poſsūt impediri, quod ita non ſint ſemper, putarem igitur, hunc eſſe apoteleſmatis præſentis ſenſum;

Quicun-

Quicunq; habent partes, quæ ſunt circa ventrẽ, nẽpè latera, ſiue hyppocõdria, & pectus vel pectoris infimã partem, coſtas, & lumbos, pinguia hoc eſt, vt ait græcus Theſaurus, pulchra, magna, & nitida, & quæ viſum delectant illi, ſunt circa aĩam fortes, hoc eſt ad audaciã, & fortitudinẽ nati, hoc idẽ ſupra in figura fortis dicebatur, quare eidẽ tribuebatur venter amplus, & in ſe ipſum contractus, quæ diſpoſitio omnino ventricoſo videtur opponi; eſt igitur, ni fallor, hæc Ariſtotelis ſententia, quam ipſe probat hoc modo.

Cuicunq. lũbi, latera, coſtæ, & quæ partes ſunt circa ventrẽ ſunt magnæ, amplæ, & pulchræ, hoc eſt ſcd̃m naturam hominis probè diſpoſitæ, illi ineſt diſpoſitio, quæ maſculo conuenit corpori, quare & maſculũ refert; at quicunq. genus maſculum refert, illiq. ſimilis eſt, fortis, & audax eſt ſcd̃m eas quæ in aĩa sũt diſpoſitiones, ergo cui insũt robuſta, & ampla, & pulchra ea, quæ ſunt circa ventrẽ mẽbra, illũ dicimus eſſe audacẽ, & robuſtũ, & potentẽ pati dolores, & animi ægritudines.

Vtramq; propoſitionẽ ſuperiori capite declarauimus, nã amplũ ventrẽ magna oſſa, coſtaſq. maſculino generi, ex Ariſt. tribuimus, & idẽ maſculinũ genus, diximus eſſe melius, audacius, & iuſtũ magis fœminino, pp quid aũt id inexiſtat nõ eſt difficile. Nam cui venter, & quæ circa ventrẽ ſunt ampla, pulchra, vel commenſurata, & proportionata, illi ineſt multus calor, qui ſubiectã materiã bene regit, ac gubernat, ipſiq; dominatur; at ĩ quo præualet, ille audax eſt, nã ſi præualet frigus timidus homo efficitur, ergo cui ineſt talis vẽtris, & partiũ quæ circa vẽtrẽ sũt amplitudo eidẽ ẽt ineſt audacia, & propenſio in anima ad fortitudinẽ; Cũ ergo calor ſit qui in corpore producit vẽtris, & mẽbrorũ, quæ sũt circa ventrẽ amplitudinẽ, & idẽ cauſat in anima, & in ſpiritibus propenſionẽ ad audaciã; probabiliter igitur, cui talis inerit eorũ quæ sũt circa vẽtrẽ mẽbrorũ diſpoſitio, illũ audacem dicemus.

Mihi tñ uidetur qd̃ debilius ſit hoc ſignũ fortitudinis quã id qd̃ à pedibus magnis, neruoſis, dearticulatis, bene formatis, nec nõ, & à crurib. deſumitur, tũ qm̃ ſi circa exteriora, & in circũferẽtia calor eſt fortis, & ualidus, probabile eſt, & fortiorẽ, & ualidiorẽ eſſe circa interiora, & prope centrũ, at nõ uidetur cõuerti, nam ẽt ſi in uentre, & circa interna ſit calor uehemens, & magnus non ſequitur, ut in externis partibus, & à centro remotis ſit etiã robuſtus, & ualens.

APOTELESMA XVIII.

„ *Quicunque autem, non pingues, molles, referuntur ad indecentiam.*

HOc eſt, quicunq. oppoſito modo fuerit diſpoſitus, & partes, quæ circa uẽtrẽ sũt poſitæ, nõ habebit amplas, & quales ſupra explicauimus, hic erit ſm̃ animũ mollis, & refertur ad indecẽtiã, hoc eſt, & ut illa diſpoſitio eſt pulchra, & decẽs hominẽ maſculũ, qui vere vir ſit dicẽdus, ita hæc diſpoſitio dedecet, neq. maſculo homini eſt cõueniens, turpis igitur, & præter naturã, nã diſpoſitio pulchra corporis, & ſm̃ naturã eadẽ eſt, quare turpis, & præter naturã in idẽ recidẽt, hoc ergo modo ſi ſentẽtiã Ariſt. intelligamus, nihil abſurdi ſequetur, ut aũt dictũ eiuſdẽ cõfirmetur, ſupponẽdũ eſt, qd̃ cõtrariorũ cõtrariæ sũt qualitates, & cõtrarij effectus cõtrarias habẽt cauſas, & cõtraria ſigna cõtrarias ẽt deſignãt diſpoſitiones; cõtrariũ aũt eſt tũ mediũ, tũ extremũ in naturalibus diſpoſitionibus, magis tñ contraria eſt media diſpoſitio, quã altera, quæ à medio recedit, cauſa eſt, qm̃ utræq. præter naturam ſunt, una autem quæ media eſt, ſola ſm̃ naturam eſſe dicitur ſit ergo argumentum.

Quorũ partes quę circa uẽtrẽ ſitę sũt paruę, neq. inter ſe reſpõdẽtes, illi ĩm̃ has partes sũt turpes, neq. fortiti uirilem corporis diſpoſitionem, quæ ſit ſecundum naturam, & pulchra at quicunq. non ſunt fortiti eam corporis diſpoſitionem, quæ maſculum referat illi reducuntur ad genus fœmineum, qui vero fœminis ſimiles ſunt illi molles ſunt, ſecundum animam, viles, & timidi, ergo quorum hominum partes quæ circa ventrẽ poſita non ſunt amplæ, & decẽtes genus maſculũ, illi ſunt ſm̃ animã molles, & viles, ac timidi, qd̃ fuerat probandum.

bandum. Habemus hoc modo, qđ sit verũ Arist. dictũ, nunc propter quid inuestigemus.

Dicitur qđ quorũ ventres nõ pingues, hoc est nõ ampli, nõ pulchri, & non decori, qđ illi sũt molles, q̃m sũt præter naturã virilẽ cõstituti, qđ dictũ si nõ dat causã attamen viã ad causam, & ipsum p̃p quid suppeditat, si quidẽ quorũ ventres non ampli, & nõ decori illorũ calor materiam non superat, quare neque secundum naturam disponit, frigus igitur dominatur, & in quibus dominatur non calor, sed proprium frigus, illi sunt molles, & timidi, quibus igitur venter non amplus adest, ijs timiditas mollities, & inertia adest.

Sed videtur dubitandum, an verum sit, fœminas non pinguem, hoc est non amplum habere ventrem, nam dictum hoc, quomodocunq. capiatur, semper est falsum, & primũ falsum est fœminas non habere ventrẽ pinguem, nã patet ad sensũ, & præcipuè in his quæ pepererunt ventrem esse carnosiorem, & pinguiorem quam in viris, & si ventricosos tum viros, tum fœminas speculaberis, multo maiore ventris sarcina fœminam videbis, quam virũ oneratum, neq. in viro eas rugas, quas in uentre muliebri uidere est, unquã reperies, quare neq. pingues hoc est amplos dices. Nam fœmina omnis proportione maiorem, atq. ampliorem habet uentrem, quam uir ullus eiusdem mollis, & corporis, habent enim uterũ fœminæ, quo carent uiri in quo plurima sunt uasa, quare, & sanguis, & spiritus plurimus, unde est uenter amplior, & os sacrũ laterumq. ossa in fœminis expansa magis, & magis laxa quam in uiro; Experientia deinde confirmat, mulieres omnes si cum uiris conferantur secundum proportionem habere uentrem tum longiorem ab ima ossis pectoris parte, quam ensi formem, puto, appellant usq. ad initium ossis pubis, tum etiam latiorem, si ab umbelico tanquam centro per coxas notas, & inguina deducatur circulus. Huius enim diametrũ, quæ circulum in uiro sic formatum diuidit, reperiemus, minorẽ ergo in fœmina esse uentrẽ amplum, uerum est, sed, ut cunque legamus, uel non pinguem uel non amplum, uerum est quod ait Arist. mulierum uentrem non pinguem, aut nõ amplum esse, nam possumus per uentrem ea, quæ sunt circa uentrem in fœmina intellexisse minora, & strigosiora, quam in uiro, etenim, & costæ, & lumbi minores sunt, at fœminiles ventris.

Masculis forte secundum molem erunt maiores, tamen secundum uirtutem nequaquã, ut pote qui, & minores fibras possideãt, quã uiriles, & minus duri, ac robusti existant.

Vel melius quod hypocondria uirorum, & stomachus est amplior, & magis capax quã fœminarũ, quare, & seruata proportione ẽt maior, & amplior est cibus, quẽ capit uir, quã fœmina, & demũ oĩa minora sũt, nisi cũ utero gerit, aut ex accidẽti, cũ iam pepererit.

Mihi tamen uidetur, neq. id obstare, nam tunc non amplius secundum naturam dispositus est muliebris uenter, sed proprie est indecens, & indecorus, cuius rei conscię mulieres, cum pepererint, non amplius nudæ uideri uoluntut, utpote quibus uel ipsa uita carius est corporis decor, & uenustas, sed præter hæc quid de uentre alij senserint breuiter addamus.

Primum quidem uentris prognostica minus hẽcessitatis habere quam alia, sciẽdum est, nam, & id supra dictum est, & causam puto, quoniam quam rationem habet terra cũ plantis, ac plantarum quæ in ipsa natę sunt uiribus, & natura, eandem (credo) uentrẽ, & ea quæ in uentre sunt, rationem habere cum propensionibus, & proprietatibus animæ, ac forma illius animalis cuius est uentet, ut enim à terra trahit alimentũ planta per radices, ita à uentre, atq. ab his, quæ in uentre sunt animal, etenim radicibus quodammodo respõdent uenę intestinorũ, ut igitur à terra, & à radice ad fructũ multa est distãtia, ac differẽtia saporis, odoris, & coloris, & figurę, ac qualitatũ cæterarũ quã pluriũ. Ita ab intestinis, & ab his quæ circa ipsa sũt, & animę operationes, & passiones f̃m quas anima operatur, distãt plurimũ, igitur cũ Arist. conueniet Adamãtius, & Polemon forti, ac robusto uẽtrẽ latũ, magnũ, sed cõcauũ hoc est in seipsũ cõtractũ tribuũt, nã f̃m qđ est magnus, & amplus, caloris denotat virtutem, & dominium, secundum autem quod est, contractus in se ipsum, & concauus demonstrat materiæ obedientiam, & ad vnitatem accessum, & quod musculi quos ab

dominis

dominis vocant, ſunt fibroſi, & robuſti, probabile autem eſt, hos eſſe edaces, nam multum cibi digerunt, calidi enim ſunt; Hercules enim edaciſſimus erat, qui omnium fortiſſimus dicitur, & eadem de cauſa ad bibendum prompti ſunt, calor enim tandem ſiccitatem inducit, ſiccitaſque calorem acuit raro igitur colicis paſſionibus, & flatuoſis ſollicitabuntur, non enim pituita abundat, plerunque tamen ijs obſtructionibus, quæ ab infarcta melancholia in meſaraicis venis oriuntur, laborabunt, ſic enim, & eundem Herculem inſaniuiſſe, & Megaram vxorem, & filios occidiſſe legitur; nimius enim calor, qui plerunque in epate reperitur, humores natura in hoc temperamento craſſiores exſiccat; quare, & condenſat vnde prohibetur tranſitus liber calori, & tranſpiratio; ex quo vehementes vapores exuſtæ bilis, cum ſpiritibus mixti ad caput feruntur, & furorem, atque inſaniam in huiuſmodi viris excitant, ex eadem cauſa ſequitur, vt non nunquam diſenteria, & eo quod inteſtinis naſcitur, vlcere laborent; temperamentum enim huiuſmodi eſſe calidum, & ſiccum hoc eſt ex igne, & terra ſiuè ex bile, & melancholia conflatum diximus; ſi vero magnus carnoſus, & mollis venter fuerit, & à parte exteriori propendens, ut homo uentrioſus ſit, cui ſcilicet ita extendatur, ac prominet uenter, ut ſibi genitalia uidere nequeat, hunc ipſum vocant ſtolidum, rudem, fatuum, hebetem, niſi ex morbo, ut hydrope talis fuerit; quod, & Galenus, & Plinius teſtantur, etenim tanto pondere obruta anima, ac naturalis calor, ſpirituſque ad tantam molem ſuſtinendam occupati, pauci admodum ad caput, ac ſenſuum principium vehuntur, quare rudes, ac fatui ſunt, & parum aut nihil, quæ dicant, conſiderant, loquaces igitur etiam ſunt, quod in plurimis ventrioſis, præſertimque in Vitellio obſeruatum eſt, eoſdem homines, aiunt eſſe, ebrioſos, & intemperantes, crudeles, improbos, malignos, idemque Albertus Magnus, Rhaſis, & conciliator ponunt, cauſam puto aſſignari poſſe, nam cui adeo magnus ſaccus adeſt, illi, vt repleatur multa requiritur rerum copia, quare edaces, ac bibaces ſunt, ex quo veneris ſequitur etiam deſiderium, ſed potius deſiderio ſollicitantur, quam quod in venere exercenda multum valeant, cum neque multi illis ſuppeditentur ſpiritus, neque materia ſeminis multa ſit, vt pote quæ tota in tanti ventris nutritione conuertatur, ſed hac cauſa efficitur, vt ſi fuerint libidinoſi crura habeant ſubtilia, & debilia, crudeles ſunt in imperio conſtituti, quoniam deſpici ſe putant, maligni etiam quoniam in magno corpore, & ventrioſo frigeſcit circa præcordia ſanguis, quare neque generoſi ſunt, quod Neronis exemplo, & plurium, quos ventrioſos nouimus poteſt confirmari, ſunt etiam ſubſanatores, & irriſores aliorum, ſiquidem maligni, hocque exemplo Æſopi confirmari poteſt, qui natus ad riſum prouocandum, & ad ridendos alios videbatur; ſi vero macer fuerit venter, & oppoſitus ventrioſo, & paruus, & ſtrictus nõ ſubito talẽ hoïem optimæ dicemus indolis, nã extrema omnia vitioſa, & virtus eſt medium vitiorum vtrinque reductum, verum ventricoſum hominem non ſane ad virilem habitudinem, ſed potius ad fœminilem, non tamen abſolute referemus; calorem enim habet non excellentem, quare timidus eſt, non igitur omnino inconſideratus, & imprudens, ſed valde ad agendum aliquando irreſolutus.

Venter tumidꝰ qd notat.

Si compreſſum ventrẽ, & contractũ videbis, carne tñ molli prædituũ, atq. ad tactum delicata, fœminilẽ aliquo modo ventrẽ dixeris, ſed hominẽ prudentẽ ad contemplationes, ac ſcientias natum, timidiorem tamen (refertur enim ad fœminam) & pium, ac miſericordem placidum, humanum, & bona indole præditum.

Caro vẽtris mollis.

At ſi vẽtris caro dura fuerit naturaliter, & aſpera, & vẽter ĩ ſe ipsũ cõtractus, ſub niger, & hirſutus, belluinum neſcio quid ſpirabit quare ex Polemone ruditatẽ quãdã, uel potius belluinã uerſutiã demõſtrabit; nã calor multus eſt, & materia craſſa, & ſpiritus craſſi, & multis excremẽtis pleni, quare mẽtis quidẽ acies excitatur, at pp ſpirituũ naturã turbidã, nõ bene, & exacte poſsũt tales hoïs diſcernere, quid vere deceat, & quid iuſtũ, & iniuſtũ ſit.

Caro dura.

Mediocritas laudabilis ẽ, & ſi uẽter potius defecerit, q̃ exceſſerit laudabilior utiq. fuerit.

APOTELESMA XIX.

,, Quibuscunque dorsum ingens, & robustum fortes sunt secundum animam, referuntur ad masculinum genus.

DOrsum carinæ instar, ea est pars in homine, quæ à scapularum incipiens principio, & à fine vertebrarum colli vsque ad os sacrum perducitur, superior pars nomine humerorum solet vocari, quæ plerunque duodecim constat spondilis, siuè nodis, per quos spinalis, medulla, transit Metaphrenum dixit Aristoteles, quæ vero subiectæ partes sunt, ex quinque constant plerunque spondilis, & vsque ad os sacrum perueniunt, & propriè pars hæc, quæ lumborum musculos complectitur, ex carne, & ossibus cartilaginibusq. suis cõpacta, vocatur deorsum; huius igitur pars superior cum diaphragmati opponatur, ideo à quibusdam metaphrenum dicitur quasi post locum τῶν φρενῶν, pars autem hæc propria videtur hominis, si quidem solus est erectæ staturæ, qnod illi contingit mediantibus quibusdam musculis, qui sunt sexti, septimi, & octaui paris eorum qui in dorso positi sunt ad ipsũ mouendum, ac præsertim erigendum; est igitur hoc dorsum, de quo enuntiat Aristoteles, quod cui homini inest ingens, hoc est magnum, & amplum in ea præsertim parte, quæ sub scapulis posita est, & non solum sit ingens, sed etiam robustum, quod talis homo est fortis, & audax secundum animam, quoniam refertur ad genus masculinum.

Nonnulli inter quos Vesalius, per dorsum intelligunt eam posteriorem ossium partem, per quam medulla spinalis transit, quæ constat ex his partibus ceruice, metapheno, lumbis osse sacro, & cocyge, pars vna quæque suas habet vertebras ceruix septem, duodecim dorsum, lumborum quinque sunt, at os sacrum in quinque diuidi posse autumant anatomici, quandoque etiam in sex officula, sequitur cocyx quæ constat ex tribus nodulis, quos dicunt in fœminis tempore partus cedere, ex lumborum, & metaphreni vertebris, & scapulis ac parte costarum posteriore componitur quod dorsum dicitur; pars supra humeros, & scapulas ceruix est, & post lumborum vertebras os sacrum; Quibus igitur dorsum ingens & robustum fuerit, ea qua diximus ratione, illi fortes, & audaces sunt secundum animam, quoniam referuntur ad masculinum genus, vt sit ratio quibus adest tale dorsum, illi masculam corporis dispositionem, ac formam sortiti sunt, at quibus talis inest forma, & dispositio corporis, illi secundum animam fortes sunt, & audaces, & laborum tolerantes, ergo quibus tale inest dorsum illi sunt fortes, ac laborum patientes.

Mihi autem videtur, quod hæc amplitudo, caloris robur, & materiæ obedientiam declaret, amplius, & terram supra aquam in compositione longe prædominari, terra autem sicca est, & dura, durum, & siccum resistit externis agentibus, patet igitur causa, propter quam quibus tale adsit dorsum, illi dici possint laborum tolerantes; Mihiq; videtur hanc corporis dispositionem potius significare tolerantium, & patientiam, quam audaciam, & fortitudinem, à nonnullis actiuã vocatam, cuius inditium est, quod qui baiuli robusti, ac laborum tolerantes sunt, hoc sortiti, omnino sunt dorsum; & hi non audaces, neque fortes, neque prælijs apti sunt, non enim periculis parati sunt resistere, neque se se illis obijcere, sed tantum onera portare, & pondera subire, mouereque, & pati labores, & sæuo gelu, & æstu corpus duratum habere. Quare cui tale dorsum videbimus, illum secundum animam audacem non dicemus sed patientem, & durum.

APO-

APOTELESMA XX.

„ *Quicunque autem dorſum ſtrictum, & imbecillum habent, molles, referuntur ad fœmininum genus.*

CONtrariæ dorſi diſpoſitiones iure etiam contrarias indicant animi qualitates, contrariorum enim contrariæ ſunt paſſiones; ſtrictum lato opponitur; imbelle robuſto, id dorſum dicitur eſſe ſtrictum, quod in latitudine deficit, & paruum eſt ſecundum eam dimenſionem, ſi vero tale eſt, neceſſe eſt, & oſſa lumborum eſſe parua, quare, & debilia, & calorem imbellem eſſe, imbelle autem dorſum eſt id, quod neque onera ferre, neque laboribus poteſt reſiſtere; hos igitur quorum dorſum totum à coſtarum vertebris, vſque ad cocygem eſt ſtrictum, & imbecille, ait Ariſtoteles diſpoſitionem membrorum fœminilem habere, at quibus membra fœminilia contingunt, ijdem etiam ſecundum animam fœminiles propenſiones habent anima enim corporis eſt actus; fœminiles inter diſpoſitiones prima eſt timidltas, & mollities, & inertia quædam ad operationes, ergo quibus ineſt tale dorſum, quale diximus illi inerit mollities, & quæcunque mollitiem, & timorem conſequi ſolent, præſertim autem obſeruatum eſt, quorum ſtrictum eſt dorſum, ac pectus, & metaphrenum illos omnino eſſe timidos cõfuſos, & irreſolutos, & eo maximè ſi caput fuerit magnum, ſic enim modicus calor à frigore capitis, ſiuè cerebri remiſſior fit, quare frigidior effectus cordis habitus minus audacem hominem facit. Notandum tamen pectus, & dorſum, ac metaphrenum præcipuè ſtrictũ eſſe dupliciter, vel ratione cauſæ efficientis, vel materialis. illa ſi debilior fuerit ad mouendũ; hæc ſi à vi formatrice nõ bene potuerit elaborari, & fingi, ſi ergo ratione debilitatis caloris naturulis id contigerit, cognoſcetur, qđ caro erit mollis, color ſubliuidus, oſſa parua, caput debile, homo in ſomnũ pronus, ad actiones, admotus tardus, ad ſcientias ineptus, & qui ſtrictũ hac de cauſa pectus habet, quare & glabrum, inuidus eſt, malignus, timidus, mendax, doloſus, & eas qualitates poſſidebit, quæ in fœmineo genere ſolent eſſe ſecundum potentiam iraſcibilem præſertim; æque igitur, & contemni dolebit, & honorari gaudebit minima de cauſa; plus quam oporteat, neq. amore proſequetur, aut odio vllum intenſe, nam intenſio caloris opus eſt, non frigoris. *Not.*

Si vero, eo quod nimium rebellis, & inobediens materia ſit, pectus eſſe ſtrictum contingit; caro dura eſt, & ceu exſiccata, nam inobedientia ex ſicco inelaborato oritur, & oſſa magna, & dura; & extremitates magnæ ſunt non tamen dearticulatæ, non neruoſæ, non bene formatæ, ſed imbelles, his igitur cum calor in paruo recluſus ſit loco, neq; caput adeo magnum fuerit, ſed mediocre (nam caput quandoque magnum apparet) ſi oſſa faciei, & maxillarum magna ſint, & longa, & lata his inquam accidit, vt facile iraſcantur, & irati in furias ruant, & quoniam ſpiritus ſe ipſos confundunt male verũ iudicant, licet in principio ſuorum ſermonum videãtur maximè rationales, cum autem calorem ſuſceperint ampliorem, multi ſpiritus excitantur, qui confuſi in loco paruo, & agitati dum in cerebrum perueniunt orationem inconſtantem, vanamque producuntur. Vnde, & ijdem impudentes ſunt, intemperantes, ſoli timidi, cum alijs audaces, & facinoroſi; & quales ſuo loco deſcribemus eos, qui cum ex terra, & igne compoſiti ſint, terra inelaborata valde igni prę-ualet; aer autem minimam partem in compoſitione ſibi vendicat; hæc ergo de dorſi diſpoſitione ſint dicta.

At ſi macrum fuerit dorſum, id vel ex atrophia, & morbo, vel ex calore acutiori, ac vehementiori reſoluente pinguedinem, & nutrimentum prouenit, ſi ex ex atrophia, vel morbo id medici opuſeſt, & obſtructionem in venis, vel caloris maciem indicat, ſi natura dorſum ſit macrum ob calorem intenſiorem id hominem ad iram promptum, ſingenioſum tamen, &

men, & non omnino illiberalem denotat, de hoc autem accidente in figura ingenioſi mentionem fecimus.

Carnoſũ dorſum. Plus iuſto ſi fuerit carnoſum tergus (ait Polemon) inſenſatum ſignificare, calor enim remiſſus eſt, & ſpiritus humidiores, & obtuſiores quare non penetrant; Polemon piloſi dorſi hominem ſublimis conſilij, & altas habentem cogitationes uocat, ad aues illum referens, ego ex aduerſo hominem hunc rudem, belluinum, & amentem puto, & ad pecora refero, ubi enim circa pectus metaphrenum, & dorſum multi pili, ibi multa pilorum materia eſt, & multa fuligo, & multus calor, quare cum ſpiritibus multus uapor craſſus terreſtris, & aduſtus iungitur, qui in caput latus obſcurat ſua fuſcedine partes, ac organa phantaſiæ, & rationi ſeruientia, quare homo rudis apparet, atque ex eo quod non bene diſcurrit amens eſt, quoniam autem multum terrenæ ſubſtantiæ cum ſpiritibus mixtum habet, in hoc belluas refert, quare indiſcretus eſt, pertinax, durus, iracundus, inhumanus, implacidus, ad cibum, & uenerem intemperans, & plus nimio propenſus; non tamen ſemper ſed per uices, & interſtitia, ſecundum quod calor ille in craſſa materia poſitus, modo ad ſuperiores modo ad inferiores partes mouet vaporem.

Gibboſum Si gibboſum eſt dorſum, & ad metaphrenum uſque, & vltra gibboſitas producatur, & vitium ſit in conformatione; hocque ex multa materiæ mollitie prouenerit, hominem ſagacem, & ingenioſum ſignificat, id enim è mollitie carnis habet, verum, & malignus, & doloſus, & omnino improbus erit, malignus quoniam timidus, improbus, tum quoniam vitium eſt circa cor, tum quoniam vaſa, quæ ſpiritus ſurſum deferunt, cum incuruata, & præter naturam ſint diſpoſita, ſecus ac virum probum, & ſecundum naturam affectum decet, ſuggerunt; Si pectus à parte ante conuexum hoiem concauũ dorſum, & metaphrenum habentem effinxerit, hunc Scotus putat apprime ſimplicem, ego tamen in primis breuis vitæ, quoniam impedita eſt reſpiratio, & timidum quoniam ſuæ ſibi conſcius eſt impotentiæ, & malignum, quoniam præter naturam diſpoſitus eſt, hominem dicerem, & id exemplo facile confirmari poſſe putarem, effectum autem eſt ex eodem principio, vt quos cognoueris crudeles ſint auari, & iniqui, crudeles etenim deſpici timent, quare cum poſſunt cõtra alios ſæuiunt, hoc enim timidi, & vilis, & impotentis, cum dominatur, eſt proprium, auari, quoniam timidi, & iniqui, ſi quidem auari, ſentiunt enim, maximum momentũ ad illorum impotentiam ſubleuandam eſſe diuitias, & pecuniam, cũ autem mares gibbi mali ſint, peiores tamen multo ſunt fœminæ, & iniquiores, & iniuſtiores, ita, vt illis nullum malum ſit, quod magnum videatur, naturali enim fœminarum propenſioni ſi etiam accidentalis addatur, longe admodum à mediocritate fit receſſus.

APOTELESMA XXI.

Qui autem robuſtis coſtis fortes ſunt ſecundum animam, referuntur ad maſculinum genus.

POſt dorſum, ad partes anteriores ſe conuertit, atque ad coſtas, quæ ſunt oſſa vtrinque à vertebris duodecim intra ceruicem exiſtentibus, exorientia, & ad partem anteriorem procedentia ad enſiformem cartilaginem iunguntur, thoracemque ſtatuunt, in quo cor, pulmoque, & diaphragma membra reſpirationi ſeruientia, caloris fons, & principiũ, continentur, ipſæque coſtæ à pleura membrana à muſculis inter coſtalibus, & cute veſtiuntur, intra quinque inferiores ex vtraque parte poſitæ, continentur membra nutritionis, quæ non concurrunt neq. ſimul iunguntur, ſed sẽper minores exiſtunt, ita, vt vltimę utrinq. oppoſitę omnium minimæ appareant.

Coſtæ ſuperiores pectoris maſculæ; ſi ſint, magnæ, latæ, craſſæ, & bene cum uertebris

tebris iunctæ; necnon & cum pectoris osse, masculorum ossa sunt, quæ diximus maiora, & crassiora, & robustiora fœminarum, & inter masculos homines, qui cæteris sunt robustiores, maiora etiam sunt ossa fortiti, iure igitur quorum costæ sunt magnæ, ac robustę; illi ad genus masculinum referuntur, qui ad genus masculum referuntur, illi sunt fortes, ergo quorum costæ sunt magnæ, & robustæ illi sunt secundum animam fortes, audaces igitur, animo, & robusti corpore, mihi autem videtur præsens signum roboris, & audaciæ, quod ex costis sumitur (nam prope cor, & orginem omnis caloris sunt positæ) probabilius, eiusdem naturam docere, quam partes illæ, quæ longe absunt, neque immediate cordi, & spiritualibus membris iunguntur, scribunt quidã maximi roboris inditium esse, si costæ fuerit magnæ, & parum interstitij vnam inter, & alteram ceciderit; hocque exemplo cuiusdam Magnesij testantur, viri robustissimi, qui Imperatore Adriano vixit, cuius cadauer constans vnico osse ex costis, & sterno, & vertebris continebat mẽbra spiritualia, at ego memini temporibus nostris, medicum quendam virum, qui cum peruenisset ad annum vrciter 40. subito suffocatus est, quærentibus domesticis causam, dilecto corpore inuenerunt vno osse pectus constare, & inter costalia ossea esse, concludebant igitur, vt se habent futuræ ad cerebrum, ita se habere interstitium costarum, & inter costales musculos ad cor; & sicuti deficientibus futuris, & nihil transpirantibus male afficitur animal; ita immoto reddito osse pectoris, & euaporare prohibito calore, necesse fuit animal suffocari, & mortem sequi. Erat vir hic robustus sane, sed valde melãcholicus, etenim barbam nigram, caput magnũ habebat, vir egregie silens, admodum suspicios us, ferè semper terram aspectabat, sęuæ atq; horribilis iracundiæ, quam cum semel concepisset vix deponebat; erat autẽ sitic ulosus admodum, sed pauci cibi quæ omnia illi contigere dicebant ex adaucto calore, & materiam adurente, qui cum primum ita est adauctus, vt nusquam proportionatam refrigerationem recipere potuerit, necessarium illi fuit mori, ac suffocari; qualis eius fuerit pulsus nescio, neque dicere audiui, probabile tamen est illum magnũ, & celerem fuisse, & quod mirandũ erat in somnum propensus erat, id autem eo quod magnum haberet caput; & humidius forte contingebat; m ignus enim calor, & vehemens humorem illum liquabat, & in vaporem conuertens somnum inducebat; patet igitur extrema omnia vitiosa esse, ac præter naturam, ea vero quæ præter naturam dispositа sunt, raro, vel nunquam diu durare possunt; violenta enim sunt quodammodo, quare breui pereunt; cæterum peius est secundum paruitatem, quam secundum magnitudinem peccare, & peior est gibbositas, quam strictum pectus, & latius iusto, minus malum est, quam quod decet strictius, & hoc de costis robustis.

APOTELESMA XXII.

Quicunque autem non bene costati molles sunt secundum animam, referuntur ad fœmininum genus.

QVid per non bene costatos intelligat Aristoteles videndum, atqui primo aspectu, cũ hi ad fœmineum, illi ad masculinum referantur genus; & hæc sint duo genera, vel diuersa dixeris, vel opposita, necesse est non bene costatos eos esse, qui opponuntur supradictis, erunt illi igitur quorum costę neque magnæ, neque fuerint robustæ, sed paruæ, & imbelles, & consequenter multa carnẽ, & molli vestitæ; non bene costatos igitur, ait Aristoteles, esse molles, hoc est, vt sæpius diximus, timidos, & debiles; probatur, quoniam qui non bene costati sunt in hac parte sunt fœminis similes, quæ eędem paruas, & imbecilles habent costas, qui fœminis similes sunt eas habent qualitates, quibus fœminæ afficiuntur, & eosdem mores, quos illæ habent, at fœminarum dispositiones, & mores sunt mollities, timidi-

timiditas, & pusillanimitas, ergo quorum costæ sunt paruæ, & imbelles illi sunt molles, & pusillanimes, minor prima nullam habet difficultatem, id enim ipsa experientia, ac sensu manifestum est.

Maior probatur ex his, quæ supra dicta sunt, diximus enim fœminei generis esse proprium, vt corpus sit inualidius, masculo, & anima timidior, dolosior, & mollior, propter quid autem fœminæ costas tales habeant, nimirum minores, & debiliores clarum est; primum ratione causæ materialis, quoniam viro fœmina est humidior, ergo minus terrestris, quare, & in ea partes, & membra in quibus prædominatur terra viris cædent, hæc autem sunt ossa; ergo minora sunt in muliere quam in viro cæteris paribus, nam, & os caluariæ à quo alia pendent, est minus, & debilius quam virile, adde etiam causam finalem, nam homo natus est ad laborandum, & ad parandum res vitæ necessarias, illiusque propria virtus est fortitudo, robur, & audacia, & promptitudo ad loquendum, & sermone, & manu ad prosequēdam causam suam; ex aduerso fœminæ, à natura paratæ videtur ad conseruationem partarum rerum, ad educandos filios, ad rem familiarem ministrandam; quare illarum propriæ virtutes sunt, temperantia, & pudicitia, formæ decor, & venustas, honestas, pudor, parsimonia, taciturnitas, humilitas, & patientia, vt cedant, & se accommodent virorum suorum voluntati, arbitrio, & propensionibus, sibique legem ponāt, certam suorum maiorum, vt mariti parentumque voluntatem, cum igitur talis esse debeat mulier, mollis erit, secundum animam, quare & in corpore mollities reperietur, ergo & membra ad aquam accedent, molliaque erunt, parum igitur terra dominabitur, parumque superabit calor, ossa igitur non erunt magna, neque robusta, igitur fœminæ non habebunt costas magnas, & robustas quod fuerat probandum.

APOTELESMA XXIII.

Quicunque autem sine costis sunt, & circum tumidi, & quasi inflati, loquaces & stulta dicentes sunt, referuntur ad boues, & ad ranas.

SIne costis non dicuntur, eo quod careant costis; hoc enim est impossibile, sed, vt exosses dicimus quorum ossa neque visui, neque tactui apparent, ita nunc ab interprete ficto uocabulo excosti dicuntur, quorum costę cum paruæ ac subtiles sunt, tanta carne supposita copertæ sunt, vt uisui, aut tactui nulla illarum opinio, aut apparentia se offerat, non solum autem hæc requiritur conditio, & differentia in subiecto, de quo prædicatū propositū dici debet, sed etiam, ut sit tumor, & inflatio circa partes illas, hoc est in ipsis à uertebris usque ad eam partem in qua costæ cum osse pectoris solent necti, appareat quidam uniformis tumor, & quasi inflatio nō sane ex morbo, sed à natura, & uirtute formatrice producta, uidere autem est exemplum huius inflationis in rana, præsertim tamen in buffone irascente, nec non etiam in uacca prægnante, ac propè partum iam existente, sed, & liberaliter educata, & pasta; his igitur primum cutis lenis adest, siquidem extensa, uel distenta est, & caro mollis quoniam multus humor adest, ex quo, & multus uapor, natus inflatum degenerat. Amplius, & uertebrarum processus, qui spina dicitur, quasi in quadam conualle depressus apparebit, depressum etiam, & os pectoris propter tumorem carnis circa mammas existentem, quare uix in macris pasio hæc corporis poterit apparere, nisi in hoc uno quod costæ uidebuntur in his, quam in alijs in medio magis curuatæ, & circa latera inflexæ magis.

Quibus igitur inerunt hæ circa costarum loca differentiæ, & qualitates corporeæ, hos, ait Aristoteles, circa animam tales habere dispositiones, ut sint propensi ad loquacitatem, siue fatuitatem, & ineptā dicacitatem, fatui à fando dicuntur, qui multa sine delectu, siue

ea bona

ea bona ſint, ſiue non, ſiue dicenda, ſiue tacenda indiſtinctè effutiunt; vaniloqui autem, ſiue ſtultiloqui illi erunt, qui ea blaterant, & proferunt, quæ nata ſunt audientibus riſum excitare, & dant occaſionem, vt ab illis ridiculi putentur, Polemon etiam idem ferè ſentiens nugacitatem, & nequitiam ait ſignificari à tumore circa coſtas exiſtente; Petrus Apponenſis bibaces vocat, Ariſtoteles horum corpoream qualitatem declarans aſſimilat bobus & ranis, verum quomodo hæc inflatio, & tumor circa coſtas ſit boum naturalis, non video; Nam plurimi boues ne veſtigium quidem tumoris huiuſmodi habent; in aliquibus tamen vaccis potius per accidens, cum ſcilicet aut prægnãtes, aut bene paſtæ ſunt, id ſpectatur, adde quod in boum genere, non videtur eſſe fatuitas, & nugacitas, nam quamuis bos rudis ſit, & craſſo ac hebeti præditus ingenio, non tamen videtur eſſe naturaliter vocale, & garrulum, ſiue obſtreperum, neque ipſæ vaccæ, niſi aut cum fœtus earum abeſt, aut quando à ſocijs, & à locis notis ſunt ſeiunctæ clamant, quin etiam ranæ, vt mihi videtur, non ſunt adeo loquaces, & garrulæ, vt ſecundum ſe paſſio garrulitatis, & vocalitatis illis adſit; id enim, vt puto, magis auibus conuenit; crederem igitur, vt Ariſtoteles, qualis nam eſſet hæc corporis, & coſtarum differentia nobis declararet, attuliſſe exemplum boum, ſed cum hoc non bene exponeret forſan ſuam ſententiam, addidiſſe ranas etiam; & re uera bos paſtus, ac bene plenus, ſimilis eſt ranę cum turgeſcit, & vento repleta inflatur; eſt ergo Ariſtotelis ſententia.

Cui latera, quæ circa coſtas poſita exiſtunt ac demum ipſæ coſtæ fuerint tumidæ, & inflatę, vt paſtum bouem, vel inflatam ranam circa has partes referat ille erit fatuus, & ſtultiloquus, garrulus, & futilis auctor ſermonum.

At ſane propter quid hoc accidat cognoſcere eſt apprime difficile. Nam cum inflatione coſtarum nihil videtur commune habere garrulitas, aut amentia, primum itaque cauſã huius paſſionis, quæ plerunque eſt in rana, & in boue inueſtigemus, deinde in homine etiam, poſtea definitionem garrulitatis, & ſtultiloquentiæ quærere conabimur, vt quo magis fieri poterit ex proprijs huius effectus cauſam demonſtremus, ſi enim ex quibus eſt inflatio coſtarum in corpore ex ijſdem principijs inſit garrulitas in anima iam propter quid hoc ſignum garrulitatem, & vaniloquentiam indicet erit perſpicuum; bos terreſtre animal eſt, ſi quidem pigrum, & ſanguinem maximè fibroſum habet, nam celerrime coit extrauenatus, creſcit autem cito, ſed, & cito deficit; quatenus creſcit multum habet caloris, & humoris multum; quoniam autem cito ſeneſcit, ac deficit, humor aqueus eſt; neque admodũ benè cum terra mixtus, & elaboratus, calor autem qui multus eſt, circa principium in materia non probe elaborata, neque ad vnguem mixta neceſſario illam dum afficit, mouet, inæqualiter, quare, & operatio vniformis non fit, ergo non æqualis fit dilatatio, ſed maior vbi magis obedit materia, contingit autem eam magis obedire, vbi naturaliter minor eſt ipſius portio; hæc in coſtis eſt minor, non in principio non in fine vtrinque enim oſſa ſunt hic pectoris, ibi vertebrarum ergo in medio coſtarum fit maior extenſio, effectum eſt igitur vt coſtæ in bobus, magis quam in hominibus, aut elephantis, aut canibus circa medium incuruentur, vnde cum paſti ſunt diſtento nimirum amplius ventriculo turgere videntur, & inflari; hæc ergo forte poteſt aſſignari cauſa, cur boum latera, & coſtæ turgere videantur, vt autem dictum eſt, mihi videtur hoc potiſſimum fieri à ventriculo, qui cum duplex ſit, & ſuperior cibo multum repleatur effectum eſt, vt dum diſtenditur, coſtę, & præſertim nothæ recedant, & ſurſum eleuentur; quæ deinde cum valde ſint in medio curuatæ figuram illam in boue pleno, quæ conſpici poteſt, cauſant, hos ergo ad boues refert Ariſtoteles, & probabile eſt tales ex melancholia, & pituita prædominantibus temperatos eſſe, & tempeſtatem referunt illam, quam in Italia, & in circumpadanis oris percipimus, cum ſol eſt in piſcibus frigida enim tempeſtas eſt, & humida propter propinquam hyemem, at non deeſt calor propter propinquum ver, quare, & arborum cortices, & rami tumeſcunt, & terra turgeſcit,

ac her-

ac herbas, & flores emittere gliscit; at ranas terræ, & aquæ filias etiam poetæ dixerunt, in quibus cum pro corporis ratione, ac natura paucus calor adsit, neque eius materia, & humor eam habeat viscositatem, quam in animalibus perfectis, & longæ vitæ obseruamus, contingit secundum se multum flatum excitari, & hoc modo turgescere illarum latera, uel quod re uera dici potest, ranæ exterra, & aqua fabricatæ parum caloris habent, at lentorē quendam, qui cum crassiusculus sit in rubetis efficitur, primum, vt si quando comedantur, tota earum substantia in flatum resoluatur, & animal distendatur, & pereat; & cum sint animalia imperfecta admodum, in choatum habent pulmonem, quare, & flatu replentur, & turgent, neque omnes, ranæ, vt aiunt, sed mares tantum vocales sunt, nec vere vox est, non enim fit aspera arteria, neque à pulmonè venit, sed duabus repletis nesiculis aere, & accepta aquæ portione efficitur sonitus ille, tum tempore coitus, tum quādo pluuia instat, quod ergo quorum substantia est ex terra, & aqua male simul commixtis, illorum costæ naturaliter tumeant, & inflatæ sint ex his, puto, clarum esse, qui ergo tales sunt referunt in hoc boues, & ranas, & cur boues, & ranæ hoc modo afficiantur, est manifestum, quod autem quorum latera, & costæ sic affectæ sint, ij garruli, & stulta loquentes dici debeant, ex definitione, & natura garrulitatis, & vani loquentiæ colligi posse arbitror, garruli enim dicuntur ex Theophrasto libro de characteribus, qui longos, & inconsideratos sermones effutiunt, sic, & Chrisostomus, sermones sine mente, & longos à garrulo pronunciari dicit, qui autem inconsideratè loquuntur, ac blaterant, illis omnino multa in phantasia continue suggeruntur, atque ab externis quibusque facillime mouentur, ergo, & patiuntur, illorum igitur spiritus animales maximè participant aere ac flatu, quare si cui multus est flatus circum præcordia, sed naturalis, & à prima naturę origine formante hominem productus, illi insunt tumescentia latera, & costæ incuruatæ nimium, sed quicunque multum habet aeris, multūq. flatus circa præcordia, illi misceatur etiam cum spiritibus animalibus, & qui talis est, instabilem habeat phantasiam, quam plurima phantasmata, & vana perpetuo suggerentem qui autem hac passione afficitur, plurima in inconsiderate effutit, qui talis est garrulus dicitur, & stulta loquens, ergo cui latera, & costæ intumescunt ille est garrulus, & stulta proferens. Memini me hominem nouisse, cuius non latera solum, sed totum corpus inflatum videbatur, & ipse tumens, tanquam buffo iratus continue blaterabat, etiam cum solus foret, & perpetuum flatum à parte anteriori, & posteriori emittebat, sed quoniam tantillum in ipso erat etiam melancholiæ, ideo libenter obloquebatur, & amicis, præsertim que carioribus detrahebat, præsentem statum continuè oderat, & conquærebatur, modo regum, ac principum, modo rusticorum notans operationes, idem omninū negocia sciebat paces, rixas, affinitates contrahendas, omnia demum facta, atque infecta canebat; sic ventosus, sic ampulosus erat, vt neminem loqui vnquam permitteret, ex vna re in aliam præter rationem, & nihil ad rem facientem transiens, ita ocij, ita negocij tempora distinguere nesciebat, cæterum, vt mihi videtur, probabiliter garrulitatem, & amentiam sequitur quidam despectus, qui enim tales sunt, & despiciuntur, & nescio qua ratione odio habentur, neque sua, neque aliena curare nouerunt, neq. negotijs apti neque in lusibus iucundi, huius mores præter Theophrastum expressit Horatius quadam satira insolentiam, & fastidium garruli, & blateronis effingens, & notans.

Cur inflati garruli

Quales sint garruli.

APO-

APOTELESMA XXIV.

Quicunque autem maius habent, quod ab vmbelico est, vsque ad extremum pectoris eo, quod est ab extremitate pectoris vsque ad collum, sunt voraces, & insensibiles, voraces quidem quoniam ventrem magnum habent, quo appetunt cibum, insensibiles autem quia angustum locum habent sensus, atque inarctum redactum, ab eo qui recipit cibum, ita, vt sensus grauati sint propter repletiones ciborum, aut indigentias.

HOc vnũ est apoteleſma, cuius cauſa ab Ariſtotele affertur; primum igitur declarandi ſunt termini, deinde ſententia explicanda, poſt hæc deducemus Ariſtotelicas rationes. Præſens apoteleſma in tres partes diſtinguitur, prima continet probandum Theorema, ſecunda cauſas apoteleſmatis, tertia documẽtum quoddam ex prædictis conſequens, circa Theorema notandum. Huius datum eſt, ſiue ſubiectum.

Quorum maior eſt portio ſencundum longitudinem, quæ eſt ab vmbelico vſque ad extremum pectoris, quam ſit illa quæ eſt ab extremo pectoris vſque ad terminum in quo oſſa iugu li conueniunt. Quæſitum autem duo continet, nempe quod ſint voraces, atque inſenſibiles, dicit igitur, quod ſi illa pars anterior, quæ ab vmbilico incipit, tanquam à termino inferiori, & aſcendit vſque ad extremum pectoris, quo in loco enſi formis nectitur cartilago, & incipit os pectoris, ſi (inquã) hæc pars fuerit maior, hoc eſt longior altera parte, quæ incipit eo in loco, & deſinit in extremo oſſiũ pectoris in medio vtriuſq. clauiculæ, eorum nempe, quæ nomine alio iuguli oſſa vocantur, oſſa duo ſcilicet ſupra os pectoris firmata vtrinque deducta, & fonticulum quendã formantia, qui eſt terminus colli, & principium pectoris, ſi ergo à parte inferiore, & extrema vtriuſque oſſis iuguli, lineam rectam producas eamque mediam ſcindas, punctus in medio ſitus extremum eſt longitudinis pectoris; ſit A. vmbelicus, B. inferior extremitas oſſis pectoris, C. pars ſuperior quæ intra ſedem oſſium iuguli, ſiue clauicularum ſita aliquantis per prominet, principiumque fonticuli gulæ, profert; dico ſi A. B. linea eſt æqualis lineæ B. C. quod ille vir eſt ſecundum naturam diſpoſitus, & boni ſenſus, & in cibo, & potu temperatus, ſi vero A. B. eſt minor quam ſit B. C. dico hominem eſſe acutum quidem, & ingenio bono præditum, ſed debilium virium, & pauci cibi, ac potus, & qui raro, aut vix unquam famem ſentiat, aptus igitur ad inediã tolerandã, quare, & ſenibus ſimilis, nõ igitur eſt lõgę vitæ, at verſa vice, ſi A. B. eſt maior quam B. C. tunc ex Ariſt. hic homo erit uorax, & inſenſibilis, hic ſenſus theorematis eſt.

Vmbilicus notus eſt, etenim eſt ea corporis pars, in uentris medio conſpicua, per quam cum in utero matris eſt homo, alimentum capit, ſunt enim uaſa umbilicalia, nempe duæ *Dub.* uenæ, & totidem arteriæ, quæ tanquam radices in fœtum traducunt ſanguinem uenoſum, & arterioſum, quibus animalis uitam uiuere poſſit; principium igitur animalis eſt umbilicus, & medium corporis eiuſdem, nam ſi ſupinum poſueris hominem, qui manus, ac pedes extendat, poſita altera circini parte, quæ eſt immobilis in umbilico, & aperto eodem ita, ut uſq. ad extremũ medij digiti terminũ perueniat pes alter, ſi circulũ effinxeris uidebis p extremos utriuſq. pedis digitos, & mediũ vtriuſq. manus digitũ tranſire circulum.

Voraces dico qui naturaliter apti sũt, & multũ, & multa comedere, ut igitur, mihi uidetur, uoraci abſolutè tria poſsũt adſcribi, primũ eſt, ut multũ cibi ingerat, deinde, ut diu, & celeriter comedat, & frequenter, tandem, ut omnia indiſtincte voret, atque in uentrem præcipitet, idque illi demum non ex affectu, non ex habitu acquiſito, ſed naturaliter, & à principio conſtitutionis naturalis adſit, quæ quã ratione fiat infra dicetur, uorax igitur eſt qui multũ, & multa deuorat celeriter, & frequenter. In hoc aũt uidetur guloſus, & ganeo

à vorace heluone differre; nam guloſus in qualitate peccat; neque vult comedere, niſi epulas opimas, delicioſas, & opi parè conditas, at vorax tanquam lupus, & multum, & multa comedens in quantitate peccat, & medium diſindi, quam dapes, cibumque ſupereſſe mauult, cuius generis pleroſque vidiſſe contigit, qui bene xx. libr. panis comedebant; horum 12. quos lupos vocabanr ſelegit quidam princeps Italus, cum hoſpitio excepiſſet Reginam Hiſpaniarum, & ſingulis, in prandio apponebatur, veruex coctus, pars quarta poſterior bouis, & libræ panis cocti centum, & centum vini item, & in cœna, certatū eſt ab his quattuor aut quinque continuis diebus, tandem penes quendam hetruſcum victoria ſtetit, qui non ſolum portionem ſuam, ſed ſodalium reliquias comedit; erant homines hi nati conſumere fruges, magni, macri, longis manibus, & pedibus præditi, lato ore, facie plumbea, dentibus magnis, ampliſſimo ventre, non tamen prominente, niſi cum bene comederant, ab omnibus irridebantur, & illi tanquam ſtupidi circūſpiciebant; & cum admodum ſe cibo, & vino ingurgitaſſent, neque videre, neque audire ſibi videbantur, neque quidquam eorum, quæ audiebant intelligere opinabantur, ſed ſicuti Cyclops apud Virgilium, ſupini iacebant, ciborum fruſta eructantes, mero commixta; tales igitur voraces ſunt.

Inſenſibiles voco, non qui ſentiri nequeūt, aut vix ſentiuntur, verū neq. qui nō ſentiunt, quique inſenſitiui dicuntur, ſicuti lapides, & plantæ, ſed hoc loco dico inſenſibiles, ſiue inſenſitiuos, quibus obtuſus, craſſuſque eſt ſenſus, vel quibus obtuſum eſt ingenium, & iudicium rude, quique ſunt pinguis mineruæ; qui neque loqui, neque tacere rectè ſciunt, ſibique neque alijs prouidere, qui demum mente capti, & communi ſenſu carentes dicuntur; & qui, ſi ais aiunt, ſi negas negant, aſſimilantur autem illis qui cum bene cenarunt, & diù vigilarunt præualente ſomno, neque vigilantes, neque penitus dormientes loquuntur, atque interrogationibus reſpondere volunt, apti igitur ſunt huiuſmodi homines, qui decipiantur, qui credant, & facile perſuadeantur etiam, quæ ſunt parum probabilia.

Ventrem dicit, quem vulgo ſtomachum vocamus, locum nempe ad capiendum cibum deſtinatum, retinendum, & concoquendum; locum vero ſenſuum dicit pectoris capacitatem, in quo reponitur cor, pulmo, & diaphragmate diſtinguitur à membris nutritionis.

Hunc locum ſenſuum vocat, quoniam credidit Ariſtoteles primum ſenſorium eſſe cor; etenim paſſionib. quæ ſentiuntur perceptis idolis, ſub ratione boni, aut mali magni à ſenſu communi, ſentitur cor, aut partes quæ ſunt circa cor notabiliter affici, vbi autem dolor eſt ibi plerunque, aut cauſa eſt dolorifica, aut id per conſenſum accidit; at ſi per conſenſum id accideret, non ſemper in obiectis, quæ eſſictim amantur, aut fugiuntur circa cor ſentiretur paſsio, & affectus, provt contingit percipi; qua ratione principium omnis vitæ dicimus eſſe cor; at vita animalis eſt ſenſus, & ſentire eſt viuere, neceſſe eſt igitur vnum eſſe ſenſus ac vitæ principium primum cor, cui deſeruiat cerebrum tanquam princeps inſtrumentum viuendi vitam ſenſitiuam, & cui iecur obediat, vt vitæ vegetatiuæ principale, ac proprium organum, vt enim ex Homero, ait Ariſtoteles, non eſt bonus multorum dominatus, ſed debet eſſe vnus tantum dominus, & ſi homo eſt res vna ex materia, & forma compactus, cū vnum, quatenus vnum eſt, habeat etiam vnum tantum principium, neceſſe eſt in homine eſſe vnum principium corporeum, quod immediate ſeruit animæ, & cui alia omnia membra pareāt, à quo pēdēt, & ī qō dirigūtur, & cuius gratia oīa fiunt, q̄ ī corpore fieri cōtingit.

Senſus voco grauatos, & grauari qñ præter naturā diſponūtur, qd cū illis accidit, nō rectè de obiectis iudicāt ꝓpri js, nā circa cōmunia, aut ea q̄ ꝓ accidēs sūt, nō eſt difficile, ēt nō grauatos peccare, ſic ergo primā partē executi ſumus. In ſecunda ponit Ariſt. rationes, & cauſas huius apoteleſmatis, nam quæ continentur paſſiones ęque maſculino, & fœminino generi poterant accommodari, neq. ex alterius principijs deduci poſſe videbātur, nā voracitas maſculinū potius eſt accidēs, at garrulitas, & ſtultiloquiū fœmininū, quare cū ita cōnexū ſit, neutrū proprie ſequitur genus, oportuit igit̄, vt ꝓpria ratio redderetur, qd nūc fit.

Prior

C. Prior eſt igitur pars Theoremat is quorum portio A. B. eſt maior quam B. C. illi ſunt voraces, probatur quoniam qui tales ſunt illi habent ventriculum (hoc eſt membrum quo appetunt, & continent cibum) grandem, & valde capacem; quorum autem venter valde capax ciborum eſt, illorum & vehemens eſt ciborum appetitus, & multum cibi poſſunt capere, qui tales ſunt voraces dicuntur, ergo qui
B. talem portionẽ A. B. maiorem habent quam B. C. illi ſunt voraces. Minor quæ primo loco poſita eſt, non habet difficultatem, etenim ſi locus qui naturaliter cõ-
10 tinet ventriculum eſt magnus, probabile etiam eſt, ventriculum eſſe magnum, & ſi magnum eſt dolium, & multum vini natum eſt continere; quale enim eſt, ac
A. quantum quod naturaliter continet tale, ac tantum etiam eſſe debet, quod natũ eſt ab eo contineri.

Ex hoc etiam patet, quod ſequitur, nam quorum venter valde ciborum eſt capax, cum venter natus ſit capere cibum, illumque ipſum appetere in maiori quanto maior erit etiam virtus, & in minori minor, (cæteris tamen paribus) quare muliercula minus cibi, quam vir magnus appetet, ac comedet, patet igitur quod quorum venter eſt valde capax illi multũ cibi appetent, quæ vero ſequitur propoſitio eſt conuerſa definitionis voracis hominis.

Noto autem, quod ſingula membra habent certam propenſionem ad propriam opera-
20 tionem, quæ propriam illorum eſt conſequens formam; vnde cibi appetentia ſi forma non eſt ventriculi, provt re vera non eſt, illius tamen formam conſequitur, etenim cum ipſius propria operatio ſit cibum cõcoquere, & quæ perfectionem huius operationis facit ſit eius forma, neceſſario ſupponit cibum adeſſe, quare cum non ſemper adſit neceſſe eſt, vt indigentiam percipiat, hoc autem eſt cibum appetere, & cum maior eſt maiorem, & cum perfectior vehementius quærit, & magis ſumendo delectatur, nam deſiderium ob præſentiam priuationis excitatur, quare ſi quis quærat cur cuius portio ab vmbelico, ad pectoris extremum eſt maior, quam quæ eſt à pectoris mitio, vſque ad initium iuguli, ſit vorax, dicemus quoniam maiorem habent ventriculum, id autem cognoſcemus, quoniam in maiori loco maius etiam corpus locatur, in maiori autem corpore cæteris paribus, maior etiam
30 eſt virtus, quæ ſecundum quod ipſum in illo exiſtit.

Secunda poſitio eſt, qđ qui tales sũt, illi ſunt inſenſibiles. Cuius rationẽ, & causã affert Ariſt. vt mihi videtur, deſumptam à materia, in qua ſenſus principiũ eſt, probatur igitur.

Quod cuius ventris portio eſt maior, quam pectoris ille eſt inſenſatus, hoc eſt, (vt declarauimus) rudis, & craſſæ mineruę, ſi quidem cuius portio ventris inferioris eſt maior, quã ſuperior, pectoris, ille in anguſtum redactum habet cor, diaphragma, & cætera membra ſpiritalia; cui hoc accidit ille eſt inſenſatus, & rudis, ergo cui pectoris ſpatium minus eſt, quam, quod ventriculum continet, ille eſt rudis, & inſenſatus.

Minor nõ habet difficultatẽ, qđ ſi venter, quẽ vocaui A. B. eſt maior B. C. qđ ẽt B. C. erit minus illo, & minus ſpatiũ cũ habuerint ſpiritualia membra, neceſſe eſt, illa ẽt in anguſtũ cogi, Maior ẽt ꝓbatur, qđ quorũ pectus ſit iuſto minus, & ĩ anguſtũ redacta habeat mẽbra
40 ſpiritualia, ille ſit inſẽſatus, hoc ẽ ſtolidus, & imprudẽs, atq; ineptus, qm̃ cuius pectus tale ẽ, illius mẽbra, quæ sũt principia vitæ aĩalis præter naturã affecta sũt, neq. cũ talia ſint ꝓfectè ſuas oꝑationes exequi poſsũt, ſed qñ ꝓfectè oꝑantur, & ſm̃ naturã diſpoſita sũt, tũc hoĩes bene ſenſati erũt, ergo cũ nõ ſm̃ naturã diſponuntur, neq. ſm̃ naturã oꝑabuntur, ita .n. cõparatũ ẽ, vt ſi affirmatio ſit cauſa affirmationis, negatio ſit cauſa negationis, patet igitur anguſtũ thoracẽ, & præcipuè ſm̃ longitudinẽ indicare compreſſionẽ, & anguſtiã quare præter naturalẽ diſpoſitionẽ illarũ partiũ, ergo, & impeditã earũdẽ oꝑationẽ, at cordis, & partiũ ſpiritualiũ, prima, & ꝓpria oꝑatio ẽ, ſpiritus vitales creare, ac ꝓducere, & primũ ſenſitiũ cõſtituere, in quo recipiũtur mediãte cerebro omnes sẽſationes rerũ, ſi vero impediatur sẽſatio neceſſe eſt, vel nulla, vel imꝑfecta exiſtat, imꝑfecta aũt sẽſatio ruditas, & inſẽſibili-

tas dicitur, quare quorum portio inferioris ventris ab vmbelico ad imum pectus est maior, quam totum pectoris interstitium illi voraces sunt, & insensati; voraces quoniam magnum ventriculum, insensati quoniam locum primi sensiterij habent redactum in angustum, & oppressum ab eo loco, qui destinatus est ad cibum recipiendum; hæc Aristotelis est sententia.

Not. Vbi noto cum sensus, ac sensatio sit perfectio quædam naturalis, oportet illam in quadam determinata mediocritate, & magnitudinis, & temperamenti primarum qualitatum positam esse, vbi igitur quantitas est maior, aut minor quam oporteat necesse est, sensationis perfectionem impediri, sic etiam vbi qualitates primæ excedant, aut deficiant, & statuantur, & nectantur inter se ita, vt una aliam magis quam oporteat superet, tollitur primum hominis sensus, qui in mediocritate certa consistit, deinde etiam bruti, & sensus simpliciter; qua ratione effectum est, vt homines mutari, & tandem mori dicantur.

Ex hac notatione manifestum fiet documentum, quod ex precedentibus deducit, nempe sensus impediri propter indigentias, & repletiones ciborum hoc est patet omnem excessum, & defectum ciborum mutare sensus, ac ipsorum naturam alterare, dum illos de sua mediocritate mouent, est enim sensus omnis, virtus in corpore, & certa ratio corporis, & hic sensus huius corporis, quare, & virtus.

Est demum Aristotelis documentum, indigentias, & repletiones ciborum alterare sensuum virtutes, & de suo naturali statu mouere, ita ut earum operatio, & iudicium de sua perfectione decedat, primum igitur quod sit uerum, deinde quomodo ex prædictis dependeat, tertio propter quid omnes indigentiæ, & repletiones hoc causant, ostendamus.

Indigentiam cibi, famem scilicet, & sitim uehementer humores acuere, & choleram excitare uulgo receptum est, nam, & ieiuno uentri narrandas non esse dicimus fabulas, & Virgilius homines in pugnam, & mortem acriter ruentes assimilat lupis, quos improba uentris exegit cæcos rabies, similiter repletiones ciborum aliud facere sapere, præter Terentianum Demeam, & alibi sine Cerere, & baccho uenerem frigere, indicant mutationes uentris ab inanitione ad repletionem, aut è contra etiam animum mutare certum est, sic Horatius de replectionibus.

Vides, vt pallidus omni
Cœna desurgat dubia, quin corpus onustum
Externis vitijs, animum quoque prægrauat vna,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Hoc idem meracior potus, hoc ciborum diuersitas, & uoracitas, animi tentando uirtutes, & illarum operationem peruertendo demonstrat, quomodo aũt ex supradictis inferatur patet, nã si cuius uenter est magnus ille multo cibo repletur, & cuius uenter talis est, idem dicitur esse insensatus, ergo qui multo cibo repletur insensatus est; ergo multam repletionem sequitur insensatio, & quoniam sensus, & sensatio in quadam mediocritate consistit, ideo ab excessu, & defectu corrumpitur, ergo tum inanitiones tum repletiones sensus grauant, & alterant, quæ sententia affinis illi, est, quæ in tertio Aphorismo primæ particulæ dicitur, euacuationes extremas, extremasque repletiones esse periculosas, nam nocent, corpori, & sanitati corporeę secundũ Hyppocratem, animo autem, & prudentiæ secundum Aristotelem, at propter quid hoc accidat, etiam supra dictum est, si quòd sensus bonitas in mediocritate consistit ab excessu igitur, & defectu corrumpitur, & cum moderata inanitio, & repletio uitam conseruat, ergo immoderata corrumpet; immoderata autem est, quæ uel excedit, uel deficit ergo patet cur excessus, & defectus ciborum, & potuum grauent, alterent, corrumpant, atque immutent corpus hominum.

Neque solum hæc indigentia, aut repletio cibi peruertit sensationem, quinimo omnes cæterarum rerum, quæ ad uitam requiruntur indigentię, aut superabundantiæ non sensum

tantum,

tantum, ſed vitam ipſam cõuellũt, vel deſtruũt; venus enim immoderata, eiuſdemque nimia, & præter rationalis abſtinentia corrumpit hominem, idem de ſomno, ac vigilia, motu & quiete, atque animi accidentibus dicendum eſt, ſic ætatis exceſſus non minus, quam defectus, & ſenſus, & iudicium lædit, vnde dicimus bis pueros eſſe ſenes, neque ſecundũ corpus tantum debiles efficiuntur, frigentque effœtæ in corpore vires, ſed etiã ſm̃ animam.

Quare ſi corpus, & anima ſibi inuicem correſpondent, & quæ ſanitas eſt corporis, eadẽ eſt animi virtus, vt ſanitas certam quandam requirit medietatem, ita etiam animi virtus, & perfectio in mediocritate conſiſtit, & quoniam ex quibus ſumus, ex ijſdem conſeruamur, & ab oppoſitis corrumpimur; ponendum eſt inanitiones, & replectiones omnes animam, & corpus offendere, & naturalem animalium ſenſum peruertere, aurea igitur vere eſt mediocritas, & virtus eſt medium vitiorum vtrinque reductum.

Ad eandem forte cauſam etiam redigendum eſt, quod dicitur omnium rerum eſſe ſacietatem, cum enim, & mel, & ſaccharum, & quod vis aliud genus rei, quamuis perditè optatæ exceſſerit modum, ſacietatem, & nauſeam parit, quæ res in amore venereo præclare patet, quam enim adoleſcentes efflictim deperiere, ſi caſu conſecuti fuerint, illiſque ad libitum adſit, ſacietate capti, deſpiciunt, & abhorrent; præter autem dictas ſupra proprietates, quæ voracem ſequuntur ſecundum corpus, & ſecundum animam, ille, quem diximus inſenſatum, pauper erit, remque ſibi à maioribus traditam minuet; amplius, & obliuioſus, & oſcitabundus, tam in proprijs, quàm in alienis, & quæ negotia incipiet rarò ad finem perducet, neque laborem, & moleſtias aptus erit ſuſtinere, ſed cito ſuccumbet, manuſque victas aduerſitatibus celeriter dabit, neque ſibi neque alijs conſulere ſciet, inſenſatus enim eſt, quare, & imprudens, & qui facile decipi, irrideri, atque illudi ſibi patiatur; hæc iam ex Ariſtotele adducta ſunt. *voracis qualitates.*

At liceat aliquam aliam cauſam etiam venari, quæ forte ſi nobis non ſit notior, tamen prior natura, & magis propinqua erit, primum autem videamus propter quid contingat aliquos habere ventrem pectore maiorem, alios minorem, alios autem æqualem, an id à virtute pendet formatrice? nam cum hæc ſit, qui in ſemine ſpiritus eſt, & calor, & hic calor cum ſit qualitas quædam ſubſtantialis, ratione materiæ in qua eſt videtur aliquando intenſior, & aliquando remiſſior.

Intenſiorem dico, quando materia eſt denſior quidem, ſed obediens, & ductilis contra remiſſiorem; cum igitur humanum ſemen ſit ſecundum ſe diſſimilare corpus, etiam ſi non ſecundum ſenſum, in ipſoque ſpiritus, & calor contineantur, ſi contigerit in ea parte, ex quæ futurus eſt venter inferior calorem eſſe maiorem, & magis obedientem materiam calor, tunc magis dilatabitur, maiorque formabitur venter inferior, quam ſuperior, & cum hac ratione excedet, neceſſe eſt minui pectoris quantitatem, Et calor, & ſpiritus ibi minor eſt, quoniam hic maior; ſit A. B. C. ſemen per quod totum eſt vis formatrix D. cuius ſi contigerit maiorem partem quæ ſit F. reperiri in B. dico quod neceſſe eſt minorem partẽ eſſe ipſius D. vel in A. vel in C. vel in vtriſque, quare ſic contingit, vel ventrem imum fieri minorem, vel ſummum qui pectus eſt, vel vtroq́. à medio, qui eſt inter vmbilicũ, & pectoris extremũ ſuperari, Cũ aũt cõtingat hũc ventrẽ eſſe maiorẽ, ergo, & cõtẽta in hoc vẽtre, quare, & vẽtriculus erit iuſto maior, & epar, multa igitur vẽtriculus capit, & qm̃ natus eſt expleri, ergo & multa appetere natus eſt, qm̃ multa capere poteſt, multa igitur cõgeret, vorax igitur erit; at qm̃ ĩ loco magno plerũq difunditur calor, & difuſa virtus debilior eſt, ſi quidẽ contracta, & vnita fortior, cuius inditiũ eſt, qd̃ quorũ aĩaliũ corda sũt magna, illa sũt timida, ut ĩ ceruis, & ĩ ueruecib. & in leporib. licet obſeruare; q̃ ſingula aĩalia ꝓ corporis ſui ꝓportione magnũ oĩa cor habẽt, calor debilior appetẽtię causã roborat, refrigerati .n. uẽtriculi ꝓpriũ eſt, multo plus appetere q̃ cõcoquere poſſit, qd̃ Galẽ uisũ eſt appetẽtior igitur eſt talis uẽtriculus, quã ſit aptus ad digerẽdum male igirur digeret, ſanguinẽ ergo ſpirituſq.

generabit pituitosos, multamque in sanguine pituitam inducet, vitia enim prioris coctionis nusquam à posteriori possunt corrigi, erit igitur aquosus, ac serosus sanguis, & pituitosus, & cui huiusmodi adest sanguis ille erit macer non enim bene nutritur, & quoniam sanguis frigidus est, & pituitosus, erit etiam somniculosus, quare, & rudis, & insensatus, quæ passio pendet à spirituum imbecillitate, & à pituitoso sanguine circa primum sensiterium existente, sic igitur forte à causa efficiente petita ratione ostendi potest, & voracitas, & insensibilitas, quam Aristoteles ijs tribuit, quorum medius venter maior est pectore; sed circa ea quæ ab Aristotele dicta sunt magnopere dubitandum videtur.

Dub. An pectoris angustia, faciat insensatũ.

An verum sit, quod dicitur, pectoris angustiam, & paruitatem facere insensibilitatem, neque loquor de paruitate simpliciter, sed de illa quæ est in comparatione ad ventrem medium, in quo est stomachus, & epar, & cætera nutritionis membra, nam videtur falsum, si enim insensibilitas, ruditas, & oscitantia effectus est frigoris, indigentiæ spirituum, aut saltem qui humore multo excremẽtitio obruantur, & quorũ motiones pigræ sunt, & tardę. Cum ex aduerso quorum pectus est angustum, ita, vt cor, & pulmo arctetur, & locum magis quam oporteat paruum sortitatur, necessario illorum calor quamuis modicus, ita concluſus, æstuet, ac spiritus calidiores suggeant cerebro, vnde vehementior sit rerum appetitus, & ira prompta admodum, quare magis præcipitem hominem quam vllo modo insẽsatum illum dicerem cuius pectus sit minus, quam venter medius. Huic dubitationi crederem sic posse occurri. Dupliciter est angustum pectus vno modo, & non dearticulatum, sed tale, vt propter angustiam à primordio cor, & pulmo sint non exactè perfecta, & in hoc thorace spiritus fiunt imperfecti, & manci, neque exacte elaborantur, & hæc dicitur causa insensibilitatis, similes videmus aliquando pumiliones, qui in somnum sunt propensi admodum, & pueriliter loquuntur, & sapiunt, & breuissimum motum localem facile anhelant, eorumque pulsus est paruus celer, & inæqualis, exemplum huius arctationis videmus in his, qui laborant hydrope, qui cum respirationem habeant diminutam, attamen neque spiritus igneos habent, neque in discursibus, & resolutionibus præcipites sunt; nam secundum naturam, hoc est in quadam certa proportione, oportet calidos, & vehemẽtes esse spiritus vitales, non autem præter naturam, Altero modo dicimus esse angustum pectus, quando paruum quidem est, sed ea quæ continet membra quamuis parua magnitudine, qualitate tamen sunt perfecta, ita, vt propriam operationem promptè exordiri, & expedire possint, in his contingit, & spiritus aliquando calidiores, & acutiores generari, quare hi promptissimi sunt ad iram, quam etiam citissime deponunt, de his non est sermo, nũc apud Aristotelem, sed de prioribus tantum.

Dub. An quorum pectus latũ, sint audaces.

At rursus supradictum est quod quorum pectus est magnum, longum, latum, illi sunt audaces, & calidi, ergo qui strictum, non videntur tales; an rursus respondendum est, quod calor duplex est, alter quidem subtilis, & igneus qui facile mouetur, qui tollitur, qui extinguitur, qui non durat, neque efficax est, sed incipit quidem quod est agendum, sed non perficit, Alter vero terreus est qui difficile mutatur, qui non tollitur, non extinguitur, diu durat, & efficaciter incipit, & persequitur vsque in finem, quæ sunt agenda, quæque aggreditur; hoc posteriori modo calidum leonem, & aquilam dicimus, priori ratione calidos dicemus domesticos feles, & capras, amplius, & quoddam erucarum genus, cantharides, & bupreſtes, quarum natura adeo calida est, vt cutim quam tangunt valentissime exulcerare possint, à quo igitur fiat hæc pectoris naturalis angustia, & quomodo insensibilitatem producat, & quomodo non ex his patet.

Dub. An cor sit primũ sensiteriũ.

Vtrum autem cor sit primum sensiterium, & membrum quo iudicamus, & sapimus, ut christallinus humor quo primo uidemus supra quæsitum est, etenim sicuti neque solo christallino uidemus, sed oculo, ita neque solo corde iudicamus, sed toto, ut sic loquar, corpore aut membris principalibus, ut autem præcipua pars est in uidendo christallinus humor,

ita

ita cor videtur esse primum, ac præcipuum sensiterium, quo iudicamus quæ se offerunt sensibilia, ita, vt tanquam in specula sit caput, & principales sensus circa ipsum, in cuius centro iungantur, & inde in cor spectra deueniant, vt eo in loco fiat iudicium, nam si animalis esse & viuere est sentire, quod vitæ erit principium primum illud erit, & sensus, at vitæ est cor, ergo, & sensus, quare cum ipsum contingit arctari, & in suo motu, & operatione impediri, illud ipsum imperfectè iudicare de obiectis sensuũ necesse est; hoc autem est insensatum esse.

Rursus dictum est hos homines voraces esse, at contra nulla ferè animalia calida, & perfecta sunt, quæ minus voracia sint homine, leones, lupi, canes, oues, capræ, nihil ferè vnquam nisi de cibo cogitant; id de equis dicitur, quod vel edunt, vel capite dolent, differentiæ huius dicunt esse causam, quod homo maiora, & longiora habeat intestinorum inuolucra, quam vlla alia ferè animalia, quæ sint eiusdem magnitudinis; quare maiorẽ etiam dilationem in descensu ponit cibus, in homine quam in alijs animalibus excepto fortasse camelo de quo legitur, quod de tertio in tertium satis est illi, si cibũ sumpserit, cuius effectus causam finalem afferunt, quod homo ad actiones, & contemplationes natus, in cibo inquirendo, & sumendo continue vacare non debebat, quod brutorum videtur esse tantum proprium.

Sed si homines ad actiones nati sunt, & ad artes exercendas, & ideo minime omnium animalium cibo vacant, vnde factum est, quod maiorem sentiunt in cibo voluptatem, quã bruta, & multo plura edunt, quam illa, vt quid quid terra, quid pontus, quid æther cõplectitur in cibum hominis cadat, & illũ vix implere possit; rimãtur viscera terræ, vt tubera vorent, vt quosdam pisces reperiant saxa comminuunt, arborum cariem, & vermes ac fungos scrutantur, pisces, fructus, aues, quadrupedes angues etiam venenosissimos in ventrem conijciunt, & quod nullum brutorum tentat, neque à propria hominis carne, quædam nationes abstinent.

Cur omniuorsit homo.

An dicemus hominem ideo esse omniuorum, quoniam est paruus mundus, si enim hominis forma intellectus est, & hic formarum forma, & locus dicitur omnes formas in se continens potentia; necesse est etiam, vt corpus illi respondeat, quare & manus instrumentum instrumentorum dicitur ab Aristotele, ergo, & corpus hominis animæ simile esse debet, illamque ipsam aliquo modo referre, quæ igitur ipsum statuunt principia, ceu quattuor elementa sunt, & quæ ex quattuor humoribus fiunt sanguine scilicet, & bile vtraque & pituita, referunt quæ in mundo sunt, si ergo mundus, quidam est, illique similis, cum ex quibus est, ex ijsdem conseruetur, ex omnibus est, ex omnibus igitur conseruari potest, conseruatur autem ex ijs quæ comedit, omnia igitur illi in cibũ cædent, quæ tamen calore suo confici possint, & quæ conficere nequit id ipsum præparat ars culinaria, hac ergo ratione omniuorum esse dicunt hominem.

At forte dicendum hominẽ natura scire desiderare, & propter hoc sensus diligere, quærit igitur, & sensum gustus experiri, & rerum sapores agnoscere, vt pote qui promptè rerũ declarant essentiam, Hinc factum est, vt varia in os coniectet, vt faciunt pueri, quorum cũ aliquando sapor arrideat, illa deinde in stomachum detrudit, & quoniam est animal sociabile, & imitatiuum, quod socio facere vidit, id ipsum etiam experiri voluit, sic factũ est, vt certum sibi cibum non reliquerit homo, neque habeat, vt cætera animalia proprium.

Qui vero credunt carnem esse hominis cibum naturalem, (vt puto) non rectè sentiunt; nam si cætera carniuora, vel vngues, vel dentes, vel stomachum ad captandam, & concoquendam carnem aptum habent (etenim quibus natura dat certam actionem, dat etiam instrumenta ad actionem illam necessaria) cum homo his omnibus sit destitutus instrumẽtis, carnem non puto esse hominis cibum proprium, sed quoniam, vt ait Aristoteles homo est animal, quod arte, & experimentis, vt plurimum viuit, necesse est, vt etiam cibum sibi

arte, &

arte,& prudentia paret,ars autem qua cibus hominis paratur multiplex est,ut primo politicorum agricultura,pastoralis,uenatoria,& aliæ plures; & ars pistorum, & coquorum ad hunc finem diriguntur.

Vt autem mihi videtur,cibus ille est hominis valde accommodatus, & proprius qui ad eius naturam complexionem, & temperaturam accedit,quò que magis, & vbique vtitur, quo solo deficiens incommodum sentit, quo sine alijs probe vescitur,si vero alij sine ipso fuerint,non placent, hic autem est frumentaceus panis, qui etiam à medicis optimi nutrimenti, & succi dicitur,cum bene paratus,subactus, & coctus fuerit, aut si quis alius est cibus,qui pani ex tritico facto sit similis,qualis est qui ex indito grano, & quibusdam leguminibus fieri solet, quod autem homo maiorem quam cætera animalia in sumendo cibo voluptatem sentiat,id passim ab omnibus dicitur, at contra canis à corio non absterebitur vncto, asinum in læto prato pabulantem vix ferro, & igne fugabis.

An dicemus aliud esse fami satisfacere,aliud voluptati,vrget male suada fames lupum, & canem adire pericula, & labores tolerare insanos.

At voluptate non mouentur,neque curant edere cum non esuriunt,aut bibere cum non sitiunt,quod frequenter nimium faciunt homines. At re uera maiorem percipiunt in cibis homines voluptatem quam bruta,si quidem exquisitiorem, & perfectiorem habent sensum tactus, quam cætera animalia, gustus vero est tactus quidam, nempe quo sapores discernimus; At sapor non est alimentum neque qualitas ad alimentũ necessaria, sed quæ illud concomitatur, & quo tanquam indice cognoscimus,quidnam sit, quod commodum possit, aut incõmodum apportare, exactissimum autem sensum tactus diximus hominem habere,quoniam maximè est animal,idest temperatus, & in mediocritate extremorum constitutus,cuius inditium est,quod quæ nobis temperata videntur, canibus calida nimis apparent,felibus aũt frigidiuscula forsan,quam nobis. In sumendo cibo voluptas est,quoniam hæc est operatio secundum naturam, est voluptas,quæ consistit in perfectione operationis secundum naturam,naturalissimum autem est se ipsum conseruare, & sibi simile generare,his igitur duobus cum dat operam homo,non secundum quod est homo, sed secundum quod est animal, secundum naturam operatur animalis,quæ in ipso perfectior est,animalis enim perfectio in sensu tactus consistit,quem homo habet exactissimum,perfectissime autem operatur, dum nusquam impeditur, non à parte obiecti, non sui, non instrumentorum, non externarum conditionum, tunc igitur uoluptatem percipiet, & quoniam perfectio finis est, & fini accidit eorum,quæ fiunt esse ultimum, inde efficitur, ut in extremo naturalis operationis sentiatur uoluptas, & si naturali propensioni addatur etiam habitus,siue habituata uoluntas, aut desiderium, cum non solum secundum naturam, sed etiam secundum uoluntatem contingat operari nos,ideo etiam maiorem percipimus uoluptatem,est ergo hæc in cibo uoluptas,& in hoc maior, quam in illo,quoniam hic magis, illo desideratur,uel ex aliorum relatione,uel ex odore,qui arridet,uel ex temperamento, aut quoniam assueti sumus hoc magis uti,quam illo, quo factum est,ut quidam delectantur cæpis,& allijs,quidam eadem abhorreant,atque edulia in quibus hæc sint sustinere nõ possint, & cum diuersæ sint hominum temperaturę, diuersis etiam delectantur cibis,prout Galeno uidebatur,qui frigidum uentriculum secundum naturam delectari frigidis,calidũ calidis dicebat cibis,nam simile secundum naturam simili delectatur, & gaudet,contrario dolet, & mæret.

Contingit tamen hanc temperiem à consuetudine hominum uinci,mollis enim est humana natura, & facile in oppositum statum contrarijs habitibus deducitur, & statuitur. In sumendo igitur cibo quod insit uoluptas, & cur insit dictum est.

Cur deinde hæc istis,illa alijs placeant edulia, probabile est à naturali temperie procedere, quam indiuidualem nonnulli appellant proprietatem.

Non

Non crederem tamen maiorem esse voluptatem veneris, quam cibi, si alia circum scribantur, melius enim est se ipsum conseruare, & esse, quam alios, & prior nobis est conseruatio nostra, quam aliorum generatio, quamuis natura generationem magis quam individui quærat conseruationem, at secundum quid maior est veneris, quam cibi delectatio, nam promptius, & auidius adolescens amans, coniungi cum amasia desiderabit, quam cibum quantumius illi suauem; at si æque destituatur, & cibo, & venere, puto futurum, vt fames amorem omnino longe fugabit, sine Cerere siquidem, & Baccho friget venus, fames illa est, quæ vere sedat amorem, & nugas de corde propulsat, corpori igitur pleno, & adolescenti saturo longe suauior est amasiæ concubitus, at qui fame premitur, & cibum cupit, aliud quam venereas animo agitat illecebras. *Cibi ne an veneris maior appetitus.*

APOTELESMA XXV.

Quicunque autem pectus magnum habent, & dearticulatum fortes sunt secundum animam, referuntur ad masculinum.

AB vmbelico, & ventre, quem secundum dixi, ad contemplandum pectus ascendit Aristoteles, cuius vnicum tantum affert theorema, cui inest pectus magnum, & dearticulatum ille fortis est secundum animam, hoc est animam gerit audacem. Duo igitur sunt accidentia, quæ pectori debent inesse, quod scilicet sit magnum, secundum omnē dimensionem, nempe longum, & latum, & crassum siue altum, nam si longum sit, & strictum, vel latum, & breue, aut tandem quamuis longum, & latum foret, attamen tenue, & non crassum nusquam fortitudinem, & audaciam indicaret, sed cum strictum est pectus, pauidum indicat animum, & ad phthisim propensum, cum vero est breue impedita est respiratio, insensatumque demonstrat, at si tenue fuerit summam arguit debilitatem, caloris & spirituum, quare iure dixit pectus magnum, quod arguit materiæ copiam, sed requiritur etiam dearticulatio, quæ formam, & formæ, aut agentis causæ docet virtutem, & præstātiam; est autem membrum dearticulatum, & ipsamet dearticulatio formatio, & perfecta distinctio omnium partium certum membrum componentium, quare dearticulatum, dicitur membrum, quod omnes suas partes distinctas, & secundum naturam perfectas, & finitas obtinet.

Dicit ergo cui pectus magnum, & dearticulatum est, ille ad genus masculinum refertur, qui ad genus masculinum refertur, ac masculo similis est secundum animam, ille fortis est, & audax, ergo cui pectus magnum, & dearticulatum adest, ille fortis est, & audax. Maior iampridem nota, dudum enim ostensum est, masculini generis hanc esse passionem propriam, vt sit audax, & forte, & periculis prompte se se offerat. Minor etiam declarata fuit, amplius tamen etiam exponetur, nā cui inest pectus latum, longumque, & per omnes dimensiones magnum, & dearticulatum, illi inest multa quidem materia, sed magnopere obediens calori multo, & cui inest multus calor in materia, illum ipsum secundum naturam continente, illi inest vis masculā; masculum enim diximus, in quo prevalet calor igneus, & siccitas terrestris ergo cui inest tale pectus illi mascula etiā inest indoles, & natura, cæterum quamuis plures aliæ sint pectoris corporeæ, & sensibiles dispositiones, de hac tamen solum locutus est Aristoteles; Nam hac cognita etiam oppositæ cognoscebantur, quæ nempe neque magnum, neque dearticulatum pectus habebant humanæ figuræ, illæ omnes ad fœmineum referentur genus, neque audacem, & fortitudinem, virileque indicabunt ingenium, carinata pectora aues referunt, & hominem vanum, mobilem, & fallacem indicant, atq; non valde timidum, caloris enim ignei non paucam quantitatem significat figura hæc.

Carno-

Carnositas ad fœminas refertur carnosum pectus ruditatem, & timiditatem monstrat, superat enim excrementitius humor, & naturalis calor est remissus.

Not. Quales gibbi.

At si in mediocri corpore pectus fuerit latum, & dearticulatum non tamen magnum secundum omnes dimensiones, sed illi gibbositas quædam addita fuerit, illũ dices superbum iracundum, cupidum, rapacem, inuidum, malignum, quod tum experientia dictat, tum ratio idem ipsum diligenter contemplanti persuadere videbitur; calor formans ignẽ referens in se ipsum conuersus, & à materia impeditus gibbositatem, aut in spatulis quandam effingit curuitatem, calorem igneum sequitur iracundia, & superbia, ignis enim proprium est alia omnia superare elementa, & quoniam ignei caloris natura est attrahere, & quæ in propriam substantiam nata sunt posse conuerti, ad se rapere, etiam in composito cũ prævalet suæ naturæ memor, hominem facit rapacem, atque alienorum cupidum, & propter hanc eandem causam inuidum, & malignum.

Concauum autem pectus, si homini ventricoso accesserit anhelitus inducit difficultatẽ, quare timorem cum audacia compositum, & cum à periculis abest hic superbus, audax, & terribilis, minaxque videtur, exæstuant enim in angusto, & male formato pectore calor, & spiritus; si uero instet, atque immineat periculum, compressi, & coarctati spiritus mutuo se impediunt, at obruuntur, atque extinguuntur, non secus atque aduenit accensæ candelæ, quæ in parua cum fuerit inclusa laterna à semetipsa proprio fumo extinguitur, si prohibetur ne per opportuna exeat spiracula sic etiam præsens periculum, quod natum est timorẽ incutere, ad cor sanguinem, & spiritus repellit; quare eo in loco, quando pectus est, in medio angustum coacti extinguuntur, & frigescit cor ijsdem extinctis, vnde timor existit.

Quod vero pectus planum est, & macrum mediocre, & glabrum notat hominem mediocriter timidum, glabrum enim est, quare, & sub frigidum, sed morigeratum, & bene compositum, nam figura ea media est inter concauam, & conuexam, quæ vtræque sunt præter naturam, & quoniam bene moratus est, etiam humanus, & quietus erit, & pacis amator, qui neque iracundus, neque terribilis, neque tamen stupidus, & vilis existat; nam ea quam diximus carnis carentia, docet calorem naturalem non esse penitus remissũ sed pectus sit depile, ac glabrum quoniam rariores sunt cutis meatus, & sanguis non multum terrestris crassitiei in se habeat.

Rubicundum pectus interiorem furorem, & irarum maximum æstum, siuè valde ad iram sæuissimam paratum hominem notat, ignis enim multus intima occupat.

Quod pilis refertum est, si conuenienter magnum fuerit, & dearticulatum, audaciam, vigoremque demonstrat, vigent enim spiritus, & calor qui in materia solida, & terrestri positus est, quare fuliginem emittit, ex qua pili fieri solent, idem propter terrestre prædominium, & melancholicum, erit obstinatus, & duræ ceruicis, liberalis tamen, quam diximus supra esse propriam audacium passionem; amplius, & luxuriosus, & in mulierum amorem pronus, & qui facile ceu Hercules, & Sampson illis seruiat; calor enim in melancholia posit is multitudinem spirituum ad erigenda libidinis membra excitat, & ex humiditate adusta nascitur salsus, & acutus humor qui maximè excitat, & irritat partes in quibus reperitur ad expulsionem, vnde salacitas oritur, sic Martem antiqui ueneri iunxerunt, sit ex mari ortam dixerunt.

Demum quorum pectus paruum fuerit, & tuberosum illi mali moris erunt, & quibus nihil confidere oporteat, monstra enim sunt, & peccatum est circa principium vitæ, paruus autem error in principio, in processu deinde maximus euadit, contingit autem tale vitium, & ex materiæ inobedientia, & ex caloris defectu, quare muliebre genus non solum referunt, sed quæ in muliere vitia sunt, in hoc hominum genere in excessu esse, est probabile, nam timidi sunt, viles, maledici, obstinati, iracundi, inuidi, maligni, detractores, & delatores, & quæcunque alia vitia comitari solent, caloris debilitatẽ, & eiusdem ac spirituũ

inordi-

inordinatum motum, ſicuti enim cum membra ſunt ſecundum naturam diſpoſita, contingit animal ipſum ordinatè moueri, & operari, & tunc qui ſecundum naturã diſpoſitus eſt homo bene ſe habet, ac rationabiliter procedit, ſic etiam cui principalia mẽbra præter naturam ſe habent, illius neque ordinate ſe mouet calor, aut ordinate agit, quare neque ſecũdum naturam, neque rationabiliter; non igitur bonus eſſe poteſt, vnde locus eſt prouerbio factus, gibboſum nullum, nullumque tuberoſo præditum pectore virum bonum, & ſecundum rationem viuentem facile reperiri poſſe.

APOTELESMA XXVI.

Quicunque autem metaphrenum habent magnum, & bene carnoſum, & articulatum, fortes ſunt ſecundum animam, referuntur ad maſculinum genus.

QVinam ſint fortes ſecundum animam, & quid fortitudo dictum eſt ſupra, nẽpe aptitudinem quandam naturalem ad fortiter agendum, & propulſanda pericula, & ſuſtinendas aduerſitates; Per Metaphrenum, dorſi intelligere oportet eam partem, quæ pectori, & propriè diaphragmati opponitur, ex ſcapulis, & principio coſtarum, & vertebris per quas tranſit ſpinalis medulla, conſtans.

Eſt igitur ſententia Ariſtotelis. Cui ſuperius dorſum, quod pectoris oſſi opponitur fuerit magnum carnoſum, & articulatum ille erit fortis ſecundum animam, hoc eſt audax animoſus, & paratus ad ſubeunda, & ſuſtinenda pericula, cauſa huius aſſertionis eſt, quoniam, qui tale habẽt, dorſum referũt maſculinum genus, at quorum corpus maſcula habet membra, illi ſunt fortes, & audaces ſecundum animam, ergo quorum dorſum tres illas habet conditiones, illi ſunt fortes.

Minor conſideranda eſt, quod quorum dorſum eſt magnum illi ad maſculinum genus referantur, etenim ſi maſculini generis propriũ eſt, vt in eius corpore præualeat calor cuius eſt dilatare, eiuſdem ergo etiam proprium erit pectus dilatare, pectus igitur latum habebit, qui ad maſculinum genus refertur, homo; quare etiam quæ opponitur pectori pars lata eſſe debebit, hac igitur ratione in maſculo cum latum ſit pectus, etiam dorſum erit latũ, aliter enim id fieri non poſſet, & dearticulatum quoniam in maſculo genere præualet virtus formatrix, ac multo magis materiæ dominatur, quã in fœminino genere, quare ſi dearticulata membra dicunt quæ bene finita, & completa ſunt, idque contingit cum valida eſt virtus generans; hæc autem valida eſt magis, in genere maſculino, quàm in fœminino, ergo dearticulatam metaphrenum maſculinum eſt, & qui id ſortiti ſunt ad genus maſculum referuntur.

Vtrum autem oportet etiam dearticulatum eſſe ad hoc, vt aliquis ſit fortis ſecundum animam? ego ſánè id credo, nam ſi magnum ſit, non tamen dearticulatum, materiam quidem multam adeſſe, verum non obedientem calori naturali, & formatrici virtuti in primordio non fuiſſe docet. *Dub.*

Si vero dearticulatum fuerit, attamen non magnum dorſum, virum dicemus bene quidem moratum, & rationabilem, & elegantem (nam uirtus formatrix, & calor ſuperat materiam, quæ magnopere paruit in principio generationis) timidum tamen, vel circumſpectum potius, quam audacem, apertum, & reſolutum; requiritur etiam carnoſitas, nam niſi toroſum fuerit dorſum, ſi carne deſtitutum apparebit, cum caro ſit, quæ muſculos ſtatuit, qui motus ſunt inſtrumenta, ſi caro non aderit, neque muſculi robuſti erunt, at maſculina quæcunque ſunt, ea cæteris, quæ ſunt eiuſdem generis robuſtiora ſunt, quare quibus carnoſum eſt metaphrenum, iiſdem robuſti ſunt muſculi mouentes brachia, & ſcapulas, robur ad maſculinum genus refertur, ergo quorum metaphrenum eſt carnoſum, magnum, &

dearti-

dearticulatum illi ad genus musculinum referuntur, quod fuerat probandum.

Maior erat, quod quæ sunt masculini generis illa sint secundū animam fortia, quæ quādo satis superque probata fuerit, non est quod quid quam addatur amplius.

Cæterum noto cum dicatur, quæ masculini generis ea fortia esse, semper comparatiue hoc dici, & comparationem fieri cum individuis, quæ sunt eiusdē speciei specialissimæ nec speciei tantum, sed etiam ætatis temperamenti, & naturæ, non enim adolescentulum, aut ephebum cum uiro iam adulto comparabis, sed alio adolescentulo, neque biliosum, cum sanguineo, aut pituitoso, sed bene tunc cedet, quando in omnibus alijs seruata fuerit æqualitas.

Amplius noto, quod membrorum, quæ in figura masculina reperiuntur, aliqua magis, alia minus ad masculinum accedunt genus, atque ad ipsum referuntur, ea autem magis marem indicant membra, quæ fortitudinis indicia sunt, fortitudinisque præcipua sunt instrumenta, quare magis manus, brachia, pedes, & lacerti, amplius pectus, & metaphrenū fortitudinem indicabunt eam, quæ naturalis est, quam caput, aut uenter, aut dorsum, aut alia corporis membra, quid igitur metaphrenum hoc modo dispositum præsagiat ex his manifestum est.

APOTELESMA XXVII.

Quicunque autem habent metaphrenum imbecille, & non carnosum, & in articulatum molles sunt secundum animam referuntur ad fœmininum genus.

SEntentia clara est; etenim è diametro superiori opponitur, dicit Aristoteles, Quorum hominum metaphrenum est imbecille, ita, vt robur in se non habeat, & sit carne carens, & inarticulatum illi molles sunt, videtur autem opponi magnum, & paruum, erat illud superius magnum, nempe extensum, & valens, hoc vero paruum, & debile.

Vbi noto, vt magnitudinem, & dearticulationē sequebatur robur, ita nunc ad paruitatem, & non articulationem virtutis motricis sequitur imbecillitas, etenim virtus motiua organica est; quare, & corpus dearticulatum requirit, cuius inditium est, quod quæ corpora non sunt dearticulata, illa fermè carent motu, quod in lepore, atque in echinis marinis, in vrticis, & spongijs licet aspicere, videtur autem esse pene communis passio omnium eorum compositorum quæ zoophyta vocatur, & enim imperfecta admodum, & inchoata animalia sunt, & motum propter hoc habent obscurissimum, eum qui est secundum locum, quid autem sit inarticulatum esse ex prædictis patet, contrariorū enim est eadē ratio.

Non carnosum autem, hoc est non torosum, non lacertosum, causa est, vt musculi robusti non fiut, caro enim lacertos significat siue musculos, ex hac enim, vt materia propria cō fistunt, cum nihil sit musculus præter quam caro fibris prædita, & certa membrana conclusa, quare cui inerit metaphrenum, & humeri, tales, nempe parui, & debiles, non dearticulati, & non carnosi, ideſt non musculosi, hic erit mollis secundum animam.

Ratio huius affirmationis est, quoniam talis metaphreni dispositio est fœminilis, & omnis fœminilis dispositio in corpore apparens, mollitiem in anima indicat, ergo cui tale adest metaphrenum ille mollis est secundum animam; maior sæpius demonstrata est, ad minorem deueniendum est, quod metaphrenum imbecille non carnosum, & indearticulatum sit fœmininum, id probatur, quoniam tale metaphrenum virili, & masculo oppositum est, quoniam causatur à virtute formatrice debili, & diminuto calore, talis autem calor, & virtus fœmineum genus effingit, & format, quare metaphrenum paruum est, in paruo instrumento, & in articulato, hoc est imperfecto non potest esse virtus magna, & propter hoc imbelle est metaphrenum, & quoniam informe est, & ad motū ineptum, oportet

etiam

etiam lacertos non magnos esse, neque musculos torosos, quoniam non est carnosum; quod fuerat probandum.

Sed subito exoritur dubitatio, nam diximus fœmineum genus esse carnosius masculino, amplius quorum corpus est frigidius illorum etiam est pinguius, quare & carnosius, subfrigidum autem esse fœmineum corpus si cum viro comparetur certum est; demum cui dubium, fœmineum pectus esse virili carnosius, quare etiam metaphrenum, & id experientia confirmat, fœminarum enim humeri, & colla carnosiora videntur, quam sint virorum. *Dub.*

Ad hanc dubitationem respondendum est, & ad primum, dictum est fœmineum genus esse carnosius quo ad partes inferiores, non autem quo ad superiores, nam coxæ, clunes, & suræ muliebres sunt carnosiores viris, si inter se comparentur secundum proportionem, hoc est caro fœminilis superat ossium pondus, magis quam virilis, quo ad partes inferiores, at quo ad superiores non est eadem proportio, & maior est virilis caro in proportione, quam muliebris. At secundum argumentum verum est, q̃ aliquando contingit hominem cuius corpus est frigidiusculum, esse pinguiorem, sed non est verum quod omnis pinguis sit carnosus, nam, vt in auibus clarum est, aliud est esse pingue, aliud esse carnosum, multaque animalia pinguia sunt, vt maiales, & verueces, non tamen carnosa, & multa deinde carnosa, vt cerui aliquando, & damæ, & lepores, quæ non sunt pinguia; pinguior igitur plerunque superius mulier est, quam vir, non tamen semper carnosior; at vltimo quamuis fœmineum pectus uideatur esse carnosius uiro, hoc tamen non est uerum, caro enim non est, hoc est lacertus, & musculus, quæ abundet in fœminili pectore, sed cutis, & adenes, siue glandulæ, aut glandosum corpus ex quo mammillæ ad fœtum nutriendum sunt fabricatæ, contingere autem potest, quod etiam metaphrenum fœminile appareat carnosius, quam uirile, at non est uerum; uidetur enim esse tale, propterea quod cutis multa pinguedine tumet; at quod caro musculosa, & fibrosa consistat eo in loco, iam id esse falsum diximus; experientia enim constat fœminiles humeros, armos, & brachia esse teneriora, & debiliora multo, quam sint uirilia, & minus laboris tolerantia.

APOTELESMA XXVIII.

Quibuscunque autem metaphrenum curuum est valde, humerique ad pectus contracti mali moris sunt, referuntur ad apparentẽ conuenientiam, apparent enim partes anteriores conuenienter dispositæ.

DVrior huius apotelesmatis sensus esse uidetur, attamen, ut puto, hæc est sentẽtia, cũ de metaphreno tũ uirili, tũ muliebri sermonẽ fecerit, q̃ sm̃ genus inter se cõueniẽtia oppositis differentijs distinguuntur, qñ contingebat metaphreno præter has prædictas, alias etiam accidere dispositiones, & qualitates, de his etiam mentionem facit, dicens de formatione, & figura ipsius duo, quorum unum nunc, alterum infra ponitur; nunc ait, qui habet metaphrenum ualde curuum hoc est, ut referat semicirculum ab unius principio humeri ad principiũ alterius ita, ut humeri ualde sint contracti ad pectus, ille est mali moris, hic aũt mos malus potest capi tripliciter, uel in uniuersali, ut tã sit ad actiones, quã ad cõtemplatione, & sciẽtias male dispositus, uel ad actiones tm̃, ut sit sẽsus uirũ hũc esse mali moris, hoc est in societate hominum non bene versari, quoniam sit inuidus, malignus, superbus, & qui bene cum alijs conuenire non potest, proprie autem, vt mihi videtur, ille dicitur esse mali moris, qui propensus est ad nocendum, & inferendum malum, & noxam alijs sine causa, quare & superbus, & obstinatus, & irrisor est, & quodammodo alienis doloribus,

& malis præter rationem delectatur; vnde non multo laudabilis indolis esse videntur illi pueri, qui aut vtensilia frangere, aut domesticas res corrumpere gaudent, aut torquere, & dolorem incutere canibus, catis, auibus lætantur, & pueris minoribus natu insultare, sic nescio quidam puer natus princeps deprensus quasdam auiculas discerpere, & eo sanguine cum fædaretur, lætari sæuissimum regem futurum augurati sunt; neque eos augurium fefellit; mali moris igitur in actiuis sunt, qui alijs propensi sunt ad nocendum; similiter in factiuis qui artes ingeniosas, & liberales neque possunt, neque volunt addiscere; in contemplatiuis autem qui immemores, qui indociles, & incapaces sunt; est igitur, vt puto, Aristotelis sententia, quæ præcipuè aspiciat vitam actiuam, vt dicamus, mali moris eos, qui alijs noxam inferre delectantur; non lacessiti, & sine causa, vt id probet Aristoteles ait; talem figuram referri ad apparentem conuenientiam, & id quod dixerat amplius declarans ait, apparet enim sensui partes anteriores habere figuram aptam, & conuenientem ad indicandum morem malum, & insitam malignitatem, hoc est pectus ita esse dispositū, ut demonstret intuenti contrariam dispositionem, & figuram illi, quam solent naturaliter habere, qui bene morati sunt, & benigni, est enim, vt inquit Suessanus, dignitas in physiognomicis.

Qui sint mali moris

Quod si naturalis, & conueniens, & apta corporis compositio bonas indicat dispositiones, & mores, mala, & præter naturalis malos mores ostendat, & sicuti vna tantum est quæ proba est dispositio, vno enim modo rectum est, & bonum, ita multiplex est, mala, & obliqua; id autem pendet ex eo quod naturales animæ potentiæ quam plures, videntur esse actus corporis, & virtutes in materia; erit igitur Aristotelis argumentum tale, cui ineſt metaphrenum incuruatum, & humeri ad pectus incuruati ita, vt puerorum ludentium tensum arcum præseferant cuius chorda sit pectus, ille necessario habet partem anteriorē præter naturaliter dispositam, & humeros inepte formatos; cui, & pectus, & humeri sunt hoc modo dispositi, eidem ineſt mos conueniens, & conformis huic dispositioni, sed mos malæ dispositioni conformis malus est; ergo cui ineſt tale metaphrenum, illi ineſt etiam mos malus, & mala mens, & mala indoles; quod autem hoc verum sit, quod dicitur, ex contemplatione assumptarum propositionum innotescet, harum prima est, cuius metaphrenum curuum est valde, & humeri contracti illius pectus est præter naturaliter formatum, quoniam bene formatum pectus debet esse planum, & latum, vt in figura fortis dictum est, & vt dicetur infra bene formatum metaphrenum, neque conuexum nimis, neque concauum esse debet, quare cui pectus, & metaphrenum tale, ille est secundum naturam quo ad hæc membra dispositus, ergo qui non talis non erit secundum naturam, nã, vt sæpè dictum est, si affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis erit causa, causatur autem hæc prater naturalis dispositio metaphreni aut ab inobedientia materiæ duræ, & rebellis, quæ calori naturali, & virtuti formatrici nimium resistit, aut ab impotentia eiusdem virtutis, quare & necesse est in temperamento præualere humorem melancholicum, & terrestrem, & cum error fit in formatione illius membri, quod spiritualia continet, difficile est credere quin error etiam nõ contigerit circa ipsamet membra, quæ totius vitæ sensitiuæ principia existunt.

Altera propositio assumpta est, quod qui sic formatum pectus habet, & humeros, ille secundum has partes necessario est præter naturam dispositus, quoniam secundum naturam pectus, & humeri oppositio modo sunt affecti; quare necessario humeri, & pectus, qui secundum propositam apparent dispositionem affecti, præter naturam, & ordinem humanæ figuræ existent.

Quod autem hanc illaudabilem figuram sequetur mos conformis non habet vllam dubitationem, nam si ad naturalem dispositionē sequitur ingenuitas, & bona indoles, ergo

go

go, & ad malam malus mos, & indoles improba ſequetur, turpem enim animam inhabitare corpus turpe probabile eſt, & eo magis cum turpitudo, & præter naturalis diſpoſitio non eſt cute tenus, ſed penetrat, ita, vt noxa principalibus membris illata credatur.

At propter hæc, cauſa non apparet quòd cuius tales ſunt humeri, & metaphrenum, ille ſit mali moribus, & niger, vt dicebat Horatius, nam certum eſt, turpem fuiſſe Aeſopum, turpem Plotinum turpiſſimum Epitectum, qui tamen viri optimi fuere, & ſanctiſſimi; At forte hi in externis, & ſecundum ſuperficiem erant deformes, internas autem partes ſecundum naturam diſpoſitas habebant, inquirenda eſt igitur huius effectus cauſa.

Primũ igitur qualis nã ſit homo malorũ morũ cognoſcitur ex eius charactere quem expreſſit Horatius ſatira tertia primi; hunc inquã vocans nigrũ, quem interpretantur improbis præditum moribus, & ingenio malo, ad quam facile reſpexit, etiam Pythagoras, cum dixit, De ijs, quæ nigra ſunt cauda, non eſt guſtandum hoc eſt, alios, qui lædere gaudet, & hoc ſtudioſe, ac ſedulo facit. Talem dicemus;

— Abſentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis;
Fingere, qui non viſa poteſt commiſſa tacere.
Qui nequit, hic niger eſt. Hoc eſt mali moris.

At epitectus, & Aeſopus tales non erant, quod autem qui incuruum, & globoſum habet metaphrenum ac præcipue à prima metaphreni vertebra, vſque ad quintam, maximè autem circa ſecundam, & tertiam; hoc certum eſt, & apud nos experientia confirmatum; & enim quos globoſos dicunt habere humeros, vulgo multa malitia refertos vocamus, & ferunt Marcum Antonium talem fuiſſe, hominem impurum, & doloſum; at propter quid mali moris eſſe diximus, qui ſecundum ſe ſtudioſe prauus eſt, & alios etiam immerentes lædere gaudet? ac rodit abſentes amicos, nec alio culpante defendit, an certe hic mendax eſt, & dicax, & mediocriter timidus, non enim abſentem roderet; cum autem dicax ſit, etiam mediocriter eſt ſiccus, at cum volens, & data opera ſit prauus, obſcuratã affectibus habet mentis aciem, & cum ſiccus ſit, & mediocriter calidus melancholici eſt temperamenti, refertterram vere nouo calore modico calefactam, multi igitur vapores generantur quare & multi venti menſe Martio eleuantur, at vapores ſicci admodũ, ſed mediocriter calidi mentem, agitant turbant, odium, & inuidiam inducunt, ergo ſi cui talis ineſt metaphreni figura, ille circa principium animæ abundat humore, vel materia ſicca valde, ſed mediocriter calida, quæ cum multos vapores ſiccos emittat cum ſpiritu vitali iunctos hi propenſum faciunt hominem ad iniquos mores, vt ſupradictum eſt, ergo cui ineſt tale metaphrenum, hic erit mali moris, & eo magis ſi contigerit vitium hoc communicari aortæ, & pulmoni, & cordi, hoc ſi quidem arteria prohibetur, ne rectè ſurſum in cerebrum feratur, quare & ſpiritus inordinatiores aſcendunt, & inæquales; & ideo inæqualiter ſegerit, & quoniam accidit hos eoſdem ſpiritus propter eandem cauſam longiorem moram in aſcenſu trahere, ideo etiam perſpicaces, & aſtuti apparent, ſed, vt dixi maligni, & cum apti ſint ad aſtutias, fingere poſſunt plura mendacia, & riſus hominum captare, & dicaces videri, Hoc hominum genus mirifice odioſum eſt, quoniam neque ioco, neque ſerio, ex vſu eſſe poſſunt, ſtudio, & ex delectuque praui ſunt, quare, vt ille ait, hunc tu Romane caueto.

APOTELESMA XXIX.

,, Quicunque autem metaphrenum eminens habent, glorioſi, & inſipientes ſunt, referuntur ad equos. Quoniam autem neque curuum, vehementer oportet eſſe, neque concauum metaphrenum, medium ſiue mediocre eſt illud, quod requirendum eſt in eo, qui boni moris eſt, & bene natus dicitur:

IN duo ſecatur præſens apoteleſma, prior pars nouum prædicatum, & prognoſticum affert præter naturalis metaphreni, poſterior continet normam, & regulam ſecundum quam cognita naturali diſpoſitione metaphreni, etiam præter naturalem eiuſdem diſpoſitionem cognoſcere poſſimus.

Vt mihi videtur, hoc metaphreni prædicatum ſupradicto quodãmodo opponitur, illud erat conuexum, & ſphericum, hoc dicitur eminens, & pineatum, non enim aliter eſſe poteſt, ſi ad equos referri debet, illorumque diſpoſitioni circa hanc partem aſſimilari. Vt igitur videmus in equis eam partem eminere, in qua vtrique concurrunt armi, ea autem eſt, quæ ante Ephippium immediatè apparet diſcooperta, ſi eadem, aut ſimilis eminentia in hominis metaphreno apparebit, illum dicemus eſſe glorioſum, at quod glorioſum, quidam interpretantur inepte liberalem, & inepte de ſe magnifice ſentientem, ſe ſe que oſtẽtãtem, videtur autem declarari eo verbo, quod in græco appoſitum, in latinum conuerſum non fuit, quod demens ſignificat, vt ſit ſenſus, quorum dorſum prominens eſt, & aliquo modo pineatum illi ſunt glorioſi, & inepte de ſe magnifice ſentientes, & dementes, rationem affert, quoniam ſimiles ſunt equis, hoc eſt referunt eam in equi corpore partem, cui in eiuſdem equi anima reſpondet iactantia, & inepta illa ſui ipſius oſtentatio, & dementia, quæ in eodem ſolet deprehendi expoſita eſt Ariſtot. ſententia, & quod tales ſint equi circa corpus, pineatos enim armos habere cerni poteſt; Aſt quod ſint ſecundum animam tales, examinandum videtur, ac ponendum quændm oſtentatio, & cuius generis dementia in equo deprehendatur, illa autem eſſe poteſt natura, quam Virgilius elegantiſſimè in georgicis exponit, quod altius ingrediatur, & mollia crura reponat.

Primus, & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſe ſe committere ponti
Nec vanos horret ſtrepitus & paulo poſt
— Si qua ſonum procul arma dedere
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus.
Collectumque premens voluit ſub naribus ignem.

In equo ergo, vt mihi videtur, oſtentatio conſiſtit in hoc, vt altius quam deceat ferat caput, & ſuperbe crura iactet, ſibique placeat, hoĩem autem, qui primatum, & præcedentiam in omnibus ſibi arroget, quæ neſcit, quæ non nouit quæque ignorare cognoſcit, aſſerere audeat, & quæ remota ſunt pericula rideat, nihilique faciat, ſtare loco neſciat, iratus cum ſtrepitu ſpiritum trahat de naribus, & in Deum, atque homines, verba ignominioſa iactat, hunc dicam glorioſum, ventoſum, arrogantem, ac ſimul dementem, inflatumque, & ampuloſum; cui ergo, inquit Ariſtotelis, metaphrenum prominens, & in acutum vergens, & angulum obtuſum referens inerit, ille erit ventoſus, glorioſus, ac demens, quoniam erit ſimilis equo, cuius hæc videtur eſſe proprietas, nam cum equus ſit glorioſus, & demens, vt etiam in apologo de equo, & ceruo teſtatur Horatius, homo qui illi ſimilis eſt ſecundum eam partem ſecundum quam eidem ſimilis eſſe poteſt, illum etiam ſimiliter ſecundũ animam referet, & ceu equus ventoſus erit, & demens.

At mi-

At mihi ſane eſt hoc dubium valde, nam pineatum metaphrenum neque equorum tãtum eſt proprium, ſed aſinorum, & mulorum, quin & boues idem videntur habere, quorum nullum ventoſum, & glorioſum dicemus, Amplius quomodo pineatum tergus poteſt glorioſum, aut dementem hominem oſtendere? quid enim partis habet tergus, & metaphrenum, in actione arroganti, & veſana? *Dub. An pineatum metaphr. ſit arrog. ſignum*

Horum nonnulli occultas eſſe cauſas dicunt, & ſola experientia rem talem comprobatam, ſicuti incertum eſt cur, & magnes ad polum conuertatur, & cur quidam adeo horreant aſpectum cati, alij animo delinquant ex odore vnico origani, alij demum adeo fugiant moſcum, vt ſi eiuſdem perceperint odorem ſubito deficiant, & ſubuertatur ſtomachus, & caput, cuius rei exemplum domeſticum, & toties viſum afferre poſſum. At ſane nullus eſt effectus ſine cauſa, & effectus æternus cauſam æternam, continuus habet continuam, mortalis, corruptibilis, & temporalis ſibi cauſam vendicat etiam ſimilem, impoſſibile autem eſt ab æterna cauſa aliquid noui fieri, niſi ea alio, atque alio modo diſponatur, quod vero accidit noui, nouam etiam cauſam ſortiri neceſſe eſt, quod ſi alicuius effectus cauſa ignoratur, non ideo ille cauſa caret, aut ſi occulta eſt, non ſimpliciter, ſed nobis occultam eſſe contingit omnino.

Dubitatio hæc mihi quidem difficilis videtur, primum enim verum eſt equorum, & aſinorum metaphrenum, boum etiam eſſe ſimile; equi, & aſini in hoc etiam conueniunt, vt vtrique dementes ſint, neque enim prudentem aut diſcretum, niſi ridicule dixeris aſinum, muli ex vtroque participant, bouinum metaphrenum ab equino, vel plurimum diſtat, aſini etiam ab equis, videre enim eſt equinum tumidius eſſe, & minus ad angulum accedere obtuſum, illud à rectis lineis, hoc equinum à conuexis fieri; In angulum acutum cedunt lineæ, quæ ſtatuunt pineatum aſini metaphrenum, quæ vero equinum curuatæ videntur, & portiones circuli quaſdam ad angulum obtuſum coeuntes præſe ferunt, cum autem dubitatur quid commune habeat pineatum metaphrenum cum ventoſa, & glorioſa anima, cum actionis ventoſæ non ſit inſtrumentum; forte dicendum eſt, ſi non eſt inſtrumentum ventoſæ actionis, eſt tamen ſignum quod tale adſit interius inſtrumentum; neque etiam corrupta caluariæ figura, inſtrumentum eſt corrupti, & peruerſi diſcurſus, ſed præbet inditium, quod peruerſe affectum cum ſit intra contentum cerebrum, illud etiam peruerſe, & imperfecte operatur; neque tamen huius effectus ignotas penitus dixerim cauſas, omnis enim cauſa quatenus cauſa eſt, ſuo effectu ſimpliciter eſt notior, nihil tamen vetat, quin nobis ignota ſit, ſed ex his quæ nobis nota ſunt cognoſci poteſt. Quando enim ventoſitatis, & dementiæ accidentia ſpeculati fuerimus, definitionemque inuenerimus illam eſſe virtutem, ac formam in materia cognoſcemus, at quoniam certa forma certam ſibi determinat materiam, & determinatam certo modo effingit, ac figurat, profecto quod probabiliter ventoſi pineatum habeant tergus cognoſcemus, quare quibus tale fuerit tergus ventoſi etiam, ac dementes veriſimiliter erunt.

Inepte glorioſus, & oſtentator ille dicitur, qui ſignis, & verbis ſe alijs meliorem eſſe præter rationem demonſtrare tentat, in paruiſque ſe ſe effert, quare leuis, & ventoſus dicituri, imprudens igitur, probabile eſt ergo, illum ipſum penes principia ſenſus multum blis, ac ſubtilis ſanguinis in proportione ferè æquali habere; vnde cum ſpiritus calidi, & inſtabiles, & aerem calidum referentes in caput ferantur propter bilem glorioſi, & ſuperbi, propter ſanguinem dulcem inepti, & feſtiui appareant. vt ſic ex oppoſitis paſſiuis ferè æqualiter conſtitutos ſpiritus habentes, plerunque ridiculi exiſtant, ridiculos autem dicimus, qui ridicula faciunt, ea ſunt ridiculæ actiones, quæ ſine damno contradictionem, in ſe ipſis pene apparentem continent, vt ſi quis adoleſcens dum ſe pulchrum, & ornatum putat, & recta incedens, ad cælum caput attollit ſubito in lutum cadat, & ſit mulier, quæ

cum se ornatissimam publice monstrare cupiat subito labatur, & interiores vestes tritas, turpes, obsoletas, maculis, & situ plurimo distinctas omnium oculis subijciat, si igitur talis est ventosus, & demens homo qui se præter rationem alijs præponere gestit, procul dubio illum esse calidæ, & humidæ temperaturæ circa principia vitæ probabile est; at notandum quod materia non est probe composita, & subacta, nam si secundum humanam, & probã hominis temperaturam calidus, & humidus foret, hic neque ventosus, neque demens diceretur, ponendum est igitur quod duplex est in hominum specie temperies calida, & humida, vna proba, & laudabilis in qua calor, & humor cæteras superant quidem qualitates, attamen calor humorem in sesquialtera exempli gratia, vincit secundum virtutem, atque ita qui talem sortitus est temperiem ad omnes actiones prõptus est, & quiduis imitatur, ac discit, propter obedientem, ac maximè ad patiendum paratum humorem, in hac altera temperie de qua loquimur calor, & humor longe aliam inter se obseruant proportionem, & potius in super partiente, quam insuper particulari proportione iunguntur, non enim harmonice calor humori dominatur, neq. ille secundum rectam rationem calori paret. Sic ergo, vt puto differentia, quæ est inter has duas temperies, apparet; notandum est etiam in mixtione elementorum contingere discrimen, nam in proba, & perfecta mixtione, & præparatione materiæ hominis, maxime secundum naturam dispositi, facta est mixtio, & elaboratio talis humoris, & sicci caloris, & frigidi, vt nulla penitus vincat, & uincatur nisi secundum quod in locis proprijs id fieri accidit, vt scilicet in ossibus vincat siccitas, cædat in carne, calor in corde, frigus in cerebro superet, non quidem simpliciter, sed secundum quod recta mixtio ad formam hominis suscipiendam requirit.

In hac autem mixtione materiæ ex qua fit ostentator ineptus, & ventosus, ac demens in quo loco humor deficere deberet, verbi gratia, vt quattuor, deficit tantum, vt tria cum dimidio, & vbi calor remitti oporteret, ibi amplior est, quã membri recta ratio quæreret; quod si res ita se habet; contingit in vertebris primis dorsi, & circa principium costarum humorem magis, quàm oporteat abundare, calorem autem excellentem circa principia sensus, ac cor ipsum, in hoc homine esse, eundemque igneum, mouet autem ignis in acutum, vel anteriorem, vel posteriorem partem, si sanè anteriorem, pectus facit carinatum, & garrulos homines, fallaces, ac vanos referentes aues, at si calori impetum facienti in circum sitam cordi materiam cedant vertebræ, & costarum initia, efficitur pineata, & prominens metaphreni figura; docetque calorem multum cum humido improportionate iunctũ dominari; ex hac temperie ostensum est, attolli spiritus, qui ineptam, ac vanã illam pariunt ostentationem. Iure igitur ab Aristotele fuit assertum, cui metaphrenum est pineatum, & prominens ille insipienter glorioſus est, & ventosus, huius etiam proprium est, vt multa despiciat, absentes derideat, præsentes non curet, multa aliquando blateret, aliquando taceat, vt pompam ferens non nunquam incedat, aliquando vero huc, atque illuc cursitet, vt mihi Horatium legenti quandoque expressus Tigellius cantor videatur, cum igitur neq; curuum, neque concauum, neque acutum, neque depressum debeat esse metaphrenum, & omnes istæ figuræ sint improbandæ, consequens est, si extrema sint mala, mediocritatem esse bonam, & quærendam; & hoc est quod in secunda parte apotelesmatis dicit Aristoteles, Cum neque oporteat metaphrenũ esse curuum, vt arcũ, & conuexum, neq. oporteat idem esse concauum, quod carinato pectori opponitur; neque sit laudabile prominens & pineatum, & omnia hæc extrema sint, & figuræ præter naturales existant, consequens est, vt bene formatum metaphrenum debeat esse, planum, parum ad modum ad curuitatẽ accedens, vt vix oculi eam percipiant, & circuli magni paruam sectionem doceat; magnũ sit latum, carnosum, dearticulatum, vt supra dictum fuit, quale autem, & quantum debeat esse metaphrenum secundum latitudinem, sic est cognoscere, extenso homine alterum pedem circini in vmbilico tanquam in centro posito, deinde altero crure, aut manu, & brachio

chio quantum fieri poteſt extenſo tanquã interuallo vtere, & fiat circulus, qui per vltimas partes mediorum manus digitorum tranſibit, & per extrema pollicis vtriuſque pedum; huius circuli diametrum in tres partes diuidito; harum vnam ſi cæperis, amplitudinem, ſiue latitudinem naturalem humani metaphreni habebis; quæ ab hac ſectione recedit, maior, vel minor exiſtens, magis aut minus incuruata iam deſinit eſſe ſecũdum naturam, neque bonam indolem oſtendit, ſed vitium ſubeſſe aliquod circa principium ſenſuum, aut in virtute formatrice fuiſſe docet, ſecundum quod vitium ad actiones aut contemplationes, aut factiones non bene diſponuntur.

APOTELESMA XXX.

Quibuſcunque ceruix eſt articulis prominentibus, & humeri, illi ſunt ſani, & fortes ſecundum animam, referuntur ad maſculinum genus.

MVltum videtur eſſe differẽs in græco ſententia huius apoteleſmatis ab ea, quã Sueſſanus agnoſcit, & quam interpres attulit, hanc Camers, & Celſus referente Theſauri græci auctore, ſic interpretari videntur. quibuſcunque pars ſuperior humerorum inter vtraque principia ſcapularum cadens, nec non, & humeri ipſi fuerint extantes, & bene formati; illi ſecundum animam ſani ſunt, hoc eſt ſibi bene conſtant, & ad rem loquuntur, & agunt; iure igitur videtur Ariſtoteles de hac parte loqui quoniam hæc immediate cum metaphreno iungitur, per ἐπαφὴν. igitur intelligemus partem eam, quæ eſt inter vtrunque armum, quo loco poſita eſt vltimæ ceruicis vertebra, neque os, aut cutem ſolam, ſed totum membrum ſecundum quod oculis ſubijcitur, ac tactui, cupiendum eſt, quo ſane loco ſunt nexi muſculi, qui collum, & caput mouent numero ferme 14. proprium tamen illorũ eſt munus caput attollere, & ad latera circum vertere, qui enim deprimunt, & incuruant ad partem anteriorem cum ceruice, & ea de qua ſermo eſt, parte nihil habent commune; cum igitur muſculoſa eſt hæc pars, quæ caput mouet, neceſſario, & robuſta eſt, & cum humeri ſunt extantes (ſic legunt) Dicerem ego dearticulati, & perfecti, vt bene conſpiciantur ab alijs partibus corporis diſtincti, & per humerum intelligo proprie illam partem carne veſtitam, & neruis, & cute, ſub qua extremitas oſſis brachij cum clauiculæ, ſiue oſſis iuguli capite ad vtrunque ſpatularum ſinum conuenit, cum igitur pars hæc prominens, hoc eſt dearticulata (id enim græca vox à Camerte ſignificare dicitur) fuerit, & bene affecta, docet hominem eſſe ſanæ mentis, hoc eſt naturaliter eſſe bene diſpoſitum ſecundum animam vt ſcilicet ſit ingenuus, mediocriter fortis, & liberalis, & naturaliter placidus, verax, & mitis etiam, rationemque aſſertionis ſuæ afferens Ariſtoteles ait, quoniam hæc eſt maſculi figura, vt ſit ratio, quæ membra maſculinum genus referunt, illa in homine arguunt animã habentem diſpoſitionem ad maſculos moret, & actiones, at cui adſunt humeri, & ceruix quales diximus, illi inſunt membra maſculini generis, ille igitur, & ſecundum animam maſculas habebit diſpoſitiones, ac ſanæ mentis vocabitur, & ad operandum ſecundum virtutem erit apte ac probè à natura formatus.

Iam maior non habet difficultatem, minor erat, cui ceruix, & humeri ſunt muſculoſi pleni, & bene formati, ille ad maſculinum genus refertur.

Ratio eſt, quoniam maſculi proprium eſt, vt eius corpus melius formatum ſit, ac dearticulatum, quam fœmininum, perfectius enim eſt, quoniam robuſtior eſt, calor, & virtus formatrix in viro quam in fœmina. Cauſa uero propter quam cui talis adſit ceruix, & humeri tales, ille ſecundum animam ſit ſanus, hoc eſt ſecundum naturam diſpoſitus, & naturales hominis habeat diſpoſitiones, affectiones, & voluntates hæc poteſt aſſignari; quoniam effectus, & diſpoſitio hæc corporis docet uirtutem formatricem fuiſſe ualidam, & perfe-

perfectam, & quoniam quæ fotmauit, eadem eſt etiam, quæ conſeruat, probabile eſt conſeruatricem eſſe optime affectam, quæ vero conſeruat ea eſt, quæ regit, & gubernat compoſitum, hæc uirtus eſt organica, quare, & actus corporis organici, igitur anima, cui ergo corporis partes ſunt affabre factæ, ac optimè conſtitutæ illum, probabile eſt, & bene ſanã, ac ſecundum naturam conſtitutam habere animam, hunc ergo rationabilẽ dicemus, quod de Hercule ait Virgilius, Nuſquam rationis egentem fuiſſe.

Cæterum puto ego regulam ſatis certam, ac firmam eſſe, vt cui quæ circa cor ſunt mẽbra bene diſpoſita, & recte ſecundum naturam fabricata, ille etiam ſit bene ſenſatus beneque de rebus iudicet, quando affectibus non tenetur, pro vt naturaliter iudicandum, ac ſentiendum eſt; cui autem contrario modo affectæ ſunt corporis partes, animam etiam ſic diſpoſitam habeat, etenim qualia ſunt inſtrumenta, talis eſt virtus, quæ fabricauit, & talis eſt operatio cuius gratia facta ſunt, & agens quod illis eſt uſurum, quare cum quattuor ſint inſtrumentum, fabricans inſtrumentum, & operatio, & uirtus vtens inſtrumento ad operationem obeundam, ſicuti ergo ſi eſt operatio, neceſſe eſt adeſſe, & inſtrumentum, & inſtrumento utens ad operationem efficiendã, ita ſi eſt operatio talis, ergo, & efficiens tale erit, & inſtrumentum operationis qualitatẽ certam habebit, & e conuerſo quale erit inſtrumentum, & tale ſecundum ſe ipſum fuiſſe, quod fecit inſtrumentum, & quod illo uſurum eſt, & tandem talem futuram eſſe operationem rationi conſonum ac probabile eſt, quid ergo talis ceruix, & humeri portendãt, ex his eſt manifeſtum.

Quidam aiunt ceruicem ualde carnoſam mendacem ſignificare, & blateronem, at primum, non uideo propter quid hoc aſſeri poſſit, uerum bene eſt, ſi ceruix pinguis admodum fuerit, & cutis tenſa, ſed læuis, ac mollis, quod homo hic erit garrulus, uerboſus, & rimarũ plenus, carnoſus autem, hoc eſt muſculoſus, nequaquam talis eſſe ſolet, cauſa uero propter quam ceruix pinguis ualde, hunc hominem deſignet, hæc eſſe poteſt, quoniam ſignũ hoc arguit multum adeſſe humoris aerei, talem igitur uirum ad aues referes, quarum natura eſt garrula, quod experientia docet aeremq; refert, qui inſtabiliſſimus eſt aer, unde nouas continue ſuggerit phantaſia imagines, hinc noua emergunt inceſſanter uerba, quibus homo dicitur eſſe garrulus.

Quæ piloſa utrinque ceruix eſt, fortem, & iracundum denotat, ad leonem enim referuntur, cuius collum, & ceruix iubas habet, uerum neque pili ſufficiunt, niſi, & robur, & armorum, ſiue humerorũ prædicta diſpoſitio aderit, cum ergo membra fuerint affecta, pro ut diximus, & addatur etiam pilus ceruici, ſignum eſt circa principium motus, & in ſpinali medula calorem eſſe robuſtum, cuius cum ſit munus mouere, ergo uirtus mouens robuſta erit, ſuppoſitum autem eſt inſtrumenta etiam eſſe uirtuti correſpondentia, ergo, & ipſa robuſta, dicemus igitur talem hominem eſſe ualidum, ac maxime ad genus maſculinum accedere.

Si autem contigerit non prominentem, ſed concauam, & depreſſam eſſe ceruicem, cum locus ille ſit per quam tranſit ſpinalis medula, omnium ferè neruorum, quibus non ſolum mouetur, ſed etiam ſentit animal, principium, & inſtrumentum, ſi circa ipſam, & in ipſius initio contigerit error, probabile eſt, uires in corpore deficere, & uirtutem motricem debilem eſſe.

Neque id mirum, paruus enim error in principio maximi eſt momenti, cum ad finem peruenerit, tum igitur hac de cauſa, tum quoniam Ariſtotelicæ diſpoſitioni depreſſa ceruix opponitur, probabile eſt, cui hæc adeſt, illum eſſe non ſolum debilem, ſed morbis obnoxium, adde, & quodam modo penè fatuum, non bene cordatum, neque naturaliter admodum prudentem, ſed timidum, & ignauum.

Oſſeam, ac duram ceruicem aliqui dant homini indocili, inſolenti, ac rapaci, at conue-

nire qui-

nire quidem indocili; puto, & insolenti etiam, cur autem hæc rapacem arguat ceruix, non video, nam rapax aliena desiderat, quare, & violentus est, & audax, & multum in se caloris vehementioris habet, cuius proprium est attrahere, & attracta dissipare, in obstinato autem prædominatur humor qui terræ proportionatus est; durus enim obstinatus est, ac difficile mobilis; Inflexam igitur ac duram, & osseam ceruicẽ dicemus arguere prædominium humoris, ex quo ossa fiunt, quare melancholiam quæ terram refert, hæc sicca est, & difficile alienas capit impressiones, hoc autem est de ratione indocilitatis, propriè enim indocilis dicitur, qui impassibilis est secundum disciplinas, quique non potest capere, & admittere quæ audit, & cum talis sit si quę percæperit, illa retinet diutissime, neque facile de sua potest opinione moueri, quod est obstinati proprium, merito igitur cuius ceruix dura est, & rigida quæ nunsquam videtur posse inflecti ille indocilis est, & obstinatus.

APOTELESMA XXXI.

„ Quibus autem ceruix, & humeri imbecilles, & inarticulati, molles sunt secundum animam referuntur ad fœmininũ genus, hæc dico, quæ dixi de pedibus, & coxis.

OPpositum est hoc superiori, neque vllam in se habet difficultatem; si ergo qui habet ceruicem robustam, & humeros dearticulatos magnos, & torosos ille est fortis, & validus secundum animam, consequenter igitur qui oppositos humeros habet, & oppositè dispositam ceruicem, ille idem etiam animam oppositio modo dispositam habebit De ceruice igitur, & de humeris duo prædicata corporea, siue sensibilia affert, nempe imbecillitatẽ, & inarticulationẽ, iam imbecillitatẽ dicimus impotentiam naturalem ad agendum illa, & patiendum ab his, quæ agere, aut à quibus pati vnum quodque à natura destinatũ est; duplex autem est passio alia dicitur corruptiua de qua nunc non est sermo, altera perfectiua de qua loquimur, cum ergo homo natus sit ad gradiẽdum, & naturaliter possit quotidie xx. milliaria procedere, si quis sit qui non possit progredi vltra spatium quattuor aut sex milliarium, illum dicimus esse imbecillem, & similiter cum homo possit pondus librarum centum naturaliter mouere, qui id non potest, quin neque libr. 50. illum dicimus imbecillem, & habere impotentiam passiuam; ast ex oppositio, qui neque videre nisi magna potest, neque audire nisi sonos excellentes, illum dicimus habere impotentiam passiuam, nam non potest pati perfectiua passione ab ijs obiecti, à quibus naturaliter alij pati possũt & hæc etiam videndi, & audiendi dicitur imbecillitas; humeri igitur, & ceruix imbecilles vocantur, quæ perfecte, & exacte non possunt illud obire munus, ad quod peragendum vniuersaliter à natura, & humeri, & ceruix est instituta, si igitur non probe mouebit, ac sustinebit caput, si brachia non attollent humeri, si robuste non sustinebunt, si sub mediocri etiam pondere fatiscent, talẽ hominem habere humeros debiles, & impotentes dicemus. Inarticulatio vero dearticulationi opponitur, quare si dearticulatio est perfectio, & absolutio membri secundum propriam figuram constituti, ita vt exacte opus ad quod à natura destinatum est possit efficere, patet inarticulationem fore imperfectiorem, & rudimentũ membri, quod neque propriam figuram exactè, neque propriam virtutem à natura susceperit, ita, vt possit perfecte facere opus ad quod fuerat destinatum Mollities animæ quænam sit, & quæ ipsam sequantur accidentia etiam supra fuit declaratũ, est ergo Aristotelis sensus; Quorũ ceruix, & humeri debiles sunt, & inarticulati illi sunt molles secundũ animam, timidi, impatientes, naturaliter verecundi, & modesti, quod probatur, quoniam qui tales sunt ad fœmininũ genus referũtur, cuius generis propria passio est mollities, vt iam ostensum est, nam in passiuis aqua prædominatur in genere fœmineo, in actiuis aeris vis præualet, secus in masculino genere cuius terra est principium passiuum, actiuum vero est ignis,

inarti-

inarticulatio autem, & imbecillitas fœminas decet, quoniam virorum proprietas quatenus masculi sunt, est robur, & dearticulatio, & quod in fœmineo corpore minor sit vis, est calor diminutus, qui minus potuit agere, quam decebat, mollior autem materia minus aptum facit animal ad resistendum. Quod ergo vera sit Aristotelis sententia, & propter quid ex ijsdem principijs est manifestum; Nam quorum humeri, & ceruix talis est illi virtutem formatricem debilem sortiti sunt, quare & motricem; at debilem virtutem motricem, molle, & imbelle corpus sequitur, & est in quo aqua in passiuis præualeat, cui id contigit ille homo similes in anima dispositiones, & inclinationes habet, ergo cui tales humeri, & ceruix ille secundum animam rationabiliter mollis erit, & timidus, & ad cedendum paratus. Hæc igitur de ceruice ab Aristotele dicta sunt.

APOTELESMA XXXII.

„ *Quibuscunque humeri bene soluti sunt, illi secundum animam liberales existunt, referuntur ad apparentiam.*

HVmeros bene solutos, dearticulatos, & non contractos appello, contracti sunt, qui referunt hominis figuram, se dubitare, aut nescire illud, de quo interrogatur ostendentis, qui enim de re aliqua dubitant, de qua interrogari contingit, humeros sursum versus plerunque contrahere solent, quod etiam aliquando faciunt, qui aut mirantur, aut miserentur, qui ergo humeros solutos, & oppositam formam habent illi, quã referunt dubitantes, qñq; dicuntur liberales secundum animam, hoc est prompti ad dandum, & impartiendum suas ijs, qui egent rebus, quas ipsi possident, & liberalitas de qua hic loquitur Aristoteles, virtus non est, sed ad dandum facilitas, & promptitudo.

Causam afferens sui dicti, quod referuntur ad apparentiam, nempe huius assertionis causa est, cognoscendi inquam, non autem essendi, quoniam quos videmus dare, & concedere facile alijs sua bona illi sunt tales, vt scilicet humeros bene solutos, ac demissos habeant, siue cum dant humeros demittant.

Quidam aiunt, Aristotelem, aliud velle, & se ipsum declarare, dicereque tales esse liberales, quoniam bene dispositi apparent, hoc est conuenienter, & secundum naturam affecti, pulchra enim quædam dispositio apparet humerorum solutio, vt sit sensus, qui bene solutos humeros habent illi liberales sunt, si quidem pulchri apparent, conuenit autem naturali dispositioni pulchritudo, & sane, vt mihi videtur, hæc genuina est huius loci intellectio, nam qui humeros tales habent, illi secundum naturam hominis dispositi sunt circa pectus, & humeros, hoc autem est pulchrum apparere, qui autem sunt valde secundum humanam naturam dispositi, illi etiam valde sociabiles sunt; at societatem nihil iungit magis, nihil magis stringit quam liberalitas, placiditas, & munerum oblatio, nam, vt ille dicebat.

Munera, crede mihi, placant homineſque deoſque,
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.

Est igitur hic Aristotelis sensus qui sic ad syllogismam reduci potest.

Qui humeros habent bene solutos illi sunt pulchri, ac conspicua forma dispositi; tales secundum naturam humanam bene affecti sunt circa corpus; at quorum corpus secundum humanam dispositionem, ac naturam bene affectum est; illorum etiam animam bene affectam, ac dispositam esse probabile est; (si quidē anima corporis actus est, ac perfectio; quare boni ac perfecti corporis rationabiliter etiam bona ac perfecta est anima) patet igitur quod quorum humeri soluti sunt, illi probas habent animæ inclinationes; hæ autē sunt ad virtutem propensiones, quarum prima, & maxima, est amor proximi, vnde oritur sociabilitas,

bilitas, & ciuilitas, quam ſequitur promptitudo ad beneficentiam, & liberalitatem.

Hæc, vt mihi videtur Ariſtotelis ratio eſt; minor prima non habet dubitationem, iudicat enim ſenſus tales humeros pulchros eſſe; quod autem pulchri ſint ſecundum naturam humanam diſpoſiti, non habet dubium, cũ nihil ſit pulchritudo niſi ſecundum vniuscuiuſque naturam apta partium diſpoſitio, & cum toto conſpiratio; corpora autem bene, ac naturaliter diſpoſita bonam etiam animam ſortita eſſe ex ſuperioribus pendet principijs, nã, & quale corpus tales eſſe animæ diximus inclinationes, quas naturales vocant propenſiones, quare qui corpore pulchro præditi ſunt, liberalemque nacti ſunt formã corporis, animam etiam liberalem ſortitos eſſe probabile eſt, vel ipſa voce id ipſum teſtante; nam, & liberalis facies dicitur, quæ forma poteſt placere; & liberalis homo qui humanus, ac benignus eſt, ac ad donandum promptus, non quidem, vt lucretur, & propter ſe ipſum, ſed propter illum cui donat ergo pulchri corpore ad uirtutes nati eſſe videntur.

Sed cur potius ad liberalitatem, quã ad fortitudinem, ad veracitatem, ad magnanimitatem ad iuſtitiam? omnes enim ſunt virtutes, an, vt mihi videtur reſpondendum eſt, pulchros hoc eſt bene, & ſecundum naturam diſpoſitos ad omnes virtutes quidem eſſe natos, magis tamen ad eas, quæ magis homini quatenus homo eſt conueniunt; Hic ſecundum quod homo eſt, maximè eſt ſociabilis, quare ea quæ magis ad ſocietatem humanã gignendam, ac conſeruandam faciunt, magis etiam pulchrum decebunt, hæc autem liberalitas eſt, pulchrum igitur liberalem eſſe decet; quo naturali ac inſito principio, aliquando abutentes adoleſcentuli, a maſijs ſuis dicere ſolent, cum pulchræ ſitis, uos decet eſſe humanas, ac liberales; quaſi quod naturaliter homini inſitum ſit, vt credat liberalitatem, & pulchritudinem eſſe coniugatas affectiones, vt cui ineſt vna ſecundum corpus, illi altera inſit ſecundum animam, quod ergo ſit vera Ariſtotelis poſitio ſic eſt manifeſtũ; At propter quid cauſa quæ pulchrum facit, eadem etiam liberalem facere dicitur? hoc enim videtur eſſe dubium, an ſanè dicẽdum nullam aliam cauſam facere pulchrum hominem, niſi hanc vnam, quoniam contingit virtutem formatricem eſſe potentem, reperijſeque materiam maximè obedientem, & ſecundum rationem, quæ requiritur, reſiſtentem; hic virtus calor eſt, cuius proprium eſt, dilatare quare inſitam etiam dilatandi, ac diſgregandi propenſionem in animo generat hominum, hoc autem nihil præter liberalitatẽ importat, liberalis enim eſt, ſua bona communicare, & ſe ipſum (vt ſic loquar) propagare, quod viri boni proprium eſt, nam bonitas quatenus bonitas communicabilis eſt, & quo magis communicatur, eo melior eſt, vt Ariſtoteles primo ethicorũ teſtatur. *Dub.*

Aut fortè non ad alium finem natura homines pulchros facit, niſi vt alijs placeant, & hinc ſocietas, & communicatio inter ipſos oriatur, cuius primarium vinculum eſt liberalitas, & beneficentia. *Dub.*

At rurſus quomodo dictum eſt de ratione caloris, ipſum hoc illi ineſſe, vt diſgreget, etenim, vt mihi videtur totum oppoſitum dicendum eſt; nã calidi eſt congregare, quod etiam Ariſtoteli viſum eſt, quarto meteororũ, quod ſenſibiliter docet ardens lucerna, videmus enim flammam accenſam in lychno ardentem, ad ſe oleum, vel ſeuum trahere, quare & congregare.

Communiter reſpõdetur ignem congregare omogenea, diſgregare heterogenea, nam oleum omogeneum eſt, caro, & oſſa heterogenea, ſed contra vnius, quatenus vnum eſt, vnus tantum eſt effectus, vt videtur Ariſtoteli ſecundo poſter. amplius ſi quæ ex quattuor conſtant elementis ſunt heterogenea, non minus oleum eſt heterogenum, quam caro, & ſi quæ habent idem nomen, & eandem definitionem illa omogenea dicuntur, non minus omogeneam carnem, quam oleum, affirmabunt.

An dicemus, ignis quatenus eſt ignis, vnam eſſe tantum operationem, vt ſit in continuo fieri, quare & ſe continue propagare, cum autem continue fiat neceſſario etiam materiam

riam requirit, quam ad se trahit, ea autem trahitur, quæ in naturam ipsius aptior est conuerti, talis est quæ habet cum ipso symbolum, id vero est aer, quare ignis ad se trahit aerē, qui in ipsum conuertitur, terram relinquit in cinerem versam, aquam in vaporem mutat, aut abigit, & sic congregat, & disgregat; & idem dum facit, propositum, & oppositum producit.

Vel dicam ad argumentum vnius, quatenus vnum est, vnus tantum est effectus, si vno modo fuerit dispositum, at si contigerit vnum diuerso modo dispositum esse, diuersos, non vnum pariet effectum, quod igni contigit cum diuersis rebus comparato, quod Virgilius vidit dicens.

Limus, vt hic durescit, & vt hæc cera liquescit 10
— Vno eodemque igni,

Ad secundam rationem dico', non minus carnem, quam oleum secundum sensum esse homogenea, nam eadem ratio totius, & partis, at secūdum rationem vtraque composita, disgregat autem, & ad se trahit oleum, siue partes quæ natæ sunt fieri ignis, & simul atque id facit, etiam oleum disipat, quoniam alias partes olei, quæ aptæ non sunt fieri ignis, aut aer repelluntur, idem etiam de carne sentiendum, nam, & ipsa quatenus est heterogenea dilatatur, ac segregatur; quatenus autem homogeneas partes habet, nēpe humidum aereum, qu od congregatur, catenus idem, atque oleum patitur attracto enim cibo per calorem quæ partes sunt terrestres, terræ apponūtur, aqueæ aquæ, partibus siccis siccæ, humidis humidæ, & singulis minimis singula adijciuntur, & facta mixtione animal, & corpus 20
fit maius, & ita dicimus crescere, & dilatari calore corpus animalis, & sic quæ crescunt, eo quod crescunt multo humido, multoque calore abundant.

Putandum est autem, quoniam omnia orta naturam suorum testantur principiorum, ita effectum esse, vt omnia eompositā sapiant quattuor elementorum primas formas, quāuis sub varia, ac diuersa; & vix cognoscibili figura; sic quem bilioſum videmus eundem vocamus honoris amatorem, quare contumeliam non potest pati, & alijs supereminere appetit, quod est esse superbum, igitur bilioſum dicemus esse superbum, ignis enim est supereſſe alijs elementis, eiusdem est esse instabilem, & nunquam in eodem loco, & dispositione persistere, quoniam continue fit; pariter in quo prævalet ignis naturalis hominis, hoc est bilis flaua, videbimus secundum analogiam easdem qualitates, etenim leuis erit, instabilis 30
& secundum corpus, & secundum animam iracundus, acuti desiderij, & velocis contemptus, superbæ, ambitioſæque voluntatis; quæ passiones igni, igneæque respondent naturæ, quod ergo humeri soluti liberalitatem indicent, & quod apparenti formæ corporeæ conueniat secundum animam propensio ad liberalitatem, & propter quid uisum est, nam, & Alexandrum Magnum, & Titum Imperatorem, & temporibus nostrorū auorum Ismaelē Persarum Regem legimus, pulcherrimos eosdemque liberaliſſimos fuiſſe, & omnes qui secundum propriam naturam liberales fuere, plerunque pulchros extitiſſe. 40

APOTELESMA XXXIII.

Quibuscunque autem difficulter solubiles, conuulsi, illiberales sunt, referuntur ad apparentem conuenientiam.

OPpositum superioris continet, quare cum ad oppositas dispositiones corporis sequātur oppositæ animi, vt signa, non autem vt causæ, non absurdum est; si bene soluti humeri arguunt liberalitatem, quod non bene soluti illiberalitatem, denuntiabunt; nam causas oppositas habebunt, quare; & opposita signa, & oppositas dispositiones animæ, quales sunt liberalitas, & illiberalitas ostendent; est autem hæc Aristotelis sententia quorum hu-

rum humeri erunt oppoſito modo diſpoſiti à ſupradicto hoc eſt non ſoluti, ſed contracti, & verſus caput, & vertebras reducti, & quaſi conuulſi, & tales qui referant pueros negantes, hos enim cum aliquid dare nollũt, videmus humeros contrahere, & uerſus collum reducere, quaſi in ſe ipſos ferantur, qui dubitent diſſipari, & ſecundum ſubſtantiam offendi, ſi quid eorum quæ poſſident dare cogantur, qui inquam tales, ſunt illi vocantur illiberales; huius affirmationis ratio eſt, quoniam habent apparentiam conuenientem tali paſſioni, quæ dicitur illiberalitas, nam, vt dixi qui dare negant, & renuunt talem ſecundum corpus, & humeros figuram apparere; ac conſpici faciunt; porro, vt mihi videtur, vox græca quam interpres vertit (ſolubile) perfectum, & completum ſignificat; quod etiam vox ſolubile aliquo pacto innuit, ſiquidem ſolubile dicitur quod in partes diuidi poteſt, illud autem bene ſoluitur, quod partes ſuas diſtinctas habet, ac terminatas, hoc perfectis corporibus diſſimilaribus accidit, quare quod partes bene ſolubiles habet, illud perfectum, ac diſtinctum dicemus ſecundum naturam; hoc in viris valde robuſtis conſpicimus quorum humeri muſculoſi, & eorundem muſculorum, ac oſſium veſtigia quædam ſpectantur in cute; è contra in muliere pulchra, qui eius videt humeros, informem quandam niuoſæ carnis maſſam tueri ſuſpicatur, non enim illarum cutis hanc muſculorum ſe præſefert imaginem, quam in viris tuemur, quorum igitur humeri ſunt ſic affecti, vt fœminam referant illiberales ſunt, quod probatur, nam qui naturaliter tales humeros ſortiti ſunt, illi eam habent à natura humerorum diſpoſitionem, quam apparere videmus in his, qui alijs ſua communicare negant, at iſti, qui talem apparentiam habent ſecundum quam illiberaliter agunt, illiberales vocantur, ergo quorum humeri ſunt huiuſmodi, illi ſecundum naturam ſunt illiberales, per illiberalitatem intelligo quandam inofficioſitatem, & incommunicationem rerum ſuarum, quæ fœminarum propria eſt; ad parſimoniam enim, & auaritiam natæ videntur, illarumque opus eſſe conſeruare, ac tueri parta, uirorum autem quærere, ac rem parare, quare hæ, vt domi maneant, illi ut foras erant nati ſunt, timorem, & illiberalitatem non dedecet mulierem, at viri propria ornamenta ſunt audacia, & liberalitas, quod ſi paratas ad dandum fœminas videris, vel eas præter naturam dixeris affectas, vel id ipſas facere cum paſſione aliqua perturbantur, nam ſi timent donant, aut ſi maiora ſe accepturas eſſe ſperant; per ſe autem, & ſimpliciter, quoniam illis bene cupiant, quibus dant raro contingit pudicis, hæc ergo eſt Ariſtotelis ratio, quod tales humeri illiberalitatem indicent; & vt ad maſculinum genus redigimus priorem diſpoſitionem, ita hæc poſterior ad fœmininum.

Quod ſi quis quærat, cur potius vſus fuerit apparentia Ariſtoteles, quam dixerit ad fœmineum, aut maſculinum genus redigi. Fortè reſpondendum eſt, quod ex notioribus nobis ſemper, & præcipuè in hac facultate procedendum eſt, at notiora multo nobis ſunt, quæ ſenſibus apparent, quam alia omnia, hinc enim omnis noſtra cognitio ſumit originẽ, quare cũ occaſio datur potius ex apparẽtia ſenſuum quam ex ratione, ſuas probationes profert; Deinde ad principium illud primum maſculæ, & fœminilis diſpoſitionis peruenire eſt facile, id autem & in ſuperioribus factum fuiſſe poteſt obſeruari, qſi ad hoc materiale principium deuenit, differentiæ inter marem, & fœminam cadentis: Neque mirum eſt, ſi in hac cognitione ita à poſteriori procedatur, nam phyſiologiæ cum ſit ſubalternare, quod ſubalternatum proprium eſt obſeruat.

Si qnis autem quæret propter quid tum mulieres, tum qui tales humeros habent illiberales ſint, ac timidi plus iuſto, cauſam dicerem, quoniam frigidiores ſunt circa principia vitæ, quam virum deceat, frigidum enim omnia contrà-

here, ac constringere solet, quare humeros, & male dearticulatos facit, & non magnos admodum, hoc enim est opus eius quod dilatat, & perficit, frigidum autem esse circa præcordia fœminarum magis, quam virorum supra dictum est, cum ergo eadem sit causa, quæ contrahit humeros in corpore, & in animo propensionem dat ad illiberalitatem, cui tales videmus humeros illi dicimus adesse frigus circa præcordia, ergo causam illiberalitatis, quare & dicimus ad auaritiam propensum, & esse male sociabilem, ingratum hominem, sibi vni commodum, de nulla alia re præter quam de se, ac suis sollicitum, quam propensionem denotat senilis ætas, qui enim senes sunt, illiberales pene omnes, contra adolescentuli liberales, nisi per procacitatem, ac petulantiam, aut ex habitu oppositio modo dispositi sint, aut præter naturaliter se habeant, causa est, quoniam senes frigidiores iam facti sunt circa cor, adolescentes vero calescunt caloris autem est dilatare, & dissimilaria discutere.

APOTELESMA XXXIV.

Quibuscunque autem ea, quæ circa clauem colli bene solubilia sunt, ij sensibiles existunt, nam bene solubilibus existentibus ijs, quæ circa clauem facile motum sensuum recipiunt.

A Pedibus vsque ad ossa iuguli, quæ à græcis claues colli dicuntur deuenimus, per claues igitur, vt dictum est, ossa iuguli intelligit, & per ea quæ sunt circa claues significantur partes gulæ circumsitæ inferiores, per quas ascendunt venæ, & arteriæ iugulares, quæ nutrimentum cerebro, & materiam spirituum ferunt in caput, amplius, & apud physiognomos valde attenditur dispositio particulæ illius, quam fonticulum gulæ vocant vulgo.

Qui itaque ex Aristotele partes has circa iuguli positas habent dearticulatas, & bene secundum naturam dispositas, hoc est distinctas, vt earum natura postulat, existunt sensibiles, hoc est habent sensus exactos, & promptè, & exquisitè sentiunt, amplius bene cordati sunt, cum autem tales maximè sint passibiles, necesse est eosdem carne molli præditos, quare, & prudentes, quod etiam qui partem physiognomiæ vanam profitentur, asserunt, dum aiunt, quorum magnus est gulæ fonticulus, illorum operationes prudentissimæ sunt, & viri prudentes habentur, & fortunati, & merito, nam nullum numen abest si sit prudentia præsens.

Sui dicti causam affert. Aristoteles, dicens, quoniam cum hæ partes fuerint bene solubiles operæpretium est, animal hoc facile motum sensuum recipere, hoc est pati à sensibilibus, & ea passione, quam vocant perfectiuam, de qua secundo de anima locutus est, ita affici, vt exactissime differentias sensibilium dignoscere valeat; est ergo Arist. ratio talis.

Quicunq. habent partes circa clauem colli existẽtes bene dearticulatas, ac distinctas illi nati sũt recipere facile formas sensibiliũ, qui tales sunt maximè sensitiui dicũtur, ergo qui partes circa claues colli bene solubiles habẽt, ijdẽ maximè sẽsitiui existũt, qđ fuerit ex Arist. demonstrandũ; primũ aũt assũptas ꝓpositiones contemplemur, deinde videbimus

debimus nunquid ad genus fœmininum, aut ad maſculinum referantur, qui hoc apote leſmate diſcribuntur.

Prima igitur ſe offert propoſitio, quæ minor eſt, nempe, quorum partes, quæ circa claues colli dearticulatæ ſunt, ac diſtinctæ, & completæ, illi nati ſunt recipere facile differentias ſenſibilium; quæ ſane propoſitio, forte ſic confirmari poterit, quorum partes circa claues colli poſitæ fuerint dearticulatæ, ac diſtinctæ, illis pauca erit circa has partes pinguedo, & cutis rara propter calorem vaſorum, quæ inde tranſeuntes ad caput aſcendunt, vaſa autem hæc ſanguine venoſo quædam, alia arterioſo plena ſunt, quare quorum partes circa claues colli ſunt bene ſolubiles, eorum vaſa iugularia ſunt grandia, & multo ſanguine, calore, ac ſpiritibus plena; qui multos ſpiritus multumque probum habent ſanguinem calidum, quare & ſubtiliorem, illi materiam habent, qua formas ſenſibilium plurimorum recipere poſſunt, hoc autem eſt, natum eſſe ad formas, ac differentias plurimorum ſenſibilium facile percipiendas.

Maior, autem nihil importat aliud præter conuerſam definitionis eorum qui ſunt bene ſenſitiui, bene ſenſitiuos enim eos eſſe dicimus, qui prompte formas rerum ſenſibilium recipiunt, facile retinent, atque earundem exquisite differentias, & conuenientias dignoſcunt.

Sed dubitandum videtur nunquid qui ſenſitiui ſunt ad genus maſculinum reducantur, aut ad fœmininum, ſiquidem ad horum alterum tanquam ad ultimas differentias materiales generis animalium perfectorum diximus, neceſſe eſſe unũ quodq; indiuiduum redigi, non hunc dices eſſe generis maſculini, nam qui huius generis ſunt illi, & fortes ſunt ſecundum animam, & corpus habent valde robuſtum, quare ad agendum promptiſſimum ad patiendum ineptum, ad quod reſpexit aliquando Virgilius dum ait. *An ſẽſitiui ad maſculinum reducuntur*

Caniciem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Et Horatius. Patientem pulueris atque ſolis eum dicit, qui habet impotentiam naturalem facile patiendi à quolibet, ac præcipue ab externo.

Amplius figuram fortis concomitatur cutis durities, & lenitas omnis abeſt, ſed figura fortis eſt figura maris, cui igitur ineſt mollities ab eodem abeſt maſculina natura, ac temperies.

Sed ſi maſculum hunc affectum non dixeris, neque ſanè fœmininum appellabis. Fœminei enim generis paſſio non eſt, liberalitas, nam, vt viri proprium eſt quetere, ita fœminæ parta tueri, quare, & illas non dedecet parſimonia, amplius ſi taciturnæ, ſi timidæ ſunt probabile eſt, naturaliter illas etiam parcas eſſe debere; non igitur fœminas, non viros decet hæc paſſio, non ergo omnia quæ homini inſunt à natura, vel generis fœminei, vel maſculini paſſiones erunt. *Dub.*

An dices dari medium? at hic erit deinde Androginus, & qualem Herma phroditum fuiſſe fabulantur; & tunc cum utrunque fuerit, neutrum dicetur, ſed quæ natura ſunt facta, & non præter naturam illa omnia determinata ſunt, at Androginos indeterminatum quoddam eſt, neque vllus unquam repertus eſt Androginus, qui in hoc magis quam in illud genus non inclinauerit, neceſſe enim eſt quodcunque animal indiuiduum perfectum, uel eſſe maſculinum, uel fœmininum, quod ſi vtroque participauerit neceſſario magis in unam partem, ſemper quam in alteram inclinabit, quid quid de leporibus ſit, quos aiunt utroque ſexu eſſe præditos, id neſcio, nec ratio ſuadet, eam n. proportionem inter ſe habent membra generationis virilia,

& fœminea quam habent rectum, & inuersum, vt enim idem pannus non potest simul; & secundum eandem rationem, esse rectus, & inuersus, neque eadem chirotecha recta, & inuersa respectu eiusdem manus est; ita non videtur, quod sit possibile in eodem, & præcipuè perfecti animalis indiuiduo, duos sexus reperiri, atque eundem hominem genitale suum eodem tempore habere inuersum, & rectum, sic enim in se ipso generaret, & lepus homine imperfectior, omnibus animalibus perfectis esset perfectior, qui nullo alio præter quam se ipso egeret ad generandum.

At dices duo membra generationis in vno quid vetat esse indiuiduo? Respondeo, quod mox dixi, & tunc vnum indiuiduum humanum essent duo, & non vnum, sexus enim à secretione dictus est, vt quo secernuntur, & diuiduntur ad inuicem indiuidua eiusdem speciei; nam si vnum indiuiduum ex duobus partibus dextra nempe, & sinistra est factum, & ex utrisque coit membrum genitale, si duo erunt genitalia, ergo, & duæ dextræ, & duæ sinistræ partes simul iungentur, & sic, vt in monstris accidit, cum gemelli duo confunduntur, vnum indiuiduum non erit vnum, neque secundum naturam sed præter naturam dispositum dicetur, quid ergo? puto, huiusmodi constitutionem quam liberalitas sequitur ad masculinum potius, quam ad fœmininum referri, nam hoc aspectus docet, ut plurimum circa ossa iuguli sicciores, & macriores uiros esse, quam sint mulieres, & magis distinctas eorum partes, & musculos apparere amplius patet liberalitatem non esse muliebrem inclinationem, cum ad parsimoniam, & ad custodiam natæ sint, & frigidiores uiris existant. Pro solutione tamen notandum est, utranque partem tàm masculam, quàm fœmineam suas habere latitudines, sicuti linea a.b. quæ diuisa in medio per punctum c. ponit duas extensiones in priori, quæ est a.c. sunt plures masculorum species (ut sic loquar) in posteriori c.b. plures fœminarum, quæ ita disponuntur, ut quo magis accedunt ad b, magis participent fœminilem naturam, quo magis recedunt minus eam habeant, & sic in parte uirili etiam sentiendum est. Non potest autem fieri secundum naturam, & secundum id quod fit ut plurimum, ut aliquod indiuiduum naturaliter sit secundum corpus fœmina, & secundum animam uir, & idem punctus sit in parte lineæ a. c. & in parte c. b. si quidem diximus, quale corpus est, tales etiam esse animæ inclinationes; quæ tali corpore utuntur, nisi habitus, & educatio contrarium induxerint, nec officit quod de Amazonibus, quod de Camilla apud Virgilium legitur, quod de quadam Gallica Virgine. & de quam pluribus fœminis scribitur, quæ cum fœminæ forent maximè tamen audaces, & magnanimos gerebant animos, ac spiritus, neque supradictis repugnat.

Mas. Fœm.
A. C. B.

Nam potest responderi primum hæc monstra fuisse, deinde hæc indiuidua secundum sexum fortasse fuisse fœminea, sed quo ad cæteras partes corporis uirilem habuisse dispositionem, amplius iam dictum est, quod habitu, & electione, ac uoluntate uinci potest naturalis corporis dispositio, & inclinatio.

Ad rationes igitur quæ huic uidebãtur positioni officere, ne hoc apotelesma masculinũ iudicaretur, respondeo, & primum cum dicitur maximè sensitiuos esse molles carne, quare ad fœmineũ genus accedere, dico ad genus fœmineum quo ad hoc accedere quidẽ, non tamen sub eo contineri, sed intra latitudinem a.c. comprehendi, ita vt ad c. magis quã ad a. propinqui existant, quorum vero caro dura, est illi sunt masculi circa a. & illius principium.

Ad

Ad ſecundum eadem dico, quod maſculinum circa .a. eſt robuſtum ſecundum corpus, & forte, & audax ſecundum animam, cum autem ab ipſo à. in c. recedit continuo fit mollior ſecundum corpus, & minus audax ſecundum animam, quare, & magis conſideratum, & ſibi magis proſpicit; vnde prudens vocatur, ſimiliter durities, quæ figuram fortis, & maſculi comitatur, non conuenit toti generi maſculino æqualiter, ſed ſecundum .a. magis apparet, continueque deflectitur, ac minuitur donec in c. peruenerimus, quo loco deſinit eſſe indiuiduum maſculinum, & in fœmininum iam tranſit, quoniam autem humana ſpecies, quæ in virilem, & fœmineam partem diuiditur, perfectio quædam eſt, & forma, & virtus & medietas, putandum eſt neque fœminam ſimpliciter, neque marem ſimpliciter, & exquiſite omnino eſſe laudabilem, ſed illum, & animo, & corpore apprime valere, & inter mares laudabilem eſſe, qui in medio portionis .a. c. conſtitutus eſt, qui autem in a. vel in c. à mediocritate formæ virili cum excedat, vel deficiat non omnino laudatur, neque id videatur mirum quod diximus naturales formas ſuſcipere magis, & minus, nam quoniam ſunt formæ in materia certa poſitæ ac natæ fieri, accidit, vt in quadam portione materiæ magis, & melius recipiantur, ſecundum quod efficitur, vt naturales formæ magis, & minus ſuſcipere videantur, non enim ſenſitiuum eſſe quod eſt ratio animalis aut actiua potentia quæ determinat animal, quatenus eſt animal, eadem eſt in omnium animalium ſpeciebus ſed quibuſdam clarius, vt homini, quibuſdam obſcurius, vt quam plurimis inſectis, communicata eſt, quod etiam in particularibus ſenſuum potentijs certiſſimum eſt; Videmus enim animalium quædam, vt aquilas habere viſum exquiſitum, in alijs obtuſum, vt in cicadis; quædam animalia excellentiſſimum habent odoratum, vt vultures, & canes, quædam autẽ ferè priuantur, vt homines, quorum nullum animal peiorem habere odoratum dicunt. Ergo inferes; ſubſtantiæ, & formæ ſuſcipient magis, & minus, & ſic fines, non erunt fines.

Reſpon. ſecundum ſe, formas non ſuſcipere magis, & minus, ſed reſpectu materiæ, in qua recipiuntur, nam hac in portione magis, in illa minus apparent, ſi non ſecundum eſſentiam, ſaltem ſecundum operationem.

APOTELESMA XXXVI.

Quibus vero quæ circa claues concluſa ſunt, illi inſenſibiles, difficulter enim ſolubilibus exiſtentibus ijs, quæ circa clauem impotentes ſunt recipere motum ſenſuum.

OPpoſitum habet præſens apoteleſma ſuperioris, & oppoſitam etiam infert in anima qualitatem, eſt igitur hæc ſententia Ariſtotelis; quicunque habet partes circa oſſa iuguli poſitas concluſas, hoc eſt contractas, conſtipatas, & carne refertas, quales videmus eſſe iuuenculas, ſanas, & iam uiri potentes, aut uenerem expertas (cum enim uirgines eſſe deſiuerunt, ijs collum incraſſatur, & partes quæ circa iugulum exiſtunt diſtrahuntur, & inflantur) & ut ſic loquar, craſſæ fiunt, quicunque (in quã) ſic diſpoſitus eſt circa partes, quæ oſſibus iuguli ſunt circumpoſitæ ille eſt inſenſibilis, hoc eſt non admodum exactos habet ſenſus, ſed inſulſus, & ſtupidus aliquo modo uidebitur, & hanc ſuam ſententiam probaturus, ait, difficulter enim ſolubilibus, hoc eſt concluſis exiſtentibus partibus circa iugulum (dixi autem iam quid concluſum ſignificaret, nec non, & quid nam eſſet ſolubile; hoc enim eſt corpus cuius partes, quoniam diſiunctæ ſunt facile reſolui, ac diuidi, & in ſua principia reduci poſſunt) quare & ex oppoſito, quicunque habet partes

circa collum difficulter solubiles, ille est impotens recipere motum sensuum, hoc est non facile patitur à sensibilium formis, ea nimirum passione quam perfectiuam vocant, quare dicitur talis habere impotentiam naturalem ad sentiendum, nihil autem aliud est sentire nisi motum spiritualem sensibilium recipere, vel à sensibilibus pati secundum perfectionē, pati hoc est quoddam moueri, hæc igitur est Aristotelis sententia, nunc conflato argumēto eius propositiones sunt examinandæ.

Sit argumentum huiusmodi, quicunque habent partes, quæ circa iugulum sunt, conclusas, & non bene solubiles, illi inepti sunt recipere motum sensuum, qui tales sunt insensati, ac stupidi esse videntur, ergo huiusmodi homines, quos descripsimus, sunt insensati, & stupidi, siuè stolidi, ad minorem propositionem dicendum est, quod qui habent conclusas, & coarctatas partes illas, per quas transeunt iugulares venæ, illis paucitas spirituum ad cerebrum defertur, quare & animalis spiritus paucus; hic est qui recipit motus sensuum, ergo quibus inest conclusus fonticulus circa iugulum, illis etiam inerit impotentia patiendi à motibus sensibilium.

Maior nullam habet difficultatem, etenim nihil aliud est esse insensitiuum, nisi à sensibilium formis difficile, vel nullo modo pati, patet igitur quod quorum hominum conclusa sunt quæ circa collum, & iugulum, illi sunt insensitiui, crassæ igitur mineruæ homines, & qui facile decipi possint, cum non aduertant differentias sensibilium, credduli etiam sunt & qui rerum causas neque quærunt, neque oblatas aduertunt, aut aduertere curant; qua ratione efficitur, vt vulgus bardos, fatuos, & ineptos eos vocet quibus fonticulus deest, & multa carne replentur nerui, & ossa mouentia collum, & partes quæ sunt circa ossa iuguli, quod ergo tales sint, & propter quid, & quod talis dispositio ad genus fœmineum referatur ex prædictis est manifestum.

APOTELESMA XXXV.

Quicunque collum crassum habent fortes sunt secundum animam, referuntur ad masculinum genus.

COllum dicitur quod caput sustinet, cuius pars anterior gula, posterior dicitur ceruix, hocque nullam penitus habet dubitationem, quod signum animi fortis vocauit; videtur autem collum esse crassum in homine forti, & robusto, nam cum magna ossa habeat, & vertebræ ceruicis crassæ existant, caput etiam robustum est.

Quare, & nerui, qui à capite ipsi etiam robusti, & ideo magni, vnde collum efficitur, crassum, non dico pingue, sed magnam habens circumferentiam, hos ergo viros ait Aristoteles esse fortes secundum animam; quod sic probari potest per syllogismum.

Qui collum crassum habent referuntur ad genus masculinum, qui tales sunt, i j fortes secundum animam existunt, ergo qui collum crassum habent sunt fortes secūdum animam, minor probatur, nam tauros videmus collo crassiore præditos quam sint vaccæ; taurique sunt masculi, ergo qui collum crassum habent ad genus masculinum referuntur, causam sę pius dixi, quoniam in masculo præualet multus calor, & siccitas, hoc est ignis, & terra; quare à terra crassitiem, & robur membrorum, ab igne audaciam, & promptitudinem ad agendum recipiunt, per calorem etiam multum alimenti attrahunt, & per eundem formant, vnde fit, vt moles non pinguedinis, aut humidi, sed carnis ossium, & neruorum pare tur, quod autem maior vera sit, iam multoties uisum est.

Dub. Sed quęrendum videtur, nunquid omne animal quod ad masculinū genus refertur sit forte, etenim cum dimidium generis animalis sit masculum, & alterum fœmineum sequeretur, vt illud forte, hoc esset timidum, at contra omnes lepores timidi sunt, & oues, & capræ, &

præ, & in genere auicularum omnes ferè timent, amplius, ſi omne genus maſculinum fortè eſt, etiã in ſpecie humana, cui igitur inerit maſculinitas, (vt ſic loquar) illi inerit etiã fortitudo, ſed cui maſculinitas ineſt illi (vt ſupra vidimus) ineſt etiam liberalitas, fortis igitur erit liberalis, & liberalis etiam fortis; at liberalis, vt dictum eſt, aptus eſt mente ac prudens prudentes, & qui mente valent carnem habent mollem, hi timidi ſunt, fortes igitur erunt timidi, quod contradictionem implicat, ſi omne maſculum animal forte dicetur. *Dub.*

An reſpondendum eſt, quod vere omne maſculum eſt forte, non tamen ſimpliciter, ſed ſecundum genus quodque, vt in genere ceruorum, & ouium dico maſculinam partem ſemper eſſe robuſtiorem fœminina, quando ſicuti maſculum animal ſimpliciter fœmineo eſt robuſtius, ita in vnaquaque ſpecie animalium, vt mihi ſanè videtur cæteris paribus, maſculinum eſt fœmineo robuſtius, & audacius, quamuis non nolli pantheram excipiant.

Amplius noto maſculum corpus eſſe duplex, alterum eſt quod inſtrumenta ſexus maſculini tantum habet, cætera autem membra fœminea, quod in ſacerdotibus cybeles, & quibuſdam eneruatis, & pathicis adoleſcentibus licet videre ſimilibus Adoni, aut Atydi à poetis deſcripto; Iſti ergo ſecundum ſexum dicuntur quidem maſculi, ſed ſecundum membra corporis cætera, & ſecundum animum, qui eorum membrorum dicitur eſſe entelechia, & actus, nequaquam.

Alterum dicitur maſculum animal, quod nactum eſt corpus, & corporis membra decentia maſculum, quare & animum, ſiue deinde ſexus ac generationis membra virilia, ſiue ſint muliebria; ſic virilem dicimus Tomyrim, virilem Zenobiam, Semiramin, Pentheſileam, & alias huiuſmodi viragines, non quod ſexum, ſed quod corpus, & membra corporis virilia animumq; haberent; contra Paridem, & Narciſſum, & Adonidem muliebres dicemus, quamuis membra generationis virilia habeant, quare, & hi adoleſcentes muliebres, & effœminati, illæ uiragines, & maſculæ mulieres dicuntur.

Ex quibus reſpondere eſt facile argumentis, quæ difficultatem facere videbantur; & primum dico, quod omne animal maſculum forte, & audax eſt; non ſimpliciter, ſed comparatum fœminis, quæ ſunt ſui generis, quare omnes capræ, & oues quæ ſunt maſculini generis, illæ eędem ſunt etiam audaciores, quam fœminini, videmuſque arietes, & hircos eſſe paratiores ad pugnam, quam ſint pecudes, & capræ.

Et ad ſecundam rationem, quando dicitur, ſi cui ineſt maſculinitas, illi ineſt fortitudo; cum cui ineſt liberalitas illi inſit etiam maſculinitas, fortis igitur, & audax erit liberalis, & placidus, ad hoc dico eſſe verum, proprium enim eſt audacis, & robuſti viri mitem eſſe, ac manſuetum, cum non tangitur ira, aut non dubitat, ſuſpicioſum autem plerunque eſt genus animalium, & hominum robuſtorum, & promptum ad iram, quod in Germanis populis licet intueri, qui cum ſuſpicio ualde ſint, ijdem etiam feroces, atque audaces admodum exiſtunt.

Cum autem dicitur liberalis omnis eſt aptus mente, & prudens, hanc non puto eſſe omnino veram, nam de liberali, ſecundum virtutem acquiſitam hoc forte verum eſt, ſed ſi loquamur de eo liberali, qui ſecũdum naturalem diſpoſitionem dicitur inclinatus ad dandũ, omnino non eſt verum, poteſt enim dare aliquis, & non curare rem familiarem, quoniam vel timidus eſt, vel vecors, & iudicio carens, dicam igitur non eſſe ſimpliciter verum, quod omnis paratus ad dandum, & ad curandum minus, quam oporteat diuitias, & numos, ſit prudens, & aptus mente, quare, & mollis carne, ſed potius exaduerſo, dico prudentes omnes, & molles carne propenſos eſſe ad illiberalitatem, & hos eſſe timidos, non dant enim quoniam timent, ne ipſi deinde indigeant, ſed liberales ex electione omnes ſunt prudentes, qui vero ex naturali diſpoſitione, non omnes.

Tales autem ſunt audaces de quibus loquitur ſuperius apoteleſma, & ſic crederẽ ſolui poſſe dubitationem.

APO-

APOTELESMA XXXVII.

„ *Qui autem gracile habent collum imbecilles sunt referuntur ad fœminas.*

CRasso gracile opponitur, hoc fœminas, illud mares decere dicit; mares esse fortes dictum est, porro gracile collum dupliciter esse potest, aut eo quod musculi ceruicis exiles, vel quod ossa, & tendines, & partes aliæ, quæ collum statuunt sint tenues, & subtiles, loquitur Aristoteles de subtilitate secunda, quoniam qui tali colli gracilitate sunt præditi, illi propriè ad genus fœmineum referuntur, siquidem arguit formatricis caliditatis mediocrem vim, & materiam paucam, minoremque quam oporteret; quare cui collum subtile, illi etiam necesse est esse, & non robustum, quæ fœminei generis est passio; videmus enim fœminas subtilius habere collum, quam viros, qui vero subtile nacti sunt, quoniam carne, & musculis exilibus præditum, illi plerunque laborant atrophia, vel nimio calore igneo torquentur, quo caro soluta liquescit.

Rursus subtile duplex est, vel enim breue, uel longum, breuitas cum gracilitate insidiosum, & timidum ac crudelem indicat hominem misericordem, & iniustum, at qui longum, illi vere fœminas referunt, quibus si arctum pectus aderit, & contracti humeri, his phthisim imminere dubitandum est, cuius symptomatis rationem à medicis petere oportet, quæ talis esse videtur, calor acrior efficitur in pectore arctiori, & per collum strictum in caput delatum excitat distilationem calidiorem, subtiliorem, amariorem, ac salsiorem, quæ cum descendit facile pulmones vlcerat, vnde phtysis, quam tandem mors excipit, cui assertioni neque, videtur Galenus repugnare in comment. de morbis vulg. item prima, & secunda aph. part.

Dub. Sed quoniam supra dictum est, quorum subtile est collum, illi sunt imbecilles hoc est, & molles, & timidi, quærendum est, propter quid hoc accidat.

An causam dicemus, quoniam quorum instrumenta motus, & principia quibus mouentur, & innituntur sunt debilia, illorum etiam motus debiles sunt, & illi homines erunt imbecilles, quod non est dubium, nam orta omnia sua principia referunt, at homines habentes collum gracile, & ossa ceruicis subtilia, sunt illi quorum instrumenta motus, & principia mouentia sunt debilia, igitur, & ipsi debiles erunt.

In minori non est dubium, nam motus principia sunt nerui, qui oriuntur à spinali medulla, quæ talis, ac tanta est, quanta est spina, & ossa vertebrarum, & cauitates per quas transit, vnde si parua sunt ossa vertebrarum, & parua est medulla spinalis, parui igitur, & debiles nerui in quibus est uirtus motiua, quare quod mouet instrumentum erit debile, & si tales sunt uertebræ, ergo, & caluaria, quæ uertebrarum, ossiumque omnium corporis est principium, sic igitur, & quod mouet, nec non, & cui innititur principium mouens debile est in habentibus collum gracile, quare cui tale collum ille merito dicitur esse imbellis, unde etiam timidus, & ualde iracundus si pectus fuerit strictum, (ut diximus) & collum secundum se longum.

Pariter aduertendum est quod supra diximus, cui collum breue, & exile sit, illum esse timidum, insidiosum, & crudelem simul, & misericordem, primum enim ratio non allata fuit ab eo, qui hoc sensit, deinde misericordia, & crudelitas cum oppositæ sint dispositiones, in eodem subiecto non uidentur posse reperiri, amplius quomodo aliquis, timidus, & iracundus esse potest? si iracundia caloris effectus est, timiditas frigoris? & rursus, quod etiam experientia comprobat, quomodo aliquis eius miserebitur, contra quem fæuit? An uidetur posse sic responderi, collum exile, & breue arguit frigus circa cor, & caloris naturalis debilitatem, qui materiam terrestrem non potuerit dilatare, quoniam terrestris, est

& sicca,

& ſiccâ, & ipſe calor debilis ex quò contingit exile, & contractum membrum eſſe in quo dominatur frigus terrenum, & in eo timor adeſt, & quædam ſtipticitas, & ad aliena retinenda, quæ ſemel acceperit, propenſio, quare frigus timorem, timor auaritiam, auaritia ad inſidias animum inclinat, cum autem terra, terreſtreque, quod ſemel ſuſcepit, diu retineat, effectũ eſt, vt talis ſi quemquã odio habuerit, ab illo vehementius, ſibi timeat, quare & illi ſtruat inſidias, quoniam palam negocium faceſſere non audet; deinde cum offenſus viciſſim etiam lædere cupiat, mortem, & vltimum ſupplicium meditatur, & animo voluit, ſibi continuo timens; non enim ſibi aliter caueri, ſibique vnquam ſecuruseſſe videtur, niſi penitus hominem de medio ſuſtulerit; hic autem eſt proprius crudelitatis affectus; talẽ dicunt fuiſſe Neronem, Caligulam, & Tyberium, qui omnium ſuſpicioſiſſimus fuit, & crudeliſſimus.

Idem autem homo etiam eſt miſericos. At quomodo, quoniam hoc eſt miſericordis proprium munus, vt de alienis malis doleat, quando ſibi eadem euenire poſſe timet, ratione igitur ſui, dolet in aliena cauſa, quare quoniam timidus eſt, ideo crudelis eſt contra eos à quibus timet, ne male afficiatur, niſi eos omnino tollat, & miſericors eſt erga eos, qui ea mala ſibi pati uidentur, quorum pars aliquando non parua ſibi ipſi accidere poſſe putat, vnde ſi nihil timet ſibi, neq. etiam miſereſcere ſolet, quare omnino deſperati, & in maximis malis poſiti non miſericordia tanguntur, neq. etiam qui malorum ignari ſunt; cõtra autẽ Dido, quæ nõ erat ignara mali, miſeris ſuccurrere parata fuit, ſi ergo miſeretur q̃ ſibi timet, hic autẽ timidus eſt, & timidus infidioſus ſuſpicioſus, & crudelus; ergo patet in eodem ſubiecto ſimul crudelitatem, & miſericordiam eſſe poſſe, reſpectu tamen diuerſorum, quod aliquando auditum in quodam principe ſæuiſſimo fuiſſe, obſeruatur, quos enim ad mortem deſtinabat eorundem lachrimis mortem proſequebatur, & Neronem dicunt aliquãdo execraſſe, quod litteras ſciret, quarum occaſione cuiusdã capitalẽ ſententiã, & damnationem ſubſcribere cogebatur. Noto autem oppoſitas diſpoſitiones, & habitudines non poſſe quidem eſſe in eodem ſubiecto ſecundum eandem rationem, & in eodem tempore a dactũ exire, at ſecundum diuerſas rationes, & fines, & circa diuerſa ſubiecta etiam ſimul exerceri poſſe nihil refert; ſic etiam idem homo non poteſt eſſe filius, & pater reſpectu eiuſdem ſed reſpectu diuerſorum nihil prohibet; ſic quod ego ſim crudelis erga te, & ſimul tui miſerear in eodem tempore hoc eſt impoſſibile, at quod dum tui miſereor, in Cæſarẽ ſæuiam nulla eſt difficultas, nullũque impedimentũ quin id in eodem tempore contingere poſſit, pariter non eſt abſurdum eundem hominem eſſe timidum, quoniam calor naturalis eſt debilis, qui non potuit dilatare pectus, & terram mouere, eundem autem eſſe iracundum quoniam in breui loco paucus calor concluſus facile igneſcit, conſciuſque homo ſuæ imbecillitatis facile ſperni dubitat, quare propter apparentem contemptum furit bilis, & cum iugiter id illi accidat fit maximè propenſus ad irã, ſic fœminæ, ſic pueri ijdem timidi ſunt, & valde iracundi.

Noto autem hac occaſione oppoſitas vitioſas diſpoſitiones vel naturales, uel acquiſitas ſimul in eodem homine poſſe reperiri aliquando, nam qui auarus, & rapax eſt, idem aliquando profuſus eſt, & prodigus, & qui iracundus, & ſuperbus eſt, aliquando abiectus humilis, & ſupplex ſe præter decorem demittit, qui vero acquiſita virtute ornatus eſt, contrarias diſpoſitiones virtuti non admittit, bonum enim, vt ait Ariſtoteles malo contrarium eſt, nunquam autem bono, at malum tum bono, tum malo contrariatur, cauſam puto, quoniam, virtus acquiſita perfectio eſt quædam cum recta ratione, illi igitur nihil addi, nihil minui poteſt, ſibi ipſi igitur eſt conſonans, at verſa vice, vitium, ac naturalis diſpoſitio, quę videtur eſſe ad virtutem, cum imperfecta ſit omnino, antequã habitum rectæ rationis exceperit, & admiſerit, nihil prohibet quin contrarietatibus implexa ſit, & ſibi nuſquam conſtet; ſic Alexandrum Macedonem magnum Regem, maximis virtutibus, & maximis vitijs,

mis vitijs, inquiunt, fuisse insignitum, idem de Iulio Cæsare, de Alcibiade deque alijs plurimis scribunt; illorum enim natura, ac dispositio cum in quibusdam excederet, in alijs deficeret necesse erat, in nullis simpliciter rectum, mediumque attingebat, virtute autem acquisita, & secundum electionis habitum parta qui ornatus est, ille simpliciter medium cũ attigerit in nullo excedit, in nullo deficit, quare sibi semper similis, immobilis, & quadratus est neque vnquam mouetur de proprio proposito etiam si totus illabatur orbis.

Item quæstione dignum est, an re vera fœminæ viris gracilius naturaliter habeant collum, hoc enim videtur esse falsum, vulgo enim videmus fœminas, & eas præcipuè, quæ plenioris sunt habitus, & quæ vel non pepererunt, vel quibus desiuerunt menses fluere, has habere collum viris crassius, & plenius, at contrarium nunc dicebatur, sane videtur posse responderi, si contigerit eiusdem habitus ac temperamenti, & ætatis esse virum, & fœminã, semper viri collum erit crassius quam fœminæ.

Vel rursus dicam vertebras colli, ac musculos, & vasa, quæ iugularia vocantur, in viro esse maiores quam in fœmina, nihil tamen prohibere, quin propter pinguedinem, collũ muliebre trassius virili appareat, id enim propter remissiorem calorem merito fieri potest, generantem pinguedinem, qua apparent crassiora esse mulierum membra, cum tamen ossa, & tendines deinde tenuiores existant.

Tertio dubitatur, quod vulgo receptum est, an sit uerum uirginum colla esse graciliora, quam mulierum, quæ uirum expertæ sunt, & si uerum est, propter quid hoc accidat? Certe uidetur uerum, tum auctoritate Catulli dicentis.

— *Non illi nutrix,*
Hesterno poterit collum circundare filo;

An virginum gracilio ra sint colla.

Tum Diogenis cynici, qui quodam uespere obuiam uirginem cum salutasset, mane sequenti, eandem non uirginem, sed mulierem appellauit, uitiatam autem cognouit, quoniam crassius erat effectum collum, quam foret hesterno die, at sanè hocà multis obseruatum fuisse dicitur, neque omnino putandum falsum, quod à pluribus affirmatur, sunt quidam, qui eandem aiunt esse causam propter quam ephebi, cum primum uenerem exercẽt, ac semen emittunt, solent uocem mutare, ac grauiorem facere, & nescio quædam ex Aristotelis sententia se afferre dicentes, inquiunt, hoc ideo fieri quoniam calidior effectus totius corporis habitus dilatat laringem, & pulmonis arteriam, unde cũ amplior exeat aer, necessario etiam tardior fertur, quare uox grauior exit, pari pacto, aiunt, cum primum uenerem mulier experitur, totum corpus incalescit, quare, & dilatantur uenæ, & arteriæ, ergo & uasa iuguli, unde efficitur colli crassities maior, id quidam aiunt, & ut doceant corpus, quod semen emittit esse calidus eo, cui id non dum contigit, afferunt corpora ad uenerem apta odorem quemdam caprinum emittere, quò carent pueri, & uirgunculæ, & dum uenus exercetur uirus quoddam sentitur, quod caloris arguit prædominium.

At ex aduerso, mihi uidetur ueneris proprium esse refrigerare corpus, & exsiccare, odoremque caprinum puto corruptionem arguere, quæ euocato naturali calore, & adaucto præter naturali, propter humoris secretionem mouetur; à partibus igitur omnibus si defluit semen, atque præsertim à capite, & corde, ut Hippocrate auctore, siue Polybo credidit Farnelius, & alij quam plures, necesse est secum multum sanguinis, & spirituum multum à superioribus partibus ad inferiores concedere, quare, & iugulares uenas, & arterias refrigerari, & intensionem partium spiritu repletarum remitti, quæ uero remissa sunt, cum sonuerint, grauiorem edunt sonitum, ut secundo de anima uisum est; hac forte de causa, qui paulo ante uenerẽ exercuerunt, raucã uocẽ habent, cum remisso calore, & ad infernas partes recedente distillet humor à capite, quem repellebat prius caloris præsentia; hoc autem, in his qui propè mortem constituti catarrho suffocantur, uidere licet; sed hæc non faciunt ad rem; neque de hoc est quæstio, posito igitur quod uerum sit uirgines, cum uenerem pa-

rem patiuntur, earum colla fieri craſſiora: Primum non putandum eſt, id ſubito, & affatim vel momento temporis fieri, hoc enim falſum eſt, ſed hæc, vt cæteræ mutationes ſenſim fiunt, neque veneris hanc puto eſſe paſſionem propriam, ſed ætatis, nam ſacras virgines videmus, cum ad perfectam ætatem peruenerunt, collum non minus craſſum, quam maritas mulieres habere, dicam ergo Virgines cum adoleſcunt, & toto corpore augentur gracilioris eſſe habitus; cum autem viri potentes, & virum expertæ ſunt, & collum, & totum corpus craſſeſcere incipit, non quod venus hunc effectum producat, ſed quod contingit id fieri cum venus exercetur; & ſi placet, quod hoc ſit accidēs, à venere in mulieribus productū, ſanè multo motui, & agitationi id tribues, ceu volunt, qui aſſerunt fœminas, quæ in veneris actu ſemen emiſerunt, illis ideo auriculas rubras ſubito fieri, atque hoc eſſe in illis perpetuum, & proprium ſignum quod in proximo coicrint, ſed forte à nimia, & inſolita voluptate excitatus ſpiritus, & à capite per arterias affatim defluens, illas dilatat, quare, & latius apparet collum, at vero remiſſior effectus calor, pinguius efficit collum, vt in adultis videmus mulieribus, fit autem propter venerem remiſſior corporis calor, & præcipuè in partibus ſuperioribus, quoniam ad inferiores fertur, & eo delatus ſuperiores deſtituit, quare minor fit reſolutio alimenti, unde craſſius collum, quoniam pinguius, qua de cauſa uulgo etiam dicitur, adultas fœminas habese feruidiores locos genitales, quam habeant adoleſcentulæ, & quo magis uenerem exercent, eo etiam feruentiores, fiūt eſt ergo clarum ex ſupradictis quod gracile collum imbellem animum, & uires debiles demonſtret.

APOTELESMA XXXVIII.

„ *Quibus collum craſſum iracundi referuntur ad iracundos tauros.*

QVid per collum intelligat Ariſtoteles ſupra dictum fuit. Huic ſi quædam differenti addatur, ut præter craſſitiem etiam ſit carnoſum, hoc eſt ſi cum magnis uerbris ſint magni, ac craſſi muſculi, tale collum ſignificare iracundiam dicitur; Notum eſt autem, quod iracundia duplex eſt, quemadmodum, & duplex eſt calor, qui in ſiccitate reperitur, ſecundum quod duplex eſt ſiccitas altera rara, altera denſa ex differentia materiæ in qua eſt; iracundum igitur dico utrunque, ſed cuius iracundia conſiſtit in calore igneo, ille refert catellos paruos in delicijs nutritos, qui iracundiſſimi ſunt, ſed illorum ira ceu cito accenditur, cito etiam ſedatur, & delinitur eorum animus, de his hoīb. iracundis non eſt ſermo, quorum pili rubei ſunt, facies roſea, oculi uegeti, & corpus ad motus paratiſſimum, quamuis facile defatigetur, & confeſtim deficiant uires, neque de iracundis, qui à prædominio quidem ſunt bilioſi, ſed cum ſubdominio ſanguinis, quorum natura puerilis eſt, & cito repetunt, quod paulo ante renuerunt, item neque Ariſtoteles intelligit illos, qui cum bilis dominio pituitæ ſubdominium habent, qui uehementer ſuſpicioſi ſunt, qui quacunque læuiſſima de cauſa offenduntur, qui cauſas querelarum aucupantur, qui abſentes amicos rodunt, nam ad tauros non referuntur iſti male feriati homines, iniqui, ſcorpioni, ſimies. Sed per iracundos nunc intelligi puto eos, qui in multa terra, ſiue melancholia multum ignem poſitum habent, hoc enim temperamentum carnem muſculoſam generare aptum eſt, quod uero igneum eſt cum ſanguine, aut pituita potius pinguedinem, quam carnem producet, quibus igitur tale erit collum, hos Ariſtoteles uocat eſſe iracundos, huius inquam generis iracundiæ præditos, quæ accerba dicitur, & cum animoſitate coniuncta, qualem deſcribunt poetæ Achillis, aut Herculis iram; nō enim confeſtim oritur, ſed eū accenſa eſt difficillime ſedatur, & furioſiſſimè per ignem, & per tela ad ulciſcendas fertur offenſiones; Talem autem omnino uidemus eſſe iracundum taurum, qui, ſi lædi, aut ab ignoto tractari, & ceu negligi ſentiat in hoſtem uehementer inſurgit, neque modum iræ

ponere

ponere nouit; horum igitur iuuencorum si colla spectemus illa sane sub breuia esse videbimus, circa principium occipitis bene pilosa, eadem carnosa, & carne dura prædita vertebrarum ossa magna, & solida; totum autem collum mediocriter, & quasi sine sensu in medio conuexum; caput altè sublatum; cui igitur taurinum collum venit, illi etiam probabile est, adesse illam propensionem, & potentiam in anima, quę cum exit ad actum primo videtur tali collo vti, hæc autem taurina est iracundia, cui igitur taurinum erit collum illi etiam adesse taurinam iracundiam probabile est, videmus autem collum huic potētiæ deseruire, etenim patet spectanti, cum taurus in iram ruit, & se ad pugnam parat illi inflari collum, & attolli, & crassius ac carnosius apparere, corrugata nimirum sublato capite cute & impletis multo spiritu musculis, vt vehementior in hostem ferantur, quare hæc est ratio, cui inest taurinum collum, ille est ferus, & iracundus, sed cui inest crassum, & carnosum collum illi inest taurinum, hoc enim tauri diximus esse; ergo carnosum, & crassum collum iracundiam acerbam, & grauem denotat, quæque longum requirit tempus, ut concoquatur, est enim dictum, in multa melancholia cum multa sit flaua bilis, unde humor ille accendatur, qui terram refert, efficitur, ut uehementissime homo agatur in furorem non secus atque ferrum candens urere, luccre, & ardere uidemus, hoc autem accidens ad masculinum genus refertur, taurus enim masculum animal est, & sicuti tota species caprarum, ouium, dammarūm, anserum, & anatum simpliciter fœmineum refert genus, ita tota species boum, leonum, equorum aquilarum, & falconum masculam quandam præfert naturam.

APOTELESMA XXXVIIII.

„ Quibus autem est ingens non valde crassum magnanimi, referuntur ad leones.

QVod paulo ante dixit collum crassum, nunc ingens uocat, nam, ut mihi uidetur, tum leo, tum taurus in hoc conueniunt, ut utrique magnum habeant collum, non secūdum longitudinem quidem sed secundum crassitiem, siue latitudinem, & profunditatem in hoc autem differunt, quod taurinum collum est ualde carnosum, leoninum autem nequaquam, ut sit sensus, in taurino collo superare carnem, in leonino ossa, & sic fiunt colla utraque ingentia, & crassa, sed prius est carnosum, posterius non carnosum, quare utraque etiam multum innati caloris ignei habent, sed in tauro melancholia cū pituita iūcta esse uidetur, unde carnosior efficitur tauri cerui x, in leone maior forte calor est; Ast cum eius melancholia non est iuncta tanta pituita, sed sanguis, si ergo in tauro tertium locum tenet pituita, quartum sanguis purus, primum bilis, quam excipit melancholia; In leone uariatur, nam post bilem flauam sequitur melancholia, deinde sanguis, ultima pituita, unde factum est, ut semper uehementi calore æstuent leones, qui uero in monte Atlante nascuntur, cum ab ambiente frigore loci eorum calor remittatur, neque iracundos, neque admodum magnanimos esse ait Io. Leo rerum Aphrican. Scriptor, sed uiles à fœminis loci fustibus solere aliquando etiam abigi, hæc ergo est apotelesmatis sententia, & Aristotelis ratio talis, qui collum habent crassum, & magnū, & non ualde carnosum sunt similes leonibus, qui similes leonibus sunt, illi sunt magnanimi ergo quorum collum magnum neq. ualde carnosum uidebis, illos dices magnanimos; minor ex sensus iuditio pendet, quod scilicet qui collum habent magnum neque admodum carnosum, in hac parte sint similes leonibus; ijs, inquam, qui in getulis nascuntur, & crescunt campis, & Numidię desertis, nec non, & in Syluis Mesopotamiæ, quos scribunt collum habere crassum, osseum uillosum, & robustum, secundum hanc igitur partem corporis contingit homines quosdā leonem referre; maior erat, quod qui similes leonibus sunt in hac parte illi sint magnanimi, quæ

mi,quæ propoſitio nunc conſideranda eſt; primum autem declaro quid ſit magnanimitas de qua nunc loquitur Ariſtoteles,hanc ſanè non eſſe virtutem moralem patet, nam virtus eſt cum ratione,at in leone non eſt ratio,igitur neq; virtus,quare neq. vera magnanimitas ſed aliqua diſpoſitio quoſdam effectus fere ſimiles pariens,ijs quos parit magnanimitas in homine,ad cuius imaginem vocamus magnanimitatem.naturalem hunc leonis affectum magnanimus eſt qui cum dignus ſit rebus magnis, ijſdē etiam ſe dignū eſſe putat; magna autem apud homines ea cenſentur quæ ad honorem, & gloriam ſpectant, quare qui magnanimus eſt honores magnos ambit,ac perſequitur,quoniam his ſe dignum putat, & nō fallitur, paruos autem, & paruas offenſiones deſpicit, neque illis mouetur, vilia neque ſectatur,neque curat, & infimorum hominum honores, & detractiones nihili facit; hac de cauſa etiam cum infimæ ſortis hominibus affabilis eſt, atque humanus, ſi qui ſuperbe, ac procaciter illum tractant, quo maiores fuerint, eo vehementius iraſcitur, & illorum vlciſcitur iniurias; In hoc ergo ſimilis eſt affectui leonino,quem magnanimitatem vocant, illum quidem ſecundum ſe innocentem, aiunt, niſi fame, vel rabie exagitetur, & oues, vel capras non aggreditur,aut prouocat;ſed tauros, & vrſos, & elephantes, & ſi quem reperierit fœminam innoxium ſe præſtare dicunt; cum aūt iratus eſt, aut vulneratus ferociſſimus eſt,atque adeo terribilis,ut nihil ſit quod illi pauorem incutere poſſit,quare ratio,ſecundū quam dicitur magnanimus leo, in hoc conſiſtere videtur,vt indicet exceſſum,quemdam iracundiæ,difficilem quidem,quæ ad actum perducatur,cum autem deuenerit, & dignum fuerit nacta aduerſarium,quæ vehementiſſime,ac validiſſime operetur, & nocentia repellat;ſic ergo qui ſimiles ſunt leonibus,quo ad ceruicē, & collū tali ſunt magnanimitate prædīti,& ad ferociam nati,cum læduntur,& innocentes,cum cauſam non habent,& nunquam inferioribus, & imbellibus inſultent,neque illis iniuriam inferant,niſi vehemeter laceſſiti fuerint. Propter quid autem,qui tale ſortiti ſunt collum,quale leoninum, hanc habeant diſpoſitionem,quam vocant magnanimitatem, ex prædictis facile eſt intelligere, nam ſi cui hoc adeſt collum,illi bilis cum melancholia præualet, eaque melancholia eſt, quæ dicitur ſanguinis fex, craſſus nempe, & fibroſus, ſed naturalis humor; cum qui tali prædītus eſt temperamento idem etiam robuſtum habeat corpus, & magna oſſa, magnaque, & robuſta ligamenta; Atque idem propter ignis prædominium alijs prædominari, & nulli cedere velit, & ijs qui cedunt benignum ſe ſe præſtabit,humileſque tuebitur, qui vero reſiſtunt, & ſe ſe opponunt propter multum ignem in multa terra,ferociſſime aggredietur, & proteret;tales itaque actiones videntur eſſe ſimiles ijs, quas exercet vir magnanimus,vnde merito dictum eſt quod qui craſſum, & magnum habent collum, non autem carnoſum, ij ſunt magnanimi. Cauſa propter quam tum leo, tum taurus magnum habeant collum, leo autem non carnoſum, & taurus carnoſum ea eſt, quam ſupradiximus, quoniam in leonis temperie vltimo loco eſt pituita, at in tauro videtur eſſe terra, cuius indicium eſt,quod nigrior multo eſt leonis,quam tauri ſanguis,quin etiam,ſi vera ſunt,quæ traduntur,fibroſior.

Quod ſi dixeris extrauenatum tauri cruorem ſubito concreſcere, & vt gypſum, ſi bibatur, hominem ſtrangulare,quo modo Themiſtoclem mortuum ferunt,quare eſſe terrenum maximè, non autem pituitoſum, quod de leonino non traditur; reſpondebo non negari quin ſanguis taurinus non ſit melācholicus, & terreſtris, ſed dicitur in illo minus eſſe ignis, & plus pituitæ quam in leonino, vnde vehementior, & crebrior eſt ſpiritus leonis, quam tauri,quo factum eſt, vt eiuſdem halitus fætidus ſit, & carnium reliquiæ,quæ illo anhelitu afflatæ fuerunt celerrime corrumpantur, quæ nuſquam de Tauro dicuntur, quod autem tali prædita animalia temperamento ferociter iraſcantur, & irata deſæuiant, confirmant morbi quidam,qui ad hoc præter naturale tēperamentū humanū corpus conuertūt, vt phreneſis, & mania, & deliriū furioſū, & quæcūq. ex accēſa melancholia excitantur in

nobis affectiones, horum enim sic laborantium vnusquisque adeo ferociter in iram fertur, ac desæuit, vt iratus tigres longe admodum superet, quod ergo, & propter quid collum ingens, & non carnosum magnanimitatem arguat, & quænam sit hæc magnanimitas, & propter quam causam id fiat, ex his puto esse manifestum.

APOTELESMA XXXX.

,, *Quibus est longum, & gracile collum, illi timidi sunt, referuntur ad ceruos.*

Crassum collum, & gracile in primis considerauit Aristoteles, quid sibi uellent, & quænam animalium genera referrent, deinde crassum collum per duas differentias distinxit, alterumque vocauit carnosum, alterum non carnosum quidque vnumquodque horum portenderet, docuit, nunc resumens gracilis colli, quod crasso opponitur speculationem, idem ipsum diuidit secundum oppositas differentias, quæ sunt longum, & breue, duplex igitur est collum gracile, crasso oppositum, nempe longum, & breue de vtroque agit, ac prius longum contemplans ait.

Quorum collum est gracile, & longum illi timidi sunt, gracilitas passio est dimensionis illius, quæ profunditas dicitur, at longitudo colli indicat eam distantiam, quæ est inter primam vertebrarum dorsi, & foramen caluariæ, à quo exit spinalis medulla; qui ergo gracile, & longum collum habent dicuntur timidi, quoniam in hac parte sunt similes ceruis, quorum collum, & longum est, & gracile si cum reliquo suo comparentur corpore, timidi igitur, poterit aũt id confirmari ex eo, qđ oĩa ferè animalia quorũ collũ est longũ, & gracile timida sũt admodũ, vt anseres, anates ciconiæ, & grues, & ardeæ quæ licet aliquando cum falconibus pugnent, id potius necessitate ductas, quam volũtate facere dicendum est.

Nec mirum si animal timidum aliquando pugnet, nam & quandoque læsa repugnat ouis, neque difficile persuaderi potest quod collum gracile, & longum significet timorem, tum quoniam crassum, & breue indicat audaciam, & robur, tum quoniam hoc collum est proprium mulierum, in quibus censetur pulchrum, quod sit gracile, & longum, mulieres autem naturaliter timidæ sunt, illasque timor, & pudor omnino decet, causa autem est, naturalis caloris defectus, & spiritus qui ad caput feruntur, ex nimia distantia frigescunt, frigefacti autem timorem causant, frigidus enim horror sanguinem circum præcordia, vel teste Virgilio, coire facit; exaduerso qui breue collum habent, & caput paruum ex ardentibus spiritibus furiosi plerunque apparent, nempe minus quam par sit paruitate capitis, & cerebri temperante cordis feruorem, quare feruidiores spiritus audacius faciunt animal.

Cur collum lõgũ habentia sint timida.

Propter quid autem anseres, & anates, & quæ longum sortitæ sunt collum aues, adeo paruum habent cerebrum; an quoniam per collum, quæ distantia longa est à corde ad cerebrum tẽperantur, & refrigerãtur spiritus, si deinde magnitudo cerebri accederet, animal ad tantũ deueniret frigiditatis, vt nullã omnino audaciã haberet, ac promptitudinẽ ad ea quæ sibi ex suo vsu sunt, facienda; quod si dixeris lepus timidus est, nec tñ collũ habet anseris, aut gruis; non dico ego quod oẽ timidum animal habeat collũ longum, sed ex aduerso oẽ collum gracile, & longum habens timidum voco, qñ nimis refrigerantur spiritus, qui à corde ad cerebrum feruntur; at leporini timoris alia ratio est, nam ille magnum habet cor secundũ proportionem sui corporis, & caput magnum, & multo cerebro eodemq. frigido admodum abundans, & humido, vnde nostrates mulieres illud proijciunt, cũ sibi persuaserint, epilepsia tẽtari, qui leporinũ cerebrũ comederint; cerui autem præter cor magnũ, & cerebrũ paruũ, illi ẽt collũ gracile, & longũ habẽt sm̃ ꝓportionẽ sui corporis quare timidi sũt, qđ igitur habet collũ gracile, & longũ illud est timidũ, itaq. quæcunq. animalia cęteris sue speciei sortita sũt colla graciliora, & longiora, illa sũt timidiora, qm̃ ijs q̃ sũt suæ speciei, frigidiora existunt, qđ ergo collũ longum, & gracile timiditatẽ arguat, & propter

quid

quid manifeſtum eſt, amplius, & paſſionem hanc ad fœmininũ genus pertinere, cuius proprium eſt à calore deficere circa præcordia, quare timidum eſſe.

APOTELESMA XXXXI.

Quibus autem breue valde doloſi & inſidiatores referuntur ad lupos.

ALtera gracilis colli eſt differentia, ſecundum longitudinem quæ dicitur breuitas, quando ſcilicet minus iuſto ſpatium intercedit inter os caluariæ, & primam dorſi vertebram, debet enim interſtitium colli inter caluariam, & dorſum eſſe totius corporis, pars certa, ſi ergo vel longius eſt, vel breuius vitiũ eſt in formatione membri, quare, & in vſu, & operatione eiuſdem, & vitioſa affectio apparebit in ea virtute quæ membro vtitur, ſecundum quod operationem ſuam exacte perficere nequibit; dicit igitur Ariſtot. collum ualde gracile, & iuſto breuius propenſionem ad dolum, & inſidias arguere; doloſos dicimus eos, qui alios decipere poſſunt, & ſciunt, & decipere delectantur; decipiunt autem qui aliud in ore aliud in corde gerunt, qui mendaces ſunt qui aliud faciunt, aliud facere, ſe velle ſimulant, mendaces igitur doloſi ſunt, neque ſolum mendaces, ſed infidi, & ad amandũ parum propenſi, ſibi ſolis commodi, auari, parum, aut nihil bonam exiſtimationem curantes, niſi ſecundum apparentiam, non religionis, non ſacrorum obſeruatores, ſed hypocritæ triſtes, qui ſibi vtilitatem, & voluptatem ſolam propoſuerint; neque præter has duas res, quod quam aliud curant, abiecti, viles, inhumani, apparenter tamen blandi, & placidi, & benigni, amicorum amatores, & officioſi, quibus tanquam inſtrumentis ad decipiendos homines vtuntur, doloſi, & inſidiatoris ſpecimen apud Virgilium in Sinone ſpectare licet, hic autem proprie dolus, qui malus dicitur, & qui damnandus eſt ille appellatur, qui ſub ſpecie bonitatis, & virtutis alijs læſionem infligit, vel infligere tentat, cum ergo vel religione, vel amicitia, vel aliqua alia virtutis ſpecie abutor, ad malum inferendum hominibus, tunc doloſus vocor, quod ſi doloſitas, & ea præcipuè, quæ mala dicitur, iſta eſt, quam deſcripſimus, dubium non eſt, à ſubtili bile, cum melancholia aduſta, & modica pituita huiuſmodi hominum temperamentum eſſe conſtitutum, cuius indicium eſt, quod doloſi plerunque pallido ſunt ore præditi, ſimis naribus, oculos paruos habent, & intus abſconſos, barbam raram, turpes, ac fœdi aſpectu non nunquam ſunt, fœminilemque referunt faciem aliquando etiam ſub ſpecioſa, & rotunda, & muliebri facie, voce ſub tenui ſonora, & fœminea ſunt qui doloſum, & inſidioſum animum teneant, in quibus bilis cum pituita iuncta, in partibus externis exiſtens decorum quendam colorem inducit, quid dolus ſit, & quid doloſus iam patet, inſidiator autem proprie dici videtur, qui latenter, & ex inſperato opprimere, & offendere alios q̃rit, inſidioſos igitur uocamus, q̃ aut uitæ alienæ, aut alienæ pudicitiæ, aut pecuniæ cũ fraude, inhiant, fraus aũt eſt deliteſcens ſub ſpecie probi, nocẽdi deſiderium, doli igitur, & inſidiæ ferè in idem concidunt, niſi quod inſidiatores uidentur eſſe magis in actu, & energia, doloſi uero in habitu, & entelechia, qui ergo tale collum ac ceruicem habent, ſimiles lupis uocat Ariſtoteles in hac parte ſecundum corpus, quare etiam ſecundum animam qualitates lupi proprias habebunt, eſt ſecundum quoſdam lupus ſilueſtris canis; quare quoniam ſilueſtris raro uerè cicuratur, & quamuis cicur uideatur, infidelis tamen eſt, & ſi dabitur occaſio altorem ſuum laniabit, ac perdet, quod experientia probatũ ferunt; Adoleſcens lupi catulũ ab ubere matris abductũ diligenter aluerat, ille altorem amanter ſequi uidebatur, aliquãdo cũ ſolus incederet hoc domeſtico lupo comitatus pede ad lapidẽ offenſo in terrã ferè cecidit, ſubito aſſecla lupus irruit, ut hoſtem diſcerperet, q̃ cõfeſtim ſurgẽs, & ſe ſe colligẽs ſclopo lupũ trãsfixit; adeo naturã expellas furca tñ uſq. recurret, neq. ab hoc eſt diuersũ qđ alij contigit; quidã lupo comitatus, cicure dum p auia uagatur, ſu ꝓueniẽte nocte de equo deſcẽdit, & arborẽ ſcãdit, domeſticus lupus ululare

Quid ſit fraus.

cæpit, accurrerunt siluestres, & cum domestico equum domini vectorem dilaniarunt, & arborem tentarunt in quo se receperat homo, cumque nocere nequirent, cum siluestribus domesticus in siluis abijt; quæ si vera sunt non sanè canis erit, licet eidem valde corpore similis, & quoniam lupus auidum habet ventrem, & multum ac iugem quærit cibum, cum eo eget certa terra explorari aiunt, sm animum est proprietas lupi, vt sit insidiator, raptor, sanguinolentus, infidelis, crudelis, immansuetus, vorax, in explebilis, in periculis, & necessitate coactus audax, & ferox, nisi vis, aut fames vrgeat abiectus, & vilis, nocturnum animal, & fœmineo quam masculo generi similius, at secundum corpus quale sit omnibus notum est. Habet enim oculos nocte lucentes, frontem turbidam, hirsutam, aures hirtas, breues, latum pectus, ac ventrem crassum amplum, collum breue, non tamen exile, nisi in cõparatione ad ventrem, & in breuitate præcipuè non autem in exilitate.

Collum dolosi ad lupinum assimilatur; non enim lupinum collum simpliciter est exile, sed tantum in comparatione ad reliqua lupi membra, dicemus ergo, cui collum breue inest, ille lupum refert secundum corpus, qui lupo secũdum corpus est similis, ille est insidiosus, & dolosus, ergo cui collum exile, & breue ille est dolosus, & insidiator secundum animum; imnor iam supponitur ex lupi figura apparere, nam diximus tale esse lupi collum exile scilicet, & breue, si sine pilis, & in comparatione ad reliqua ipsius membra capiatur, maior est clara, nam qui lupo est similis secundum corpus, ille etiam secundum animum lupum referet, aut secundum eas animæ potentias, quæ corporeæ illius partis in qua conueniunt sunt perfectiones, & entelechiæ, qui secundum animæ potentias lupo similis est illum diximus esse dolosum, & insidiatorem, colligendum est igitur merito cui tale collum adest lupinum, eidem etiam dolos, & lupinas adesse machinationes, & propensiones.

Non putandum est autem, quod simul atque alicui inest collum exile, & breue valde hunc subito lupinos mores habere, & dolosum, ac insidiatorem esse, raptorem, auarum, furacem, crudelem, vilem, cruentum, primum enim adeo in teneris assuescere multum est, vt pessimas has propensiones, & educatio, & lex, & ratio longe vincere possit, deinde nihil prohibet quin cui adsunt lupina signa, non alia etiam possint adesse contra indicantia, quę cum potentiora sint, (vt etiam in morbis nouere qui sanitatis artifices sunt) oppositum non solum demonstrent, sed illud ipsum ad actum perducant, & exerceri cogant; Cæterum si qui sunt qui lupinis moribus præditi dolos continue meditentur, & insidias proximo struant hos omnino ab hominum societate eliminandos puto, vt pote quorum genus hominum nullum peius, aut iniquius reperiri posse credam, & tot de colli signis ex Aristotele dicta sint.

At propter quid cui tale collum adsit, illi etiam propensio ad dolos inexistat, & cognoscere est difficile valde, nam passio hæc admodum à primis qualitatibus distare videtur, si quid tamen dicere tentandum est, profecto colli multa breuitas ad contractionem accedit exilitas etiam siue eiusdem gracilitas materiæ paucitatem, & caloris paupertatem denotat, quare si constractio siccitatem, & exilitas frigiditatem arguit, ergo cui tale inest collũ, illi etiam temperies erit partium, quæ circa caput sunt, frigida, & sicca, ad melancholiam igitur accedet, melancholicos dolosos esse, suspicaces, auarosque, supradictum fuit, hos deinde si calor aliquis, & præsertim igneus excipiet, iam feri, crudeles, & acerbi existunt talem Alexandrũ Phæreum Tyrannum, talẽ Phalaridẽ fuisse legimus; neq; Domitianus, neq; Macrinꝰ Imperatores ab his multũ fuere diuersi itẽ, & Philippꝰ q Gordiano successit & eius filius quẽ nunq̃ risisse scribitur; hæc ergo potest assignari causa, vt sit demonstratio, cui tale adest collũ ille ẽ frigidus, & siccus frigore naturali; at natus ĩcalescere calore igneo & bilioso, siuè prẽter naturali, q hmõi nactus est tẽperamẽtum, ille ꝓpẽsus ẽ ad dolos, & ĩsidias, rapinas, & sq̃itiã, qm̃ nactus est tẽperamentũ melãcholicũ cũ subdñio bilis flauę, ergo cui inest lupinum collum hoc est valde breue ille est raptor insidiosus, & dolosus, & crudelis, &

& crudelis,& ignobilis. Atq;,vt ſupra dictũ fuit, hoc ipsũ eſſe inſidioſi, & raptoris tẽperamentũ docet lupina pellis,cuius pili cũ nigredine quæ melancholiã indicat coniunctã hñt flauitiem&albedinem aliquam, quæ vtraque bilis flauæ,&pituitæ ſunt certa indicia.

APOTELESMA XXXXII.

,, Quibus ſunt labia gracilia, & in extremitatibus laxata ita, vt ſuperius labrum protendatur ſupra inferius, in coniunctione labiorum, illi ſunt magnanimi referuntur enim ad leones, videbit etiam aliquis hoc in magnis, & robuſtis canibus.

10 A Speculatione colli ad labiorum contemplationem accedit Ariſtoteles,nulla habita menti ratione,quod neſcio cur contigerit; An quia quam plura menda, & hiatus in hoc libello contigerint;poſſibile eſt, quæ ad mentum, & ad gulam pertinent penitus ſuiſſe obliterata,nam,vt Polemon, & Adamantius teſtantur,non contemnenda ſunt omnino menti iudicia,quod etiam docent recentiorum quam plurimi,etenim qui nacti ſunt mentum acutum,inſtabiles vocantur,qui quadratum fideles, & amatores amicorum, qui rotundum doloſi,qui biſidum, & in medio concauum molles, & iucundi referuntur,ad fœminas, quare putandum eſt defectum in codice, non in auctore exiſtere, at quid portendat mentum alias conſiderabitur,nunc Ariſtotelis ſententia exponenda eſt,dicit ergo. *Menti ſigna.*

,, *Quibus labia gracilia, &c.* Labium dicitur cutis, quæ nata eſt dentes operire, &
20 cibum ne exeat cohibere, eſt autem muſculoſa cutis, & fibris prædita, vt motum habeat, labiorum differentiæ ſunt craſſum gracile,durum, & molle, & gracilitas non minus quam craſſities cum duritia, & cum mollitie iungi poteſt,quare quattuor erunt iugationes nempe gracile molle,gracile durum, & ſimiliter craſſum molle,& craſſum durum,nunc autem Ariſtoteles labia gracilia tam mollia quam dura contemplatur, de craſſis in genere tantũ meminit,forte quoniã ex dictis quid ſentiendũ ſit apparebit,aut ſane. Quod probabilius eſt; iacturam in hac parte paſſus eſt codex. Dicit igitur cui labia gracilia, & in extremitate laxata, hoc eſt mollia, & propter naturalem mollitiem adeo laxa, vt ſuperius non ſolum cooperiat inferius,ſed etiam aliquantulum promineat, ille eſt magnanimus, probatur,quoniam qui talem labiorum habent poſitionem,ille refert in hac parte leones,qui
30 & magnanimi ſunt,ea magnanimitate de qua in præcedenti apoteleſmate dictum eſt, & hunc labiorum rictum obtinent;quare hoc modo colligitur uniuerſalis propoſitio.

Quorum labium ſuperius laxum eſt ita,ut inferius cooperiat, & ſupra illud protendatur,illi ſunt magnanimi,confirmatur à poſteriori, per rationem deductam in rertia figura ab exemplo leonum,qui talem rictum ſunt ſortiti,ſimulque ſunt magnanimi, & robuſti ac fortes; at propter quid hoc ſit uerum omnino cognoſcere eſt difficile, cum hæ partes exteriores magnopere ab interioribus in quibus forma, & anima reſidet,diſtent; at ſi magnanimi proprium eſt deſpicere iniurias paruas, & illis non tangi,contingit autem ſecundum diuerſas animi paſſiones diuerſimode vultũ affici,quo factum eſt, ut alię ſint amore captorum,aliæ iratorum,aliæ timentium facies, cum uideamus eos qui quodammodo diſpici-
40 unt alios,atq. aliorũ actiones,oris rictũ acuere,& labiũ ſuperius ꝓducere ſupra inferius,ꝓbabile eſt;igitur hoc ſignũ cõſequi eã paſſionẽ animi in energia exiſtentẽ,qđ ſi alicui aderit præter ꝙ qđ actu talẽ paſſionẽ habeat,cõtingit illũ ad huiuſmodi qualitatẽ cõtẽptus,& magnanimitatis eſſe inclinatũ. Alias ego à doctiſſimo quodã Muſico, ꝙ lituũ ſonabat ſuauiſſimè audiui neminẽ, bonũ tubicinem eſſe poſſe, qui mollia, ac laxa admodũ labia non habeat,ſed,ut mihi ſane uidetur,& mollia labia sũt multo vſui tubicini,& ars hęc laxa,& mollia facit labia,cum enim ſępè dum ſonatur tuba, inflata diſtendantur, neceſſe eſt, ut laxa,& propter hoc mollia fiãt, non igitur mollities ſm ſe magnanimitatis eſt indicium, ſed ſi iũcta fuerit cum alia cõditione,ut ſuperius labiũ inferiori iungat,& illi eidẽ modice

promineat, tunc magnanimum dicemus virum; noto igitur laxitatē, & labiorum coitum, & superioris prominentiam, requiri, vt magnanimitas, nue bona quædam natura, & inclinatio ad virtutem hanc significetur, & puto nunc per magnanimitatem intelligendam esse libleralem quandam promptitudinem ad iuuandum alios, & ad neminem lædendum, & ad propulsandas vehementer iniurias, si quis ei iniuste facessere negotium velit, & secundum quam homines abhorrent, & retugiunt à rebus turpibus, vilibus, indignis, necnō dispositionem ad non seruiendum violenter, ad non adulandum, & ad nullas actiones viles, & abiectas faciendas, quæ videtur etiam esse leonis passio, & si nō ex eo prouenit, vt arbitror, fonte, ex quo fortitudo, & audacia nascitur, quod si per magnanimitatem, hanc prę dictam intelligemus propensionem, cum hæc arguat temperiem quādam caloris aerei, in aqueo prædominantis, laxat enim calor, quæ sunt potentia humida, profecto aliquā huius affectus ex internis capitis principijs causam venari poterimus. 10

Cui enim adest hæc dispositio à natura illi etiam caput, & cerebrum optimam constitutionem sortitum esse probabile est, cerebrum bene constitutum, ac temperatum optimos sensus producit, nam secundum medicos sensuum est principium, & à sensuum natura, & actionum qualitatibus, qualis sit eius substantia cognoscitur, at cum sensus exquisiti sunt, necesse est, vt eorum instrumenta constent ex materia aptissima ad patiendum, talia sunt mollia; & hæc laxata sunt; quæ igitur in capite instrumenta sentiendi existunt ea mollia sunt, propter hoc igitur mollia erunt labra, & ideo bene sensatus homo, & quoniam calor mediocriter superat, cuius proprium est dilatare, probabile est labia non contracta futura, quare neque os patulum, aut hiulcum, hoc enim iam fatui signum est, ac stupidi, qui enim stupent os illis hiat, at magnanimi, stolidi, & fatui non sunt non igitur ore sunt hiulco pręditi, illorum igitur labia coeunt, & quoniam, vt diximus caloris est dilatare, & ampliare, ampla igitur esse labia, & quoniam ampla, aut æqualia aut alterum altero maius, sane cū vbi maior est calor, maior etiam fit dilatatio, quoniam maior est calor circa partem superiorem, in qua & maiora, & plura sunt vasa (cuius inditium quod fortiores sunt superiores dentes, & pluribus radicibus nituntur quam inferiores) ergo & labium superius prominebit probabiliter inferiori. 20

Si cui igitur inerit magnanimitas, illi etiam probabiliter inerit causa propter quam labia sint mollia, non patula, sed coeuntia, vt superius inferiori promineat, ergo & si cui hæc aderunt signa illum dicemus esse magnanimum, & leoni similem secundum eam quam explicauimus dispositionem, quæ generositatem quandam innocentem, & liberalem; ad vltionem tamen paratam, si irritetur significat. 39

Non contentus autem Aristoteles ostendisse exemplo leonū veritatem sui apoteleſmatis subdit etiam; Videbit vtique aliquis hoc in magnis, & fortibus canibus nēpe, hoc signū labiorum videbis in canibus generosis, & audacibus; vt eodem modo possis argumentum condere; canes magni, & fortes sunt magnanimi, ijdem labium superius habent molle, & inferiori supercurrens, ergo talia adsunt labia superiora magnanimo.

Noto autem hanc non esse omnium canum ēpassion, viles enim tale non habent labra hæc, neque qui in delicijs plerunq. habentur; sed qui corsici vulgo dicuntur, aut gallici magni, & robusti existentes, illi talia sunt sortiti labia, & prædicto modo dispositā, ijdem autem cum quadam seueritate, & grauitate blandi sunt, & paruis canibus innoxij neque diu, aut multum latrant, neque sine causa, & fideles sunt, audaces, ad se ipsos, & suos dominos tutandos, quæ dispositiones vno magnanimitatis nomine hoc loco notari videtur. 40

Est autem magnanimitas inter virtutes actiuas, ceu rosa inter flores, quod ergo signum huiusmodi labiorum magnanimitatem indicet, ac propter quid hoc ipsum contingere possit, dictum est.

Noto etiam non esse absurdum in eodem animali diuersas esse dispositiones, quæ videantur

deantur oppositis inniti causis, animal enim ex contrarijs compositum principijs in diuersis locis oppositas passiones, & secundum se oppositas dispositiones, & habitudines ratione diuersa potest habere, est enim, vt composita armonia in qua non minus acutum quam graue sentitur, & suam operationem exercet, & si vtrunque non exaudiretur armonia non esset.

APOTELESMA XXXXIII.

Quibus labra gracilia, dura, & circa dentes caninos supereminentia illi sunt ignobiles referuntur ad sues.

LAbiorum gracilium, vi dictum est duplex erat discrimen nam, vel molle de quo supra[a] vel durum de quo nunc est dicendum; illud dicitur durum, quod difficile alienæ vi, & externo pellenti cedit, vt igitur quod in se ipsum cedens pellentem rem complectitur, dicitur molle, ita quod oppositio modo dispositum pellenti resistit durum est, ossa sic dura dicuntur, & lapides, & ferrum, & quæ in se ipsa secundum partes nata sunt non recedere, labia igitur quæ fuerint gracilia, hoc est minime crassa, sed cum gracilitate iunctam duritiem habuerint, vt coria quædam sicca videantur, ea dicentur dura; sed ad hoc, vt significent, quod dictat Aristoteles eadem ponit ita affecta esse debere, vt supereminеant hoc est tumescant vtrinque circa dentes, quos caninos appellant, dentes vocantur instrumenta ossea, quibus in ore cibum præparant mandendo animalia, isti plerunq. sunt num. 16. vtrinque in viris, raro plures, aliquando pauciores in fœminis sunt 14. tùm in parte superiori, tum etiam 14. in inferiori, qui viri ad fœmineũ genus accedunt magis, 30. dentes gerunt 16. superiores, & 14. inferiores, similiter quæ fœminæ masculum referunt habitum ad numerum 30. dentium ascendunt, prius autem completur superior dentium ordo, quam inferior, quoniam & calidior, & maior, & vegetior est superior maxilla, quam inferior; Diuiduntur dentes primum in duos ordines superiorem, & inferiorem, rursus vterque in tres series, quarum prima est dentium, qui scissores dicuntur, quoniam cibum scindunt, & hi sunt quattuor, his adiuncti vtrinque duo sunt, qui canini vocantur, qui robustissimi sunt ad incidendum, & ad conterendum, vtrumque tamen vidi vnica tantum radice initentem; succedunt qui molares dicuntur, à molendo cibo, lati, & firmi, qui raro mutantur, & si in ætate puerili deciderint, raro renascuntur, in adulta nunquam; dentes de quibus nunc agimus canini vocantur, quoniam in his robur canum, leonum, & aprorum consistit, & his ad propriam tutelam, ad vimque inferendam vtuntur, labia igitur gracilia, & dura circa hos dentes, si prominentia fuerint, ita, vt tumorem quendam præse ferant, ex Aristotelis sentẽtia indicant hominem ignobilem.

Quid molle.

Quid durum

Dentiũ diuisio

Ignobilitas nobilitati opponitur, est autem nobilitas propriè dicta, ex Aristotelis sententia primo rhetoric. virtus generis, & familiæ, & nobiles dicuntur, qui orti sunt ex ea familia, in qua iam pridem excelluerunt, & nunc quoque excellunt viri, in ijs bonis, quæ in ea ciuitate, in qua familia est, sunt in magno pretio, qui ergo nati sunt ex opulenta familia apud eos, qui maximi faciunt diuitias, & olim, & nũc diuitijs floruere, illi nobiles apud tales homines, & in tali ciuitate dicuntur, sic de alijs bonis, vt de virtute, de scientia, & de ciuili potentia est intelligendum, neque satis est ex tali natum esse familia, sed oportet etiam eum, qui nobilis dicendus est, talem esse, aliter enim degener dicitur, sed de hac nobilitate, aut huic oppositа ignobilitate Aristoteles non loquitur hoc loco.

Quid ignobile.

Per ignobilitatem, puto intelligendam esse naturalem quandam dispositionem, quæ talem habeat proportionem, cum superiori qualitate, quam vocauit magnanimitatem, quam habet, labium gracile, & molle cũ gracili, & duro; quare sicuti hæc accidentia duo,

circa

circa idem subiectum nata fieri opposita sunt tamen, ea etiã oppositas causas habere probabile est, & ignobilitatem de qua hoc loco agit magnanimitati opponi, & ab oppositis causis in subiecto susceptibili fieri, dispositio autem opposita magnanimitati de qua supra mentionem fecimus, quæque vocatur ab Aristotele ignobilitas, (aut potius ab interprete litteralem sensum, qui primo se se obtulit, prosequente;) hæc fuerit, renitentia quædam; & inertia ad iuuandum alios, aut ad respondendum interroganti humaniter, & benigne, aut ad se facilem ostendendũ, est igitur rusticitas quædã inconcinna, & grauis, quæ turpem, & desidem, ac degenerem arguit animum, inuidum, alienis bonis marcescentem, vilem, ad propulsandas iniurias necessitate tantum cogente, se parantem.

Quis natura ignobilis.

Ignobilem etiam ex Aristotele hoc loco dicemus illum, qui à rebus vilibus, turpibus, inhonoratis libero homine indignis non refugit, neque abhorret, sed ceu amica lutosus, & turpibus lucris, & inhonestis voluptatibus animum adiungit, ad adulandum, ac seruiendũ omnino paratus, vt sibi nihil dedecori, nihil vituperio esse putet, dũmodo secure, & cum delectatione viuere possit, & illa leonis ita hæc, videtur esse porci naturalis propensio, sues enim lætari videmus vilibus rebus, & in sordibus, luto, ac sterquilinijs libenter versari, illumque eundem propter venerem, & cibum pugnare ferocemque se prebere, quod si alios sui generis grunnientes, & laborantes succurrere quærit, hoc illi quatenus est gregale animal, non autem quatenus est sus (vt puto) accidit, nam, & Elephanti sibi mutuo sunt præsidio, & aues non nullæ, cum vnam sui generis clamitantem audiunt, auxilium quasi laturæ adulant, at porcus, & præcipuè qui verres est, & non castratus horridus, immanis suetus, turpis, deses, cui vere pro sale data est anima, ad propulsandas iniurias generositatem nullam ostendit, indocilis, cibi veneriſque manceps, ad seruiendum paratus, nihil sibi turpe nihil indecens putans, *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.*

Hæc ergo est Aristotelica sententia, vt illum cui labia exilia, sed dura fuerint, & circa caninos dentes sursum contracta, & eleuata, dicat esse ignobilem, hoc est hominem, qualem supra descripsimus, quam positionem confirmat exemplo suum; nam sues talia habẽt labia circa caninos dentes, & sues sunt ignobiles, ergo qui huiusmodi habent labia illi ignobiles, hoc est turpi, & indecoro, & inhonesto animo præditi existunt, argumentum probabile quidem, & à signo deductum, quare rursus dicam qui talia sortiti sunt labia illi suibus sunt similes, secundum hanc corporis partem, at qui similes corpore suibus sunt secundum hanc partem animum porcorum proprietates referentem habent, inter quas ea est præcipua, quam ignobilitatem animi vocant, ergo qui huiusmodi labia habent ignobiles sunt; & vt arbitror, hoc erat, quod antiqui de Circe fabulantes dixere, multos homines in porcos, alios in leones, quosdam in lupos, alios in vrsos fuisse conuersos. Quos homines, volebant fuisse, non secundum corpus, sed secundum animam inductos ex praua electione, & consuetudine voluptatibus illectos, ad suscipiendos eos ipsos habitus, quos videbant à natura his brutis esse inditos.

Quod ergo res ita se habeat certum est, propter quid autẽ ex oppositis dispositionibus capi potest; in tali enim homine qualem descripsimus secundum animum, probabile est reperiri temperiem melancholicam cum pituita, & eam melancholiam non magno, & uehementi admodum calore affici, quare propter id accidit, vt corporis extrema sint exilia, & gracilia quoniam humiditas deficit, & laxans calor, & propterea quod deficit, ideo siccitas prædominatur, quare & sunt ita, prominent autem supra caninos dentes, quoniam ex eodem temperamento frigido, & sicciori dentes canini maiores fiunt, eleuantur ergo, attolluntur, quare & labium quod illos cooperit eleuari, & attolli necesse est, quod autem quæ uerris temperamẽtum sortita sunt animalia, caninos dẽtes magnos, & fortes habeant, præter ipsum illum suem, tum agrestem, tùm domesticum, & canem uilem, & rusticanum, idem & elephanti, & ursi docent; quorum ferè unumquodque hoc tem-

temperamentum melancholicum,cum ſubdominio pituitæ nactum eſt;quamuis deinde melancholia vnius ſit diuerſa ſecundum ſpeciem à melancholia,& pituita alterius, & diuerſorum animalium diuerſimodè incaleſcat,non ſolum ſecundum magis, & minus, ſed etiam ſecundum formam,& ſpeciem diuerſam,nam alius ſecundum ſpeciem eſt elephanti,alius ſuis calor,quare alia etiam eſt ſpecies operationis,& alia ira,& cupiditas apri,alia elephanti;hanc igitur puto rationem afferri poſſe,propter quam contingat hominem,cui labia gracilia,& dura,& prominentia ſupra dentes caninos adſunt,illum eſſe ignobilem abiectum,& vilem.

APOTELESMA XXXXIV.

„ Qui autem craſſa labia habent,& ſuperius inferiori propendens fatui ſunt, referuntur ad aſinos.

DIuidi prima diſtinctione labia diximus in gracile, & craſſum, gracileque rurſus in molle & durum,quod promineret,vel ſimpliciter,vel ſecundum quid inferiori. De gracili,& eiuſdem differentijs dictum eſt,nunc de craſſo dicendum. Craſſa labia voco quæ in extremo carnis multum habent,talia ſunt quæ in Aethyopibus, & Mauris dictis,videmus,ea autem craſſa rubra,& patula ſunt omnino,vt illis fere ſemper labia hiēt, craſſum dicitur corpus,cuius profunditas longa linea menſuratur, aliquando tamen, & craſſum dicitur,quod dēſum eſt,a raro opponitur quomodo pannum dicimus craſſum, & lignum craſſum,ſed de hoc non loquitur Ariſtoteles nunc.

Si quis igitur habuerit craſſa labia ſiue ſint mollia,ſiue dura, & ſuperius promineat inferiori,ita vt hient,hunc dicit Ariſtoteles fatuum.

Propriè autem fatui dicuntur,qui multa fantur ſine ratione,ac delectu,& ſæpe errant, in multiloquio enim non deeſt peccatum ;qui autem fatui ſint,& vndenam dicantur alias expoſitum eſt;videtur autem proprietas hæc eſſe fœminilis,niſi quod puto fœminas habere craſſas,& molles labiorum extremitates,& labia quæ fatuitatem docent, debent eſſe craſsa & dura,quoniam referuntur ad aſinos,quare & fatuitas de qua loquitur non in ſermone,ſed in quadam intellectus ſtupiditate,& pigritia motus , & actionum ineptitudine conſiſtit;primum igitur quid labia craſsa,mollia,& prominentia doceant, tum clauſa,tum hiulca videamus,deinde quid craſsa,& dura ſpeculabimur de quibus probabiliter Ariſtoteles agens,ea dicit indicare ignobilitatem; labia craſsa, & mollia parumper contracta,vt vix hiſcere deprehendatur fœminilia ſunt,& fœminas decent,quæ his labijs potius vſui venereo aptiores, quam uenuſtiores vulgo habentur, vtpotè cum perſuaſū ſit multis pudendi muliebris orificium labiorum gracilitati, aut craſſitiei ſimile eſſe;cum ergo hoc fœminile ſit accidens,fœmineum etiam morem oſtendet illumq; præcipuum,qui hunc in fœminis affectum ſequitur;At videmus ſtupentes,admirantes,& neſcientes,alienaque dicta auidè captantes hiulco ore manere,& labia diducere;dicemus igitur craſsa, & mollia labia indicare hominem inſulſum,fatuum,admiratorem,peconctatorem, alienarum rerum,ſuas negligentem,negligentia,& in curia laborantem, credulum inſipientem,& imprudentem.

Huius affectus cauſam aliquam aſſignari poſse puto; nam ſi labia craſsa ſunt, & mollia,probabile eſt multum humoris abūdare circa capitis principia,quare & carnoſum erit caput, & carnoſa facies, ergo & calor mediocris,qui non reſoluit admodum cum autem in multo humido obedienti,mediocris eſt calor fœmineum genus, fœmineumque ingenium inducitur;quare cui talia ſunt labia,ille,cum ad fœmineum genus referatur,iure timidum dicemus,& ſtupidum,& alienorum negotiorum auidum perconctatorem, ſuorum

Cur labia craſſa fatuitatē ſignificent.

rum vero ineptum curatorem, hæc autem crassa, & mollia, vel hiscere possunt ita, vt dentes appareant, & hi sunt somniculosi pueriliq; sapientes, attoniti, & epileptico morbo obnoxij, nimium enim humorem prædominari in capite cum mediocri frigore hoc signi genus indicat, crassa sunt humore multo, frigore autem contracta apparent.

Si vero non pateſcant, sed iungantur, omnia hæc symptomata minuuntur, non tamen penitus tolluntur, sed timorem quidem arguunt, ast ludicrum quoddam, cum decore ingenium iucundum, & muliebre, aptum tamen ad dolos, & fraudes; sic enim fraudulentos dicimus Aethyopas, & Mauros, & ferè omnes appareat talia labia habere, at si labia fuerint crassa, & dura, quales habent asini, hominis fatuitatem arguunt, imprudentiam, & vt vulgo dicunt indiscretionem, signum est enim siccum, ac melancholicum terrenumq; principium cum pauco calore circa caput dominari, quod in asino cuius magnũ, & oseũ est caput clarè videmus; Si igitur crassa labia simpliciter fatuum, indiscretum, improuidũ, & impudentem indicant; ergo gracilia simpliciter oppositum designabunt, nimirum bene natum, & sensatum hominem, catum, & prouidum, sibique consulere scientem, prudentem, moratum, & discretum, si vero crassa, & mollia timidum, si dura indiscretum, atque id quotiescunque superius labrum inferiori prominet, Quod si inferius excedit superius quidnam id protendat non iudicat Aristoteles, sed alij tum recentiores, tum antiquiores de hac apparentia varie senserunt; si enim inferius labium sit gracile emineat, ac superet, quod supra est, & id in acumen desinat, hominem ad iram simul, & lachrimas pronum indicabit, potiusque timidum, & irresolutum, quam præcipitem, aut etiam maturum, si autem crassum fuerit simul, & superius excesserit inuidum, duræ ceruicis hominem rudem, & malignum demonstrabit, à melancholia enim crassa, cum sanguine mediocri mixta oritur passio hæc, quæ cum aduritur obstinatam quandam animi peruicaciam docet, ingenium ignobile, sordidum, iuditium hebes, animum vilem, abiectum, & timidum.

APOTELESMA XXXXV.

Quicunque autẽ superius labium, & gingiuas prominentes habẽt, amatores sunt contumeliarum referuntur ad canes.

Rictum, quem nunc describit Aristoteles, poteris tueri in rusticano cane, cum irritatur atque ad mordendum se parat, labia enim superiora contrahit, dentes acutos exerit, qui alijs in ordine prominent, forasque extenduntur, si quis igitur naturaliter talem rictum habuerit, probabile est, inchoationem quandam in anima, & dispositionem habere ad eam actionem, & operationem, quæ huic caninæ affectioni sic congenea, ut enim supra dictum fuit, membra sunt actionum animæ instrumenta, & secundum varias actiones, varias habitudines præ se ferunt, quæ illarum sunt exordia, quare si quem videmus oculos habentem dispositos in morem flentis illum ad fletum dicemus propensum, pariter igitur si viderimus hominem canis rixantis, & peregrinum appetentis habentem rictum, ita, vt nobis in memoriam reuocet talem canis actionem, illum sanè dicemus esse amatorem cõtumeliarum, hæc ergo, ni fallor, est sententia Aristotelis.

Primum ergo videamus quisnam, & qualis est amator contumeliarum, deinde quomodo cui tale ineſt os, qualem diximus, contumelioſus ſit demum propter quid hoc accidat, & quænam ea sint animi accidentia, quæ contumeliatorem solent comitari.

Amatorem contumeliarum dicerem eum, qui quacunque etiam minima de causa, cum quocunque indistincte rixatur, & cui, ut dicebat Homerus, semper cordi sunt rixæ, bella, & pugnæ, contumeliæ à contemnendo dictæ, sunt, inditia animi nostri quibus testamur, de alio male sentire, id autem fit uel dictis, uel factis seiunctim, uel utrisque simul.

Male

Male autem de aliquo ſentimus dupliciter, aut quoniam illum hominem peſſimum iniquumque iudicamus, aut quoniam contemnendum, & nullius penſi cenſemus, prior odio habetur ac timetur, poſterior cõtemnitur, & de eo perinde ac ſi caudex eſſet, vel ſtipes, aut aſinus nulla ratio habetur; Qui autem facile alios contemnit, & nullo ſe egere poſſe putat, ille amator dicitur contumeliarum, parum expertus, & prudens, quales ſunt iuuenes, & diuites, & nobiles noſtri temporis, hi enim nullo ſe egere arbitrantur, quare & ſuperbi, alios ſpernunt, & quaſi ſibi ipſis adulãtes, putant qđ alijs meliores ſint, & excellẽtiores.

Secundum ætatem igitur adoleſcentes ſunt, ſecundum fortunam diuites, & potentes, & læti qui nunquam experti ſint infortunia, neque de ſpe ſua præter opinionẽ deciderint, temperamentum illorum eſt bilioſum cum ſubdominio ſanguinis puri, vnde elati confidentes indignabundi ſunt, petulantes, procaces, audaces qui ſibi placeant, loquaces, nugaces, amoribus muliebribus impliciti, & quas amant ſaturi cito deſpiciant, de illiſque æque facta, & infecta canant, monitoribus aſperi, in vitium ganeæ, & iurgiorum proni, & quales eſſe hos teſtatur ſecundo rhetoricor. Ariſtoteles, qualemque fuiſſe, ferunt, Alcibiadem, & aliquando, & Neronem, & Othonem Imperatores. Habemus quid ſit amator contumeliarum, & qualis tum ſecundum animum exiſtat, tum etiam ſecundum corporis temperiẽ.

Reſtat, ut videamus propter quid cui tale ineſt os, quare dixit Ariſtoteles fit contumeliarum amator, ait ille, cuicunque labium ſuperius, & gingiuæ in ea parte in qua ſunt inſerti canini dentes, prominent, ita, vt ſpeciem ringentis canis præſeferat, ille eſt amator contumeliarum, probatur exemplo canum maiorum, & ruſticanorum, illi enim talem habent rictum, & tunc præcipuè quando ringunt, & peregrinum, & pauperem ægrotum aggredi inſtituunt, at canes huiuſmodi, & eo potiſſimũ tempore, contumelijs, & rixis ſe lætari indicant, ergo quorum dentes gingiuæque, & labia illo canino ritu naturaliter tumeſcunt, illi prompti ſunt ad iras, rixas, & contumelias, neque id præter rationem iudicandum eſt, nam ſæpe diximus quales ſunt affectiones inſtrumentorum talem etiam putandum eſt, eſſe propenſionem illius principij quod tali inſtrumẽto vtitur, propenſionem inquam ad illam operationem, cuius imago aliqua, & rudimentum in organico corporis membro, ſenſui apparet; quod ergo id ſic ſe habeat: iam clarum eſt. Nunc propter quid, cui talis ineſt rictus, illi & contumeliarum adſit cupiditas quærendum; dicamus ergo in hoc theoremate ſicut etiam in alijs, huius rictus ſiue diſpoſitionis labiorum, & gingiuarum cauſam eſſe in propenſione ad contumelias, non autem è contra; & vt rictus hic ad corpus humanum, ita contumeliarum cupiditas ad animam; quæ illius corporis actus eſt, ſe habet, & ſicuti deprehenſio turpitudinis in alio ſine dolore, eſt cauſa quod nos ridemus, ridere autem eſt ſignum quod illam deprehenderimus turpitudinem; ita etiam cupiditas contentionis cauſam in ſe habet, huius canini rictus; & hoc ſignum dicitur, quare ſicuti ex definitione deprehenſionis turpitudinis dicimus propter quid ineſt riſus illi inſit. Ita nunc ex ratione, atque eſſentia cupiditatis contentionum, & contumeliarum, propter quid homo talem habens caninum rictum appetat contentiones, & paratus ſit ad contumelias alijs infligendas, fortè apparebit.

Qui habet prædictam oris diſpoſitionem illi homini naturaliter contracti ſunt nerui verſus ſuum principium, nam ſi diſoluti labia faciunt diſſoluta, & vt medici dicunt, reſoluta, ergo non reſoluta, ſed contracta labia, neruos labiorum motores verſus ſuum principium retractos eſſe docent; retrahuntur autem ob ſiccitatem, & calorem; calidi enim, & ſicci proprium eſt contrahere, & conſtringere neruoſam, & membranoſam ſubſtantiam, vt in hædinis cartis, & corijs, manifeſtum eſt; cui hoc accidit neceſſe eſt in principio neruorum, ſiccitatem, & calorem prædominari, ergo cerebrum erit bilioſum, ergo, & propẽſiones naturam ignis referentes ſuppeditabit, ignis autem proprium eſt alijs ſupereminute elementis, aliena ad ſe rapere, inuertere, mutare, & aliorum corruptionem moliri, vt ſe ipſum ex-

sum extollat, maioremque faciat, operationes huiusmodi sunt similes actionibus adolescentium, & diuitum, & potentium, vt dictum est, superborumque, & superioritatem ambientium; at tales vocamus amatores contumeliarum, & rixosos homines, & inquietos, ergo manifestum est propter quid cui tales aderunt gingiuæ, & dentes cum tali labiorum dispositione ille erit amator contumeliarum, quod fuerat probandum.

Neque videatur præter rationem dictum, quod nunc positum est, calore ficco neruos contrahi, cum supra dixerimus contractos humeros frigoris esse operationem, nam sciendum est, tum calorem, tum frigus congregare, attamen diuersa admodum ratione, nam calor similaria congregat, & præcipuè cum siccus est, dissimilaria vero disgregat, & ea præsertim, quæ sunt humida; porrò neruus tum similaris est, tum siccus à calore igitur cõtrahitur, at humeri cum organica sint corpora, & ideo dissimilaria à frigore cogi, & contrahi, à calore dilatari, & ampliari probabile est, & quod sint dissimilares, & organici patet, quando ex carne, ossibus, neruis fibris sanguine tum arterioso, tum venoso constent, quæ omnia inter se omnino tum nomine, tum ratione differunt.

APOTELESMA XXXXVI.

Qui autem nasum extremum crassum habent, segnes referuntur ad boues.

EVndem sequens ordinem ab inferioribus ad superiora procedendo post labia de naso mentionem facit, est nasus membrum satis notum, & cum dissimilare sit, ex quadã constitit cartilagine, & certis ossibus, ac cute qua vestitur; ei quinque ossicula tribuunt, cum cartilagine quadam, quæ nares discriminans inter septum dicitur, nasi officium est meatũ præbere aeri, quo & cor, & cerebrum refrigeratur, & odores sentiuntur, habet eius extremitas paruos quosdam musculos, quibus eiusdem foramina, & magis aperiuntur, & eleuantur, vt facilius odores captet; de hoc ita que membro quid Aristoteles, & propter quid, deinde quid alij sentiant; dicemus, cum ergo nasus incipiat in ea parte, quæ immediate subest fronti vbi vtraque supercilia concurrere videntur, & descendat per faciem vsque ad extremas nares, ab his naribus exorditur Aristoteles, & ait, quicunque homines habent extremum nasum crassum, hoc est partem, quæ ambit nares vtrasque, crassam non rotundam dico, sed bobus similem, ita, vt pars, & cutis illa quæ narem vtranque format sit crassa, & carnosa, adde etiam, & non flaccida, non eleuata, sed potius depressa, illi sunt segnes, hoc est in suis actionibus pigri, & motibus tardi, neque solum id puto in motibus corporis, sed etiam animi verũ esse, nam referuntur ad boues, vt sit Arist. ratio, quorum nares in extremo sunt crassæ illi sunt bobus similes, at qui bobus similes, mente & corpore sunt segnes, igitur qui talem sortiti sunt nasum segnes dicentur; & minor difficultatem non videtur habere, quod scilicet qui nares boum habent, illi bobus secundum eã partem similes sint.

At si à parte ad totum fiat transitus, id sanè videtur esse durum, possibile enim est, & leonem, & aquilam in aliqua particula lepori similem esse, non tamen illorum mores isti sũt similes, quare crederem oportere minori propositioni adiungere, quod sint similes in hac parte, & idem in maiore deinde replicaretur, nempe quicunque secundum narium extremitatem referunt boues, illi animo, & corpore sunt segnes, quæ propositio primũ per epilogismum confirmabitur, nam boues huiusmodi nares habent, & boues animo, & corpore tardi sunt, id de Aulo Vitellio, idem de Honorio Romanis Imperatoribus legitur; qui vtrique segnes erant, & talem nasum habebant; huius autem rei causa inuentu sanè videtur esse difficilis, attamen an aliquid probabiliter possit afferri videamus.

Pro huius positionis demonstratione duo mihi supponenda videntur, alterum est nasum eius.

ſum eiuſque præcipuam extremitatem iracundiæ ſiue iraſcibilis potentiæ eſſe quoddam particulare membrum, in quo eiuſdem exitus ad actum apparet, aut in quo eiuſdem potentiæ effectus eluceſcunt; etenim ſi quem deridemus, eum naſo adunco ſuſpendere dicimus, & ſi quod deſpicimus, illud idem naſo reijcere uulgo dicimus, & cum aliquid diſplicet nares diſtorquemus, & attollimus, id etiam antiquis uiſum eſt, de irriſore, & reprehenſore ait Mart.

Naſutus ſis vſque licet, ſis denique naſus
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.

Naſus etiam pro ſermonis acrimonia, & dicacitate capitur à Plinio, & ab Horatio, & Perſio, quare natum habere, nihil aliud ſibi uelle uidetur, niſi paratum eſſe ad mordendū, & reprehendum acriter alios, ſic Horatius dicebat de quodam qui eſſet

Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

ſi ergo naſus eſt indicium affectuum iraſcibilis potentiæ, ergo, & qualis erit potentia iraſcibilis, tales erunt extrema nariū, & pro illius potentiæ diſpoſitonibus diſpoſitæ etiam nares erunt, quare à naribus ad potentiam iraſcibilem, vt à ſigno ad ſignatum argumentari licebit, amplius neque ſolum iraſcibilis potentiæ, ſed etiam iudicij diſpoſitionem, & aptitudinem deſignat, vnde, & naſus pro iudicio ab antiquis captus eſt, ſic Horatius cum dixiſſet antiquos laudaſſe rancidum aprum, ſubiungit, non quia nullus, naſus illis erat, hoc eſt non quia carerent iudicio, idem auctor prouerb. teſtatur, cui adſtipulatur Martialis, cū neſcio quandam nullo, vel paruo viuere naſo dicebat, quare ponemus non ſolum iraſcibilem, ſed etiam iudicatiuam potentiam, à naſo naſique qualitatibus deſignari, & iure nam, & ſi iudicium eſt, vel cum iraſcibili, appetitu, vel ſaltem non ſine virtute iraſcibili ſuas operationes facit (iudicium enim nihil aliud eſt niſi potentia per quam quidnam de propoſitis eligendum, & quid reijciendum ſit, homo determinat) ſine appetitu igitur non eſt iudicium, videmus inſuper, & qui iraſcuntur magnopere ſecundum nares rubeſcere, & partem illam inflari, & valde calefieri, non igitur præter rationem dictum eſt, nariū, extremitatibus iraſcibilis potentiæ diſpoſitionem denotari; propter quid autem hoc contingat, addam quid putem, alias alij melius. Virtus quæ hominem format à centro ad circumferentiam mouet, quare abumbelico ad partes externas; videturque per lineam rectam procedere, diametri vero extrema ſimul natura ſunt, quare & ſimul fiunt, & oppoſita ſunt ſecundum ſpetiem, eadem autem ſecundum genus; opponuntur ſecundum diametrum, & genitale, & naſus, quare ſi genitale vnius appetitus eſt inſtrumentum, & ſignum, ergo naſus erit forte alterius; At concupiſcibilis appetitus præcipuum inſtrumentum eſt genitale, ſi quidem actio generandi propter conſeruationem ſpeciei naturaliſſima eſt, quare, & iucundiſſima, & propter hoc uehementiſſime appetita, ergo iraſcibilis facultas, oppoſitam corporis partem ſecundum diametrum poſſidebit propter conſeruationem indiuidui data, cuius erit iudicium naſus, quare iraſcibilem facultatem à naſo, & eius diſpoſitionem putarem indicari, nam oppoſitarum potentiarum ſiue habituum oppoſitæ ſunt operationes, quare, & oppoſita inſtrumenta, & ſi in oppoſito membro adeſt oppoſitum diſpoſitionis ſignum, & alterius in altero aderit; quare ſi qualis eſt penis talis eſt ad uenerem appetitus, & concupiſcentiæ diſpoſitio, cuius concupiſcibilis appetitus obiectum eſt ſecundum nos uoluptas, & iucundum quod tactum reſpicit, cuius maximæ, & principaliſſima ſpecies eſt uenerea uoluptas, ergo, & qualis eſt naſus talis etiam eſt diſpoſitio iraſcibilis facultatis.

Alterū qđ puto ſupponēdū eē tale quiddā ē, Animi, & corporis motus celeritatē, & tar-

ditatem ſequi caloris diſpoſitionem, calor autem talis eſt, & tantus, qualis, & quanta eſt bilis naturalis, quæ in corpore noſtro ignem refert; neque id dubium eſt, nam quæ minus calorem participant animalia, ea uidemus eſſe tardiora, promptiora vero ad motum, quæ calidiora ſunt, & ignis eſt in continuo fieri, continueque mouetur, ex oppoſito quæ frigore, ac gelu rigeſcunt, omnia quieſcunt, & terra quæ frigida eſt, quieſcit; ſi igitur calor motus principium eſt, & maior calor maioris motus, & inquietudinis cauſa eſt, vnde qui febriunt, quo maior febris eſt, eo magis etiã mouentur, & agitantur in lecto; ex his puto iam poſſe nos dicere propter quid, qui habent nares quales habent boues, hoc eſt latas, craſſas, carnoſas in medio depreſſas, duras ſint ſegnes hoc eſt in corporis motib. tardi, & in ſuis cõſiderationibus, & reſolutionibus ſegnes, & irreſoluti, id probatur, quoniam qui tales habent nares illi remiſſam habent irascibilem potentiam, quare in his non abundat flaua bilis, non igitur ſunt calidi, ergo neque celeries ad motum, ſegnes igitur, ac tardi ſecundum corpus; amplius quorum remiſſa eſt irascibilis potentia, & bilis pauca eſt, & remiſſus calor, illi ſpiritus non habent ſubtiles, quare neque acutos, non igitur ſunt acri ingenio præditi, quare neque ad negocia peragenda prompti, & reſoluti, ex quo ſequitur illos ſegnes, & remiſſos eſſe, & Niciæ Athenienſium Duci ſimiles ſecundum animum; idque illis ſecũdum naturam accidit, quod ſenibus ex ætatis contingit diſpoſitione, qui igitur naſum latum, & nares craſſas habent, & bouem referentes illi ſunt ſegnes. Hæc ex Ariſtotele, & ſatis, vt arbitror, probabiliter de naribus craſſis, & boui ſimilibus dicta ſunt.

Quidã recentiores hoc idẽ ſignũ indicare aiunt timiditatem mendaciũ, & iure, nam ſi paucus eſt calor, ergo & ſanguis ſubfrigidior, talem autem ſanguinem ſequitur timor, qui timidus eſt, idem etiam mendacijs delectatur, timet enim, & quod ſentit ideo plerunque non vere profert, apertus ergo non eſt.

At quod idem ſit luxurioſus, qua ratione non video, nam ſi luxurioſus eſt, qui veneris eſt appetens, hunc neceſſe eſt abundare multo humore ſalſo, & etiam non paruo flatu, ſalſedo caloris ſoboles eſt, in hoc autem de quo loquimur remiſſum eſſe calorem, neque dominari bilem dicimus. Scotus qua ratione hunc ipſum pugnacem, & ſuperbum perhibeat, neque ego plane video, neque ille dicit, non enim pugnaces ſunt caſtrati boues, neque ſuperbi, & niſi multum, & diu irritẽtur, non incaleſcunt, neque in furias, & in iram ruunt, quod vero addit aſperam, & iniquam fortunam deſignare, id ſanè ridiculum eſt, tum quoniam ſuæ fortunæ ſibi quiſque maiori ex parti faber eſt, tum quoniam nuſquam eſt hæc fortuna, quæ res ſingulares diſponat nullumq. numen abeſt, ſi ſit prudẽtia præſens.

Quidã alij aiunt craſſas, & latas nares rudẽ, fallacẽ, ſubdolũ, gloriosũ, inuidum, & luxuriosũ demonſtrare; at poſitio (vt mihi videtur) includit cõtradictionem, nã quomodo fieri poteſt, vt idẽ, homo ſit rudis, vt aiunt, ſimplexq. necnõ fallax, & ſubdolus, nam ſi fallax eſt, aptus igitur ad fallendũ, fallere igitur poteſt, at ſimplex potius falli q̃ fallere nouit, & ſi luxurioſus eſt, & glorioſus, qua ratione ſit inuidus non facile eſt videre; hæc enim non ſunt bonis, quatenus bos eſt prædicata propria, neque ab eiuſdem proueniunt complexione.

Alibi ijdem auctores quaſi ſui immemores, aiunt, nares magnas, & amplas arguere hominem proditorem, luxuriosũ, vanum, falſum, audacẽ, infortunatũ; ſed cũ nulla ratio afferenda eſt, unusquiſque, quod illi placeat, effari poteſt, ſanè ſi tales nares ſunt bouis, proditorem nunquam, & audacẽ dixeris bouẽ; Porta Polemoni adſcripſit, quod nares huiuſmodi inuerecundũ, & iniquũ hoĩem demonſtrent, hoc in meo codice nõ legitur, ſed timiditatẽ plerunq. quidem ſequitur iniquitas, raro aũt inuerecundia, vt ſupra in figura fortis dictum fuit; inuerecundus enim eſt, qui alienas reprehenſiones, & quid de ſe homines dicant, deſpicit, nõ igitur timet, quare ſi timidus eſt, qui tales nares habet, raro niſi ex habitu acquiſito, vel affectu, vel q̃m inſenſatus eſt dicetur, inuerecundus; Duo ſuperſunt, antequã huic apoteleſmati coronidem impingamus, horum alterum eſt, ad quod nam genus hominum re-

num referatur, qui talem ſortitus eſt naſum, nunquid ad maſculinum, aut fœmininum. Sanè fœminam referre mihi videntur, quoniam frigidius eſt horum hominum temperamentum, & timidius quam mares deceat, exectos nanque tauros refert; Alterum eſt, an vere boues temperiem frigidam, & pituitoſam ſortiti ſint, qualem habere probabile eſt, quos ſegnes, & ſimplices dicimus. At contra videtur, nam ferociſſimi tauri ſunt, & robuſtiſſimi, neque vllo modo timidi apparent; ex altera parte breuem viuunt vitam citoque ſeneſcunt, quare vel paucum calorem habere, vel in tenui humore poſitum eſſe ueroſimile eſt; at poſterius falſum eſt, non enim adeo robuſti eſſent tauri, & boues, reſtat igitur, ut parum caloris habeant; quare, & ſegnes ſunt, & tardi motus. Putarem ego tauros in ætate florenti conſtitutos neque exectos eſſe temperamenti melancholici, & terreſtris, at cum ſubdominio bilis, à qua calefacta melancholia, & retinet calorem, & animal ad rixas, & ad uim inferendam promptum facit, & robuſtum, & pro eius diſpoſitione, ac natura etiam ſatis celerem; exectos autem boues, & iam extra iuuentutem ſuam conſtitutos, & ad ſenium inclinantes, puto, contrarium habitum ſortitos eſſe, & pituitoſos cum melancholiæ ſubdominio factos, cuius inditium quod exectis creſcunt cornua, & corpus in ampliorem molem attollitur, hoc autem augumentum humori præcipuè ſecundum materiam attribuitur; remiſſus autem calor in pituita, & melancholia, ſimplices, & ſegnes, neque admodum ingenioſos; efficit homines.

APOTELESMA XXXXVII.

Qui autem naſum extremum à ſummo craſſum habent inſenſibiles ſunt, referuntur ad ſues.

SEcundum de naſo eſt apoteleſma, cuius, ut opinor, hæc eſt ſententia; qui homines naſum habent incipientem à medio uſque in finem craſſum, rotundumquè, cum paruis narium foraminibus, & circum ſita carne craſſa, & rotundiori, ac demum talem qualem habent ſues, illi ſunt inſenſibiles, hoc eſt craſſo, & rudi ſenſu, & ingenio prædiți, ut neque facile aduertant cum aliquid ſenſibile ſibi obijcitur, neque illud ipſum acriter percipiant, neque rerum differentias exacte dignoſcant, & diſcriminēt. Quid ſit inſenſibile, ſiue inſenſitiuum, hoc eſt ineptum ad diudicandas rerum ſenſibilium differentias, etiam ſupra fuit declaratum, hos ait philoſophus ideo tales eſſe, quoniam referuntur ad ſues, & præcipuè quos maiales uocant, caſtratos nempe. Hi enim cum admodum obæſi ſint, multaq. referti pinguedine, obtuſum ſenſum habent, unde memini quoſdam perpingues ſues aliquādo à muribus ſupra dorſum corroſos fuiſſe, cū illi tñ nihil ſenſiſſent; eſt igitur epilogiſmus, quorum naſus talis eſt qualem ſupra diximus, illi sūt ſimiles in ea parte roſtro, & naſo ſuillo, qui tales ſunt illi ſuibus ſunt ſimiles ſecundum animam, & ſecundum eam animæ potentiam, cuius operatio, & diſpoſitio in hoc membro eluceſcit, hæc autem eſt inſenſibilitas, & ſenſus quædam carentia, ergo cui ineſt naſus talis ſuillum roſtrum referens, ille erit inſenſitiuus, & indiſcretus, neque aptus cognoſcere, quid deceat, & quid non; talem ſane porcū eſſe patet, quin & ſecundum illam partem præcipuè eſſe ſenſu deſtitutum, nam roſtrum ſuillum durum eſt, & cartilaginem, parum igitur aptum ad patiendum, quare quoniam ſentire ſecundum tactum, eſt quoddam pati propriè, minimè porcum ſecundum partem hanc dicimus eſſe aptum ad ſentiendum; hoc autem præcipuum & principale ſuis inſtrumentum, quo & uictum quærit, & pugnas ciet; & in hoc uis eius tota poſita eſſe uidetur, multiq; nerui eò deferuntur, quare ſi roſtrū exactū ſenſum non habuit, multo minorē alias, partes ſenſum habere, putandū eſt; propter quid aūt homo talē habēs naſū ſit inſēſitiuus, hoc eſt rudis, & indiſcretus, nō cognoſcēs q̄d deceat, & q̄d nō, nihil, præter cibū, & uenerē curans, ſic forte demonſtrari poterit. Cui adeſt naſus craſſus à medio ad finē uſq. & ſuillum

referens rostrum, in hoc virtus formatrix capitis non bene dominata est supra humidum aqueum, cum multa terra coniunctum, vnde improportionatus magnus, & non dearticulatus euasit nasus, quando autem calor naturalis, & virtus formatrix non bene dominatur huic materiæ frigidæ, & crassæ etiam cerebrum frigidius, & crassius iusto existit, spiritus igitur crassi, & confusi, quibus autem tales spiritus contingunt, illi insensibiles dicuntur, quæ insensibilitas præter sues etiam in quibusdam animalibus eiusdem temperaturæ agnoscitur, sensuum autem obtusitas impotentiam quandam ad patiendum arguit, ea exoritur materialiter à terra, & a qua non bene simul commixtis, & vt aiunt fermentatis, in qua sane mixtione terra prævaleat inæqualiter, & eadem formaliter proueniet ex defectu spirituum, & caloris innati, etenim isti quasi in farinacea massa fermentum existant, subigunt materiam rarioremq. faciunt, & maxime aptam ad externas passiones, & percipiendas, & retinendas, quare ratio sentiendi præcipue secundum tactum consistere videtur, in humido, & sicco terrestri apte, & secundum certam quandam proportionem passo à calore actu in ipso existente, & dominante, quid itaque de his naribus sentiat Aristoteles ex his manifestum, & per syllogismum consequenter etiam inferemus hominem huiusmodi, qui in hac insensibilitate refert suem, esse temperamenti humidi, subfrigidique, & ex caloris defectu insensibilitatem contraxisse; humidi enim proprium est pati, primum autem humidorum simpliciter est aer, vbi igitur non prævalet aeris virtus, ibi non est sensus exactus, neque sine igne est receptarum imaginum iudicium, hic autem his vtrisque caret; Amplius, & hic erit inuerecundus, quoniam insensibilis, & ex eadem causa immundus, & lutosus, indecorus etiam, & in suis rebus ordine carebit, nam si ordinatus, ergo decorus, & pulcher, & aptus ad iudicandum quid deceat, quid non, existeret.

Alij ex hoc signo arguunt hominem cupidum, simplicem vafrum, secretum, vanum, quod autem hæc ex porci temperie sequantur difficile (vt mihi videur est cognoscere, Nam cupidi sunt) qui prompte desiderant, & quæ non habent, appetunt, prompteque etiam ad se trahunt, quod ignis est, calidum enim quatenus calidum est proprietatem habet ad se trahere quibus nutriatur, cupidi igitur in calore quodam excedunt, at sanii genus tale nõ diximus, ergo qui ad suillum temperamentum accedunt non videbunt iure dicendi cupidi, nisi cibi potusque, & id exuentriculi potius, quam ex totius corporis temperie; si autem tales homines simplices sunt, quomodo vafri? & si vani erunt quomodo secreti? & si secreti forent, ideo non garruli, neque vani esse possunt, si modo vanos eos dicemus, qui futiles sunt, & male commissa retinent.

Aliqui alij nasum describentes, suillum aiunt, hunc debere esse magnum in extremo crassum, & tædum, & rotundum, & paruis narium foraminibus præditum, sit enim putant propriè rostrum suillum referre, at sane si parua sunt narium foramina, patet quod neque multa erit naturaliter spiratio, quare neque multus calor in multa materia, eaque terrestri, quam multitudinem tæditas, & crassities docent; id autem præcipuè dicendum, si nares naturaliter non erunt rubræ, sed ad alborem declinarint.

Sunt alij, qui nasum huiusmodi suillum, hoc est summe crassum in fine, ostendere dicũt hominem nullius pensi; qui vero derident Albertum quod hoc signo dixerit immundum hominem significari, non video cur id faciant, nam, & porci proprium est immunditijs delectari.

APO-

APOTELESMA XXXXVIII.

Qui naſum extremum acutum habent, ſæuè iraſcibiles ſunt, referuntur ad canes.

TErtium hoc eſt de naſo pronunciatum, quod eſt tale; quicunque habẽt naſi extremitatem acutam, illi ſunt valde iracundi, primũ autem declarandum eſt, datũ nempe, qualis ſit hæc naſi acuta extremitas, deinde, qualis hæc ſæua, & valida iracũdia, & poſt hæc cauſas, & conſequentia hanc paſſionem, ſiuè potentiã contemplabimur; naſus in acutum definens duplex eſt, vel tenuis, & paruus, vel mediocris, & potius ad magnitudinem, quam ad paruitatem inclinans, de priori ſermo eſt; nam poſterior non canum naſum, ſed auicularum roſtra imitatur; at quoniam multiplex eſt canum genus, & alij alia ſunt forma præditi, quos canes intelligat Ariſtoteles videndum, non ſanè, vt opinor, venaticos, illi enim non ſunt ſæuæ iracundiæ, ſed blandi potius videntur, neq. etiam quos gallicos vocant, ſed neque molloſſos, nam hi non habent acutũ naſum, quos igitur dicemus? eſt quoddam genus canum ruſticanum, quod apud noſtrates villicos in pretio eſt; horũ pilus ſubalbidus cum nigro mixtus, vel corticem chelydri, aquei nempe ſerpentis imitatur, vel lupi colorem; & figuram, aures paruæ, acutæ, rectæ ſicuti ſunt equorum, oculi flammei parui ſupercilia eleuata, & tumida, maxilla ſuperior longa, & naſus longus in acutum definens & parum admodum reſimus, os autem magnum longè, & latè diductũ; tales mihi videntur eſſe luporum naſi, quos nunc Ariſtoteles vocat acutos. Hos igitur ait ſæuè iracundos, hoc eſt propenſos eſſe ad iracundiam, non quod facile iraſcantur, ſed qd' ſi ira fuerint correpti, ceu Tydeus in Menalippum, illam acerbiſſimè exerceant, & in hoc ruſticanos imitentur canes, qui ſæuiſſime irati mordent, & quos iam cedere vident, & victos fugere in illos vehementiſſime deſæuiunt, hæc igitur, vt puto eſt ſentẽtia Ariſtotelis, quam ipſe probat exemplo canum; vt ſit eius ratio, quicunque naſum acutum habent illi ſunt ſimiles ruſticanis canibus ſupradictis, qui his brutis ſimiles ſunt, illi ſunt ſæuæ iracundiæ, ergo qui talem naſum habent ſunt valdè iracundi, vel canes ruſtici talem naſum habent acutum ſcilicet, & hi ſunt valde iracundi, ergo qui naſum habent acutum, ſunt valde iracundi.

At propter quid quorum naſus talis eſt, illi ſint valde iracundi; nunc perſcrutãdum eſt, atqui iam ſupra dictum fuit, naſum iraſcibilis facultatis eſſe membrum, in quo tanquam in ſubiecto ſignum illius diſpoſitionis apparebat, ſicuti venereæ cupiditatis videbantur eſſe genitalia, qualis autem eſt virtus iraſcibilis talis igitur erit naſi diſpoſitio, quando ſignatum, & ſignum ſint correlatiua, ſi autem virtus formatrix in calore excelluerit ſecundum eas partes, quæ circa naſum ſunt, flammæ atque ignis veſtigium apparebit, huius autem figura eſt piramidalis, quare acuta, cuius igitur naſus eſt acutus huius vis formatrix naſi, vſa eſt acriori, & vehementiori calore, at vehementior calor magis ignem refert, quam remiſſus, ergo cuius naſus acutus eſt ille maximè prompus eſt ad agendum ſecundum eam partem in qua calor excellit, naſum autem diximus eſſe iraſcibilis potentiæ indicem, quare & hæc calore vehementi prædita ſumme erit actiua, quando autem excellit vis iracundiæ, tunc ſæue, & ſine vlla miſericordia operatur, homo, ergo cui talis naſus, illi eſt propenſio ad iram acerbiſſimam, & crudelem, vel breuius. Interrogati cur, quorum naſus acutus eſt illi ſumme ſint iracundi, dicemus, hoc ideo cõtingere, qm̃ eorũ natura eſt maximè bilioſa, & violẽta, & vehemẽter calida, qui uero talẽ ſortiti ſũt naturã, illi ſũt iracundi valde; eluceſcit autem bilis furioſæ ac ſæuæ ſignũ in naſo præſertim, quoniam naſum diximus eſſe alterum uirtutis formatricis extremum, ut in medio ſit ratio, ſiue potentia ad utrunq; extremorum, in ſuperiori iraſcibilis in inferiori concupiſcibilis facultas, & ſecundũ quod

hæc vel illa organa parat, talis dicitur esse propensio, vt si quis artifex sibi sua pararet instrumenta, secundum quæ ferram, vel malleum sibi perficeret, sector vel faber, vel malleator diceretur, sic quoniam secundum quod futura est concupiscibilis, generationis sibi fabricat organa, & qualia sunt organa generationis, talis etiam est facultas, quæ illis vtitur.

An aliquid seipsũ generat.

Vtrum igitur aliquid se ipsum generat? non sane, sed alia est ratio virtutis generantis, & alia generatæ, & si facultas generans non re, attamen ratione differt ab ea quæ dicitur generata, sicuti faber idem numero dicitur differre à se ipso fabricante malleum, & vtente eodem ad clauos infigendos, ex his igitur puto causam claram esse apotelesmatis Aristotelici.

Ex prædictis autẽ sequitur ex syllogismo, quod si quis sit sæuæ, & crudelis iræ hic marẽ potius quam fœminam refert; erit igitur, & calidioris temperamenti saltem circa cor, & pectus, adde quod caput non admodum erit magnum, aliter non esset iracundus, calorem enim cordis temperaret cerebri magnitudo, cum subdominio igitur melancholiæ prædominabitur bilis flaua, & aduſtionem sentiens; quare, & non paucas facile in viscеribus habebit obstructiones, vnde vehementior continue calor efficietur; frigidiusculum igitur hic stomachum sortietur, & plerunque à capite distillationes acres patietur; caput autem erit macrum, siccum, osseum, ergo capili rari, & crassiusculi subnigri, & in girum siue vorticem contorti, facileque in caluitiem incidet, talem referunt fuisse syllæ faciem, nisi quod rubescebat eius vultus, & sanguineus color ad nigredinem accedens multi, & acris caloris index, in illo prævalebat, his addunt alij hominem hunc esse sagacem, debilem, memorem, at sicuti non dico insensibilem, itaque neque sagacem puto, peruertit enim animum ira, & illa ad iram propensio impedit animum, ne possit cernere quæ sint è re sua, eadem de causa non dicam memorem, nisi offensionum, causa est, quoniã meminisse, & suscipere promte, & suscepta retinere, ac diutius seruare hic terra non ignis est effectus; dictum autem nõ in sola bile, aut acri, & igneo calore positam esse iracundiam hanc ſquam, de qua loquimur sed in bile quæ aduritur, & aduſta in melancholiam vertitur quæ cum ignem, ac furias cõceperit, ceu carbo accensus multo ferocius coquit ardet, atque exurit quam faciat flamma; & sicuti videmus plures esse ignis ſpecies, ac dispositiones sic dicendum plures esse naturas iracundorum; qui enim iracundi sunt eo, quod sanguine subtili, & bilioso, & multo calore abundant, illi ceu pueri promptissime in iram ruunt, sed facillime sedatur illorum furor, etenim flammam referunt, in paleis, vel stuppa accensam, aut in puluerem pyrium receptam, quæ subito in immensum erumpit maximo cum fumo, sonitu ac fragore, & subito concidit ac deficit, quivero amarabile abundant, tardius aliquanto accenduntur, sed, & diutius seruant iram, & non cito neque sine multa prece desistunt, ab ira, videntur autẽ similes lignis salignis, aut populneis ardentibus, nam minis potius, & rabiosa quadam indignatione quam vigore pugnant, hæc bilis si aduritur, aduſtaque per venas, & circa cor permaneat, igne iracundiæ concepto, latentem quemdam subpectore excitat furorem, & acerbitatem, quæ tempore non facile sedari potest, nisi cum offendentis dolore, aut morte, videturque similis ei igni qui in lignis marcidis roboris conceptus, cinere coopertus sine flamma, & sine multo fumo ibi permanet, fere insensibiliter perardens lignum, donec totum consumpserit, & in cinerem conuerterit, hoc iracundiæ genere qui tentantur, sine multo sanguine, & maxima vltione non quiescunt, si vero cum flaua bile, atra iuncta sit, seruatur ita, vt inueterata in odium vertatur; hac correpti ira locum tempusque obseruantes nihil aliud cogitant, nisi qua ratione latenter, & insidiose nocere possint, ac de medio tollere eos, quos odio habent, & à quibus se offensos putant, quibus, quocunque pignore pacem contraxeris, fidendum non est; nam hæc eorum propensio est, vt dolose semper affligere cogitent, neque ratione vlla mitescant, ignem referentes mortuum quem potentialẽ

dicunt,

dicunt, tactu frigidum, at si carni diutius applicatus steterit, illam exulcerat, & ad ossa vsque exedit; Nasi itaque acumen non omnes has species iracundiæ denotat, sed solum primam, ac secundam in quibus multus igneus calor apparet, nasi igitur acuti significationē, & propter quid habemus;

APOTELESMA XXXXIX.

Qui autē habent nasum rotundū, & obtusum magnanimi referuntur ad leones.

LEonis nasus, quorundam canum magnanimorum, & placidissimorum naso similis est, nam illæ partes quæ foramina ambiunt, eleuatæ, & rotundæ sunt, & pars superior vbi carneæ portiones iunguntur nullum ferè signum anguli demonstrat ita, vt quædam circuli portio ea sit, quæ totam nasi extremitatem circumdat. Quicūq; igitur nasum habent magnum proportionatum, & circa extrema rotundum, & obtusum, cum naribus mediocriter apertis, & vt aiunt, ad latera expansis, illi magnanimi sunt, quid hæc naturalis propensio ad magnanimitatē importet, quæ etiam magnanimitas dicatur supra explicatum est, satis igitur sit nunc dicere, quod magnanimus vocatur, qui neque paruis mouetur probris, neq; paruos curat honores, si autem grauius offendatur terribilis, contra maiores, vel æquales, surgit inferiores autem despicit bene audire apud probos præ omnibus rebus maximè curat, paucarum rerum, & non nisi magnarum operator.

Huius igitur temperamentum ad bilem cum subdominio naturalis melancholiæ referemus, secundum naturam enim omnino dispositus est; bilisque naturalis eīt & cum sanguine mixta, hæc coagmentatio, & temperies, placido facit, & cum amicis iucundos, quamuis sint taciturni, & per pauca loquantur; gaudent autem vino, & aliquando amoribus delectantur, sic martem ueneris amasiam finxere poetæ, & heroas antiquos nes fere amasse legitur.

Qui ergo nasum habent mediocrem, & circa extrema rotundum, & obtusum, hi sunt magnanimi, probatur quoniam referuntur ad leones. Hi enim cum talem nasum habeant etiam magnanimi sunt.

Mihi autem uidetur, quod hæc, & superior positio habeant prædicata diuersa, ne dicā oppositā, etenim acutus, & obtusus à medio qui rectus angulus dicitur discedentes, alter excessum alter defectum significat, si oppositā, ergo ab oppositis causis, ergo, & oppositā erunt signa, & oppositas designabunt animi affectiones; primum igitur non ab re dicemus extremitatis nasi has esse oppositas dispositiones, & differentias, ab oppositis igitur erunt causis, quare si excessus bilis naturalis subtilissimæ, qua utitur cum multo calore igneo uirtus formatrix causat talem nasum, ergo oppositā dispositio uirtutis formantis causabit oppositum; Bili flauæ, maximè mobili opponitur, melancholia quæ stabilis est, ac terram referens; at ipsa secundum se non agit, calorem igitur adesse oportet, hæc ergo naturalis melancholia cum naturali bilioso sanguine compositā, & calefacta deseruiens uirtuti formatrici circa extrema oppositā, & nasum magnum moderate, & eundem obtusum, ac rotundum producet, eademque de causa neque parua, neque debilia erunt genitalia, & hic ad masculinum, non autem ad fœmininum genus referetur; cum itaque ab oppositis causis fiant, ut manifestum est, oppositas etiam animi indicabunt affectiones. *Dub.*

Oppositæ autem, (ut mihi uidentur) sunt dispositiones istæ, nempe magnanimitas, & sæua, atq; acuta ira; nā illa paruas, & minimas iniurias spernit, neque mouetur, nisi tarde à magnis, at hic sæuè iracundus à paruis etiam celerrime mouetur; magnanimus promptissimus est ad parcēdum, hic nisi exsaturato animo quiescit; magnanimus grauiter offensus

retinet

retinet iram, hic celeriter ponit, tandem, ut terra ad ignem, ita hic magnanimus ad præcedentem dispositionem.

Quare si quis interroget propter quid, quorum nasus est crassus, & rotundus, illi sunt magnanimi, hoc pnto esse respondendum, quoniam horum temperies ex bile utraque naturali, & naturaliter ccnstituta conflata est; quod autem talem nacti sint temperiem illi, quorum nasus talis est ex prædictis patet, insuper, & quod talis temperies talem inducat in animis hominum propensionem.

APOTELESMA L.

16 „ *Qui vero nasum extremum subtilem habent auiculares.*

BReuissimum apotelesma cuius prædicatum, & probatio simul iuncta est; Prius duas in dato partes habebat, nempe rotunditatem, siue obtusitatem, secundum quam superiori apotelesmati opponebatur, & crassitiem, secundum quam huic opponitur; patet autē acutū, & subtile non esse opposita, nam acuto opponitur obtusum, & subtili crassum quare aliqui nasum hunc tenuem, & gracilem appellant, potest autem gracile, & subtile esse non tamen in extremo acutum, ut quorumdam tibiæ, ac digiti, sicuti etiam esse crassum, & in extremo acutum, quod in magnis sudibus, & quibusdam ferreis molēdinorum instrumentis apparet, illa enim crassa cum sint, extremam tamen partem acutam habent. 20

Primum igitur dicamus sententiam huius theorematis, deinde quod sit uerum, & propter quid, ut perfecte Aristotelicum placitum cognoscamus; sententiam hanc esse puto, quicunque habēt nasum in extremitate subtilem ita, ut referat auiculæ rostrum, illi etiam habent animi dispositionem similem auiculis; quare cum auicularum ingenium sit leue, ac instabile, dicemus etiam quod illi, quorum nasus est longus, subtilis, rotundus, & in fine tenuis admodum, sint homines leues, & instabiles, cuius assertionis causa est, quod referunt auiculas, cum itaque aues paruæ habeant tale rostrum, ut asserum genus quod naso istorum simile est, & aues omnes, quæ sunt minores, sint leues, & facile mobiles ceu inter alias, motacillæ, & passeres, sequitur quod etiam illis quibus adest talis nasus ingenium sit leue, eos autem leues appello, qui facili negotio modo aiunt, modo negant, facile igitur 30 persuaderi se sinunt, quare, & facile quas habent prius deponunt opiniones, igitur calidi, & humidi sunt temperamenti, igitur sanguinei cum subdominio bilis, quare, & ossa nō admodum crassa habent, & cartilagines paruas, aures igitur nec erunt magnæ, neque caput magnum, nec magna brachia, aut crura.

Quod si cui inest talis nasus, illi inest temperamentum calidum, & humidum, hoc autem extremitates habet paruas, & subtiles, paruas ob defectum multæ materiæ, & terrestris molis, subtiles ob caloris actiuitatem in longum producentis materiam mollem, & facile cedentem, extremitatum corporis una est nasus, quorum igitur talis est temperies, talis est etiam nasus, & è conuerso, qui talē naturaliter nasum sunt sortiti, illi sunt (ut ostensum est) calidi, & humidi, & temperamenti sanguinei, cum subdominio bilis, qui tales 40 sunt, illi leues, atque instabiles existunt, & pueros referunt, qui quæ modo cupiebant, subito recusant, eodem momento irascuntur, & miteścunt, rident, ac plorant; ergo quorum nasus rostrum auiculæ refert, illi leues sunt, instabiles, & horæ momento sententiam multipliciter uariant, uidentur enim instabilitatem uerni temporis, cui temperamento similes sunt, repræsentare. Quidam recētiores hunc nasum significare dicunt, hominem audacem curiosum, iracundum, uanum, credulum; at sane, ut audaciam non tollo, ita eam non esse simplicem, sed cum timore mixtam puto, talemque esse timidi audacem credo, qui procul à periculis ualde blateret, & cælum dictis territet, quando autem proxime imminet periculum

culum, si fieri poteſt, ſe ipſum abſondat; in hoc autem, & auiculas, & catellos refert, qui audaces videntur, ſed ſi quis intentet verbera, ſubito fugiunt; bilis, & calor illum facit audacem; ſed humiditas ad ſuſcipiendũ, & patiendum prompta, quæ inſtabilem, & vanum format, illi non concedit, vt ſiſtere ſe poſſit, & ſtabilem ſe contra pericula, & infortunia oſtendat; ſed cum facile mutabilis ſit, & in varias ſententias paruo momento rapiatur effectum eſt, vt quilibet periculum audax, imminente periculo meticuloſus euadat; credulus autem eſt, quoniam facile mutabilis eſt, humidus enim, & aptus ideo ad omnes formas recipiendas; & quoniam credulus, & inſtabilis, ergo & vanus, quare, & garrulus, & propter idem curioſus vel dicente Horatio.

Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt.

Quam habet autem iracundiam quoniam cito, ac leuiter ſumit, eandem etiam leuiter, & momento ponit.

Alij eidem tribuunt in actionibus celeritatem, & promptitudinem, ſed puto ego citos quidem, ac feſtinos eſſe in aggrediendis operationibus, lentos tamen in perficiendis, leues enim ſunt, & quod petierunt, mox facile ſpernunt, repetuntque quod nuper omiſerunt, ex affectu enim maximè viuunt; tot igitur ſunt quæ de homine habente naſum auiculæ roſtrum referentem dicenda videntur, quoniam autem tale temperamentum, ad fœmineũ genus refertur, & temperamenti atque fœminei generis mores, & inclinationes hominem hunc habere probabile eſt, niſi ratio, lex, & educatio, quæ omnia poteſt, aliter determinauerint.

APOTELESMA LI.

Quibus incuruus à fronte mox deducitur naſus inuerecundi ſunt, referuntur ad coruos.

HOc eſt, quorum naſus à ſupercilijs incipit deorſum incuruari, ita vt referat corui roſtrum, dico hos eſſe imprudentes, optime autem, vt mihi videtur, hanc deſcripſit habitudinem Porta, primum enim media (ait) ſupercilia habent tumida, & vbi iungi ſupercilia ſimul annuunt angulus eſt parum concauus, deinde linea in conuexum ſubito attolli incipit, ac fertur vſque ad medium leuiter incuruata, deinde à medio ad finem concidens, portionem aliquam magnæ circumferentiæ refert.

Mihi videtur, effigiem dimidiati arcus turcici referre, ita tamen, vt abſciſſa ſit vltima pars cui chorda annectitur, quicunque igitur hũc naſum habent, eos inuerecundos vocat; inuerecundum dico eum, qui aliorum opinionem de ſe bonam, vel malam nihil curat; tales format ſuos lenones Plautus, qui præ vtilitate nihil aliud curant, nullorumque amorem aut amicitiam, pluſquam propria, vel quæcunque ſint commoda, eſtimant, vere putantes ſe ſuarum omnium cogitationum, atque actionum fines eſſe, nullorumque debere rationem vllam habere.

Hunc igitur hominem Ariſtoteles ait referre coruos, cuius hæc eſt natura, vt nulla habita ratione temporis, loci, & perſonarum rapiat de ſacris altaribus ſemiambuſta viſcera victimarum; Quin etiam coram agricolis, pullos gallinarum rapiant neque mouentur alienis clamoribus, aut ſtrepitu.

Videtur autem mihi neſcio quid ſcurrilis in coruo cum inuerecundia mixtum eſſe, naturamque imitari eorum, qui cum irriſione, & ſui quadam confidentia deſpiciunt alios, & incommodant, damnoque atque iniuria afficiunt, hæc autem confidentia, non in virtute, ſed in uirtutis, & honoris contemptu poſita eſt; quare quorum naſus talis eſt, referũt coruos ſecundum eam partem, ſecundum quã præcipue ſuam manifeſtant imprudentiam;

atqui

at qui coruos referunt, & illis similes secundum animam sunt, ijdē ad rapinas, & furta parati sunt, & audacter in magnos, & robustos feruntur, dum putant se non posse offendi, illisque insultant, ut de coruis, ait Aristoteles, qui tauros, & asinos aggrediuntur, illorumq. oculos fodere rostro tentāt, hoc autem est impudentiæ, & audaciæ non minimum opus, igitur quorum nasus talis est, illi erunt impudentes; hanc affectionem ex intimis oriri puto corui principijs, quare si similem reperiemus esse, hominis cui talis adest nasus, & corui temperiem, probabile erit, vtrosque etiam secundum dispositionem illam animæ, quæ cōmunem sequitur temperamenti qualitatem, esse inter se similes, quod si à corui temperamento nascitur, tum in corpore tali rostrum, tum in anima propēsio ad actus impudentes, probabiliter hæc etiam in homine reperiri putandum est. Quę itaque sit corui temperies, contemplemur, deinde, hæc eadem ad hominem proposítum transferamus, colorem pennarum nigrum arguere melancholicum succum, certū est, at hic per secretionem in pennis tantum posset esse, quare carnem, & corpus etiam considerare oportet, illam eandem videbimus ferrugineam, duram, male olentem, quare nigrum, & adustum etiam in eadem humorem animaduertemus; Amplius idem ex animi moribus expiscari possumus, aiunt hanc auem furacem, & rapacem esse, amplius impudentem, sectatricem cadauerum, & valde voracem, has esse passiones, quæ ex melancholici succi prædominio cum bilis flauæ subdominio exustæ exoriantur, alias dictum est; & ratio id suadet; terram enim calefactam refert hic humor, ergo, & accidentia, quæ calefactam terram sequentur, ijs, quæ hunc humorem comitantur erunt proportionata; terræ proprium est, cum fuerit calefacta, & prom ptissimè humorem absorbere, & cum absorbuerit uehementissime retinere, quod si quid in illam impactum fuerit difficilime extrahatur; amplius cum calefacta est diutissime calorē tenet, halitumque calidiorem remittit, & magis etiam quam ignis urit, uehementiorque uidetur quam flamma, ex his, & furacitas, & uelox mobilitas, & garrulitas, & impudentia oritur, ut etiam supradictum fuit, addē affectus corporis, nā sticuloſum aiunt præcæteris animalibus esse eorum, hoc autem sequitur adustam melancholiam, & terram torridam quæ humorem sorbet prompte, quod in excoctis lateribus clarissimum est, idem de Hercule, & de Poetis dicit Horatius, quos omnes ait apprime uino fuisse deditos, si quidem illis persuasum fuerat

Nulla placere diu neque uiuere carmina posse
Quæ scribantur aquæ potoribus.

Similiter, & rostrum magnum, & ungues melancholici, & terrestris humoris prædominium denotant, quare corui temperiem naturalem dicemus in his regionibus esse melancholicam, cum subdominio bilis, & eam esse melan choliam, quæ humor ater appellatur, naturalis scilicet non ab excrementitio humore adusto generatus, cui admixta sit bilis flaua, naturalis etiam, sed ualde calida; quæ prædictum humorem mirificè calefaciens irrisionem illam superbam, rapacitatemque contumelioſam, & implacabilem discordiam cum suis inimicis producit, & conseruat, coruus igitur talem habet temperiem, & coruus habet tale rostrum cui igitur hoc rostrum adest illi talis adest rationabiliter temperies, & cui membrum aliquod huic rostro proportionatum, & simile illi etiam inerit, saltem secūdum illud membrum corui temperies, nam secundū naturam est, ut omnes naturales operationes, quæ eædem sunt, uel similes semper eadem modo, uel simili fiant, & ab ijsdem uel similibus agentibus, nisi quid impediat, procedant quod etiam in principio huius libri notatum fuit, habemus ergo propositionem hanc, quam loco maioris in demonstratione ponemus nempe.

Quicunque temperiem melancholicam cum subdominio bilis flauæ, & similem coruinæ temperiei sortiti sunt, illi sunt impudentes, & rapaces, & contumelioſi, minor nunc expiscanda est, quæ futura est talis; quicunque habent nasum statim à fronte incuruum, &

deinde

deinde deducitur, vt diximus, illi habent temperiem melancholicam, & coruo ſimile; ergo, &c.

Et ſane videtur propoſitio difficilis, quæ probetur, quænam enim conuenientia eſt figuræ cum humore melancholico? figura tota videtur eſſe uirtutis efficientis, & in ipſam parum, vel nihil conferre materiam, niſi quud illam ſuſcipere poteſt, inhærendo igitur prædictis principijs, putare poſſumus, quod virtus, quæ naſum à principio format ſit eadem numero cum virtute iraſcibili, & cum naſus ſit magnus, vel virtutis effectricis robur, ſi bene formatus eſt vel materiæ multitudinem ſi informis exiſtit, vel vtranque ſuper abundare, ſi magnus apte factus apparet, indicat; coruinus hic naſus magnus eſt, neque deformis, igitur validam formatricem vim, quare, & iraſcibilem eſſe potentem; at ex parte materiæ cum tumida appareant ſupercilia, & ſtatim à principio intumeſcere naſus incipiat, deinde concidat, & incuruetur, ſignum eſt quod materia agenti, licet robuſto reſtitit in principio fabricæ, quare neceſſe eſt materiam eſſe duram, ſiccam igitur, & terreſtrem, at terreſtrem humorem atrum, & melancholicum dicimus, ijs igitur quorum naſus coruinus eſt, abundare melancholiam circa caput, naſum, & ſupercilia probabile eſt, at ſi ab eadem formatrice ui ſecundum genus (oppoſito diſpoſita tamen modo) efficitur naſus, & genitalia, ergo & eadem materia, partes igitur illæ erunt etiam & ipſæ melancholicæ, ergo & uis appetitiua, iraſcibili ſimilis erit, quare & tota anima ſenſitiua, quæ motus & appetitus animalis eſt cauſa; quod ſi hæc materiam ſequitur, & de illius potentia educitur, illamque demonſtrat (ſunt enim ad aliquid materia, & forma) ergo cui talis anima ſenſitiua fuerit, ille melancholicum habitum cum bilis flauæ ſubdominio poſſidebit, & è conuerſo, ergo cui coruinus naſus ineſt, ille temperiem melancholicam, & coruinam habere probabile eſt; quod fuerat oſtendendum; hac itaque ratione per cauſam forſan demonſtrata fuerit poſitio Ariſtotelica.

Alij addunt huic naſo præter rapacitatem, & impudentiam etiam taciturnitatem, & occultationem ſuæ opinionis, hocque coruorum eſſe proprium autumant, quoniã, & monetas, & clauos, & huiuſmodi, quæ furãtur naturaliter abdunt; At ſupra garrulum dicebamus; putarem igitur quam diximus garrulitatem, eam non eſſe quæ ſuos ſenſus prodat; quæ paſſio eſt vanum, & inſtabilem ſequens animum, ſed eſt garrulitas hæc propenſio ad conuiciandum, & contumeliandum, irridendũ, & inſultandum alijs, quæ propria eſt temperamenti ſicci, & calidi; unde etiam libenter nuntij malorũ ſunt, & cum ſuis malis nuntijs alijs dolorem intulerint, lætantur, ac rident, utpote qui parum, aut nihil curant alios præ ſua magna impudentia.

APOTELESMA LII.

„ *Qui autem aquilum habent articulatum à fronte magnanimi ſunt; referuntur ad aquilam.*

HOc eſt quicunque habent naſum repreſentantem roſtrum aquilinum, nempe dearticulatum in principio, & recta atque æqualiter uſque ad medium ferè deſcendentem, deinde in fine aduncum, & recuruatum, ut aquilæ roſtrum repreſentet, hi ſunt magnanimi, hoc eſt parati ad eas actiones peragendas, quæ ſunt propriæ eorũ quos, uocamus magnanimos, hi autẽ, ut mihi uidentur, loco bilis flauæ, & præter naturaliter bullientis, ſanguinem benignum habent naturali melancholiæ p̃dominanti admixtum, quã ſane tẽperiẽ ex Ariſtot. dicere poſſumus habuiſſe pleroſque eorum, quos antiqui uocarunt heroas quorum hoc proprium erat parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos, promptiſſime alijs bene facere, ab alijs lente, ac remiſſe beneficia expetere, & accipere, ac cætera facere, quorum ſu-

rum ſupra meminimus, ceu cum in fortunatis manſueti, humane, ac molliter ſe gerere, cũ fortibus magnis viris, & ſibi æqualibus, vel etiam maioribus magnifice, nedicam ſuperbe, grauiter, & tumide tractare, hoc ergo eſt mores magnanimos habere, ſiue ad magnanimitatem propenſum eſſe; cum igitur aquila roſtrum habeat aduncum, qui naſo proportione reſpondet in hominibus, & aquila ſit quædam magnanimitatis imago; paruas enim non perſequitur auiculas, non venatur muſcas, ſed ardeas, falcones, lepores, & ceruos aggreditur; ergo quorum naſus eſt aduncus ita, vt referat aquilæ roſtrum illi ſunt magnanimi.

Propter quid autem id contingat, quod naſo præditi aduncо ſint magnanimi, nunc perſcrutandum; ſanè quod ſit verum etiam antiqua Perſarum opinione confirmatur, qui quoniam talem naſum habebat Cyrus maior, qui vere magnanimus fuit, ideo qui huiuſmodi naſum habebant ceu magnanimos, & nobiles laudabant, Antiochum, etiam, quem accipitris cognomine appellant, talem habuiſſe naſum refert Appianus; ſi ergo huius affectus cauſa inueſtiganda eſt, ita demonſtratio forte ſtatuetur; quicunque habent naſum craſſum & in fine aduncum, & aquilæ roſtrum referentem illi corporis temperamentũ melancholicum cum ſubdominio ſanguinis ſubtilis ſunt ſortiti, qui talem habent corporis temperiẽ ijdem ſunt magnanimi, & regalis ſpiritus pleni, feroces, alienorum raptores, contemptores hominum, aduerſitatum, & periculorum tolerantes, propoſiti tenaces, conſtantes, ac duri, ſed homines huiuſmodi magnanimi vocari ſolent; ergo qui naſum aquilinum ſortiti ſunt, illi magnanimi dicentur.

Maior ex his quæ ſupra diximus, iam nota eſt, hæ namque paſſiones, ſiue propenſiones in ſua definitione ſuſcipiunt ſubiectum animatum, in quo melancholia naturalis cum ſubdominio ſanguinis puri, & calentis prædominatur, minor aliquam habet difficultatem, vnde factum eſt, quod qui talem naſum habet temperamentum ſiccum, & calidum ſortitus fuerit, vt ex terra calidiore, & aere puro factus eſſe videatur; At ſane niſi per analogiſmum perſuaderi poterit, cum præcipuum inſtrumentum aquilæ, quo ſuas exercet operationes, ſit roſtrum figuram aduncam habens quo raptas aues, & captam predam ſcindere, & dilaniare facilé poſſit, quæ igitur vis illi dedit rapto viuere, eadem, & tale roſtrum ſuppeditauit, cuius inditium eſt, quod omnia quæ rapto viuunt incuruos ferè ungues, & roſtrum habent, ergo cui roſtrum aduncum fuerit, & robuſtum id animal rapto uiuet, hoc autem uiolentum eſt, ac ferox, quod dicitur etiam magnanimum, ergo cui roſtrum aquilinum, hoc idem animal magnanimum erit; at magnanimi temperies eſt melancholica cum ſubdominio ſanguinis calidi, & puri, ergo & cui tale eſt ad roſtrum illi erit talis tẽperies; roſtro autem in aquila reſpondet naſus in homine, cui igitur talis naſus, eidem inerit etiam aquilinum temperamentum, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid; & quodammodo, aliter non homo, ſed eſſet aquila quod fuerat probandum; id igitur à finali cauſa ſic fuerit confirmatum.

Talis autem naſi efficiens eſt facile eadem cauſa, quæ eſt roſtri, calor ſcilicet in terrea materia humido iuncta quidem, ſed à calore adeo excocta, vt humor multus euaporet, atque ideo pars extrema contrahatur, id autem in corio plus nimio exſiccato, licet aſpicere, etenim in parte ultima corrugatur, & dureſcit, quæ autem cauſa fuit in aue, eadem etiam ſecundum proportionem in homine poterit reperiri, & cum iraſcibilis facultas, quæ eſt in entelechia in homine eadem formatrix quodammodo fuerit in ſemine naſi, & partium, quæ circa ipſum, dum erat in potentia prima iraſcibilis, cum in formato fætu contingat, hanc etiã eſſe aquilæ ſimilem, probabile eſt etiam naſum quodammodo aquilæ roſtro feciſſe ſimilem, & ſi corpus corpori ſimile ſit, & animę diſpoſitiones alijs animę diſpoſitionibus ſimiles exiſtant, ſolent autem, vt mihi videtur, & experientia obſeruatum eſt, homines huiuſmodi cum grandiores natu ſunt, admodum bibaces eſſe, creſcente nimirum, & inualeſcente ſiccitate; & ſic aquilæ ſenectutem, ut in prouerbio eſt, imitantur, quidam bellaces

viros

viros hoc naſo præditos dicunt, ſic Mutium dictum cognomento Sfortiam, ſic Mahometem primum, turcarum regem, & Alexandrum, & Georgium Caſtriotum habuiſſe naſum aduncum, ſcribunt.

APOTELESMA LIII.

„ *Qui autem naſum concauum habent, & quæ ante frontem rotunda, circumferentiam autem ſuperiorem erectam, luxurioſi ſunt, referuntur ad gallos.*

NAſum, quem nunc deſcribit Ariſtoteles in galli gallinacei roſtro agnoſces. Triahuic in dato ponit primum eſt quod naſus hic in parte ſuperiori infra ſupercilia ſit concauus, pars autem frontis quæ naſo imminet ſit rotunda, & hoc eſt ſecundum, demum tertium eſt, vt ab illa cauitate exordiatur linea, q̃ in gyrum cũ ſe attollat in medio erigitur.

Horum notaui naſos, vt plurimum in acutum deſinere; & rubentes eſſe, vere autem galli roſtrum referunt, vt nihil magis ſit, quod hoc repreſentet, de huiuſmodi viris enunciat Ariſtoteles, quod ſint luxurioſi.

Eos dico luxurioſos, qui in omnem venerem ſunt propenſi, nulla habita temporis, loci, aut perſonarum ratione; in quo ab amatoribus differunt, hi etenim certam perſonam depe reunt, illi omnes omnis generis indiſtincte petunt.

Vt ſit ratio Ariſtotelis, cui ineſt talis naſus galli noſtratis roſtrum referens, hic galli naturales propenſiones animi imitatur, ſed qui galli naturam æmulatur hic valde eſt libidinoſus, ergo cui gallinaceo roſtro ſimilis naſus contigit ille libidinoſus eſt.

Videtur autem mihi inter hirci, & galli propenſionem in venerem multam eſſe differentiam, ſi quidem gallus vegetus eſt, hilaris, ferox, audax, geſtiens, & regiam quandam præſeferens in gallinas auctoritatem, hircus ex aduerſo veternoſus videtur, triſtis, demiſſus, abiectus, humilis, timidus, capellis potius deditus, quam illis imperans, & vxorius potius quam maritus, quare probabile eſt galli ſalacitatem ex bilioſo ſanguine, & ſpirituum multitudine oriri, quod & criſta teſtatur ſemper rubens, & aſſiduus cantus, & perceptio mutationum temporis, Ille, enim cum tempora mutantur canens, tempeſtatum mutationem, ſe præſagire docet, præſagiumque ideo facit, quoniam ſe mutatum eſſe ſignificat, mutatur ab externo, quoniam facile mutabilis eſt, quod illi contigit quoniam ſpiritus, & humores leues, & ſubtiles habet, quare bilioſos; hæc enim bilioſi ſpiritus, & humoris narura eſt, vt facillime ſit mobilis, refert enim ignem.

Hirci aũt ſalacitas ad humorẽ melancholicũ, & flatuoſum reducetur, hos.n. qui melancholia, & præcipue aduſta abundant, videmus plus nimio deditos eſſe veneri, propter quid autem quorum naſus ſit talis illi ſiut luxurioſi; nihilque niſi de venereis congreſſibus cogitent cauſam ex prædictis in promptu eſſe diximus. Valde enim tenui ſanguine, & multo ſpiritu calido ſunt pleni galli, quare, & qui temperamentum gallis ſimile conſecuti fuerint talem etiam propenſionem habere probabile eſt; quorum autem naſus, & quæ circa frontem ſunt partes, exiſtunt tales, vt galli imitentur roſtrum hos temperiem gallis ſimilẽ ſortitos eſſe, & animæ ſimiles propenſiones habere probabile eſt; quare & ex conſequenti eoſdem ceu gallos eſſe admodum luxurioſos.

Videtur autem hæc paſſio libidinis, & luxuriæ potiſſimũ cõſequi populos Auſtrales, ceu Arabas, Pœnos, Aegyptios, eos qui quamuis minus Auſtrales ſint frigidioremque regionẽ habitent, maris tamen accolæ ſunt, ac ſalſiores cibos capiunt, ex quo fit, ut minus etiã ſint ad compotationes, & vina propenſi, quam populi Septentrionales, apud quos pleroſque à Sacerdotibus, & Parochis iubetur, atq. indicit cum vxorib. concubitus, vt Italis ieiunia.

At prẽter hæc; naſo gallinaceum roſtrum referenti tribuunt nonnulli maximam propẽſionem in præpoſteram uenerem, & teſtantur quidam ſe multos hoc naſo præditos cognouiſſe, qui in hoc genus ſceleris maximè erunt ppenſi, & Gallos id ipſum facere dicũt, quos

enim vicerunt illos deinde ceu gallinas subigunt, quod de perdicibus, & coturnicibus etiã testatur Aristoteles; quas aues eodem pene rostro præditas videmus.

At ego, non quod in pueros magis quam in fœminas sint inclinati, qui talem nasum habẽt, ideo pueros petere dicerem, sed hoc illos facere eo, quod maximè incitantur, quare siue puer, siue fœmina præsto sit, nullum discrimen faciunt, sicuti in obscæno carmine scribitur; puto autem hos eosdem audaces esse, & cum ijs quos ad uenerem appetunt, liberales, & profusos, nullos tamen ex animo amare, qui vero dicunt hunc Socratis nasum fuisse, illi profecto simum nasum à galli rostro distinguere non nouerunt; hunc eundem tamen vehementer iracundum, & malorum morum hominem arbitrarer.

APOTELESMA LIV.

Qui vero simum, luxuriosi, referuntur ad ceruos.

QVid sit luxuriosus iam supra dictum est, qualis etiam, & quotuplex, duas enim species huius dispositionis dicebamus, altera quæ à flaua bile, & multo spiritu calido, altera quæ ab atra, & à multo flatu eoque salso nascebatur; Priorem igitur cum signauerit Aristoteles, nunc posteriorem indicat, quæ ceruos concomitari solet.

Dicit itaque, quorum hominum nasus est simus, illi sunt in venerem valde propensi; simum nasum appello, qui, & crassus est, latus, & in medio depressus, ita, vt adunco, coruino & aquilino sit oppositus quodammodo, talem nasum in simia, in capris, in ceruis, inspicies Pana, Silenum, Satyrosq. tali naso præditos finxit antiquitas, vt eorum libidinem testaretur; quare si cerui, capræ, & simiæ nasum simum habent, & hæc animalia sunt admodum veneri dedita, ergo animalia quæ simum nasum habent venerea erunt maximè, quod autem cerui in venerem ferantur legitur, eos adeo feros fieri, vt inuicem violenter pugnent, de simijs in Hispania obseruatum est, quoddam genus illarum reperiri, quod cynocephalos, vel cercopitectos appellant, hoc in venerem adeo feruide fertur, vt in mulieres quascunque subito visas irruat, cum illis rem habere tentans, tota autem die sibi genitalia contrectant ergo hæc animalia admodum luxuriosa esse nemo negabit; At propter quid simo naso præditi homines lasciui sunt? affectus huius causam, vt mihi videtur, ex duabus Aristotelis problematũ sectionibus afferri potest, quarta nempe, & 33. Habet in quarta Aristoteles melancholicos omnes esse libidinosos, quoniam flatu redundant salso, & in trigesima tertia problemate. Vltimo afferens causam cur homines crispo capillo, & tortili præditi sint, vt plurimũ, simi, qđ videmus ĩ Aphris, & Æthiopibus, & Indis q̃ plurimis, ait hoc ideo fieri, qm̃ qui tales habent capillos abũdant sanguine crasso, & crassitudo hæc cũ multo calore iuncta magis ẽt humorẽ cõsumens, nõ potest attolli, quare os & cartilago, vacãte materia, cõsistit, neq. attollitur, hinc sequit̃ qđ omnes, q̃ crispos habẽt capillos, & naturaliter intortos sint simi; arguit igitur (ex Arist. sentẽtia) simitas calorẽ, & crassitiẽ in sãguine, crassus autem sanguis est melancholicus; quare cui simitas illi adest sanguis melancholicus, at cui talis inest sanguis, vt diximus supra, ille est valde libidinosus, ergo cui adest simitas eidem inerit multa coeundi cupiditas, quod probandum fuerat.

At subito videtur dubitandum, si cerui sunt libidinosi, & simi, ergo sanguinem dutum, & crassum habebunt, vt ait Aristoteles prob. sect. rigesima tertia, problem. decimo octauo.

Sed rursus ex aduerso in quarto meteor. hæc ad verbum legũtur.„ Qui autem nõ cõcrescit, vt cerui sãguis, is aqueus magis est, & frigidissimus, ac propterea fibras nõ habet, fibrę .n. terreę sunt, ac solidę, quare in problem. cerui sanguis infert̃ crassus, & calidus, qm̃ simus est ceruus, & oĩs sanguis eorũ animaliũ, quę simũ habẽt nasũ calidior est, & crassior; hic aũt cerui sanguis vr̃ esse frigidissimus, & maximè acquosus. Dubitatio sanè nõ parua, & locus in me-

in meteor. 4. his quæ nunc dicuntur exacte pugnat, neque videtur ſanguis cerui poſſe dici durus, & calidus, quoniam timidus eſt ceruus, timidiorum autẽ omnium ſanguis aqueus eſt, & frigidus, ac fibris per paucis præditus.

At huic dubitationi poſſemus reſpõdere, quod ſicuti totius humor fici acerrimus, ac maturi fructus deinde dulcis eſt; & ſcorpionis cauda vltima venenata eſt, reliquum corporis veneno oppoſitum; facta nempe quadam partium ſecretione, ita etiam in ceruino ſanguine, & humore quo nutritur, contingat. poteſt enim ſanguis dupliciter conſiderari, vel quatenus nutrit carnem ſolam cerui, & ſic eſt aqueus, & paucis fibris præditus, vel quatenus ſimpliciter totum cerui corpus alit in quo comprehendo, & oſſa, & cornua, hæc enim cornua cum continue creſcant, & vt non nullis viſum eſt, quotannis decidant, neceſſe eſt multam partem terream in his inſumi, vt etiam in oſſibus, & vnguibus, & pilis, quare qui reſtat ſanguis pro carnis nutritione, minus terreſtris exiſtit, & ideo aqueus apparet; ſic etiam & multarum auium ſanguis minus terreus videtur, nempe multa terræ parte abſumpta in pennarum generatione, & refectione; quod autem ſit verum abeunte parte terreſtri, ſanioſum, & aqueum reſtare ſanguinem, & ideo animal debile, & male affectum cognoſcitur, ſi quis inſpectarit apud nos gallinas, anſeres, alia ſque aues quæ domi aluntur, namque hęc animalia, ſi quãdo deplumata reficiant pennas, tum macræ ſunt, tum debiles, & ceu ægrotent, non videntur ſtare poſſe, qua eadem de cauſa, neque faciunt oua, tota namque terreſtris, & craſſior materia in pennas, pennarumque abit refectionem. Quare ſimum puto ceruum, quoniam eius calor debilior eſt, & materia ex qua factus eſt durior, & calori agẽti aptior ad reſiſtendum, quodcunque autem animal talem ſortitum eſt naturam, id ipſum dicemus eſſe melancholicum, & terreſtre, at terra, & melancholia à calore mediocri cum patitur generat flatus, quare in corpore cerui adaucto calore, ab tempeſtatem æſtiuam, quando ſol maximè ad nos propinquatur, & facto ſanguine craſſiori, reſolutiſque partibus aqueis quam pluribus, & flatus attollitur, & humor ſalſus generatur, vnde in venerem cerui ſtimulantur, & ferociunt, calidiores effecti, & ſicciores propter externum æſtum, quam eſſent prius; quo fit, vt coeant cerui de menſe Auguſti, & in principio Septembris.

Dub. cur pueri ſimi.

At rurſus ſi ſimitas ſanguinis calorem, & ſiccitatem arguit, & propter hoc flatum, & humorem ſalſum; cur pueri omnes ferè ſunt ſimi, hos igitur oporteret, ſanguinem craſſum habere, & fibroſum; quod tamen falſum eſt, nam puerorum ſanguis tenuiſſimus, eſt, cuius inditium eſt, quod carnem habent molliſſimam, & facile iraſcuntur, facileque iram deponunt, Amplius cur minime libidinoſi ſunt, cum maximè ſimi exiſtant? nam quo propinquiores ſunt infantiæ, eo magis ſunt ſimi; tunc autem minime tanguntur libidine; quare, quo magis ſimi eo minus laſciui, attamen contrarium eſſe deberet, ſi quæ dicta ſunt, vera forent.

At dicemus, ſimos eos eſſe libidinoſos, qui in ætate perfecta ſunt tales ſecundum eorum naturam, pueri autem ex accidenti ſunt ſimi, neque eorum corpus aut caput, ſiue naſus in ætate illa perfectus iam eſt, ut vere ſimus dici poſſit, non ſunt igitur pueri ſimi proprie, ſed æquiuoce, ſicut catulos cæcos dicimus intra octauum diem, cum tamen potentiam videndi habeant, & ſecundum naturam recepturi ſint viſum, apparent ſimi quoniam calor naturalis qui formatricis virtutis eſt inſtrumentum, eorum naſos non dum perfecit, neque eleuauit, ad naturalem, & deſtinatam magnitudinem, eam naſi cartilaginem, ſecundum cuius figuram contingit nos dicere hunc naſum eſt ſimum, illum aduncum, alium coruinum, aut gallinaceum.

APOTELESMA LV.

„ *Quibus autem nares sunt apertæ iracundi, referuntur ad passionem, quæ fit in ira.*

NAturam suos effectus semper eodem modo facere dictum est, & effectus eosdem ab eadem causa eodē modo dispositā procedere certū est; vnius enim effectus sm̄ quod vnus est, vna tantum est propria causa in vno genere causæ, quare & qui timent cum pallidi fiant, si qui naturaliter pallidi extiterint eos timidos dicemus, quod etiam in prædicamentis testatus est Aristoteles.

Quicunque igitur narium extremitates, siue foramina valde diducta habent, & eleuata & quasi inflata, illi iracundi sunt, hoc est valde propensi ad iram cuius affirmationis rationem afferens ait, quod hi referuntur ad passionem, quæ fit in ira. Hoc est tales homines qui nares habent hiulcas, & patulas sunt similes ijs, qui valde irati sunt, & in feruore iræ ex istunt; etenim horum nares reciprocato multo aere propter necessitatem cordis, circa quod ob iram adauctus est calor, necessario attolluntur, & dilatantur, vt maior aeris copia adcor refrigerandum transferri possit.

Est igitur Aristotelis ratio, quorum hominum sunt nares apertæ ita, vt eleuatæ, & valde diductæ appareant, illi referunt eam dispositionem narium quam habent, qui in magno iræ feruore sunt constituti; at quicunque referunt talem dispositionem illi sunt valde iracundi; ergo quorum nares sunt patulæ, & diductæ illi sunt iracundi; minor sensui patet, maioris si causam adduxerimus, propositi apotelesmatis, propter qnid habebimus, ea est, quicunque referunt, & habent eam narium naturalem dispositionem, quam habent qui in magno iræ sunt feruore constituti, illi sunt iracundi, quod probabitur hoc supposito, quod dans formam, dat etiam consequentia formam; & volens finem, ea etiam uult, quæ necessario consequuntur finem, vel ad ipsum ordinata sunt, quod ergo dat homini iracundum esse, illi eidem dat multum calorem facile accendi circa præcordia, at cui hoc contigit, huic necessaria est multa refrigeratio, quare, & multa aeris inspiratio, ad hoc autem, vt multus aer inspiretur, necessarium est etiam foramina per quæ aer debet permeare sint ampla, & diducta, quæ quoniam sunt nares, patet quod quicunque iracundus est illi necessaria est multa respiratio, quare etiam narium diductio; ergo si iracundo secundū quod est iracūdus, hæc narium dispositio necessaria est, cui igitur illa inerit, hic probabiliter erit iracundus, & quæ vis hominem facit iracundum, illa eadem dedit etiam, vt secundum naturam nares diductas, & valde patulas haberet, quod fuerat demonstrandum, & iure fuit hic multus calor, in multo bilioso sanguine existens, huius enim proprium est dilatare, & aperire, & attenuare; hoc enim est disgregare, nasum autem diximus præcipue formari ab eadem virtute cuius actio in ipso eluceſcit, hæc iracundia est, quare, & ex bilioso sanguine, & à bilioso calore efficitur, didicuntur igitur, & aperiuntur propter hanc causam etiam nares, & patentiores in iracundis, quam in alijs apparent.

Nunc quid hāc naturā cōsequatur, ad qd̄ genus referatur, & q̄d de hoc signo senserint alij dicamus, Tauros imitari, aut generosos equos, aut ad hos referri qui tales nares habēt, quidā recētiores aiunt, horū .n. nares animaliū valde patulas videmus, sed, & angues, ac præsertim eos, qui in aqua degunt, chelydros vocant, pro eorum magnitudine maximè patētes nares habere cōspicimus, p quas vehementē aerē expirātes, & simul os aperiētes sibilū emittūt; vnde ex his quosdā ignē naribus efflare, finxerūt poetæ, calorē igitur præter naturalē potius, & ad igneā naturā accedentē huiusmodi expiratio, & inspiratio frequēs celer & violēta demōstrat, quare masculinū potius, q̄ fœmininū genus decebit, & masculos mores in his hominib. aduertemus, & id confirmatur, nam taurorū, & generosorū equorū natura magis masculinū, q̄ fœmininum genus, aut sexū imitari certū est; sequitur rationabiliter

biliter hanc naſi figuram temperamentum cordis calidum, & ſiccum, & ſanguinis biliosi, qui circa cor exiſtat, copiã; homines igitur huiuſmodi prompti manu plerunque erunt, & niſi manu lingua ſaltem, & ſi aliter non poterunt minis, & maledictis certabunt; aptiſſimi qui de lana caprina rixentur, qui cum omnibus litigent, in adoleſcentia contumelioſi, in ſenectute moroſi, faciles tamen qui mutentur, in diuerſas partes ab indignatione trahantur, modo ad miſericordiam, modo ad fæuitiam, & furorem inclinent, hæc igitur ex Ariſtotele de naſo de quo decem attributa enunciauit ad eius figuram attinentia; horum tria ad extremitatem naſi pertinẽt, quę vel eſt craſſa, vel acuta vel ſubtilis, duo ad medium, nã vel naſus ſecundum medium eſt concauus, vel conuexus, quare vel aquilinus, vel ſimus, tria ad eiuſdem principium, quod habet ſub ſupercilijs, quod ipſum vel eſt craſſum, vel conuexum, vel concauum, vnum deinde de toto naſo, alterum, de narium foraminibus, ad totum naſum pertinet quod ſit rotundus, & obtuſus; quæ paſſio magnanimitatem docet, ad nares quod quæ patulæ magis ſunt, magis ad iram propenſum indicent hominem.

At mihi, non parum videtur eſſe dubitandum, primum an figura aliquid ſignificet circa potentias corporis; deinde an naſus priuatim aliquid præſagiat, & cur id illi tribui poſſit. Quod autem figura membrorum corporis nihil commune habeat cum potentijs animæ, ſic forſan perſuaderi poteſt. *Dub.*

Figura plerunque ab externo prouenit agente, ſic acuminatum caput in quibuſdam Italiæ partibus habebant populi quidam, ſic facies Scytharum effecta eſt lata, ſic, & nasũ arte incuruum faciebant olim Perſæ, potentiæ autem ſunt à natura, neque mutari poſſunt, ſed tantum ad actum vel deduci, vel non, & ſi deducuntur, vel ſic, vt medium ſeruetur, vel excedatur, vel deficiatur.

Amplius videmus turpi figura bonos nonnullos; pulchra præditos eſſe malos, eos etiã qui improportionatum corpus habent admodum, rationabilem animam, animæque potentias habere bene diſpoſitas, ex aduerſo etiam plerunque contingere in corpore pulcherrimam, turpiſſimam, & informem eſſe animam; ſi quidem nihil prohibet vim formatricẽ in partibus externis potuiſſe aliquando ſine impedimento operari, at interius adeo fuiſſe impeditam, vt nihil boni perficere potuerit, demum vulgo cognitrices potentias, aiunt, eſſe ſimilarum partium rationes, quæ vero corporis partes certam habent figuram, illæ ſunt organa, non autem ſimilares partes, ergo patet figuram membrorum de animæ propenſionibus nihil certi poſſe affirmare; quare ſi vniuerſaliter figura membri nihil declarat, ergo neque naſi figura, imo tanto minus inter omnia membra naſus, cũ ille ſit extrema quædam pars corporis, formata in hunc tantũ vſum, vt aere intro, vel extra mittat, quare quã rationem habet canalis ad aquam, qua per illum fertur, vel uena ad ſanguinem, eandem uidetur habere naſus ad aerem, qui per ipſum fertur; quid demum naſo cum corde commune eſt? aut cũ cerebro? niſi quatenus ab altero neruos, ab altero arterias recipit, ſed hoc modo etiam epatis diſpoſitionem oſtendet à quo uenas habet, & quod de naſo, idem de pede, uel digito dici poterit; uidetur igitur nullius momenti hæc prognoſticandi ratio.

At præter Ariſtotelem, uidemus quam plurimos alios, tum philoſophos, tum medicos quin, & vulgares homines, plurima ex hominum diuinare figuris, & ex membrorum forma preſagire eorumdem naturam, ſi quidem quæ formauit anima corpus, una eadem eſt quæ illo utitur, neque ſecundum rationem uidetur, quod mala corporis inſtrumenta bonam, & perfectam edere poſſint operationem, bona autem eſſe nequeunt, cum uitiatam habent formam, ponendum eſt igitur, quod unus eſt conſenſus, conſpiratio una, conſentientia omnia, & unam eſſe, atque eandem uirtutem re; diuerſam tamen ratione, quæ omnia corporis format membra, illa autem format ex ſemine, quod eſt in potentia, omne

membrum corporis à quo defluxit, ſeminis vero pars quælibet ex ſanguine menſtruo ad ſe attracto, quod ſibi proportionatum eſt ac magis ſimile capit, quo coaleſcens membrum alitur iam formatum; vt enim qui decerpit ramum ex ſalice, ſi illum terræ mandauerit, primum facit radices, excitato, & inualeſcente calore interno, & naturali propter externum calorem, illum ad ſe trahere incipientem, & radices excitatæ iam humorem attrahunt, qui deinde aptè, & ſecundum naturam digeſtus, & diſtributus ſurculum in arborem tranſmutat, ita ſemen potentia, omne membrum à matricis calore ad actum perducitur, actuque facit omne membrum, quod erat potentia, & introducto ſimili ſanguine, & ſingulis membris applicato, fit actu corpus tale, quo perfecto, neceſſe eſt adeſſe perfectionem organici corporis, & ſic quod erat vis in ſemine formatrix, fit in corpore formato, iam anima ſenſitiua, vtens formatis inſtrumentis, & ſic neque iam aliquid ſe ipſum format, aut eſt, antequam eſſet, nam alia ratio virtutis formatricis, alia animæ, vt alia eſt ratio hominis, alia ſectoris vel fabri.

Ex his ad argumenta non erit admodum difficile reſpondere, & cum dicitur figuram plerunque ab externo agente mutari; hoc ſane verum eſt, ſed nunc habetur à nobis ſermo de ea, quæ eſt à principio interno, & quæ naturalis eſt figura, terminus ſcilicet, ſiue extremitas ambiens corpus illud, quod eſt opus formatricis virtutis in ſemine exiſtentis, hæc autem externa, & accidentalis forma tantum momenti (vt mihi videtur) ad cognoſcendam internam, & ſubſtantialem formam habet, quantum accidentia propria, propriæque operationes conducunt ad cognoſcendam rei potentiam, & eſſentiam.

Quod ſi facies Scytharum Aſiaticorum videtur fere eadem, non tollitur tamen quin ſit in vna quaque ipſarum indiuidualis quædam differentia, ſecundum quam alter, ab altero cognoſcitur, & ſi eadem eſt ab eadem etiam cauſa probabile eſt, produci.

Nec dictum eſt, quod mutatis arte membris mutentur potentiæ naturales animæ, ſed bene dicitur, quod ſi naturaliter diuerſa eſſent organa in diuerſis hominibus, pro illorum diuerſitate, diuerſas etiam apparere in illis hominibus potentias, aut ſaltem diuerſimode affectas; Quod ſi turpi figura præditos contingit, quandoque uiros bonos eſſe, item pulchra malos, hoc eſt per accidens, & tale aliquid monſtrum appellari poteſt, continget enim quod uirtus formatrix rebellem materiam in interioribus nacta ſit, obedientem in exterioribus partibus, vel e contra, vnde pulchra appareant, & maximè perfecta, & ſecundum naturam diſpoſita organa exteriora, interiora vero ſint rudia, & imperfecta, & præter naturam affecta; ſic uidemus, & ficus, & caſtaneas aliquãdo extrinſecus ſatis pulchras, quarum interna mucida ſunt, & putrida.

Quod demum dicitur organicas partes cognotricis facultatis differentias oſtendere nõ poſſe, quoniam ſit hæc ſimilarium ratio, facilis eſt reſponſio, in organicis partes etiam ſimilares adeſſe, ex quarum cognitione cognoſcitur diſſimilaris, ut effectus per ſuas cauſas. Quare ſi membri figura ſuper eiuſdem membri operatione, & potentia, aliquid decernere poteſt, etiam naſi figuram aliquid indicare eorum, quæ ad animam ſpectant, non erit omnino abſurdum, & quamuis pars ſit extrema corporis, ideo etiam, nunquid formatrix uis fuerit ualida, nec ne optime indicare poteſt, & cum duos habeat uſus, ſitque reſpirationis organum, & olfactus, quorum alterum ad cor pertinet, utrũque autem cerebro ſeruit.

Cum inquã, hæc primaria ſint membra, utriuſque etiam diſpoſitionem probabiliter indicabit, etenim qui principi ſeruit, illique familiaris eſt eiuſdẽ magis nouerit operationes, & cogitationes, quam ille, qui ab eodem remotus nihil cum illo communicat, ergo hac ratione cum cerebro, & corde communicat naſus, neruique eiuſdem, & ſenſus in cerebrum feruntur, ſed eius formatio in uſum magis cordis, quam cerebri fabricata eſt.

Ex quibus non omnino inutilẽ eſſe, quæ à naſo deſumitur, prædictionem patet, quod etiam auctore Hippocr. & Galeno in libro ꝓgnoſt. cõfirmari poteſt quo loco non pauca à naſo excerpta numerantur præſagia.

Quod

Quod autem aiunt naſum quantitatis, & qualitatis cordis eſſe ſignum, quoniam ea eadem virtute fabricatus eſt naſus & cor: profecto non omnino verum eſſe puto.

Primum enim una tantum uirtus eſt, quæ non ſolum cor, & naſum, ſed etiam pedes & caput fabricauit, deinde dato quod ſit eadem virtus, non tamen ideo ſequitur, hunc illius eſſe ſignum, nam & idem faber fecit ſcamnum, & dolium, ſed hoc illius aut è contra nequaquam ſignum eſt, nec poſſum ego inferre ſi videro ſcamnum iuxta quod ſit dolium, quod idem auctor utrumque perfecerit, puto itaque nos ſolum hoc poſſe argumentari, ſi nares nariumque foramina ſecundum naturam, & non ex accidenti latiora fuerint, quod ſequetur, calorem, qui circa cor à primordio fuerat, eſſe vehementem, & intenſum, vt maiorẽ refrigerationem caperet, factum autem eſt, quod omne agens ordinate procedens, dũ finem vult, neceſſario etiam ea quæ ſunt ad finem quærit, & producit; hæc igitur de naſo, & naſum conſequentibus accidentibus ſint ſatis.

Qui vero dicunt, quod quorum pars ſuperior naſi impreſſa eſt ſigno imitante litteram C. debeant violenta, & infami morte perimi, illi, mea ſane ſententia omnes à ratione vera diuertunt, quid enim commune ſignum hoc habet cum morte violenta? & qua ratione hoc ſigno male agere coguntur, vt talem ſuſtinere mereantur mortem?

Aiunt hoc fatale ſignum eſſe Martis, quod illis à primordio eorum fabricationis imprimitur; at hoc præter quam quod falſum eſt, ridiculum etiam iure dici poteſt, falſum enim eſt noſtras actiones, atque hæc, quæ ſunt ſub luna fato fieri, ſi modo fatum, & neceſſitas ſunt idem; nam ſi hæc ſunt neceſſaria, non eſſent ergo contingentia; at mundi partem contingentem hanc inferiorem appellant; adde homines ſuarum actionum domini nõeſſent, at poſitus eſt homo in manu arbitrij ſui, ut tertio, ethicorum dicitur, ridiculum deinde eſt putate Martem, aut Saturnum animam noſtram cogere ad hoc, aut illud faciendum, uel in facie, naſo, aut mento hoc, uel illud ſignum imprimere, ſcilicet hic illis labor eſt?

Simile autem huic dicto eſt, aliud eorum, qui uolunt, quod ſi cui naſus contortus ad alterum latus contigerit, quod ille omnibus erit uitijs refertus, quod fur, quod proditor, qd infidus, at propter quid hoc fieri poſſit, non dicunt; afferre autem poſitiones, & illas neque ratione, neque exemplo, aut ſigno vllo confirmare, eaſquè velle tamquam axiomata credi penitus ridiculum eſt; in phyſiognomicis enim de futuris contingentibus actionibus humanis ſingularibus nihil certi, atque determinati vllus vnquam afferre poterit, namque futurorum contingentium hæc natura eſt, vt eſſe, & non eſſe poſſint, indeterminata antequam præſentia exiſtant, quare nihil eſt quod de illis vere, aut rationabiliter poſſimus affirmare, aut negare determinate.

Hæc eadem, & in chyromanticis dicenda ſunt, quorum ars, ſiue cognitio nullius penitus valoris, eo quod rationem nullam habet, iure iudicari poteſt.

APOTELESMA LVI.

„ *Qui faciem carnoſam habent ſegnes ſunt, referuntur ad boues.*

FAciei vox multas habet ſignificationes, nam, & facies dicitur aliquando totius corporis forma, & habitus, vel tota ſpecies quæ apparet, & cernitur, vt Plautus in Trinummo; quare Gellius modum, & formam omnem, quaſi facturam, faciem dicit, & aſpectum nocamus rei faciem, ſic prima facie diximus nos putaſſe ſaxum eſſe hominem, neque hominis ſolum aſpectus, & præſentia, ſed etiam inanimatorum figura, & apparentia facies dicitur; ſic & vrbis, & armorum faciem dixit Cornelius, & pugnæ, & loci facies, & Virgilius ſcelerum faciem, pro ſpecie dixit.

Nunc autem facies hoc loco humani corporis partem ſignificat anteriorem, eamque aliquan-

aliquando quæ à principio frontis ſuperiori uſque ad infimum mentum ſecundum longitudinem producitur,& ab una ad alteram aurem ſecundum latitudinẽ,& eſt,ut ait Plinius proprie facies hominis tantum, alia animalia os, roſtrum rictum habent,diſtinguitur facies à uultu ex Horatio, quod facies eſt oris ſpecies, at uultus eſt uoluntatis pro motu animi in facie apparens imago;uultus igitur mutabilis eſt, facies non mutatur, uultuſque in declarandis animi conceptibus ſecundum uocem plurimum poteſt,uultum enim ferunt,à uoluendo dictum,quod facile uolui, ac mutari poſſit, porro de facie ſumus locuturi,quam humani oris ſpeciem dicimus,ea ſeptem partes habet,nempe frontem,ſupercilia,oculos, naſum,genas,labia,mentum;hoc autem loco uidetur auctor per faciem maximè intelligere maxillas, & genas,nam ſimul atque de naſo,ac labijs locutus eſt, de facie ſermonẽ ſubnectit, & in ſequentibus de oculis, & fronte loquetur.

De facie igitur ita accepta in uniuerſali, & ſecundum ſe quatenus genas, & maxillas tantum denotat, in quibus eſt oris humani ſpecies, & forma agitur, huius faciei (inquam) ut ſubiecti, uultus paſſio eſt, in quo, & conceptus animi eluceſcunt, atque humani affectus; Huius attributa,ſeu prædicata,ex Ariſtotele, ſunt numero ſex primum.

Pigritiæ ſignа. Qui faciem carnoſam habent illi ſunt pigri, & ſocordes, & negligentes, hæc enim uoces quibus hic utitur auctor ſignificant, & omnia hæc ab eodem fonte, cauſaq. trahuntur ſocordes dicuntur quaſi ſine corde, hoc eſt quod careant communi ſenſu quem in corde nonnulli ponentes,cor primum ſenſiterium dicebãt, hi etiam pigri ſunt, piger dicitur qui in ſuis motibus, & actionibus tardus ac lentus eſt, ſic pigram teſtudinem, & cochleam, quæque præ ſui corporis mole tarde mouentur, ſecundum proportionem enim multo celerior eſt formica quamuis longe ſit corpore minor,quam teſtudo negligentes diligẽtibus opponuntur,eos autem negligentes uocamus,qui rerum ſuarum non ſatagunt, neque ea, quæ ipſis commodo eſſent,aut decori curant,non tantum quod contemnant,ſed quod nõ conſiderant;hæc autem uidetur eſſe conſequentia frigus propriu m, & terreſtris molis præ dominium cum aqua.

Quibus igitur ſecundum uirtutem præualebunt terræ,& aquę qualitates,hos ſocordes, & negligentes,& pigros uocabimus; id teſtudines,limaces & in ſecta pleraque in quibus frigus aqueum,& terreum prædominatur demonſtrant uidemus autem idem, & in animalibus,quæ diuturno ſomno tenentur,ut gliribus,& muribus montanis,horum enim corpora multo aqueo humore,cum fuerint occupata,& frigus proprium præualebit, magno ſomno,& longiſſimo tenentur,ex aduerſo,item quæ animalia ſunt ad motus prompta,uelocia ad opera propria exequenda;feruentia,& diligentia,uidemus ignem, igniſque referre naturam,huius generis ſunt ueſpæ,& apes,pardi,leones, & canes quidam; hæc etiam animalia uigilantiſſima ſunt,& minimum ſomno dedita,quare in quibus naturalis calor, & aereus humor prædominatur ſecundum uirtutem illa ſunt cita,prompta,impigra,ſatagentia;ergo quæ oppoſito modo diſpoſita ſunt,oppoſitas habere diſpoſitiones rationabile eſt;probat igitur Ariſtoteles ſuam poſitionem dicens, Illi quorum facies carnoſa eſt, ſunt bobus ſimiles,at bobus ſimiles ſunt tardi, & ſegnes; ergo quorum facies carnoſa eſt, tardi ſunt, & ſegnes, minor aliquam difficultatem habet, quomodo uelit Ariſtoteles, quod qui faciem carnoſam habent ſint ſimiles bobus, in hac ſcilicet qualitate carnoſitatis faciei; nã profecto bos non uidetur carnoſam,ſed magnam habere faciem ualdeque frontem latam & diductum, ac oblongum rictum.

Vnde qui recentiores non carnoſum,ſed magnum legunt,forte non male.ut enim mihi uidetur,quorum magna eſt facies, & magnis oſſibus conſtans,illorum natura terreſtre frigus arguit,quare, & tarditatem, & torporem;dicerem itaque,non male fuiſſe pronunciatum quorum facies magna eſt, & non ualde macilenta(boues enim non admodum macilentã habẽt faciem)illi ſunt bobus ſimiles;quare ſi facies, & caput bouillum eſt, & cerebrũ

quod

quod faciei proximum eſt, boui ſimile erit, quare & nerui, & motus, ac ſenſus, quorum principia ſunt nerui, bouem referent, at bouis motus tardus eſt, ſenſus hebes, ergo quorum facies magna eſt, & carne non ſpoliata illi ſegnes erunt, ac ſocordes, & negligentes.

Maior nullam habet difficultatem, exemplo enim ſenſus deſumitur tota.

Neque ex his quæ dicta ſunt difficile eſt deducere, propter quid quorum facies eſt magna, illi ſint ſocordes, negligentesque ſecundum animum, & tardi in corporeis motibus, quoniam, vt dictum eſt, qui talem ſortiti ſunt faciem illis multum adeſt terræ terreſtriſq; naturæ, quare & ijſdem inerunt, quæ terram conſequuntur, ergo frigus, uel caloris remiſſio, ergo & corporis grauitas, & torpor quidam, quem excipit motuum tarditas, & ſenſus hebetudo cuius perfectio in calido, & humido, aereaque natura videtur poſita, contemplando igitur di poſitionem faciei, ſeu bouini rictus. Mihi ſane videtur in Ariſtotelico textu aliquid deeſſe, & ſi debeat referri ad boues, tum ſecundum corporis, tum ſecundum animi diſpoſitionem, & ex corporea diſpoſitio animæ inferenda fuerit aliqua, puto ſic oportere legere, Quibus facies magna, oſſea, carnoſa circa maxillas inferiores (quæ boum propria videtur eſſe paſſio) illi ſunt tardi, ac ſegnes id enim (vt dixi) videtur omnino eſſe quod rationi conſentaneum eſt, quodque etiam ab alijs qui de phyſiognomicis tractarunt dictum fuit; ſi autem tardi ſunt, ac ſegnes, ergo neque admodum erunt iracundi, neque vehemētis cupiditatis, frigidiores enim, obſtinatiores tamen, quoniam terram ſapiunt, verū creduli, ſed, vt dicitur primæ impreſſionis homines; in his autem videtur naturalis melancholia prædominari cum pituitæ ſubdominio, quam ſequatur ſanguis, vltima vero ſit flaua bilis, naturaliſque calor ſit remiſſus noui ego quoſdam ita diſpoſitos, qui pedes, & manus magnas etiam cum haberent robuſti erant quidem valde, vt horū alter facile vitulum ferret, & pugno illi oſſa caluariæ frangeret, ſubitoque necaret, alter autem ligni fruſtum ferebat, quod neque duo de loco mouiſſent baiuli, & cum aſinum cauda apprehenderet ille nuſquam moueri poterat, utrique tamen erant ſegnes negligentes, ſocordes, inepte timidi, creduli, obſtinati ſuperſtitioſi, rationem non audientes, omnium ſcientiarum expertes, natura quadam obſequenti rudi ſeruilique præditi, & cum alter monachus eſſet uix legere ſciebat.

APOTELESMA LVII.

„ *Qui faciem macilentam habent accurati, & diligentes ſunt.*

QVod ſupra dicebam confirmat præſens apoteleſma, quod non cum præcedenti, ſed ſequenti per coniunctionem (autem) nectitur, tanquam huic oppoſitum; macilentam uoco faciem, quæ carne caret, & pinguedine, quæque colorem habet pallidum, & buxeum, ad fuſcedinem declinantem; hos ergo qui talē faciem habent uocat accuratos Ariſtoteles, puto autem dici accuratos qui in rebus gerendis diligentes adeo ſunt, ut etiam minima curent, proſpiciant, & ſatagant, ſic accuratam uocant orationem, quæ ſtudioſè, exquiſite, ac diligenter facta perfecta, & exornata eſt, quærit igitur paſſio hæc intenſionem quandam animi circa minima etiam, ut nihil infectum, nihil intentatum, nihil non exculptum linquat. Hæc igitur eſt ſententia huius apoteleſmatis. At quodnam animal ſit cui ſimilis hæc accurati hominis eſt facies, nō ponit Ariſtoteles mihi tamen uidetur quod leporarius canis uenaticus nimirum, & in curſu uelociſſimus, faciem hanc macilentam habeat, nec non & ille qui lepores inquirit odore, & reperit, quales ſunt, qui apud nos uerbo græco bracchi uocantur, & ſupra oculos habent maculas quaſdam ſubcroceas, cū plerunque ipſi nigri ſint, & pedes ſub fuluos, uentremque, & gulam albam, colore flauo mixtā habeant, hæc enim animalia accuratiſſima diligentia ſuum opus exequuntur, neque niſi

perfecta

perfecta re conquiescunt, causa huius apotelesmatis in temperamẽtum naturale (cùius index est macilenta, & subpallida cum fuscedine facies) potest referri; dicamus igitur, cui ineſt talis facies illi ineſt temperies capitis in qua prædominatur melancholia, cum subdominio flauæ bilis subtilis, cui tale adest prædominium; ille cerebrum siccius habet cum calore non pauco qui hoc sortitus est cerebrum ille est diligens prouidus, & accuratus, ergo qui faciem habet macilentam prouidus, est diligens, & accuratus, quod fuerat probandũ.

Cæteræ assumptæ propositiones difficultatem non videtur habere, præter vnicam unã minorem, quæ breuibus confirmabitur; nulli dubium, quod facies macilenta ea est in qua deficit caro, quæ calida, & humida est, at absentia calidi, & humidi ponit siccum, & frigidum, hæc autem est ratio humoris melancholici, at si sola adesset melancholia, & terrea pars prædominaretur, frigidum sane caput multo abundaret osse, & ossea, ceu ceruina foret facies, neque illum colorem pallidum cum quadam buxea fuscedine haberet, qui proprie squalor dicitur; At quoniam huic admixta existit lutea, & valde subtilis bilis, quæ calorem suppeditat, quem deinde siccitas, craſſities melancholię recipit, retinet, atq. acuit, efficiuntur homines ad cogitandum acuti, & ad agendum prompti, & perspicaces, & seduli, hi autem, vt mihi videtur, ad imitandum parati sunt, & ad artes præsertim manuales exercendas apti, nam, & patientes sunt ad operandum, & sagaces ad inueniendum, talem memini me legisse fuisse Adrianum Imperatorem, talem noui nobilem virum, qui fabrilibus artibus mirificè delectabatur, omniaque armorum genera, omnia bellica instrumenta mirifice excudebat, artem spagyricam, mechanicaque perfecte, ac scite tractabat, eius autem facies erat macilenta pallida sublutea, quæ canem venaticum referebat.

APOTELESMA LVIII.

Qui autem carnosam timidi, referuntur ad asinos, & ceruos.

IN hoc etiam apotelesmate mendum est; non enim cerui carnosam faciem habent, sed nihil est in ceruo, quod magis sit carne nudatum præter vnũ caput, quod vel coqui negligunt, ut nostrates leporum capita; puto igitur omnino uocem cerui esse expungendam, & nusquam facere ad propositum, nisi uelimus non faciei similitudinem, sed animi dispositionem ad timorem denotare, ut sit sensus quorum facies ualde carnosa est illi sunt timidi sicut cerui, quorum tantus est timor, ut pennas rubras uolantes etiam timeant, ceu Virgilius expressit; at si ita diceremus, non esset exemplum ad propositum allatum, nam huius cognitionis intentio est, ex corporeis signis incorporeas humani animi affectiones inuestigare, quod sic non fieret.

Sed neq. asininæ genæ carnosæ sunt, licet multo minus, quam bouillæ, attamen magis quam ceruinæ, nam illorum capita, ut diximus omnino carne sunt priuata, asini autem facies aliquantisper carnosa uidetur circa labia, & maxillas inferiores, nam secundum proportionem aliarum partium capitis asini maior carnis copia circa ossa mandibulæ inferioris existit, quam in ulla alia animalis istius parte capitis, expuncto igitur ceruo dicamus.

Quorum facies ita carnosa est, ut asininam referat, illi, & dispositionem in anima similem asinis habent, qui talem habent dispositionem timidi sunt, ergo quorum facies carnosa est illi timidi sunt; propter quid autẽ facies carnosa timiditatem arguat, clarum erit si prius dixerimus, non solum carnositatem faciei hoc denotare, sed oportere mollitiem, & leuorem adesse, & colorem uel pallidum, uel fuscũ, uel tandem roseum, qualem in fœminis probant, hæc enim temperamentum cerebri frigidum; & humidum pituitæque prædominiũ magnũ cũ subdominio melancholiæ, uel sanguinis indicãt, unde sequitur timiditas, & quædã ruditas, & confusa rerũ discretio, & imprudentia, quæ propria uidetur esse asinorũ.

At tan-

At tandem, vt ego puto, pro carnea legẽdum esset (ossea) etenim quorum facies magna est, & ossea illi vere ceruos referunt, & asinos, quorũ illi timorem, hi vero ruditatem quandam præseferunt, & timoris ratio in frigido, & melancholico sanguine, & aqueo posita erit, vt etiam ex his quæ quarto meteororum habẽtur potest colligi, at certe hoc nõ liquet, neque dicti auctorem habeo. At dices si pro facie carnosa osseam legemus cum hæc sit macilenta, quã sequitur accurata sedulitas, ergo accuratus ad, asinum referet. Resp. aliud esse osseum, & macilentum, osseam voco faciem vbi multum est ossium, ossaq. magna sunt macilentam, in qua minimum est carnis.

APOTELESMA LIX.

Qui valde paruam, pusillanimi referuntur, ad catos, seu feles, & simias.

VAlde parua facies duplex est, altera rotunda qualis est felis, animalis domestici, qui mures venatur, altera est longiuscula qualis est simiæ, de vtraque eadem est enuntiatio, non enim timorem arguit secundum quod longa, aut secundum quod rotunda, sed rotunditas dolum, & calliditatem, longitudo vero, & in acutum definentia, quæ simiarũ uidetur esse propria, inuerecundiam, & impudentiam arguit paruitas pusillanimitatem.

Pusillanimi autem non solum timidi sunt, sed, & parui animi, est autem pusillanimitas animæ uitium, per quod neutram fortunam recte ferrè queunt homines, non honorem, nõ ignominiam, non bonos, non malos casus, sed paruo honore intumescere, ignominia, uel minima deprimi, & deijci solent, repulsam, & frustrationem quantumuis exiguam magnum putant infortunium, & lachrimis prosequuntur, ac ualde ægre tolerant, omnemque neglectum, etiam per incuriam, & obliuionem factum, iniuriam, & magnam putant contumeliam, neque audire sustinent, aut se purgantes, aut de se ipsis conquerentes, & illos accusantes, admonentes, reprehendentes, aduersantes, consulentes, nimis enim pusilli animi sunt. Hoc pusillanimitatis uitium, sequitur querimonia, maledicentia, suspicio, diffidentia, & animi quædam depressio, ut multo minoribus honoribus, & bonis se affici putent, quam afficiantur re uera, & hoc præsertim illis nocet; quoniam pusillanimes sunt ingenioſi, & acuto prædi ti intellectu, cumq; talem de se opinionem conceperint, plerunque ab honestis actionibus, & studijs, & ab externis bonis abstinent, animo abiecti, & humiles solitudine delectantur, non secundum se, sed quoniam sic ipsis uidetur ignominiam, & contumeliam facilius posse uitare, quam, etiam si minima sit, fere nequeunt.

Est Aristotelis ratio, quorum facies est ualde parua illi similes in hac parte sunt felibus, & simijs, at felibus, & simijs similes pusillanimi sunt, ergo quorum facies est ualde parua, illi sunt pusillanimi, minor ex euidentia sensus non eget probatione; quod autem felibus, & simijs similes sint pusillanimes uidetur manifestum, etenim si uera est descriptio pusillanimitatis, quam supra attulimus manifestum est, pusillanimum, & iracundum esse, & mutabilem, & facili negocio dolere, & lætari, paruisque iniurijs, & honoribus uehementer affici, hoc autem uidetur clarum in simia, quæ cum peruersissime imitetur humanas actiones, sitque malorum morum, & diu iniuriarum recordetur, breuique tempore beneficiorum etiam maximorum obliuiscatur, sit inconstans, dolosa, acuta suæ imbecillitatis conscia, nihil aliud quam pusillanimitatem refert; catum eundem cum fele esse aiunt, ut puto, animal domesticum, quod mures uenatur; uerecundum uidetur, & sorditici inimicũ, laxam, & mollem carnem habet, pilum etiam mollem, calidissimum uentris excrementũ, urinam tum ualde calidam, tum ualde fætidam, hæc utraque animalia in hoc conueniunt, ut cum calidæ sint temperaturæ, utræque tamen timida sunt, & in suis motibus admodum cita celerrime, namque cum oportet fugiunt, eadem etiam sunt, ualde acuta, & dolosa; mordent

mordent vtraque, & ſunt iracunda, ſed, & neutra pugnando ſe defendunt, niſi aut cum neceſſitate coacta fugere nequeunt, aut cum in locis proprijs, & domeſticis exiſtentia in alijs confidunt; ſi ergo res ita ſe habet, puſillanimem etiam dicemus felem, quoniam dolo ſus eſt, & timidus, ſe claudi, ſe ligari non patitur, clamat, eiulat, mũditias ſequitur, & parua huiuſmodi ornamenta, quod ſi hoc eſt, certum eſt igitur, quod quicunque faciem felis, aut ſimiæ habuerit, ille erit puſillanimis, quare & timidus, & imbellis, & auarus quodammodo, & falſo honore, & falſa ignominia tenebitur, neque poterit perferre ſi quis ipſi maledixerit, aut aliorum maledicta recenſuerit, muliebres igitur mores imitatur, & ad fœminam referri debet.

At ſi quis propter quid, cui talis ineſt facies, illi inſit etiam timiditas, quæſiuerit, id, vt puto ex ipſius rei internis principijs oriri, poterit oſtendi, etenim ſi cui ineſt bilis cum pituita coniuncta, illi etiam inſunt conſequentia ignem, & aquam, & mixto aderunt contrariæ affectiones, ſuſpicio, diffidentia; & mollities, quæ frigidi, & humidi ſoboles ſunt; molles autem ſunt qui nihil pati ferè poſſunt, quare neutram fortunam rectè perferunt, quoniam autem calidi humoris, & bilioſi multum participant, in ijſdem, quæ conſequentia ſunt ignẽ, apparent, quare facile mutantur, facile in iram feruntur, in tumeſcunt vel leui de cauſa, nam, & ignis leui flamine agitatur, & per pauca impoſita ſtipula adaugetur, & cito deficit, & quoniam iracundi ſunt, omnem neglectum quacunque de cauſa leuiſſima factum, ignominiam, & infortunium magnum putant, quoniam autem timidi ſunt non repellunt ui, ſed lachrimis, & quærimonijs ſe ipſos torquent, & maledictis offendentes, ceu fœminæ proſequuntur, quoniam autem mixta eſt cum frigore flamma, ideo doloſi ſunt, & acuti, & ingenioſi, admodumque ſubtiles, ac præſertim in diſcurſibus, conſilijs, & diſputationibus, quæ autem bene conſuluerunt propter debilitatem, ac puſillanimitatem, & animi abiectionem, & inconſtantiam non poſſunt facile exequi, quo factum eſt, vt quandoque boni, & innocentes videantur, quod illis accidit, non virtutis amore, ſed ſola formidine pœnæ. Ex his igitur puto ſic poſſe nos propoſitum docere.

Cui ineſt facies parua illi ineſt temperies bilioſa cum pituita ſubtili coniuncta, cui talis ineſt temperies, illi adeſt propenſio ad puſillanimitatem, ergo cui ineſt facies parua illi adeſt propenſio ad puſillanimitatem, minor confirmatur exemplo catorum ſeu felium, & ſimiarum, his enim hæc adeſt temperies, & habent faciem paruam, & mores huiuſmodi, vt patet contemplantibus eorum naturam, carnem, pilos, & operationes, ergo quibus facies parua illis i jſdem ineſt prædicta temperies.

Noto autem quod quamuis vtrunque horum animalium idem habeat temperamentũ non putandum tamen eſt, omnino eſſe eadem, nam aliter eadem eſſet penitus materia ijſdem affecta diſpoſitionibus, quare & forma eſſet eadem, ergo ſimia, & felis idem foret ſecundum ſpeciem animal, quod videmus eſſe falſum.

Eſt igitur idem temperamentum ſecundum quid, non autem ſimpliciter, vel ſimile potius, ſimile enim non eſt idem, vt autem mihi videtur, magis ad fœminam accedit Aelurus ſiue felis, quam ſimia, nam, & laxiorem carnem habet, & molliorem pilum, quam ſimia; amplius & mihi videtur, magis inſidioſus felis, & magis timidus, & magis deditus munditijs, quam ſimia, quæ omnia ad fœmineum magis quam ad maſculinum genus referuntur. Qui vero longiorem habuerit vultum, & macriorem paruum tamen, illum magis ad melancholiam, quam pituitam accedere dicemus, quæ bili coniuncta non ſine pituitæ interuentu facit homines puſillanimes quidem, ſed aptiſſimos ad imitandum quoslibet ioculatores, circulatores uaferrimos, artifices ſagaciſſimos, quid quid viderint paratiſſimos referre, gulæ tamen, & libidini, & inertiæ deditos, vt nunquam niſi cogente neceſſitate laborare velint, bilis enim impatientiam dat, impatiens autem tolerare laborem, & diutius in eodem ſtatu permanere non poteſt, qđ ex eadem ignis natura qui nunquam vel momento, idem permanet, licet colligere.

Quod

Quod ergo qui faciem paruam habent ſint puſillanimes, & propter quid ex his manifeſtum eſt.

APOTELESMA LX.

Quibus facies magna, tardi ſunt, referuntur ad aſinos, vel boues.

IVre paruæ faciei Ariſtoteles magnam ſubijcit; hæc autem, vel magna eſt, quoniam multa carne prædita vel proprie magna, quoniam longa, & lata eſt propterea quod oſſa longitudinem, & latitudinem habent, vtræque tum magna, tum parua dicuntur per comparationem ad eam, quæ decet, & ſecundum humanam naturam, & proportionem eſt cõueniens, ad quam reſpicientes deinde dicimus hanc eſſe magnam, illam vero paruam.

Porro naturalis, & decora facies viri, ſi cum toto corpore comparatur, hanc cum illo debet habere rationem, pro vt excellentiſſimi pictores affirmant; Faciei longitudo in corpore iuuenili, & venuſto, eſt pars decima totius corporis ſui ſecundũ longitudinem, facies autem incipit ab extrema capillorum radice, & vſque ad vltimam menti partem producitur, hæc facies in tres partes æquales ſecari debet, quarum vna eſt tota frons in medio ſuperciliorum deſinens; altera eſt tota naſi longitudo; tertia eſt ab vltima naſi parte vſque ad menti extremitatem; huic longitudini debet reſpondere latitudo conueniens, nam quantum eſt à medio ſuperciliorum, ad exterioris anguli finem vbi deſinit oculus tantum eſt inde ad aurium foramen, quare faciei latitudc cum longitudine comparata quæ à radice capillorum ſupra frontem incipit, & producitur vſque in finem menti eſt in proportione ſeſqui tertia, vt ſcilicet. 4. ad. 3. ſi vero diametros ſolos contemplaberis longitudinis, & latitudinis faciei virilis proportionem ſeſqui alteram reperies, & longitudo ad latitudinem erit, vt tria ad duo, quod ſic intelliges, à capillorum prima radice ſupra frontem cadat perpendicularis, quæ vſque ad extremum menti feratur, deinde ducito aliam lineam, quæ in fine vtriuſque temporis exoriens per mediũ caput penetrans ad angulos rectos ſecet priorem lineam; dicunt, quod quæ à ſummo ad imum mentum fertur linea eſt in proportione ſeſqui altera, ad eam quæ à dextra ad ſiniſtram fertur, illam ad angulos rectos ſecans, & iure id eſſe videtur, nam, & ſic cubicula fabricant, vt longitudo ad latitudinem ſit in proportione ſeſqui altera; ſi ergo hæc eſt optima proportio, quam ſi coloribus naturalibus cãdidis, & roſeis, & carne mediocriter molli, non pauca neque rurſus multa veſtiuerit natura, efficitur facies (vt ille ait) imperio digna, quæ igitur excedet, aut deficiet ab hæc mẽſura, pulchra non erit, & magis, aut minus turpis dicetur, quo magis, aut minus ab hac elongabitur, cum igitur rectum ſit index ſui, & obliqui, cognito recto, nunc ad obliqui cõtemplationem accedamus.

Ait Ariſtoteles qui faciem valde paruam habent, hoc eſt, quæ multo minor eſt, quam decima pars totius corporis, illi ſunt puſillanimi, at ex aduerſo quorum facies eſt valde magna illi ſunt tardi in ſuis motibus, & actionibus, & deliberationibus, ſignum hoc probans, eſt, quoniam referuntur ad boues, hoc eſt bobus, quo ad hanc partem, ſimiles ſunt, quorum natura eſt valde tarda, eſt ergo deducta ratio.

Quorũ facies valde magna eſt, illi sũt bobus ſimiles, at bobus ſimiles ſm̃ formã sũt tardi, & irreſoluti, ergo quorũ facies magna eſt, illi ſunt tardi, & irreſoluti; cauſam puto qm̃ qui magnam habent faciẽ ꝓbabiliter ẽt magnũ caput habẽt; & id graue, quare & multa materia abundãt, eaque terreſtri; hæc aũt naturaliter tarditatis cauſa eſt, nam terræ proprium eſt grauiſſimam eſſe, & quieſcere, ignis enim ex aduerſo leuiſſimus eſt, & maximè mobilis.

Noto in aliquibus tex: reperiri, quod qui magnam habent faciem referuntur ad boues, & ad aſinos, (aliqui autem non habent, aſinos) ſed tantum boues, & re vera facies aſinina nõ vr̃ ꝓportione ſui corporis magna, ſed potius oblõga, niſi fortaſſe Ariſt. cũ magnitudine faciei carnoſitatẽ ẽt voluerit ꝓexemplũ aſini denotare, nã quorũ facies eſt magna, carnoſa, & pallida, & caro ſit circa maxillas inferiores illi ꝓprie tardi sũt, & præcipue ſi habẽt

illud ceu duplex mentũ qđ in aliquib. fœminis spectatur,nã referũtur ad pituitosas, & fatuas mulieres,qđ si facies hujusmodi,pituitæ,ac melãcholię mediocris imperium in corpus eius,cui talis adest facies,denotat;& probabile est hac facie præditum futurum indocilem & rudem; sunt enim hæc accidentia quæ nascuntur ex male commixta,& elaborata pituita & melancholia, propter caloris defectum,atque in efficaciam.

Qui deinde indocilis est, ac fatuus plerunque obstinatus est, non quod ceruicosus existat,sed quoniam quas rationes audit,vel non percipit,vel non recordatur,quare quamuis credat dicenti, & monentibus se obedire paratum esse profiteatur,tamen cum per aliquid temporis spatium à monitoribus,vel cõsultoribus abfuerit,rursus ad suam primã opinionem reuertitur,quoniam non recordatur, neque dicta aduertit, est enim immemor, & vt testatur Polemon segnis, & indocilis, quod si cum magnitudine, & carnositate squallor etiam aderit,amentem dices,obtusum,obliuiosum,credulũ,id enim docet pituitam,eamque immundam, & crassam dominari, quare, & spiritus huiusmodi esse, & si iusto latior fuerit præcipue circa frontem, & illa in parte amplior quam deceat,arguet hominem simplicem quidem,sed inuidum, & mendacem, subesse enim multam copiam cerebri docet, non tamen bene elaboratam, & quoniam colorem supponimus pallidum, & squallentem neq. deficit omnino calor,qui in longum,& latus frontẽ porrexit,nec tñ tantus est vt perfecte materiam elaboret.

APOTELESMA LXI.

,, *Quoniam vero neque magnam neque paruam oportet esse medius habitus vtique horum erit conueniens.*

VIrtutem in mediocritate consistere docuit Aristoteles secundo ethicorum, quin, & supra dictum est,omnem naturalem virtutem, & laudabilem omnem dispositionẽ quæ salutem, & conseruationem dicat,in mediocritate consistere, nam conseruatur natura à mediocritate, & corrũpitur extremis; forma enim vniuscuiusque dicitur ratio, ratio autem omnis medietas est, quare forma in mediocritate consistit, quæ secundum se bona est, & conseruatrix eius,cuius est forma. Huic igitur innixus principio Aristoteles nunc ait;quod cum facies parua nimis, & nimis magna non sit laudabilis, cum sint vtræque dispositiones extremæ, & inter se oppositæ sub ratione superabundantiæ, & defectus,sequetur,quod in medio vtriusque extremi existens rationabiliter erit laudabile,nam cum parua non fuerit facies homo neque pusillanimis erit,neque dolosus,vt feles, & simiæ,& cum item plus iusto magna non fuerit,neque homo erit segnis,vel irresolutus,bardus,vel rudis harum igitur abnegationes,oppositas dispositiones in anima eorum,qui mediocrem faciẽ habebunt,rationabiliter ponent,quare cuius facies est mediocris,ille erit magnanimus,ad actiones promptus bonæ indolis,bene cordatus, & sensatus homo,causam puto,quoniam mediocritas faciei,& proportionata arguit caloris naturalis victoriam,quare & dispositionem secundum naturam,omnis aũt naturalis dispositio semper est bona,sicuti omnis præter naturam mala, & quo magis à natura discedit,eo semper euadit peior,dum autem dico mediocrem in quantitate(quamuis illa secundum se bona sit)non ideo tamen subito putandum est,illum futurum probum, qui faciem mediocrem habuerit, nam nisi alia etiam corresponderint, & omnia secundum naturam fuerint in lineamentis,coloribus, & partiũ situ neq; pulcher erit,neque probus vocabitur. Multi enim faciem quidem mediocrem habẽt,sed lurido,aut nigro pallore,cum sint infecti, cum minimos ὀculos habeant,& semper in terram fixos,de his nihil boni,nihil laudabilis prædici potest,cum ferè sint proditores, infidi,iracundi,auari, & inuidi, & quibus nullo vnquam tempore sit fidendum.sunt enim ex his quos odit,& ipse pater Pluton,odere sorores tartareæ monstra;id autem in vniuersũ tenendum est,vt secundum vnum signum nemo sit iudicandus, sed omnia testimonia audienda, & examinanda sunt, & quæ plura,aut potiora sunt,illa omnino sunt attendenda, & secundum illa est proferenda sententia.

APO-

APOTELESMA LXII.

„ *Quibus autem facies videtur parum decens illiberales ſunt, referuntur ad appa-*
rentem conuenientiam.

QVæ vox ab interprætibns parum decens dicitur, eadẽ ab auctore theſauri linguæ græcæ abiecta, & vilis, & indecora redditur, alij humilem dicunt, & ſupplicem; demũ vox græca propriè ſignificat hominem, qui in paruis occupatur, quem parua, & vilia decent, mihi videtur Ariſtotelem, eam paſſionem faciei ſignificare, quæ parum deceat virum probum, quæque videtur plerunque in viro ſordido, & auaro, cuius facies contracta eſt, & ad horridum quemdam modum compoſita. Quæ nõ placet, quæque turpis naturaliter, & non caſu indecens dicitur facies, triplex eſt vna, quæ videntibus riſum mouet, qualem deſcribit neſcio quidam poeta Italus, erat inquit homuncio quidam corpore paruus, ſpecie, & geſtibus ſimiam referens, cuius frons erat magna lata, in medio concaua, inæqualis, oculi parui, lucentes ad modũ, ſine ſupercilijs, & veloces, inæqualiter in facie diſpoſiti, paruus naſus ſimus in fundo latus, facies rotunda labia craſſa admodum, & quodã rictu prædita, vt ſemper in riſum parata viderentur mentum longum bifidum, barba ſubnigra bifurcata inæqualis, aures magnæ deorſum inclinatæ, rictus aſini, & capræ ſimul mixtus, erat autem vt ſimul atque aliquam ſibi vel de facie notum aſpiceret, ſubito rideret, vt & ſimul neceſſario rideretur, iraſci quidem neſciebat, ſed omnium quæ videbat deſiderio tangebatur, & cito etiam deponebat cupiditatem, latum os habebat, denteſque ſeſqui pedales, quos omnibus, vel inuitis etiam continue oſtentabat; facies hæc obiectum, vilem, & nullius prætij denotabit uirum, cui neque quid quam confidere, neq. credere poſſis, leuem, inſidum ineptumque nebulonem diceres, natum tantum aut ad lenocinia tractanda, aut riſum excitandum hominibus, altera facies eſt, quæ odium ſuſcitat, quoniam nequiſſimum, & crudelem & iniuſtum hominem notat; talis uidebatur Tyberij Imperatoris primi facies, talis Maximini cuius aſpectum pauebant homines, Maxentium etiã dicunt odioſam habuiſſe faciem cæterum hæc magna eſt, ſed longa macra cadaueroſa; frontem rugoſam, & contractam habet, oculos concauos, paruos, rigidos, ſtantes, rubros, & quaſi ignitos, oſſa ſuperciliorum eleuata, & corrugata ſupercilia, tumida; pilis longis ueſtita, naſus longus in extremo latus, magnus, acutus in parte ſuperiori ultima, labia exilia, ſed, ut ſuperius inferiori ſit ſuperpoſitum, mentum magnum rotundum genæ macræ quidem, & carne ſpoliatæ, ſed tũ quodã rubore colorem epatis referente, præditæ, barba hirta, dura, nigra, rara, craſſa, totas pene ueſtiens genas, collum breue craſſum, pectus latum, incuruum dorſum non nihil; Raro loquens, raro homines inſpectans, raro ridens, aſper immitis, & quem uix mater amare poſſit; de hoc homine cum Horatio dici poteſt.

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto, cui ſemper cordi ſunt lites, ac diſcordiæ qui nil aliud quam unanimes amicos, fratres, coniuges in piælia trudere cogitat ceu Alecto,

Atque odijs verſare domos, & verbera mille
Mille nocendi artes, facundum pectus habere

Tertia turpis facies dicitur etiam, ſed non odioſa, neque ridicula, ſed potius digna quodãmodo miſeratione eſt, quæ hominem dignum, qui negligatur demõſtrat; talem refer fuiſſe Philopæmenis faciem Plutarchus, ut aliquando creditus fuerit lixa qui cederet arbores, & ligna, nos talem uirum pauperem facie, & ſpecie uocamus infelicem, quem uel quouis pignore contendemus non eſſe nobilem, & diuitem, etiam ſi indutum ueſtibus ſericis, auro, atque argento exornatum, & inſignem, & longa ſerie famulorum uideamus comitatum, contemptibiles huiuſmodi facies ſunt, quæ frontem paruam habent, albam, & pilos ſubalbidos, & oculos mediocres quidem, ſed albos confractos, pigros, liuidos, cum angulis interioribus carnoſis, & ſupercilia non eleuata, ſed preſſa, & ſuperciliorum pilos paucos non bene nigros, & ſub oculorum palpebris habent quaſdam veſiculas, dependen-

tes, Horum ſunt maxillæ pallidæ mediocriter carnoſæ, turpes, tota facies in medio concaua, naſus turpis magnus, os turpe magnum hians, vt qui admiratione teneri ſemper videatur, cæterum faciem hanc comitabitur tarditas, & ſocordia, obliuio rerum fere omnium, & negligentia quædam naturalis, vt homo hic naturaliter nullius pretij haberi poſſit, hæc autem inter ridiculã, & odioſam videtur eſſe repoſita, tres igitur ſunt ſimplices, quæ ſi miſceantur multas deinde rictuũ ſpecies progenerant, quæ alijs ridiculæ, alijs odioſæ, aut deſpectæ videntur, omnibus tamen turpes; at harum nulla omnino dicitur ſimpliciter præter naturam qualis ea eſſet, quæ vnum oculum magnum eleuatum alterum haberet paruũ & depreſſum, quæ fronte careret, aut mento, ceu quendam exedente herpete deformatũ aliquando vidi, & alium qui cum puer in flammas cecidiſſet oculum vnum ferè ad mediũ naſum habebat, alter autem ceu fuiſſet cyclops, in frontem ſe ſe ſuſtulerat; ſed de his, vt puto non loquitur nunc Ariſtoteles, ad vltimam ſpeciem turpis faciei, ſe contrahit, & vnã huius ſpeciem contemplatur dicens, cuius facies eſt parum decens, hoc eſt cuius facies apparet contracta, humilis, & deſpecta ille eſt illiberalis, illiberalem proprie voco, qui nõ dat quibus, & quando, & quomodo, & propterquam cauſam debet, illiuſque proprium eſt, vt cum labore, & dolore det; qui autem inuitus dat aliquid, quaſi expreſſa ſpongia contrahitur, & hanc paſſionem quotidie videmus in eo, qui dolens aliquid, & inuitus dat.

Demonſtranſque veritatem ſui apoteleſmatis Ariſt. ait, quod refertur ad apparentiam conuenientem, hoc eſt ad id, quod videmus apparere in his, qui cum tenaces ſint, & auari, aliquando dare coguntur, eos enim aſpicimus vultum contrahere, & certo quodammodo depictus mos iſte in ore illorum apparet, iure igitur dicitur apparentia, quoniam id oculi iudicant quod aliquis facit inuitus, & vocatur conueniens, quoniam rationabiliter conuenit ei, qui id agit inuitus, etenim facies animi ſequitur affectus, quare in lætitia dilatatur, in dolore contrahitur, ſanguine ad cor recurrente, at ſpiritus ſequuntur ſanguinem, & humores, qui in venis ſunt; quare, ne detur vacuum, neceſſe eſt, etiam contrahi, & corrugari carnem, & cutim, & ita contractus apparet vultus, bene igitur dixerit Ariſtoteles, quorum facies demiſſa, & humilis, & contracta apparet in morem eorum qui de ſuo inuiti dant aliquid, vel faciunt, aut patiuntur, illi ſunt illiberales, & ſordidi, quare & timidi etiam, & puſillanimes, & nullius penſi homines iure poterunt haberi.

APOTELESMA LXIII.

Quibus autem ab oculis tanquam veſiculæ dependent amatores vini ſunt, referuntur ad paſsionem.

DE oculis inſtituitur diſputatio, ſunt autem oculi nobiliſſimum totius corporis noſtri inſtrumentum, propter quos putabat Galenus, formatum eſſe caput, in his (ſicuti in cæleſtibus ſtellis, putant aſtrologi cæleſtia ſpectari decreta) cordis paſſiones, & animi affectus, diſpoſitioneſque, tum naturales, tum voluntariæ leguntur; vt enim in vultu animus cognoſcitur, ita in oculis vultus conſpicitur, phyſiognomicam autem ſcientiam præcipuè contemplari oculos teſtatur Loxus ex Alberto Magno, ſignaque certiſſima eſſe, quæ ex his deſumuntur, & quibus oculi contradixerint eadem infirma eſſe, in oculis ad ſummum habitat animus, & qualis eſt habitatio, talem habitatorem eſſe probabile eſt, quod ẽt Ariſt. de Deo loquenti, viſum eſt primo cæli; iure igitur ab antiquis, & animi ſpeculum dicũtur, & Hippocrates ex oculis certiſſima morborũ ſigna excerpſit, cũ ergo magna ſit oculorũ vis quia tũ multis ſpiritibus abũdãt, tũ ex vtriſq. meningibus cerebri sũt cõflati, & nerui optici ab eodẽ minimo interuallo interiecto his inſinuãtur, neceſſe eſt, vt inter oĩa mẽbra naturã cerebri magnopere exprimãt, humor ẽt chriſtallinus præcipuè, & vitreus aliquomodo à cerebro pendere putandũ eſt, quin & totũ oculũ eſſe additamentũ quoddã cerebri, quando

totu

totus figura circulari præditus non ſecus,ac cerebrum,& nerui,ijſdem cerebri meningibus veſtiũtur, ſi igitur quid quid vtraq. meninge cerebri proprijs tunicis veſtitur, aut cerebrũ eſt,aut cerebri fluxus quidam, & ductus,cum oculus vtraque meninge veſtiatur,probabile eſt vel cerebrum eſſe productum, vel cerebri partem,vel tandem maximè illi cognatum aliqd;non igitur immerito dictũ eſt,ex oculis maximè cerebri ſubſtantiam,& actiones nobis innoteſcere,quod ſi cerebrum animalis facultatis primarium eſt inſtrumẽtum, & quale eſt inſtrumentum,tales etiã ſint virtutes,& inſtrumento vtentis operationes, rationabiliter cognita natura cerebri multas animalis quatenus animal eſt, diſpoſitiones nobis innoteſcere putandum eſt,præcipuamque in oculis eſſe vim cognoſcendi naturam animalis cuius ſunt oculi;contemplantur in ipſis, & materia, & forma,ſiue illa ſit accidentalis; ſiue ea quæ propriè ſubſtantialis exiſtens viſiua dicitur virtus; rotundus exactiſſime eſt oculus hominis,quare perfectiſſimam cum habeat formam,in ipſo etiam hominis perfectio quædam cluceſcit ſed viſiua vis ea eſt,quæ vere forma oculi ſecũdum quod oculus eſt dicitur, & eiuſdem actus,ac perfectio, hæc etiam cum maximas rerum differentias cognoſcere faciat,valdeque ad veritatem ſcientiarum conducat,ex eiuſdem diſpoſitione,ac natura, tota perfectio animalis argui poteſt;nam,ut pars principalis ad partem,ita tota anima ad totum corpus ſe habere,non eſt abſurdum. Huius inditium eſt, quod uidemus ſenes morti iam propinquos,debiles oculos habere, & qui minus exacte uident,quam prius ſolebant, minus etiam quam prius ualentes dicimus,oculorum igitur natura,ac facies maximè conſideranda eſt,cum tantum roboris in hac cognitione habere appareat.

Quid oculorũ tumores indicant.

Octo de oculis pronunciat Ariſtoteles,quando plurima ab Alberto Magno, & alijs recentioribus,de ijſdẽ dicantur adeo,ut tota pene phyſiog.ratio in oculis cõſiſtere uideatur.

Primum Theorema eſt;illi quorum ab oculis ueſiculæ quædam pendent amatores uini ſunt, ueſiculæ ſunt quædam quæ à palpebris oculorum inferioribus pendent, & aliæ quaſi rugoſæ,aliæ tumidiuſculæ uidentur,quædam aliæ ſunt in ſuperioribus cilijs,& tumidiores ſunt,utrarumq. uidetur diminute ſermonem habere Ariſtoteles. Priorum tamen,quæ ab oculis pendent, nunc ſermonem facit, hæ ſi rugoſæ apparebunt, ſpirituum abſentiam, & deperditionem, & cerebri aliqualem arguunt exſiccationem, quod ego re ipſa eſſe uerum experientia didici,idem etiam in fœminis uel menſtruo laborantibus, uel quæ diu lachrimarunt,inſpicere aliquãdo licet,partes enim quæ ſub interiori angulo exiſtunt,liuidæ fiũt, abeunte naturali calore, & ſpiritu, rugoſæ propter humorem deperditum apparent. De his igitur non meminit nunc Ariſtoteles,quoniam his potius ineſt ſiccitas quædam, & aridita cerebri, & ſpirituum diminutio,quam uini,aut humoris abundantia, quare quorum tales apparent ueſiculæ illos uigilaſſe diu,aut doluiſſe,aut non bene ſe habere circa caput, aut minus ſuſcepiſſe nutrimenti iudicandum eſt; Ratio ,quoniam ſignum hoc indicat ſpirituum, & caloris naturalis debilitatem, & non exacte quod perditum fuit iam reparatũ fuiſſe; ſi autem tumentes erunt ueſiculæ, & quaſi humore plenæ ex Ariſtotelis ſententia, hos dices eſſe uini amatores. Et rationem afferens ſui dicti,ait,hos referri ad paſſionẽ,hoc eſt,tales ueſiculæ, ut ex euidentia patet,inſunt bibacibus; ut ſit ratio à ſigno talis, qui diu multumque biberunt habent ab oculis pendentes huiuſmodi ueſiculas turgidas, qui diu multumque bibunt illi ſunt uinoſi, & bibaces; ergo à quorum oculis pendent huiuſmodi turgidæ ueſiculæ,illi ſunt bibaces,quod fuerat probandum. Cauſa autem propter quam bibacibus, & uinoſis inſint huiuſmodi turgidæ ueſiculæ,ex medicinæ principijs poteſt deduci,nam bibaces multũ debilitãt cerebrũ,ita affectũ cerebrũ recte nõ poteſt cõcoquere,multi ſi igit ſcatet excremẽtis,quare & ſe ipſo humidius efficitur, & humoribus excrementitijs abundat,oculos aũt iã diximus eſſe cerebri quandam partem, ad illos igitur propter conſenſum humores feruntur, quare lachrimant ſine cauſa ſæpe numero, horũ pars ad angulos oculi interiores defluens excitat ueſiculas turgẽtes,& oculos rubros,ac lachrimabũdos

facit; quod ergo turgidulæ veficæ bibacitatem arguant, & propter quid manifeſtum eſt. Nec non, & obiter conſtat, quid deſignent, quæ rugoſæ ueſicæ in aliquibus non nunquam ſpectantur.

Non putandum eſt autem, ſi cui naturaliter tales adſunt veſiculæ illum continuo etiam ebrioſum, & bibacem; hoc enim falſum eſt, ſed bene denotat, quod cerebrum non bene concoquit demandatum alimentum, & quod debile eſt, vel ſecundum ſe, vel ex accidenti. Memini enim me cognouiſſe virum temperatiſſimum, cui tales aderant veſiculæ, nec poteram non admirari quomodo Ariſtotelicum dictum falleret, is retulit ſe dormire non poſſe, quoniam maximis curis angebatur, & quoniam non ſpuebat, neque naſum purgabat, in ſtomachum, & in oculos excremētitus humor ferebatur, vnde ſæpiſſimè inuoluntauè lachrimæ ſtillabāt, oculi turgebant, & veſiculæ pendebant, & raro aut nunquam cibum appetebat, tandemque mortuus eſt, etiam incognito medicis morbo febricula leniſſima quidem, ſed maligniſſima intra diem XIIII. peremptus.

APOTELESMA LXIV.

Quibus vehementer cadunt, quæ ante oculos apparent, vt veſiculæ, amatores ſomni ſunt, referuntur ad paſsionem, etenim & ex ſomno ſurgentibus dependent partes, quæ ſunt circa oculos.

CVm primum de huiuſmodi veſiculis meminimus, alias plenas, & turgentes, alias rugoſas diximus. Rurſus quæ turgent aliæ ſunt tantum in inferiori parte oculorum, aliæ demum tum ſuperius tum inferius occupant cilium, cum igitur videbimus hominem habentem oculos, vt nos dicimus inflatos, & partem ſuperiorem ciliorum quodammodo tumidam, & quaſi plenam humore, huiuſmodi hominem talibus oculis præditum, ſomni dicemus eſſe amatorem. Quod Ariſtoteles ſigno confirmat dicens, qui diu dormiuerunt dum à ſomno ſurgunt, & qui ſomno premuntur multo, oculos habent inflatos, & circa cilia huiuſmodi veſiculas pendentes tenent, at qui diu, & multo, & profunde dormiunt ſomni amatores ſunt, non minus quam illi qui tarde de lecto ſurgunt, & expergiſcuntur; ergo quibus turgidæ circa oculos apparent ueſiculæ, illi ſomni ſunt amatores, quod, ut dixi etiam uulgaribus in prouerbio eſt, ſomnolentoſque habere oculos dicunt, & ſtantes dormire, quorum oculos turgidos uident, & cilia tumida, ut præ pondere non poſſe attolli uideantur. Habita ueritate poſitionis, nunc propter quid hoc fieri poſſit dicamus, ſomnum uocamus refrigerationem uaporum ad caput aſcendentium, refrigerati uapores in humorem uertuntur, ab humidi igitur copia ſomnus enaſcitur, & eo magis ſi humor ad pituitam & aquam uergat, quæcunque igitur arguunt multum humorem pituitoſum eſſe in cerebro, & in capite illa demonſtrant hominem eſſe ſomni amatorem, ſed nebularum turgidarum præſentia circa oculos huiuſmodi humorem in cerebro prædominantem arguit, ergo hæc ſigna ſunt amatoris ſomni, & quod maior nullam habeat dubitationem certum eſt, Minor autem quod neſiculæ prædictæ doceant humorem in cerebro prædominari, ex medicorum placitis deſumptum eſt, idque merito nam ſi propter nimias uigilias emaciati, & ſicci euadunt oculi, ergo ob nimium ſomnum multo humido ſuperfluo replebuntur, quod probandum fuerat.

APO-

APOTELESMA LXV.

Qui oculos paruos habent, puſillanimi referuntur ad apparentem decentiam, & ad ſimiam.

NAturalis oculi magnitudo, & proportionata cum ea cuius ſunt oculi facie, talis eſſe debet, vt quantus eſt ſemicirculus oris, tantus etiam ſit oculorum ſemicirculus, & tantum ſit interuallum à medijs ſupercilijs ad finem anguli externi oculorum, quantum inde eſt vſque ad radices illius prominentiæ, quæ ſubſidet pupillæ, quamuis nulla alia ratiocinatione id optime iudicat ſenſus.

Quicunque igitur ex Ariſtotele oculos minores prædicta habet menſura, & minores quam deceat faciem ſuam, illum dicemus eſſe puſillanimem; quis ſit puſillanimis iam ſupra dictum eſt, videtur autem vitioſa quædam diſpoſitio, quæ opponitur, & magnimitati tanquam virtuti, & arrogantiæ ſuperbiæ, & vanæ gloriæ tamquam exceſſui; hos puto oculos eſſe paruos, qui vix ſpectantur, & clauſos ferè, vel crebro ſe claudentes apparent, videtur autem non ſolum puſillanimorum ſed proprie timidorum, & puerorum, ac fœminarū eſſe paſſionem, nam cum timent neſcio qua ratione, ſubito claudunt oculos, vel ſi in lecto ſunt ſibi linteis oculos operiunt. Nam cum non ipſi videant, neque ab eo quod timorē incutit, ſe forſan videri poſſe autumant, hos ipſos refert ad apparentem decentiam; puto velle id ſignificare qui oculos paruos, & ſubclauſos habent, illi puſilli, & timidi ſunt, nam qui in energia, & actualiter timent apparenter talē oculorum affectum habent, quare ſi qui actu timent, tales oculos à timoris paſſione capiunt, ergo quibus tales oculi ſunt, illi propenſi erunt ad timiditatem, & puſillanimitatem, quare, (quando dicitur,) referuntur ad apparentem decentiam, nihil aliud ſignificat, niſi quod qui habent oculos, ſic affectos ſunt puſillanimi, & timidi, quoniam qui timent rationabiliter tales apparent, talēq. in facie, & oculis habent ſpeciem. Ratio autem in hoc conſiſtit, quoniam timentibus, & puſillanimis, dum talem excreent actualiter diſpoſitionem, illis recurrūt ſpiritus intro, & verſus ſua principia retrahuntur deſerentibus autem ſpiritibus palpebras, neceſſe eſt, vt oculi ſubclaudantur, & minores appareant, ſic igitur decet puſillanimes, & timidos hæc apparentia, eoſdem etiam refert Ariſtoteles, ad ſimias, quæ cum oculos paruos habeant timidæ ſunt, puſillanimes, doloſæ malorum morum, & inuidia præditæ, & infideles; quare quorum oculi parui illi ſunt puſillanimes, & paſſiones habent prædictas.

At cauſam propter quam res eſt tentantes dicemus, quorum oculi ſunt parui, & ſæpe ſe claudentes, & quodammodo ſe retrahentes, vt abſcondantur in capite, illorum ſpiritus, & humor ad partes interiores reducitur, & parcus eſt, & calor debilis, at quorum calor tū debilis eſt, tum ad interiora recurrunt ſpiritus, & exteriora, ac præſertim ſuperiora deſerunt, illi ſunt timidi, & puſillanimes, ergo quorum tales ſunt oculi timidi ſunt, & puſillanimi natura; qui talis eſt conſcius autem ſuæ timiditatis ſemper ſe contemni putat ſe; quare inuidus, & ideo etiam malignus exiſtit; & quoniam malignus, ideo etiam doloſus, & calūniarum occultus ſeminator, & quoniam ſe ſperni poſſe putat, ideo huiuſmodi homines, ſe libenter laudant, & vani exiſtunt, vanam captantes adulationem.

Porro paruitas oculorum cerebri ſiccitatem arguit, quare, & apud Hippocratem, ſi in morbis acutis cū oculi parui efficiantur, & concaui id pernicioſum putatur ſemper autem idem auctor oculorum paruitatem, vt ſecundo de morbis popularibus malā indicauit, & contractionem cerebri præter naturalemque diſpoſitionem oſtendere credidit, vniuerſaliter autem locutus libro quinto ſectione quarta pronunciauit, quod provt oculi validi fuerint, ita & totum corpus, ad eo conſentire videtur ijs, quæ dicta ſunt, oculos naturam, di-

ſpo ſi-

spositionem, ac robur cerebri, & corporis totius ostendere, cum autem sensus, & motus præcipuum instrumentum sit cerebrum, non ab re sequitur, quod quale ipsum erit, tale, & corpus reliqum, ab hoc enim membro animalis corporis tota uis, ac dispositio secũdum quod animal est, dependet; parui igitur omnes oculi, quoniam præter naturalem quandã dispositionem cerebri, & ad siccitatẽ denotãt ipsum inclinari, mali sunt, & præsertim si concaui.

Quasi cum paruitate si iũgatur etiam obscuritas dolum, & malitiam mentis ingentem indicãt, melancholicum enim cerebrum est, quare & ad nata oculis, quæ dicitur tunica, & pallidior, & fuscior apparebit si vero non concaui sed parui, & prominentes erunt, stultitiam, fatuitatẽq;, demonstrant, nam refertur huiusmodi oculorum dispositio ad cancros, aut ad cicadas, animalia ad actiones, & motum localem quodammodo inepta, tarda, & rudia.

Non ad modum ab hac dispositione remoti homines, male vident, & vix eminus res discernunt; quod si cum paruitate iunctum tremorem habuerint, amplius etiam cæsij fuerint, denotant perfidiam, iniquitatem, ad calumniandum promptitudinem, instabilitatẽ omnimodam, nam tremor ille impotentiam quandam caloris docet, quare & cum melancholico cerebri habitu, etiam iunctum esse docet frigus, hoc est calorem diminutum, & eo minorem, qui naturaliter requireretur, & talem, vt potius flatus ex ipso, quam animalis spiritus generetur; parui, & fului siccitatem cum calore iunctam, ideo bilioſum cerebrum, & ex bile adusta male dispositum; hunc igitur dices hominem pessimum, crudelem, iracundum, obstinatum, nullis precibus aptum flecti.

Si parui imbecilles fuerint, & sub nigri, & continue terram aspectantes, vt hominis intuitum perferre non posse videantur, hos vocabis homines verecundos, timidos, dolosos tamen, & cum ira detinentur, pessima omnia cogitantes, sed præ quodam insito timore non audentes quæ mala meditati sunt, ad actum, & consumationem perducere. Helenam talibus oculis præditam fuisse ait Dyctis Cretensis, quare & dolosam, & timidam, & malitiosam.

Omnino autem oculi parui cuiuscunque sint coloris, & dispositionis, cũ capite magno, vel paruo coniuncti, vt etiam Hippocrati videtur, semper sunt mali.

APOTELESMA LXVI.

Qui vero oculos magnos habent referuntur ad boues, igitur bene formatum oportet, neque paruos, neque magnos habere oculos.

OPpositum superiori attributum est magnos dicimus, qui mediocritatem excedunt eam, de qua supra dictum fuit, naturaliter autem obseruatum tantum esse debere diametrum orbis, siue sphæræ ipsius oculi, (alias enim rotundum diximus esse humanum oculum) quanta est nasi longitudo id tamen mihi videtur notissimum, vt secundum naturam in homine vnus quisque iudicet, quæ faciei partes deficiant, aut excedant, quæ deceant, quæque nequaquam; Est ergo sententia Aristotelis quod quorum oculi sunt magni illi ad boues referuntur; at quid sibi uult, nunquid hos eandem habere cerebri dispositionẽ quam boues habent? at bouis cerebrum pituitosum simul est, & melancholicum, tardi igitur motus, & rudis ingenij videbũtur, vt fit ratio quorum oculi magni illi sunt bobus in hac parte similes, qui autem bouillis oculis cerebro sunt similes tardi, stupidi, & bardi sunt, ergo quorum oculi magni illi stupidi sunt, & rudes, ex his oppositis, cum vtraque sint vitiosa, & damnanda infert, laudabile esse neque paruos, neque magnos habere oculos sed mediocres, nam hic ex abnegatione vtrorumque extremorum constat. Sic ergo positus in medio quare erit probus, prudens, boni ingenij, & ad oĩa cõuenienter se se habebit.

APO.

APOTELESMA LXVII.

Qui concauos habent oculos, malefici, reducuntur ad ſimias.

PRrimum quaſdam oculorum qualitates contemplatus eſt philoſophus, deinde eorum magnitudinem breuiter conſiderauit; Nunc poſitionem eorumdē ſpeculabitur; tres autem ſunt oculorum, in ſuo loco poſitiones, aut enim pluſquam oporteat prominent, & proprie dicuntur prominentes, aut minus quam deceat, & vocantur concaui, & abſconſi, vel medio modo, & ſecundum naturā effecti ſunt, & decentes dicuntur, de concauis igitur primum agit, & profecto ſi nō ſimpliciter, attamen ei, qui illos habet, melius eſt concauos eſſe, quam prominentes, & id ſi non alia de cauſa, ſaltem, quoniam oculis concauis prædi-ti melius uident, quam qui prominentes habent, hos tamē Ariſtoteles dicit ſignificare ma-leficos, & ſimiles eſſe ſimijs, quarū natura, vt ſupra diximus malefica eſt, delectatur enim male facere, & ſcindere veſtes, & lintea præter cauſam, & frangere vaſa, & huiuſmodi operationes exercere, in quibus in nocendo, & male faciendo delectari apparet; ſimia igitur concauos habere oculos certum eſt, eadem autem eſt malefica, ergo quorum oculi concaui ſunt, malefici dicuntur, lætantur enim cum male fecerint, quare & inuidi ſunt, & calumniatores, ſed latentes, timidi enim ſunt, & puſillanimes, ut diximus.

Huius effectus cauſa eſt cerebri temperamentum ad ſiccitatem melancholicam acce-dens, quo ſi qui præter naturam, in exceſſu affecti ſunt, homines demoniaci uocantur, & frangere utenſilia delectantur, & dentibus, & calcibus, lingua, manibus, & quocunque modo per ipſos fieri poſſit, omnibus indiſtinctè nocere.

APOTELESMA LXVIII.

Quicunque habent oculos eminentes fatui, referuntur ad apparentem decentiam, & ad aſinos.

OPpoſitum eſt prædicto proxime hoc attributum, oculos prominentes uoco, qui ſe fo-ras quodammodo exerunt, ut in cancris, & locuſtis, & cicadis uidere licet; hos uo-cat Ariſtoteles fatuos, non quidem quod multa loquantur, ſed dicerem ſtupidos, & bar-dos, ut qui omnia admirentur, & ab ore narrantium etiam fabuloſa pendeant immobiles, referuntur ad apparentem decentiam, hoc eſt uulgo apparet eos qui admirantur ita affici, ut oculis quodammodo prominentibus, & immotis maneant.

Si igitur decet, ac naturaliter ita factum eſt, ut qui admiratur prominentibus ſtet ocu-lis, ergo cui naturaliter ſunt prominentes oculi, ille erit ad ſtupiditatem, & admirationem rerum ferè omnium paratus; Si igitur qui admirantes, & ſtupidos decenter hoc eſt ue-re, & proprie imitantur illos uidemus prominentibus oculis, immotiſque, & hianti ore perſtare, Cum omnia admirantes fatui, & bardi, & rudes, ut aſini habeantur; ergo quorum oculi ſunt prominentes illi ſunt fatui, & rudes, quod uero dicitur, referuntur ad aſinos, id non agnoſco, neque enim aſinorum prominentes ſunt oculi, quare potius, (niſi mendum ſubeſt quod ualdè dubito) crederem ad animi diſpoſitionem, & ingenij qualita-tem eſſe referendum, ut ſit ſenſus.

Quorum prominentes ſunt oculi, illi ſunt fatui, & ſtolidi, & rudes ſicut aſini, quod ap-paret clarè contemplantibus ſtatum, atque habitum eorum, qui admirantur, & ſtupent, dum aliqua ipſis noua, magna, & pulchra, uel etiam grauia, & terribilia inſperato ſe ſe of-ferunt; ſtupent enim, & in uno obtutu hærent defixi, cæterum oculorum prominentia, mi-

norem

norem quidem in cerebro pituitæ copiam argunt, maiorem tamen fuisse quantitatem flatus subfrigidi in materia, ex qua à primordio, & cerebrum, & oculi fabricati fuerunt, ostēdit, quo flatu vndique concluso in partem debiliorem fecit impetus, & oculos genuit prominentes; quare si flatus subfrigidus est in cerebro, patet huiusmodi cerebrum, etiam materiam flatulentam, ergo frigidam, & pituitosam in se habere; non probe igitur discurrunt neque exactè rerum causas penetrant, quare & admirātur, & timidi sunt, & auari, quamuis nesciant propter quid, & potius non dant quibus debent, quam à quibus non debent accipiant; superstitiosi sunt etiam, & quibus facile imponatur, obliuiosi, ad doctrinas, & scientias inepti, ad seruiendum nati, instabiles tamen; si quidem credeli, quod illis accidit; quoniam pituitoso sunt cerebro præditi, alij hos homines dicunt esse gulosos, vanos, & sibi plus nimio indulgentes, verum non videtur principijs supra positis consentire.

APOTELESMA LXIX.

Quoniam autem neque eminentiam oculorum, neque cauitatem oportet adesse, medius vtique habitus constabit.

COrollar: est superiori simile, quod ex abnegatione excessus, & defectus in magnitudine deducebatur; hoc autē desumptum est in mediocritate situs, & positionis oculorum, vt sit eius sententia, quoniam neque plus iusto concauos apparere oculos, neque plus conuenienti prominere bonum est, ergo mediocris situs omnino erit probus, & eligendus; & hoc ipsum merito ex natura oppositorum potest confirmari. Nam si de vno quoque verum est affirmare vel negare, & oppositæ affirmationes possunt quidem simul esse falsæ, nunquam autem simul veræ, ergo his contradictoriæ negationes poterunt esse simul veræ, at nunquam simul falsæ, quod expositione clarum fiet, opponuntur contrariè oculus prominens, & concauus.

His contradictoriè opponit oculus non prominens, & nō concauus, sed ad prominentē, & concauum sequitur malitia, & fatuitas dolus, & ruditas, quæ sunt passiones malæ, & improbandæ. ergo ad non prominentem, & ad non concauum oculum, sequetur, non dolus, non improbitas, non ruditas, & non fatuitas quæ sunt passiones non improbandæ; si enim ad affirmationem sequitur affirmatio, & ad negationem sequi negationem probabile est; quare si prominens, & concauus est malus, ergo non prominens, & non concauus nō erit malus, quod fuerat demonstrandum.

Cuius igitur oculus medius est inter illas situs oppositas dispositiones, illum dicemus esse verecundum hominem, bene moratum, ad virtutem natum, simplicem potius quam dolosum, ad actiones aptum iustum, & non imprudentem, probum sociabilem, & religiosum; talis autem erit præsertim si oculus fuerit nigrior, si autem cæsius fuerit, optimo ingenio præditum, & scientijs ac speculationibus aptum iudicabimus.

APOTELESMA LXX.

Quibuscunq; autem oculi sunt parum concaui, magnanimi reducuntur ad leones.

DVæs species oppositorum oculis tribuebat Aristoteles, vnam magnitudinis, alteram positionis mediocritates vtrarumque laudabat; verum quoniam excessus, & defectus potest esse multiplex, sicuti vna tantum est medietas, quod in ethicis dicebat ex Hesiodo; vno solum modo virum bonum, & multis malum esse posse, ideo nunc considerat etiam paruum excessum, & paruum defectum, & quid portendant exponit, quod autem

in ex-

in exceſſu,& defectu dentur gradus huiuſmodi, hoc ſane declarabitur exemplo, eſt defectus in dando auaritia, minor videtur tenacitas, amplius, & minor parſimonia, in medio virtus eſt nomine carens, poſt hanc liberalitas demum prodigalitas, quæ dat quibus, quando, & quomodo, & propter quam cauſam non debet, ex parte igitur defectus primum incipiens ait.

Quicunque habent oculos mediocriter, & parum concauos hi ſunt magnanimi, quoniam ſunt in hoc leonibus ſimiles: Talem ferunt fuiſſe Ariſtotelis oculorum diſpoſitionem, & ſitum, cui tamen Diogenes Laertius tribuit oculos paruos, & mediocriter concauos, quidam putant Ariſtotelem, ſe credidiſſe magnanimum, & ſemetipſum ſuoſque mores deſcripſiſſe quarto ethicorum in cap. de magnanimitate. Quæ virtus in hoc potiſſimũ cõſiſtere videtur; vt magnanimi ſe magnis dignos putent, ac re vera ſint, magnos honores, & magnas contumelias curent, at paruos, neque ambiant, neq. reſpiciant; dicemus igitur leonem eſſe magnanimum, & hunc habere oculos parum concauos, ergo quorum oculi ſunt concaui, magnanimi exiſtunt, poteſt etiam ſic deduci, qui oculos concauos habent, ita, vt oſſa ſuperciliorum promineant, illi ſunt ſimiles leonibus, at qui ſimiles leonibus ſunt ſecundum corpus, ijdem etiam ſecundum animam ſunt magnanimi, ergo quorum oculi ſunt parum concaui illi ſunt magnanimi; minor non habet difficultatem, nam ex euidẽtia patet, leones enim tale ſuperciliorum genus habent; Maior quod ſimiles leonibus ſecundum corpus habeant in ſe magnanimitatis ſpecimen, ex ea pendet poſitione, Qualia ſunt corporea inſtrumẽta tales etiam sũt animæ naturales operationes, & inclinationes, quod videtur aliqua ex parte conuenire cum Galeni dicto, quod animi mores temperaturã corporis ſequantur, non quod corporis temperatura vllum quidem nobis habitum naturalem inferat, ſicuti luſcinijs ad cantandum, piſcibus ad natandum, ſed bene inclinationem, & propenſionem magis ad hunc quam ad illum præbeat morem, in quem niſi recta ratio, vel lex vel educatio reſiſtat, facili negocio labetur homo; quoniam mens, & anima humana habet tantum à natura egregias quaſdam potentias ad omnia agenda, & cognoſcenda, nihil tamen vetat, vt hæc magis quam illa actui, & habitui ſit propinquior, propinquitas hæc, & habilitas à materia, & corpore, vt dictum eſt, pendet.

Sed quod poſitio Ariſtotelis ſit vera, iam non eſt dubium, at propter quid hoc contingat, id ſanè magnam mihi videtur habere difficultatem, quid enim nexus, quid conueniẽtiæ, & communitatis eſt, inter prominentiam ſupercilij, oculorumque cauitatem, & magnanimitatem atque animi elationem quãdam? non negauero ſane concauos oculos prominentibus eſſe pulchriores, & ad ſuum munus exequendum etiam aptiores, ſiquidem virtus vnita fortior eſt, vnita autem eſt eorum vis multo magis, cum concaui fuerint, quam prominentes, & nimis aeri expoſiti oculi. Attamen ſi tentandum eſt dicere aliquid, profecto quorum oculi ſunt concaui, & ſupercilia prominẽt, eaque craſſa ſunt, & oculi cæſij, ſiue fului, ijs ineſt cerebrum calidum, & ſiccum, ex melancholia naturali calefacta, & flaua bile ſimul iunctis, ſic enim, & oſſium materia dominatur, & oculi mediocres ſunt, neque excremento pituitoſo abundant, vnde ſequitur quod melancholicum mediocriter ſit cerebrum, quoniam autem rurſus oculi ad paruitatem declinant ſi fului ſunt, ſicuti leonis, probabile eſt, bilem flauam ſimul in cerebro adeſſe, quam ſequitur magnanimitas, hoc eſt ſupereminentię deſiderium, & multa excandeſcentia contra ea, quæ multum impediunt, ſic igitur magnas contumelias valde acerbe proſequuntur, & magnos honores, quibus extollantur mirificę petunt, nam his attolli, & cæleſtia ſe tentare arbitrantur; hac ergo probabili ratiocinatione, putarem probauiſſe propter quid homo habens oculos parum concauos, & fuluos quales habere dicuntur leones, ſint magnanimi, & generoſi; probabile etiam eſt, eoſdem eſſe iuſtos, & placidos, & manſuetos, niſi cum læſi fuerint, tunc enim furioſa quadam ſpecie in omnia pericula feruntur, & per tela, per hoſtes pulchram petent per vulne-

ra

ra mortem, ijsque nihil vna vnica vltione suauius erit; & efferata vindictæ libidine affecti, se ipsos, vitamque suam nihil ducent, depositâ ira humani placidi, mites, & mansueti, neque malorum memores, aut læti existent.

APOTELESMA LXXI.

Quibus vero plus iusto mansueti referuntur ad boues.

STatus quinque, positionis oculorum ab Aristotele contemplari dicebamus, vnus erat in quo neque oculi prominebant, neque concaui erant; alter eorum qui vehementer erant concaui, de quo supra, tertius ponebat oculos nimium prominentes, quartus ille est, de quo modo sermonem fecimus, in quo contemplabamur oculos mediocriter concauos, hoc est parum ad defectum declinantes; nunc quintus status proponitur, in quo parum ad excessum, & ad prominentiam accedentes oculi considerantur.

Est igitur Aristotelis sententia, illi quorum oculi paulo plus iusto prominent, quam requirat naturalis oculorum dispositio, sunt mansueti, referuntur ad boues, naturamque habent secundum animam similem illis, sicuti habent, quæ est secundum corpus. Hoc est, vt corporis parte, sic animi boues referunt.

Mansuetos uidetur uocare, qui magnanimis quodammodo opponũtur, qui nempe nõ sunt elati, non inflati, non superbi, non admodum ultionum amatores, qui possunt ignoscere læsi, neque præ nimia ira insaniunt; tales igitur dicit mansuetos, hoc est ad iræ uacuitatẽ accedentes; Qualis autem sit hæc, de qua loquitur mediocris prominentia, docet boum dispositio, quorum oculi aliquanto maiores sunt, & uidentur prominere aliquantulum, & hoc ideo fit, quoniam denotant dispositionem omnino diuersam ab ea, quam inesse leobus dicebamus. Cum autem loquor de bobus exectos intelligo, hi namque, & frigidiores, & humidiores tauris effecti, ad habitum pituitosum, & terreum accedunt, unde propter pituitam mansueti, & ira uacui uidentur; læsi tamen diu, multumque, tandem etiam ferociunt, quod autem de Iunone dicebat Homerus cui oculos tribuebat bouillos, id potius colorem significare puto, quam quod oculi bouilli sint aerei, & quod huiusmodi animal sit temperaturæ aereæ, nam hoc falsum est, quod si breui uiuit, & augetur cito, causam puto breuis uitæ, quod actiua passiuis, non sunt bene mixta, & elaborate coniuncta ita, ut ad extremum peruenerit mixtio, quod autem cito crescant multus forte calor, cum multo humido iunctus id facit, colorem autem dixi aeris habere boum oculos, hoc est qualem in aere uidemus, aqueum scilicet atque ceruleum, sicuti quando modica nubes in aere spectatur; iure igitur dixit Aristoteles, quod quorum oculi mediocriter prominentes sunt, illi sunt mansueti, & sicuti in corpore oculos bouillos, ita etiam mansuetudinem eandem in animo licere agnoscere, quæ forte ex eadem etiam procedit causa, ex qua tales oculi constant, hæc igitur est præsentis apotelesmatis sententia quo Aristotelicæ de oculis sententiæ finis imponitur.

APOTELESMA LXXII.

Qui frontem paruam habent indisciplinabiles, referuntur ad sues.

QVod supra oculos in facie positum est frons dicitur, de qua nunc Aristoteles tractaturus est; frontem à ferendo dictam uolunt, quoniam præ se ferat animi indicia, nã & lætitiam, & tristitiam seueritatem, misericordiam iram, & mansuetudinem frons indicat, frontem dicimus totum illud spatium, quod in parte superiori à radicibus capillorum termi-

terminatur, in inferiori ſunt ſupercilia, vtrinque pili temporum, proprium eſt cutis frontis, vt ſola inter omnes partes corporis humani arbitrio voluntatis moueatur, illi enim ſuppoſiti, ſunt, ac iuncti duo muſculi dilatati, ad cuius motum, cutis frontis mouetur, dilatati autem ita ſunt, vt à principio capillorum exorientes implantentur in fine ſuperciliorũ, & tanti ſint quanta eſt illorũ latitudo, quorum vſus eſt ad ſe contrahere ſupercilia, & oculorum iuuare aperitionem, nam ſurſum ducto ſupercilio, ẽt ſuperior palpebra eleuatur, & patefit oculus, cum ergo voluntarij motus principia, & inſtrumenta ſint muſculi, & ſint ipſi circa caput, & à cerebro motũ; ac ſenſũ ſuũ ſuſcipiãt, immediate; ꝑ neruorũ propaginess, rationabiliter volũtatis affectiones, & diſpoſitiones oſtẽdere poſſunt, ex his igit̃ cur ſic frons appelletur, & quid ſit, & cuius gratia, & ꝑꝑ quid voluntatis index exiſtat manifeſtum eſt.

Putabant nonnulli potiſſimã eſſe vultus partẽ, at Cicero vultũ, à fronte (etiam vulgata paræmia) videtur diſtinguere, q̃ ad Antoniũ ſcribens ait, maluiſſe corã agere, q̃ litteris, nõ .n. ſolũ ex oratione, ſed ẽt vultu, & oculis, & fronte ſuũ amorẽ ꝓſpicere potuiſſet, & alibi ad Atticũ frõte, & vultu aliq̃d ſpei ferre ſe ait, verum intimis ſenſib. angi; aut igit̃ vulgaris eſt quidã dicendi modus, exagerationẽ pleonaſmo faciens, aut re vera frons à vultu, vt ego etiam arbitrior, ſicut vola, à manu diſtinguitur.

De fronte itaq. primũ q̃ ꝓponitur apoteleſma eſt tale: Qui frontẽ paruã habẽt sũt indiſciplinabiles; parua aũt põt eſſe frons, aut qm̃ capilli eã coarctãt nimiũ deſcẽdẽtes, & plus iuſto illã ſtringẽtes, aut qm̃ paruũ, & ſtrictũ eſt os caluariæ in parte exteriori, & depreſſum qd̃ accidere in quibuſdã adeo certo vidi, vt q̃uis capilli nõ deſcẽderent tñ frons vix vlla apparebat, qm̃ aũt de paruitate & magnitudine eiuſdẽ eſt agẽdũ, oportet primũ ponere quæ nã ſit rõnabilis, & naturalis frõtis quãtitas à cuius elongatione dicẽ parua, & magna frõs.

Pictores, vt ſupra diximus, & q̃ de corporis humani Symetria locuti sũt, in tres partes æquales, & vt ipſi aiunt, vniſonas, pulchram viri faciẽ à radice capillorũ vſq. ad extremũ mentũ diuidũt, prima pars eſt à radice capillorũ vſq. ad media ſupercilia inde vſq. in naſi extremitatẽ, tertia vero in menti terminũ deſinit; oportet aũt intelligere lineã rectã ad perpendiculũ deſcendentẽ, q̃ in tres partes ſcindatur, tanta aũt debet eſſe totius frontis altitudo, quanta eſt naſi longitudo, & oris ſciſuræ, ſi ergo parua facies fuerit, ꝓpterea qd̃ capilli deſcendant, & frontis altitudinẽ occupantes, eã reſtringant, hãc dico ſignificare hominem indiſciplinabilẽ, hoc eſt rudẽ, & ad contẽplationes nõ ſolũ ineptũ, ſed ẽt auersũ ab ijſdem.

Proprie indiſciplinabilis dicit̃, q̃ caret ea potẽtia, ſm̃ q̃ homines sũt apti ad capeſſendas rerũ formas, hic aũt eſt intellectus, nõ qd̃ illũ nõ habeant, ſed qd̃ ſit rudis, cõfuſus, & tenebroſus ꝑꝑ phantaſiæ imperfectionẽ, & impotentiã, Horũ propriũ eſſe ſolet, vt vix, & cum magna difficultate principia ſcientiarũ intelligãt, & admittant, nõ .n. poſſunt diſcernere, q̃d ſit differẽtiæ inter ꝑ ſe nota, & ignota, in tantũ aũt auersãtur ſciẽtias, vt homines ſcientijs deditos penitus derideant, & nihili faciant, voluptatib. gulæ, & veneris mancipati, vt ille dicebat, ſponſi Penelopes, nebulones, Alcinoique; horum igitur primã ſpeciem, q̃ capillorum cauſa anguſtam habent frontem Ariſt. moribus porcorum eſſe ſimilem dicit, quod què res ſic ſe habeat à ſigno probat̃, dicens, ſues ſunt indiſciplinabiles, & ſues paruam habent frontem, ergo quibus parua frons ineſt illi ſunt indiſciplinabiles, paruam, vt dixi, ex capillorum deſcenſu, eum ſcilicet radices illorum ita deſcenderint, vt dimidiatum ferè frõtis locum occupent, cauſa autem huius poſitionis hæc eſſe poterit.

Quoniam multa eſt excrementorum copia ijs in locis, in quibus eſſe non deberet, quæ excrementa ſunt aquea, & terrea ita tamen, vt aqua terram ſuperet, & luti cuiuſdam liqueſcentis naturam repreſentet, ille, cui adeſt hæc temperies uidebitur quidem apprehendere, quoniam humidi eſt recipere, & retinere deberet, quoniam ſicci, & terræ hoc uidetur proprium, ſed quoniam calor deficit, & uirtus actiua imbecillis eſt, ideo ſequitur, vt parum iudicio valeant, quod in virtute actiua conſiſtit; cum igitur calor non præualuerit, ita, vt apte miſceatur humidum ſicco, tantum abeſt quod hoc retineat, &

illud recipiat, vt potius alterum ab altero impediatur, neque recipiat humor, neque retineat ſiccitas, erit igitur ad propoſitum demonſtratio.

Quibus ineſt frons anguſta propter crines deſcẽdẽtes ſupercilia verſus, illis ineſt multus humor craſſus, & excrementitius circa partem anteriorẽ cerebri: quibus humor huiuſmodi ineſt circa ventriculum primum, & partem anteriorẽ cerebri, illis phantaſmata contingunt rudia, inelaborata, & indiſtincta, quibus id accidit illi ſunt rudes, & male apti ad ſcientias, & diſciplinas capeſſendas, ergo quorum frons anguſta eſt propter capillos ad ſupercilia deſcendentes, illi ſunt indiſciplinabiles.

Quod autem rudia, & indiſtincta phantaſmata intellectus obtuſitatem faciant, nemini dubium erit, contemplanti quod dicitur, oportere intelligentem ſpeculari phantaſmata, quare ſi phantaſmata indiſtincta, & rudia ſunt, neceſſe eſt etiam intellectionem rudem eſſe, quale enim obiectum eſt, talis etiam eſt operatio, quæ ab illo obiecto cauſatur; ſunt aũt phantaſmata, qualis eſt phantaſia, hæc rurſus cum ſit virtus in materia, etiam ſequitur diſpoſitionem eius materiæ, in qua eſt, & ſecundum accidentia quæ illam matetiam diſpoſuerunt, operatur peius, aut melius, perfectius, aut imperfectius ſecundum eandẽ ſpeciem.

Not. Reſtat, vt contemplemur quales ſint aut eſſe poſſint quibus anguſta eſt frons propter oſſis malam conformationem; Iam omnes præter naturales diſpoſitiones corporis malũ arguere in anima diximus, & enim quale eſt quod perfectionem ſuſcepit, talis eſt eius perfectio, & quod in corpore animalis eſt (ſiue ſit pars, ſiue paſſio ſiue potentia) totum ab anima cauſetur, quare quale eſt corpus, etiã ſecundum analogiã talis eſt anima, & forma, & perfectio illius. Neque officit quod dicitur aut ratione materiæ, aut caſu id factum eſſe, primum quoniam formatum, & forma ſunt ad aliquid, & quæ mutatio eſt in altero, eam in altero etiam eluceſcere neceſſe eſt, deinde ſi perficientis, & agentis cauſæ valida virtus fuiſſet profecto omnes, & materiæ imperfectiones, & omnia caſus ſuperaſſet impedimenta, ſi cui igitur contigerit male formatũ os ſincipitis, à quacunq; id cauſa ſit factum ẽt cerebrum quod ſubeſt non bene formatum eſt, quare neque bene diſpoſitum neque actiones ſuas perfectas futuras, probabile eſt, cerebrum autem principium eſt ſenſus motuſque progreſſiui, quæ rationem animalis perfecti intrant, rationabiliter igitur imperfectæ erunt actiones motus, & ſenſus illorum hominum, quorum anterius os erit male formatum.

Videtur autem mihi in conformatione huius oſſis ſincipitis. Poſſe dupliciter contingere peccatum, quo fiat anguſtior frons iuſto, aut ſecundum longitudinem, aut ſecundum latitudinẽ, quod intelligetur, ſi quis mente conceperit ſe poſſe dupliciter premere caluariã, vno modo ſi vtraq. tẽpora compreſſerit adeo, vt elongetur caput ab anteriori parte in poſteriorem, & ſic ſtrictior efficietur frons neceſſario, & deficiet decens in oſſe longitudo, qđ in ſphærula argillacea facile videbis, ſi illam ab vtroq; latere æque conſtrixeris. Altero modo ſi impoſita manu ſupra frontem ita, vt extremitas volæ cadat ſupra radicem capillorum digiti vero ſupra futuram coronalem, os compreſſeris valenter, ſic ẽt uidebis arctari frontẽ,

Frõs anguſta. & longiorem fieri; cum ergo duo modi ſint, quid prior portendat in primis videamus. Cui igitur in anguſtum contracta eſt frons propterea quod tempora conſtricta videãtur plus iuſto, neceſſe eſt, etiam, & quod continetur cerebrum in parte anteriori, conſtrictum eſſe, atq. in conformatione peccatum; prior igitur ventriculus male affectus erit, quare & quæ uirtus ea in parte exiſtit, male ſe habebit, & operatio illius erit læſa, quale namq. eſt organum talis potentia, & qualis eſt potentia, talis operatio eſt, quare ſi in anteriori uentriculo cerebri (ut uidetur, non nullis) perficiuntur operationes phantaſticæ uirtutis, utiq. circa illã erit læſio, non exactè igitur neq. diſtinctè res, ac rerũ ſpecies percipiet qui tali figura prædi tus fuerit; quare cum intelligens phantaſmata ſpeculetur, & qualia ipſa apparent talis ſit eius intellectio, ſequitur quod confuſæ intellectiones erunt, & indiſtinctæ, ergo rudis, & nõ bene docilis iſte uocabitur, & quoniam in loco arcto ſpiritus confunduntur, præceps erit in ſuis cõſultationibus, & inordinatus; neq. rationẽ audiet, & ſibi pluſquã oporteat tribuens

in-

inquietus erit, inſtabilis, & inſtabilitate ſtolidus; hæc igitur, & hmõi accidentia ſequent.

„ Illos qui talem habent frontem.

Parte altera ſi coarctata erit frõs, ac depreſſa (qm̃ pars frõtis ſuperior fere tota ī calũniã abierit, Hos hoïes q̃dã molles vocãt, ego ĩdociles puto, & nõ admodũ exactos hr̃e sẽſus.

Aſt ſanè abſurdum eſt, hos eſſe effœminatos ideſt molles, nonenim à primo ventriculo originem ſumunt nerui; at perturbatam eſſe formam caluariæ, & cerebri, cum videamus; quare & principium ſenſuum, crederam hos homines minus quidem quam ſuperiores, attamen etiam rudes, & inſulſos eſſe, & quamuis tales ſint, facile alios irrident, ac ſubſannant, adde quod ſimulatores ſunt, & non ſolum alijs, ſed ſibi ipſis etiam dant verba, aut dare tentant, adeo fatui ſunt, vt plerunque a ſemet ipſis decipiantur; hæc autem frontis depreſſio ea eſt, quæ ſuem decet, qui cum omnium animalium viuens maximè inutilis ſit, vere illi animam pro ſale datam fuiſſe dicunt, quo vſque ſale cõdiatur; ex his itaq. quid parua frons indicet, nec non, & propter quid hoc fiat, manifeſtum eſt.

Cæterum Quoniam omnia quæ ſecundum naturã ſunt, vt plurimũ contingunt ea eſſe bona, quæ vero præter naturam diſpoſita ſunt mala; quo autem magis à naturali ſtatu recedunt eo peiora ſunt, ergo ſi in tantum elongatæ fuerint corporis diſpoſitiones, vt nuſquã humanam ſapiant naturam, ac formam, neque in his rationalis animæ operationes, aut illarum apparebunt veſtigia, iure igitur fœtus mulierũ capite humano carentes in hominũ numero non ponuntur.

APOTELESMA LXXIII.

„ *Qui autem magnam valde, illi tardi ſunt, referuntur ad boues.*

DE parua cum egerit, nunc quid de magna ſentiendum ſit enuntiat, ea autem frons dicitur magna, quæ ſecundum vtramque excedit dimenſionem, ſi comparetur cũ ea quæ eſt ſecundum naturam, quod ſi longitudinem, & latitudinẽ magnam habet, neceſſe eſt etiam amplum eſſe os caluariæ, quod ſubeſt, Vbi igitur magna frons, ibi magnum os, ac multum, quare & materia terreſtris præualet, igitur melancholia, quæ nimirum frigida, & ſicca terræ reſpondet, terra grauis eſt, atque ad motum inepta, quod eſt huiuſmodi ad tarditatẽ accedit, quieti propinquiorem, quam motui, ergo cui magna eſt frons illum tardum dicemus, & id à ſigno patet quoniam ſimiles ſunt bobus. Boues enim frontẽ habent magnam, & ijdem tardi ſunt, quare quorum frons magna eſt illos tardos vocamus. Et hæc quæ in boue exacto frontis eſt amplitudo, præcipue cauſatur aboſſium exuberantia, & materiæ craſſitiæ, quæ admodum terrea cum ſit, terreſtres etiam paſſiones, & inclinationes generat in eo animali, quod illam ſortitum eſt frontem; forte etiam non inde, ſi per tarditatem intellexerimus ad operandum, & ad aggrediendas actiones irreſolutionem, & cunctationem, vt in Nicia Athenienſium duce fuit animaduerſum; Dicemus itaq. id ex huiuſmodi oriri, ac demonſtrari poſſe cauſa, cui magna frons, illi magna caluaria, ergo, & multum cerebrum, ergo & multum principium refrigerans, & cordis æſtum temperans, cui autem temperatus eſt calor (qui vehementioris motus principium eſt, vt quietis frigus,) ille inconſideratus, irreſolutus, & tardus in actionib. ſuis dicitur, iure igitur cui frons magna, vt in Pertinace, & Didio Iuliano ſpectabatur, ille tardus eſt, At dubitabit quiſpiam nunquid cũ oĩs caluus frontem habeat magnam; at non omnis caluus tardus eſt, nam & caluus Cæſar, & caluus Socrates item, & Seuerus quorũ nemo fuit tardus, Cæſar in celeritate omnẽ ſuarum actionum proſperitatem reponere videbatur, neque Seuerum vllus, aut Socratem dixerit tardum An (puto) nuſquam id eſſe verũ, quod omnes calui frontẽ magnã habeant; nam ſic & qui ex morbo gallico penitus depiles, ac glabri ſunt, magnã frõtem haberẽt, q̃ tamen, vt patet omnino ridiculum eſt; frons enim dicitur cutis, quæ motu voluntario mouetur, & in qua naturaliter pili nõ oriuntur, quod ſi caſu factũ fuerit, vt decideriut, aut nati non fuerint, id totum per accidens eſt.

Dubit. Rurſus datur occaſio dubitandi; eſt ſupra dictum, quod quorum frons eſt parua illi ſunt indiſciplinabiles, nunc quorũ eſt magna illi ſunt tardi, videtur ratio dubitandi talis ſi qui paruam ſortiti ſunt frontem illi ſunt indiſciplinabiles, cum tales ſint tardi quin immo immobiles ad doctrinas capeſſendas; ergo quorum frons parua eſt illi ſunt tardi; ſignũ igitur tarditatis eſt frons parua, ſed & frons magna eſt ſignum tarditatis, ergo idem ſignificabũt oppoſita ſigna; at oppoſita ſigna oppoſitas proprietates deſignare probabile eſt, & ad modum rationabile, vt ſicut oppoſitorum effectuum oppoſitæ ſint cauſæ, ita etiam oppoſita ſigna oppoſitas indicent diſpoſitiones, quare male Ariſtoteles dixit paruam frontem ſignificare indiſciplinabilitatem, & magnam etiam tarditatem, quin potius, ſi parua indicat hominem indiſciplinabilem; magna virum valde ingenioſum, & curioſum, & ad omnes artes, ac ſcientias capeſſendas paratiſſimum indicare debebat.

Reſp. Huic dubitationi non difficile eſt reſpondere, atque id etiam pluribus modis; Primum enim non ſequitur indiſciplinabiles eſſe tardos, nam aliud eſt tardum eſſe ad ſcientias capeſſendas, aliud tardũ ſimpliciter, põt eſſe aliquis indiſciplinabilis ex multo igne ſicco ſub tili quo factum eſt, vt continue eius phantaſia agitetur non ſecus atque aqua ſtagnans à vento agitata, quæ nullas poteſt rerum imagines referre, cum autem in noſtra phantaſia nõ quieſcunt phantaſmata, ſpeculari non poſſumus, ſine horũ ſpeculatione impoſſibilis eſt ſecundum peripateticos, intellectio ei, quæ iuncta eſt corpori, menti; quare iure dixi non omnes indiſciplinabiles eſſe tardos; imo violenti, obſtinati, feroces crudeles, præcipitoſi in diſciplinabiles nuncupantur, hanc autem violentiam, & indiſciplinabilitatẽ (vt ſic loquar) in apris natu grandibus, & in hirundinibus facile cognoſci poteſt, amplius neque abſurdũ eſt, ſi duo oppoſita ſigna quorum alterum diceret exceſſum, alterum defectum, indicarent eandem ſecundum genus paſſionem, ac diſpoſitionem; nam eadem cauſa ſm̃ genus etiam diſpoſita oppoſitos facit effectus; amplius, & nimius in corpore humano calor, & nimium frigus, ſi vtraque in interioribus viguerint, æque morbum, ac mortem eſſe in proximo denuntiant, cauſa eſt qm̃ naturalia compoſita, & quæcunq; naturalẽ formam adepta ſunt, ea omnia in mediocritate quadã conſiſtunt, virtus enim, & forma omnis naturaliũ compoſitorũ medietas quædã, eſt, & ab ipſa mediocritate diſceſſus vitiũ, & imperfectio, & priuatio; qua ratione factũ eſt, vt tam parua frons, quã magna arguant imperfectionẽ, & vitium quamuis diuerſi generis; quare qui minorem frontẽ habet quiq. iuſto maiorem, ille nõ eſt laudandus; ſed in mediocritate poſitus, neque indiſciplinabilis, neq. tardus erit; noto aũt tarditatem tam ad animum, quam ad corpus poſſe referri, & quæ ad animum eſt duplex, aut in agendo, aut in cognoſcendo præcipue aũt tarditatem puto deſignari in agẽdo, per frontem magnã, tardi. n. proprie dicuntur, qui multũ temporis ponunt in p̃ficiendis ſuis actionibus, qđ ſi actio eſt humana operatio cũ electione, & ratione, eaq. habet principiũ, medium, & finem, & principiũ actionis eſt conſideratio, & contemplatio, tardam actionem dicemus, quæ, & in principio, & in ſequentibus principium multum temporis inſumit; quid igitur frontis importet magnitudo, & cur id ſignificet ex his eſt manifeſtum.

Putauit quidam exrecentioribus frontem magnã ſimilẽ dimidiatæ ſphæræ, & præſe ferentem caluitiem in homine præ ſui amplitudine ſummam oſtendere probitatẽ, morumq. ſanctimoniam, hocq. ideo confirmat, qm̃ ait ſe quemdam vidiſſe qui cum maximam haberet frontem, vt caluus putaretur, & hemiciclum, ſiue ſemiſphæram referret, ille optimis erat præditus moribus. At in primis puto ego, quod ſæpius dictum eſt, mediocritatem arguere perfectionem; qđ ſi defecerit, aut exceſſerit ſemper imperfectionẽ mõſtrare ac uitiũ.

Et ad ipſum illum auctorem, primũ dicerẽ ex vno probo, non poſſe vniuerſalem propoſitionem inferri, neq. enim vna hirundo facit ver; amplius quid dicet, ſi opponatur, non propter hoc, illi probitatem ad eſſe? addo, bardos, & ſtupidos, plerunque probos vocari, eo quod mala non agant, & non peccantes commiſſione plerunque vocantur probi,

probi, ſed non minus peccatum eſt in omiſſione quam in commiſſione.

Idem auctor alium ſe obſeruaſſe ait, cuius frons perfectum ferè circulũ referebat adeo prominens erat, & hunc ille optimo ingenio præditum fuiſſe, talemque frontem excellens putat indicare ingenium, ego ex aduerſo non nullos cognoui hanc ſemicircularem, & rotundam frontem habentes, qui omnibus vitijs inquinati ingenio, & iudicio carebant.

Ego ridiculum monſtrum id genus frontis dicerem, & in ipſo quidquam laudabilis eſſe non crederem; ſed ſi ex eodem auctore in anteriorem partem porrecta frons indicat ingenium leue, & hoc ingenium excellens non eſt, porrecta igitur antrorſum frons non indicat ingenij excellentiam, at qua ratione poterit frons rotunda videri, & circulum perfectum referre, niſi omnino prominеat? colligendum eſt igitur optimum ingenium ab hac præter naturali frontis figura non indicari, & ſi optimum ingenium paſſio eſt ſequens naturalem capitis ſtatum, cum talis frontis prominentia, & conuexitas non ſit naturalis ſtatus diſpoſitio, inferendum eſt naturaliter ingenij bonatatem, cum tali figura non ſolere deprehendi, & ſi aliter fiet id raro, & caſu factum erit, nam ſi ſphæram circa tempora mediocriter compreſſam refere debet concinnum caput; quantum ab hac remotum ſit forma caput cuius frons ſimilis eſt circulo perfecto, vel ferè, ex ſe puto clariſſimum eſſe; iam enim neceſſe eſſet, vt tempora quaſi inter ſe iungerentur, & parum aut nihil medij inter vtranque caderet aurem.

Alij magnitudinem frontis audaciam, ſagacitatem, aſtutiam, multum & ſubtile ingenium, iracundiam, ad mendacia propenſionem, & dolos indicare putant, ſed primum nullam rationem afferunt, deinde cum hæc attributa contradictionem includant, (vt mihi videtur) nullius ſunt momenti ſi enim audacia multi caloris ſoboles eſt, & magna frons magum caput naturaliter indicat, quare & multum cerebrum, ergo, & principium naturalis frigoris magnum, & ab hoc cordis calor remittur, ex hoc ſequetur, vbi magna frons erit, & caput magnum multa non erit audacia, quare neque iracundia; videmus autem plerunq; hos magno capite præditos, potius ad ſomnum, & ad quietem, quam ad motum, & audaciam propenſos eſſe, amplius ſi ſagacis, atque aſtuti ratio in conſideratione, ac penſitatione poſita eſt, ergo ſagaces conſiderati ſunt, & cogitant, tales autem non ſunt celeres, ac prompti, ſed cunctabundi quare & moderate frigidi, non igitur audaces, nam, vt ſupra ſæpè dictum eſt, prudentia in temperato calore, audacia in eiuſdem exceſſu, ſicuti in defectu poſitus eſt timor, non igitur poteſt ſimul idem audax, & timidus, quare neque audax, & aſtutus quod ingenere brutorum apparet, siquidem quæ aſtuta ſunt, vt vulpes, plerunque ſunt timida; ſic cati canibus timidiores, etiam ſunt magis aſtuti, & vafri; eadem de cauſa neque audaci iracundiæ iunctum eſt, mendaciam, & aſtutia; ab oppoſitis enim principijs oriuntur, idem autem ſecundum idem non habet oppoſita, videmuſque inſectorũ omne genus, quod artificioſiſſimum eſt, idem exangue, quare & timidum, & in genere canũ cæteris ſagaciores, & aptiores ad diſciplinas, ſuo generi conuenientes, ſunt etiam timidiores, raro enim natura duo genera armorum quibus ſe ipſum tueatur, dare vni animalium ſpeciei ſolet; ſi quod animal ſibi præſto eſt robore, & audacia; illi acrem aſtutiam, & fallax ingenium non eſt largita; ex aduerſo quod debile nactum eſt corpus, eidem, aut pedum celeritatem, aut aſtutiam artificiumque ad ſe ipſum tutandum donauit.

Multo igitur rationabilius Polemo imbellem, ac ſegnem huiuſmodi hominem, magna fronte præditum vocauit, nam cum multa cerebri mole, multa etiã humiditas frigida adeſt, quæ imbecillitatis, ac ſegnitiei dicitur eſſe principium, magis enim ad patiendum humida aquea, quam ad agendum nata eſſe certiſſime patet; at, vt ego arbitror, frons magna quia oſſis magnitudinem indicat, ſegnitiem docet, hoc enim terræ conſequens eſt quatenus autem cerebri multam molem eatenus imbecillitatem, & corporis viriumque quandam impotentiam ad agendum ſignificat.

APOTELESMA LXXIV.

„ *Qui vero rotundam habent, insensati, referuntur ad asinos.*

ROtundam putarem frontem, quæ portionem paulo minorem dimidiatæ sphæræ videtur repræsentare; in medio igitur erit eleuatior, est itaq; conuexa frons huiusmodi, qualis est asinorum, & magna, sic enim supra in figura insensati ponebat frõtem circularem, magnam, & carnosam, per insensatum non solum intelligo eum, qui opponitur optimo sensu prædito, sed rudem male capacem disciplinæ, indiscretum, socordem, hominem, voluptatibus deditum, imprudentem, non curantem, neque distinguentem non agenda ab his, quæ agi debent, talem frontem rotundam obseruare possumus in antiquis imaginibus æreis Othonis, Commodi, Heliogabali, & Balbini Imperatorũ, inter quos quamuis Balbinus omnium minime malus attamen iusto timidior fuit, quem scribit Iulius Capitol, cum audiret nomen Maximini etiam tremere solitum, & idem non minus voluptatibus, ac delitijs deditus, quam fuerint superiores, eadem insigniti frontis rotunditate.

Præcipuam autem puto esse asini indiscretam, & impudentem quandam propensionem ad voluptates corporeas, & ad agendum quodcunque sibi suadet appetitus nulla rerum, locorum, hominum ve habita ratione; hic igitur est sensus apotelesmatis.

Qui frontem habent rotundatm sunt insensati, & non exactè, ac subtiliter iudicant, & discernunt, quid deceat, & quid nõ; sunt enim in hac parte corporis similes asinis, quare, & quasdam etiam in anima propensiones habent, quæ asininis inclinationibus similes erunt; quod ergo id sit verum confirmatur exemplo, nam asini rudes, insensati, & indiscreti sunt, & asini habent frontem magnam, & superius rotundam, ergo quorum frons est rotunda illi sunt insensati, quod fuerat ostendendum, propterquid autem id fiat videamus, asinum sane frigidi, & sicci esse temperamenti certum est, quo fit vt frigoris valde sit impatiens, & in locis frigidis viuere non possit, calor igitur in ipso, naturalis, debilis apparet, proprium autem esse caloris debilis videtur, si in materia tenaci, & viscosa sit, secundum figuram sphæricam mouere quod videre licet, in amylo in puluerem reducto, & aquæ mixto, hoc enim si ad ignem lentum ponamus, lentè in orbem eius partes attolli videbimus, & quasdam semi sphærulas in eiusdem superficie producere; quod si ignis, & calor augeatur, fiunt acutiores, & tandem franguntur; si vero frigus externum superat, atque cohibeat remanet figura illa semisphærica, quid igitur mirum foret si in simili materia frigida, & ad siccitatem vergente calor debilis interior mouens, & æqualiter reperiens obstaculum, eandem etiam fingeret figuram? quod si hoc probabiliter admitti debet, huiusmodi propositio formari poterit.

Calor debilis in materia quam circum obsistat frigiditas, & crassities, mouens illam sensim secundum aliquas partes, quæ minus resistunt, eam in orbem, & semisphæricam figuram attollit; asini calor naturalis qui capitis asinini formator est, talis existit, nempe debilis in materia frigida, & sicca, ergo illam mouet secundum sphæricam formam, secundum eam partem nimirum, quam ipsius motum non impedit forma, & ratio asini; hæc autem est anterior pars capitis, quæ frons dicitur intra aures, hanc igitur partem habent asini rotundam; ergo ex conuersione maioris, quorum erit frons rotunda circa partem superiorem, illis debilis est calor à quo fuit formatum caput; quibus hoc accidit illis eisdem, probabile est, indigestas imperfectas, & non exacte laboratas esse partes cerebri interiores, tales imprudentes, indiscretique sunt, & communi sensu carentes, ac bardi, nihil, præter vnicam voluptatem, alia omnia curantes, ergo quorum frons superior est rotunda illi sunt rudes, & insensati quod fuerat probandum, propter quid igitur interrogati, qui habent

frontem

frontem rotundam illi insensati sunt ac rudes? dicemus quoniam imperfectos, & in elaboratos habent cerebri ventriculos, propter quid autem id illis accidit? quoniam naturalis calor, & vis formatrix circa partes illas est debilis, & materia frigida, & sicca propter eandē causam; etenim defectus, & priuatio vnius contrarij est præsētia, & positio alterius, fœminilis est huiusmodi frons, quare & à curis semotum hominem, & non valde considerantem quid sit agendum, significat.

Recentiores quidam, & inter magnos philosophos numerati, putant rotundam frontem iracundiam, & insensibilitatem simul significare; at si iracundia caloris soboles est dilatentis, & disgregātis dissimilaria, & id facit, mollit, attenuat, rarefacit; mollia, & rara passibilia sunt, passio autem de ratione sensus est, iracundum ergo sensitiuum dicemus, frigus autem condensans, & cogens, & constringens tam similaria, quam dissimilaria facit insēsibilem, igitur profecto difficile est insensitiuum simul, & iracundum reperire, & eo magis si insensitiuus male percipit, neque exacte, ac subtiliter iudicat, aut demum si est patiens, & durus, quomodo erit iracundus?

Accedit Polemonis auctoritas, qui hanc frontem orbicularem, & altam significare ait hominem insensatum, & imprudentem, neque enim quid deceat quid non, omnino discernit, neque ignominia mouetur, quare impudens iure dici potest, & indiscretus.

APOTELESMA LXXV.

Qui autem minus planam habent, sagaces, referuntur ad canes.

TExtum hoc loco omnino mendosum esse patet, hocque alij etiam notarunt, non enim vox græca ἀναίδυτος sagacem, sed insensatum significat; verum si insensatus ille est cuius talis est frons, non igitur erit similis cani; amplius si cuius frons est perfectè rotunda ille insensatus est; cui non adest hæc rotunditas, non videtur rationabiliter talis appellandus. Putarem igitur hanc esse Aristotelis sententiam, qui rotundā habent frontem illi sunt insensati, qui vero paulo minorem habent rotunditatem ipsius frontis, & ad planitiem accedunt illi sunt irrationabiles, siue impudentes, & referuntur ad canes, mendumque ideo potuit contingere quoniam vox ἀναίδητον, quæ insensibilem significat siue insensatum, non longe dissimilis est ab ea, quę est ἀνόθυνον, significante inter cætera hominem nullam in se habentem rationem neque scientem assignare causam propter quam sic, vel aliter faciat, quæ passio videtur inesse canibus ijs, qui apud nos in delicijs sunt, hi namque, etiam sine causa ferocire videntur, & allatrare, & huc, & illuc lusitabundi cursitare, aut legemus ἀνωθητον quæ vox ineptum, inutilem, & ardelionem aliquando designat hominem, nempe qui multa affectat facere, nihil tamen perficit vel sic exponamus. Mente concipiamus frontem de qua dicebamus in superiori apotelesmate esse probe sphæricam circa partem superiorem; hanc si manibus vtrisque magis compresserimus eam acutiorem efficiemus, ergo & eiusdem minorem reddemus planitiem, quod nunc sonant verba græca μίκροτερον ἐπίπεδον paulo minorem superficiem, siue planitiem quam scilicet habeat sphærica, hoc est acutiorem, vt tamen sequatur, quod Aristoteli videtur, necesse est etiam imaginari supra nasum ad oculos compressionem factam esse, quare depressionem esse circa tempora, & circa nasi principium, eleuationem autem esse circa medium frontis, & acuminatam quodammodo siue minus planam frontem, (quam si foret sphærica) sic apparere; hanc ferunt frontem, caniculæ illæ melitenses vocatæ, quos fœminæ habent in delitijs, nam videmus in his frontem rotundam, at partem superiorem ad acutum, & oui figuram accedere; compressas autem partes habere, quæ subsunt, ut prope aures, item circa oculos multa sit cauitas, quæ vel artificiosè paratur, quoniam sic pulchriores putantur; frons prominet

minet oui extremum referens, deſcenditque vſque ad quẽdam fonticulum, tandem & maxime circa oculos, & naſi principium incuruatur, vt quantum ibi deficiat, tantum in ſincipite exuperet; hos ergo dico referri ad canes, non venaticos, non ruſticanos, non odore feras indagantes, ſed puſillos, melitenſes appellatos, a mulieribus in delitijs habitos; hi ſanè ſagaces nequaquam dicemus, ſed inutiliter feroces, neque diſcernẽtes quibus, & quando adlatrandum ſit, & hæc fortè eſt Ariſt. ſententia.

Puto igitur rationem, & cauſam huius paſſionis à mala capitis formatione petendam eſſe, quorum enim huiuſmodi formam ſortita fuerint capita, illorum cerebrum neque ſecundum naturam diſpoſitum eſt, impedita igitur inſtrumenta ſunt quæ deſeruiunt imaginationi, arctiora enim ſunt iuſto, quare ſpecies rerum confunduntur, vnde factum eſt, vt cum nihil agant, aliquid tamen continue agere velle videantur; Vel ſit ratio Quorum frons acutior eſt, quam ſit rotunda, & oui refert extremum, illi ſunt inepti, & inutiles ad actiones; quoniam ineptos, & inutiles ad actiones vocamus eos, qui perfectè, ac diſtinctè non diſcurrunt, nec diſcernunt; hi vero ſunt, qui confuſas imagines rerum in phantaſia habent, tales ſunt, qui ſubtiliores iuſto gerunt ſpiritus, & calidiores atque minus cerebrum habent, quoniam & minorem locum, ſi igitur quorum ſinciput, & frons ad oui formam vergit illi anguſtiorem habent anteriorem cerebri ventriculũ, patet ſpiritus in arctiori loco collectos effici calidiores, & celeriores quoniam, & diſcurſus, & phantaſmatum impeditur quieta cõtemplatio, & diſcretio, inde effectum eſt, vt geſtire videantur, & velle operari, inutiliter hæc omnia tentantes, quare inepti inconſiderati, futileſque, & nimis mobiles exiſtunt, ſic ergo hoc apoteleſma explicari, & confirmari poſſe crederem.

Sagaces autem nequaquam legi poſſe puto, primum quoniam vox græca in omnibus quos vidi textibus inſenſatum, ſiue carentem communi, (vt aiunt) ſenſu ſignificat, non autem ſagacem, deinde quoniam figura talis ſagacitatem denotare non poteſt, nam ſi inſenſatus, & ſagax opponitur, vt virtus, & vitium, ſagax ſanè ſecundum naturam diſpoſitus erit circa frontem, & caput, at frontem habere talem, vt eius ſuperficies ſit, paulo minor quam rotunda, id non eſt ſecundum naturam diſpoſitum habere ſinciput, & frontem cum ſupra in figura maſculi, ac ſecundum naturam diſpoſiti dixerimus, frontem debere eſſe latam, & quadratam, quare ſicuti frons carnoſa circularis, & magna, & ampla deſignat inſenſatum hominem propter exuberãtiam frigidi principij, quo plus iuſto calor corporis retunditur, & cum circularis, & macra, & mediocris acutum, & ſagacem hominem indicet, hicque ſit, ceu media diſpoſitio, inter minus quam circularis, & conſtrictior, cum recedat à mediocritate, non ſagacem, ſed neque inſenſatum, aſt ineptum, & inutilem, ac futilem negotiorum actorem, indiſcretumque, ac iracũdum homuncionem ſignificat, rationabiliter enim, ſi exceſſus indicat inſenſatum, & mediocritas ſagacem, & ingenioſum, conſequenter defectus receſſum ab inſenſibilitate, ingenioſitate, & à ſagacitate docebit; quod ita poterit demonſtrari, quando fuerint ſexita diſpoſita, vt ſicuti ſe habet primum ad ſecũdum, & ſecundum ad tertium, ita ſe habeat, quartum ad quintum, & hoc ad ſextum, conſequenter, ſicut ſe habebit primum ad quartum, & ſecundum ad quintum, ita etiam tertium ad ſextum diſponetur, ut ſi capiamus 2. 4. & 8. item alia tria nempe 6. 12. & 24. quando 6. contineat ter duo, item 12. habeat ter ipſam 4. ergo, & 8. ter continebitur à numero 24. idem de inſenſato ſagaci, & inepto ſiue futili homine dicendum eſt; & ſi primus frontem circularem carnoſam, & magnam habet, ut in figura inſenſati docet Ariſtoteles, ſecundus autem qui ſagax eſt habet frontem circularem quidem, ſed non carnoſam, & non magnam ſed mediocrem, ergo conſequitur, ut tertius habeat frontem circularem quidem, ſed minorem, & acutiorem, & extremum alterum referentem, & ſit ineptus, & futilis, & hoc eſt, qđ fuerat oſtendendũ.

2. 4. 8.
6. 12. 24.

APO-

APOTELESMA LXXVI.

,, *Qui vero quadrangulam commenſuratam frontem habent magnanimi, referuntur ad leones.*

FRons quadrangula vocatur, quæ quodammodo quadrangularem figuram referet, quæ altera parte longior eſt, & duo latera appoſita æqualia, & angulos rectos habet ſuperiores in fronte ad oſſa temporum productos, & deſinunt ea in parte, in qua exoritur implantatio muſculi temporalis anterior; cum igitur hæc figura quadrangularis habeat duo latera oppoſita inter ſe æqualia, alterum ex his maioribus quadranguli lateribus ſuperius eſt ſecus capillos, alterum illi oppoſitum deſcribitur linea recta, ſupra vtrumque ſupercilium porrecta, & protracta vſque ad extremitates eorundem, latera minora ea ſunt, quæ notantur linea per vtraque tempora deſcendente, & vtrumque maius latus ſimul nectente, talem igitur dico quadratam frontem quam etiam in figura leonis eſſe ſupra dicebamus quæ deinde, & magna ſit, & molliter plana.

Quando autem dicit commenſuratam idem eſt, ac ſi proportionatam dixiſſet, & ea eſt, quæ naturalem ſeruat magnitudinem ſi cum facie conferatur, etenim frontis latitudo tertia faciei pars eſſe debet; nemini igitur dubium eſt frontem debere eſſe proportionatam, & rationem dimidij ad duplum habere, ſi ipſam cum reliquo faciei comparabimus, naturaliter etiam longitudo eiuſdem ea eſt, vt ſit frons ſimiliter in proportione dupla vnius ad duo, vt ſi cum occipitis gyro conferatur hoc modo, filo metiatur occiput hominis maſculi & probè commenſurati, incipiendo ab ea parte temporum in qua frontem terminant capilli, & circum ducendo in gyrum per occiput donec in alteram temporũ partem deſiuas, dico filum hoc futurum eſſe dimidium illius longitudinis, quæ eſt ab vtriſque temporibus per frontem, & ſinciput; hæc igitur eſt longitudo frontiſque ſe habet ad occipitis circumferentiam, cui ſub eſt vltimus cerebri venter, ac cerebelli principium, vt vnum ad duo, & altitudo ad reliquum faciei ſimiliter, & ad totam faciem, vt ſit illius tertia pars, non ſecus etiam, atque eſt tertia pars totius circumferentiæ capitis. Frons autem hæc dicitur etiam magna ſi conferatur cum fronte fœminili, & eo maior apparet, quo magis ad planitiem accedit, nec globoſa, aut tuberoſa eſt, ſicuti fœminarum, puerorum, aut præter naturam diſpoſitorum, cauſa autem propter quam frons potius ad planitiem quandam, quam ad concauitatem, aut conuexitatem debet accedere hæc eſt, quoniam planities medium quoddam eſt inter conuexum, & concauum; at eius, qui ſecundum naturam diſpoſitus eſſe debet, frons ad naturalem mediocritatem accedit; quoniam id etiam homini conducit, vt valeat ſenſu, & memoria, quam nec exercere probe poterit, niſi occiput tumidum habuerit, neque hoc fieri poteſt niſi pars ſphæræ illi oppoſita comprimatur, fit ergo ita, vt tuberoſo occipiti plana frons iungatur, ſicuti plano occipiti uidemus adiunctam frontem ad globoſitatem accedentem, ex his igitur quid ſibi uelint hæc frontis attributa ſenſibilia puto eſſe manifeſtum.

Per magnanimitatem intelligit Ariſtoteles, non acquiſitiam quidem illam uirtutem magnanimitatis, ſed uirilem propenſionem, ac naturalem diſpoſitionem ſecundum quam homines apti ſunt operari uiriliter, & audaci animo ſubire, eaq. pericula deſpicere, & præ honoris magni deſiderio nec uitam, nec aliud quidquam multifacere; talis igitur eſt, ut puto apoteleſmatis explicatio.

Quod autem ſit uerum, probatur, quoniam quicunque talis eſt, ille refert frontem leoninam, leoni ſimilis magnanimus eſt, ergo magnanimitatem ſignificat hæc corporis affectio, nam & leones magnanimi ſunt, & leones quadratam frontem habent, quare cui qua-

quadra frons adest, ille est magnanimus; causa vero propter quam signum hoc magnanimitatem indicet, difficili forsan negocio repetiemus. Nisi dicamus magnimitatem esse passionem virilem, seu masculinam, quare & arguere calorem, caloriſque abundantiam, tum circa cor, tum etiam circa caput, talem tamen qui optimam constitutionem non excedat, aliter enim furiosus, non magnanimus esset homo, quod si calor multus in capite sortitus materiam sit aptam elaborari, & facile cedentem eamque dilatauerit secundum omnes dimensiones, & magnum caput fiet, naturalemque maris formam seruabit, forma autē naturalis masculina, ea est, quæ in leone apparet, huius frons quadrata est, passio igitur frontis quadratæ hac ratione iunctam habet magnanimitatem, & quietem quemdam, ni si irritetur, & si magnum fuerit caput, cui frons adest quadrata, vir ille erit, & sensatus, & prudens, non illiberalis, non stupidus; non puto autem magnanimitatem, primo, & vniuersaliter inesse ei, cui caput sit magnum, aut quadrata frons, credo tamen plerosque magnanimos secundum naturam tales esse, at non è contra. Notatum est etiam, quod vir secundum naturam debet esse magnanimus, & quod facies virilis leoninæ est similis, vt autem magnanimitas viri propria est, ita pusillanimitas magis decet mulierem.

APOTELESMA LXXVII.

,, Qui autem collectam habent adulatores, referuntur ad passionem, quæ fit, id autem in canibus videbit quispiam, quoniam canes cum blandiuntur contractam habent frontem.

EGo vero ex sola textus lectione mendum apparere arbitror; primum enim neque adulatores, aut canes cum adulantur frontrem contrahunt, sed potius exporrigunt, & extendunt, & hoc ipsum experiētia docet, qui enim adulantut exhilarātur, exhilarati frontem extendunt, qui vero aut seueri sunt, aut mæsti frontem contrahunt sic Horatius ait.

Explicuit vino contractæ seria frontis. Vbi patet contrahere frontem, nescio quid serij & seueri, non autem blandientis, & adulantis præseferre, & alibi idem auctor idem significans — pauperum cænæ, sine auleis, & ostro. Sollicitam explicuere frontem, hoc est animos cænantium exhilararunt, patet igitur quod si explicare, & exporrigere est passio quæ sequitur & hanc letitiā emitetur adulatio, explicare igitur sequetur adulationē, quod cum sit oppositum ipsi contrahere, certum est, frontis contractio neque adulationis est signum, neque canis dum blanditur frontem rugis ornat, & illam contrahit: sed hoc, dum externū aduentantem videt, plerunque facere solet, in illum latrans. Cum ergo neque canes neque qui adulantur frontem contrahant, certum est in text. errorem esse; verbum sanè græcum, quo accidens hoc significatur contractionem penitus non significat, sed potius quādam frontis, & superciliorum eleuationem, quæ aliqua ex parte conuenire videtur etiam adulantibus, non secus atque admiranti; Nam, & qui adulantur non omnino sine admiratione sunt, & enim eorum quibus adulantur, virtutes suspicere, & admirari prae se ferunt, quæ sane sursum eleuatio superciliorum videtur sequi frontis ad angulos superiores rxporrectionem, quare quodammodo qui adulantur possint dici, quod frontem sursum ducant, cum supercilia eleuent, quando frontem exporrigunt, & explicant; dicemus igitur hanc esse sententiam, quod quicunque naturaliter exporrectam habent frontem, illi sunt blandi, & adulatores; hos autem dico non quod ex uitio alijs imponere tentent, & homines studeant captare, sed blandos, & adulatores uoco naturaliter eos homines, qui placidi sunt, qui alijs quodammodo contradicere nesciunt, nullisque molestiam inferre uolunt, talem dicebant esse Neruam, uerum neque admodum dissensit ab hoc hominum genere Imperator Pertinax, quem Chrestologū uocabant, eo quod bene loqueretur, & nihil ageret,

ret,benignum enim non fuiſſe,ſed adulatorem, & nunquam ſimplicem creditum,ait Capitolinus;huic autem frons magna quidem, & rugoſa,ſed potius ob ſenectutem,quam ſecundum naturam;an forte dicendum,cũ naturaliter eſſet vir grauis,ſeuerus, & auarus; potius ex arte fuerit blandus quam natura, vt potè qui placere in principio ſui principatus volebat,non ſecus atque Vitellius,quamuis alio viuendi,atque agendi genere hic,atque ille hominum gratiam aucuparetur,cum præter rationem ac decorum comitatis, & vrbanitatis nomen affectaret; Quod ergo frontis exporrectio, & explicatio adulatorem ſignificet à ſigno conſequente paſſionem adulantis declarat,dicens.

Quicunque adulatur ille frontem exporrigit, ergo adulatio eſt quodammodo frontis exporrectio, & adulari eſt frontem exporrigere, ergo cui exporrecta naturaliter erit frons ille paratus eſt ad adulationem,& blanditias;mihi autem videtur,hanc poſſe aſſignari cauſam exporrectionis frontis,quæ ſit adulantis paſſio nempe.

Hoc principio poſito quod corpus animi motus ſequatur,muteturque ad animi motiones totum quidem corpus,præcipue tamen facies;ſi igitur qui adulatur lætatur, & exhilaratur,illi autem calor ad exteriora perfunditur,caloriſque ſit dilatare, & aperire, pars illa igitur quæ dilatari, & explicari poterit in extremitatibus,vbi multum erit caloris, & propemodum dilatabitur, & explicabitur;quare manifeſtum eſt cum frons ſit talis,quod adulanti frons exporrigetur,cui autem in adulantis morem frons exporrecta, & explicata eſt, illum dicemus eſſe adulationi deditum,atque ad adulãdum propenſum, ſic ad cauſam ab effectu argumentantes; videturque demonſtratio à ſigno deducta, qua vtitur Ariſtoteles ſic poſſe reduci, qui naturaliter exporrectam habent frontem illis adeſt idem ſignum, idque faciunt, & in fronte gerunt, quod conſpicitur in adulantibus actu; at quicunque ea ſigna habent, & faciunt, quæ habent, & faciunt adulantes, illi adulatores,& ad adulandum ſunt propenſi,ergo quibus frons eſt exporrecta naturaliter illi ad adulandum erunt propenſi, minor exemplo canum dominis adulantium patet; nam canes dominis adulantes,& caudam mouent, & frontem exporrigunt,ergo naturaliter qui adulantur frontem exporrigunt,& explicant;quare cui naturaliter ineſt adulatio,illi ineſt frõtis explicatio,& ſicuti qui in libidinem,& in venerem ruit,illi naturaliter erigitur penis, & contrahuntur teſtes,ita quicunque adulatur ille vultum explicat,& frõtem exporrigit, & ut illum dicimus eſſe laſciuum,& nimium veneri deditum,qui vbique,& facillimè, & leuiſſima de cauſa arrigit,ſic etiam qui naturaliter exporrectam frontem habet, eſt adulator,hæc ergo vt opinor præſentis apoteleſmatis ſententia eſt.

APOTELESMA LXXVIII.

„ *Qui nebuloſam audaces,referuntur ad tauros,& leones.*

NVbiloſa ea frons appellatur,in qua circa ſupercilia,& paulo ſupra medium eorundẽ cutis contracta quodammodo eſt,& rugoſa,& eleuatior, vt obſcuriorem efficiat pellem,quæ eo in loco poſita eſt;mihi autem videtur,per ſimilitudinem ab aere ſumptam vocari nubiloſam frontem, quæ neſcio quid atri,aut fuſci,orientis ex contractione, & rugoſitate cutis eo in loco habet.

Eſt igitur Ariſtotelis ſententia, quorum frons eſt nubiloſa illi ſunt audaces, eo quod taurum,& leonem referunt, qui vtrique inter animalia cætera audaces ſunt, & frontẽ habent nubiloſam;addendum etiam canes audaces, & eo potiſſimum tempore, quando audaciam exercent, frontẽ præſeferunt nubiloſam, & rugoſam;quod ſi qui audacter aliquid aggrediũtur,& illi nubiloſam frontẽ gerunt,probabile eſt, audaciæ proprium ſignum eſſe nubiloſam frontem;ego tamen valde dubito, ſi quidem nubiloſam frontem eos etiam videmus

demus habere, qui mœsti, & lachrimabundi sunt, qui timent, ac fugiunt, quam passionem etiam Virgilius in Caco agnoscit, non igitur est proprium audaciæ signum, habere nubilosam frontem, neque etiam omnes, qui nubilosam frontem habent, illi sunt audaces.

An forte dicendum nubilosæ frontis duas esse species, alteram quę audaciam comitatur, & iracundum furorem, alteram quæ cum timore, & mœstitia iuncta est; cum priore est eleuatio faciei, erectumque caput, & color in facie flammeus, aut saltem ad ruborem accedens, mixtum squalori, oculique turbidi quidem, sed quodammodo ardentes, ac spiritus uehemens, uox magna, & grauis, qualem leones, ac tauri habent; posteriorem sequitur facies ac uultus, capitisque depressio, & oculi in terram fixi, color pallidus, sudor frigidus, & horror quidam, oculi turbidi quidem, sed quasi mortui, & spiritu priuati uox acuta, clangorosa, quærula, labris hærens, qualem anseres habent, tum præcipuè cum fugiunt, causa huius passionis duplicis, etiam duplex erit, nam si nubilosa frons ea est, cuius cutis circa supercilia contrahitur, & corrugatur, hæc autem passio ideo contigit, quoniam eam dilatans abest, cutim uero dilatant spiritus, & humor, eorum absentia utique frontem corrugabit, si quidem mœstitia, ac timor aderit calor omnis, & omnis spiritus ad partes interiores, & inferiores feretur, quare & facies spiritibus, & calore priuata à frigore corrugabitur, & hęc passio est, quæ dolorem, & tristitiam comitatur.

Ex altera parte, quoniam iracundia efferuescente ascendunt ad caput spiritus calidi, & ignei, ac uehementes, ijdem cum humorem exsiccent pariter, & corrugant cutim superciliorum superiorum, & quæ circa medium frontis est, quoniam ad ea potissimũ loca feruntur ignei spiritus, quare sic duplex est nubila frons, & duplex etiam causa, duplex item quę indicatur passio; huius autem effectus duplex est causa efficiens, si quidem humor, & spiritus, uel à frigore expressus retrahitur ad partes interiores, uel à calore cõsumitur, id autem uidemus in pellibus, animaliumque corijs iam ex arte paratis ad uestimenta; hæc enim coria, & multo frigore rigescunt, & contrahuntur, & calore etiam multo idem patiuntur, durescunt, & plicantur, uixque rursus mollescere possunt, cum calore fuerint contracta, hanc igitur puto esse differentiam inter nubilosam illam frontem, quam rugis arauit tristitia, dolor, & timor, & quam calor, audacia, & uiolentia contraxit, & obduxit, paucis igitur repentes causam, & demonstrationem constituentes, quę doceat, quod quorum nubilosa est frons, illi sunt audaces, dicamus.

Cui inest multa audacia illi inest multa caliditas sicca circa principia actionum, & motuum, cui id inest illi calor multus adest circa phantasiam, siue locum, in quo existit organũ destinatum phantasiæ, quod esse aiunt circa sinciput, & frontem, & cui sinciput, & frons est iusto calidior, & siccior illis contrahitur pellis frontis, cui id accidit ille nubilosam gerit frontem, audax igitur nubilosam frontem habet, quod fuerat probandum, quare, & cui frons inest nubilosa, caput eleuatum, oculi cæsij, facies sublimis, & confidentiam spirans ille dicetur audax, quoniam eas sortitus fuerit proprietates, quæ naturaliter audacem consequi solent, est autem audacia propensio ad tentanda, & ad subeunda etiam sine ratione, pericula, naturaliterque, ad nihil timendum, & plus iusto sibi confidendum, quare non est laudabilis, nisi illam recta ratio temperet, atque accommodet. Quorum ergo frons nubilosa, & corrugata in certum morem, qualem habent leones, & tauri designet audaciam ex his manifestum est.

APO-

APOTELESMA LXXIX.

Quoniam autem nebulosus habitus audaciam significat, & tranquillus adulationem, medius habitus vtique horum bene decenter se habet.

EX his quæ hoc loco dicuntur clarissimè patet mendum esse, quod supra notabam in apotelesm. 77. vbi legebatur; Qui collectam frontē habent adulatores sunt; nā si tranquillā hoc loco legit eamq. nebulosæ opponit, cū nebulosa sit contracta, & collecta, clarū est, quod nullo modo tranquilla, contracta, vel collecta, legi potest, qua vero ratione id in textu Arist. cōtigerit, diuinare facilius, quā conijcere possem; primū itaq. noto nebulosum habitum tranquillo opponi, deinde audaciam adulationi, quod tamē videtur durum, nam nebulosū sereno potius, & trāquillū sollicito, & anxio deberet opponi, audacia aūt timori.

Putarem igitur sic posse responderi, quod quæ opponuntur alia propriè, per se, & immediatè opponuntur, vt album nigro, calidum frigido, graue leui, per aliud, vel per accidens alia, & improprie, vt auaritia, & magnanimitas, somnus, & sollicitudo; ea autem proprie dicuntur, & per se opposita, quæ operationes faciunt omnino oppositas, quæ in compossibiles sunt, & quæ sunt sub eodem genere posita, & differentijs oppositis seiuncta, vt album & nigrum, calidum & frigidum; per aliud vero siue per accidens, quæ vel sub oppositis generibus continentur, vt liberalitas, & audacia, vel opposita sequuntur, vt diuitias, sollicitudo, paupertatem incuria, sic etiam quæ in oppositis subiectis existunt opposita per accidēs vocantur, vt quæ in igne, & aqua existunt, sic igitur fronti tanquam subiecto in quo; accidit, contractio, & corrugatio, amplius exporrectio, & expansio; & hæ passiones per se sunt contrariæ, & sensu perceptibiles quatenus sunt species figurarum ac motuum quorumdā, quæ dicuntur sensibilia communia; contractionem sequitur nubilositas, expansionem, trāquillitas, & ita secundario, & non per se, & primo videntur opposita; ad nubilositatem autem de qua supra diximus, sequitur audacia, & ad tranquillitatem adulatio, quare inter audaciam, & adulationem oportet esse aliquam oppositionem, consequuntur enim opposita, sanè adulatores sunt abiecto, & vili animo præditi, audaces autem hoc loco putarem vocari superbos, contemptores hominum, elatosque, & quoscunque, qui solo aspectu, atque obtutu terrificare alios profitentur, quod si hęc ita capientur nemini dubium quod opponetur tranquillitas nebulosæ fronti, & audacia adulationi; isti igitur contrarij habitus corporis, & dispositiones, siue propensiones animi sunt oppositæ; at opposita omnia secundum quod opposita sunt, extrema uocantur, extrema simplicia sunt, excessus enim, aut defectus sunt; at simplicia cōpositis opposita sunt, oppositū ab opposito corrumpitur; ergo ratio eorum, quæ composita sunt, in mediocritate consistit, ratio autem, & natura est finis & perfectio cuiusq. patet igitur, frōs, q quæ sortita est mediam inter tranquillam, & nubilosam dispositionem magis erit secundum naturam, & magis uirum decebit quam extremorum alterum. Ita enim comparatum est, ut quod optimum est, ac perpetuum à contrarijs exemptū sit, quale est cælum; At sublunaria omnia, vel implexa cōtrarijs sūt, vel ipsamet sūt cōtraria, pfectiora sūt, q̄ cælo magis similia, magisq. à cōtrarijs exēpta, hæc nempe, q̄ magis ab vtroq; distāt, ea aūt maximè ab extremis remota sunt, q̄ maximè in medio posita sūt; bene igit dictū est, si nebulosus frōtis habitus audaciā, trāquillus adulationē, siue animi humilitatē, ergo medius decet virū bonū, & qui huiusmodi sortitus fuerit frontē rationabiliter placidus erit, ita tn̄, vt fari ēt possit, q̄ sentiat, & sapiat, nec facile præceps in irā feratur, neq. nimia man suetudine pespectus sit, & abiectus Talē Titi Vespas. spectabis frontē, in quibusdā antiquis monetis æneis, in quib. eius impressa est facies, in quò summa placiditas magnanimitati iuncta fuit, quam ostendit dum inter coniuratos sedens, se parum timere mortem docuit, illisq. non solum, sed fratri ēt continuè ipsi insidianti, pepercit.

APOTELESMA LXXVIII.

Qui tristem habent frontem mœsti, referuntur ad passionem, quoniam mœsti tristem habent faciem.

QValis sit facies tristis facilius est oculis tueri, ac iudicare, quã voce exprimere, facies aũt tristis duplex est, altera ex ira, qualem refert Cornelius Tacitus eos habuisse, qui L. Vitellij auspicijs bellantes seditionem fecerant, post occisum Aulum Vit. Imperatorem. Hos enim longo ordine captos per mediã vrbẽ deductos fuisse ait exarmatos vultu tristi quidẽ, sed truci, & irato; altera tristis facies est, quæ mœstitiam cum timore, & animi abiectione iunctã ostẽdit, qualẽ describit Virg. in Achemide Vlissis socio, ergo tristitia vtriq; affectui iungit nẽpe iræ & abiectioni, siue humilitati, quare in facie aliquãdo altera species simplex, aliquando ex vtrisq. cõposita apparebit, vt in Didone q̃ in Sexto ait Virg.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat,
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quam si dura silex stet, aut Marpesia Cautes.

Est etiam, ni fallor possibile reperire solam tristitiam, quæ neque timori, neque iræ, sit coniuncta, qualem idem auctor describit Marcellum in sexto, habentem frontem lętam parum, & deiecto lumina vultu, si igitur imago tristitiæ in facie apparentis potest esse accidẽtalis, nemini dubium, quod etiam naturalis esse poterit, & si species accidentalis tristitiæ sunt, ergo, & secundum naturam in facie vniuscuiusq. imagines harum dispositionum poterunt reperiri similes illis, quę secundum accidens, & à causa externa inducuntur, ceu testatur Aristoteles in prædicamentis.

Vultus igitur dicitur esse tristis in quo tristitia apparet, siue eiusdem icon, & species cõspicitur; est autem tristitia contractio caloris, & spirituum versus suum principium propter apprehensionem rei ingratæ, idem autem est ingratum, & inconueniens, & molestum, & quod tale esse iudicatur, ẽt si re uera non esset, eundẽ parit affectũ; ex quo forte deduci põt, qualis nã sit tristis facies; nã si calor ad interiora, & sanguis cõtrahitur, probabile est, tristẽ in primis ad pallorem accedere, deinde frontem corrugatam habere, contracta supercilia mediocriter depressa oculis terrã spectare aliquando tñ, & cęlum, os occlusum tenere, mediocriter collum inflectere, suspiria crebra emittere, voce querula, & in fine acuta loqui.

Quidã putarunt inter tristitiã, & mœstitiã hoc genus esse discriminis, vt mœstitia sit inueterata, & quasi habituata, tristitia sit in principio, & tanquã dispositio tm̃, hęc igitur passio, illa habitus passiuus, sic Virgilius de Troianis iam diù à marinis tempestatibus afflictis loquens, eos mœstos vocat, sic ẽt in sexto, Leucapsim, & Polinarũ vocat mœstos, & mortis honore carentes; ego tñ crederẽ indistinctè vsos auctores vtraq. voce, nam & tristes inferni domos, & tristem paludẽ stygiã vocat; at si quid discriminis est inter has duas voces mœstitia ad animũ refertur, tristitia vero ad corpus, & mœstus propriè dicetur homo, tristia etiã inanimata appellabũtur, sic domus, sic palus, sic regnũ triste vocant poetæ; at fortè, non facilè horũ vnumquodq. mœstũ dicent, cui sanè sententiæ accessisse vr̃, qui Arist. verba græca in latinã linguã transtulit; cæterũ non solum mœstũ intelligemus, qui habet ex causa habituatam tristitiã; sed illũ ẽt vocabimus ex Arist. mœstum, qui ad tristitiã propẽsus est hoc est cui ex facili, & leui causa paratus est spiritus, & sanguis recurrere versus suum principiũ.

Huic igitur frigidius iusto erit cor, vnde naturaliter quacunq. etiam leui causa feruntur spiritus ad eius defensionẽ; probabile igitur est, etiam spiritus non multos esse, & aqueos, sed aquę turbidę, & cęnosæ similes, quare, & qui natura mœsti sunt ijdem etiam melancholici existunt; est itaque hæc apotelesmatis sententia.

Quicunque frontem corrugatam, & contractam habent tristitiam præseferentem, illi prom-

prompti ſunt ad mærendum, & leui de cauſa mæſti efficiuntur, probatur à ſigno, quoniam qui ex cauſa externa mærent, illi talem frontem habent. Vis autem huius rationis tota pendet ex eo principio, cuius ſupra meminimus in capite de qualitate, qđ eius coloris, qui ob aliquam externam cauſam per paſſionem excitatur in facie, poteſt etiam eſſe naturalis cauſa, quæ eundem colorem faciat, eodemque modo diſponat corpus, quo cauſa externa illud ipſum poterat diſponere, patet igitur ſi præſentia mali calorem ad cor, ac ſpiritus repellit, & facies pallida, & decolor remanet; quod ſi cui calor, & ſpiritus naturaliter circa cor ſteterint, neq. ad partes externas promptè, vt deceret affectum hominem, ſecundum naturā in ſui exordio, delati ſunt, q̄ ille vir ad talē affectionē timoris ſuſcipiendā paratiſſimus eſt.

Cauſa propter quā vera ſit propoſitio Ariſt. ſic oſtēdi pōt, frōte triſtes ſunt mę̄ſti, p̄batur ex ratione mæſti; nā mæſtus eſt, cui confugit ſanguis ac ſpiritus ad cor p̄p apparentiā rei ingratæ; at cui ſpiritus, & ſanguis ad cor cōfugit illi frons calore, & ſanguine priuatur, frōs calore, & ſpiritibus priuata corrugatur, corrugata, & depreſſa frōs dī eſſe triſtis; ergo cui frōs triſtis adeſt illi sāguis, & ſpiritus circa cor deſcēdit; cui id accidit ille mę̄ſtus eſt, vel ad mæſtitiam p̄pē ſus, ergo cui frons eſt triſtis, ille ad mæſtitiā, & luctū, ac dolorē paratiſſimus eſt.

Porrò melancholici omnes triſtes ſunt, item & ſenes, & qui naturaliter pituitoſi ſunt, & qui negotijs maximis dant operam, & qui religioni addicti ſunt, itē qui ſcientias abſtruſas, & difficiles rimantur, amplius qui medicinā, qui chymicā, qui demū artes difficiles aut ratione ſubiecti, aut ratione finis pertractāt; triſtes etiā ſunt grāmatici, qui docent pueros; amplius incantatores, præſtigiatores, malefici, itē poetæ quā plurimi, necnō amatores exhabitu, & Zelotypi; iudices criminales, & horū aſceclæ, ac miniſtri; nocētes demum, vt fures, latrones, ſicarij, & qui continue à cōſcientia ſcelerū torquentur, atq. his ſimiles irati per longū tp̄s, lōgis, ac perpetuis malis, aut morbis afflictati, & alij quos oēs longum eſſet recēſere.

Hoc autem præſertim, vt mihi videtur attendendum eſt, vt ſpecies triſtitiæ diſtinguantur, etenim qui cum triſtitia oris truculentiam iunctam habent, efferi, & crudeles reputandi ſunt, qui ex aduerſo triſtes ac timidi videntur, hi miſericordes, & fœmineum genus referentes, iracundi apparent, qui cogitabundi faciem præſeferunt, prudentes ſunt, & auari, & alienorum appetitores, non tū naturaliter omnino iniuſti, qualem autem temperiem ac diſpoſitionem ſanguinis, qui circa cor eſt, aliquis fuerit ſortitus, & qualia fuerint inſtrumēta quibus ſpiritus vtuntur, ſiue ſanguis hic à natura, ſiue ex accidenti factus tales etiam putandum eſt futuras eſſe illius hominis propenſiones, eſt autem naturæ dare motum, ac mutationem, cuius ipſa principium eſt; & habitus, & voluntatis ipſi modum adhibere, ſecundum quem velox, aut tardus, aut alia aliqua ratione affectus ab alijs differre dicitur.

APOTELESMA LXXXXI.

Qui autē demiſsā lamētabūdi, referūtur ad paſsiones, q̄a lugētes demiſsæ sūt frōtis.

FRons quæ triſtis eſt, ſi trux fuerit demiſſa nō dī, q̄ vero cū triſtitia timorē pudoremue iunctum habuerit, illa ſane demiſſa eſt, in vniuersū igit demiſſa frōs triſtis erit, at oīs q̄ triſtis eſt, eadē nō demiſſa apparere poterit, triſtis frōs Mezētij ex lauſi morte, at nō demiſſa, ea igit eſt demiſſa, q̄ remiſſis muſculis frōtis q̄b. attollunt ſup̄cilia oculos penè claudit, & rugas, q̄ in fronte apparebāt prius detergit, ac fugat; cōtracta igit, ac corrugata frōs quodāmodo videt opponi huic, q̄ dicit eſſe demiſſa. Demittit igit frōs triplici de cauſa aut timore mali inhoneſti, & dedecoroſi qui dī pudor, ſeu mali inutilis, & dolorē inferētis, vt flagrorū vulnerū, & mortis qui propriè formido eſt, & hæc frōtis demiſſio poſterior, cū triſtitia ſemp̄ iuncta eſt, prior non ſemp̄, pudet. n. aliquando fęminas dicta quędam audire, vultūq. demittunt, nō tū triſtes sūt, ſed nō nunquā ēt ſub rident, vt in venereis collocutionib. cōtingit, vel frōs demittitur ēt, quādo q̄s de cōcepta ſpe decidit, ſiue eaſit vltionis ſpes, ſiue cōceptæ alicuius rei, q̄ voluptatē, aut cōmodū afferre poſſet, errigit caput, & frons attollitur, cum ſpes

illuceſcit, eadem autem cadente, & euaneſcente frons demittitur, quod etiam accidit iratis cum oratione, aut re aliqua alia animus mulcetur, pulſaq. corde parumper eſt ira, quæ cõtractã frotẽ effecerat; & miſericordia in iræ locũ ſubeunte ẽt frons demittitur; timor igitur, amplius ſpes caſſa, ſiue deſperatio demũ, & miſericordia demittunt frontẽ, quæ nõ naturaliter demiſſa eſt; qđ ſi alicui naturaliter demiſſa apparebit, ille ſanè ad aliq̃ harũ paſſionũ paratus erit; eſt igitur demiſſio frõtis paſſio fęminilis vultus, ſic Dido vultũ demiſſa ꝓfatur, ſic Andromache deiecit vultũ, & demiſſa voce locuta eſt; cũ ſibi obijci cõnubia Pyrrhi audiret; lamentabundos voco, qui proni ſunt adq̃ querelas, & leui de cã lamentantur, neceſſe eſt autem hos naturaliter frigidioris eſſe cordis, ac temperamenti, & melancholia præter naturali, & frigida abundare, quare ſuſpicionibus plenos eſſe, & innocentes amicos plerunq. damnare, ſua ſibi ipſis videri deſpicabilia, ſe contemni, alios honorari, alios erigi, ſe deprimi, in cæno, & tenebris verſari, quod ergo demiſſam gerentes frontem ſint naturaliter inclinati ad quærelas, & lamentationes hinc ait Ariſtoteles, manifeſtum eſſe.

Qm̃ q̃ lugẽt, & lamentãtur demiſsã frontẽ gerũt, ſed vt mihi vr̃. potius ſupplicis animi, q̃ queruli demiſſa frons vr̃ eſſe ſignũm, oẽs aũt ſupplices quodãmodo queruli ſunt, nã qui ſupplicant dolent, doloꝛẽ oẽm ſequitur querela de ſemet ipſo, vel de alijs, vel de fortuna, aut aliqua alia cã occulta, vel manifeſta, ſi igitur quicunq. lamentantur demiſsã gerunt frõtem, ergo & q̃ demiſsã frontẽ hẽnt ad lamentationes, & querelas ſunt propenſi, quæ cõuerſio ex his, quæ iam ſæpè dicta fuerũt, ẽt in principio, cõfirmari põt, qm̃ corpus ſequitur paſſiones aĩæ, quare facta mutatione in aĩa, fit ẽt in corpore, & qm̃ corpus aĩæ inſtr̃m eſt, & qualia ſunt inſtr̃a tales ẽt ſunt operationes; facta in inſtr̃is mutatione, aut alteratione, probabile eſt, ẽt in aĩa tales diſpoſitiones, aut ſaltẽ propenſiones reperiri, eique qđ pueris plerunq. ſolet accidere; ſi quis .n. puer in manu habeat terebellũ, aut malleolũ quodcunq. ſe ſe offert terebrandũ, ẽt ſi id nulla neceſſitas poſtulet, ſubito vult terebrare, aut malleo percutere, & ſi cui præſto eſt calamus, & atramẽtũ ille ſubito ſcribere affectat; ſi ergo externi inſtrumenti, & accidentalis præſentia, & poſſeſſio inclinationem parit ad agendum ſecundũ illud ipſum; tãto magis naturale, & cogenitũ inſtrumentũ aĩam ad has mouebit actiones.

Dubit.

Sed dicet quiſpiã querelarũ inſtr̃m non eſt frons demiſſa: at nec dentes ferrei ſunt ſerra, ſed tũ ſine illis non eſt ſerra; ita querentis organũ, non eſt demiſſa frons, ſed bene ſequitur plerunq. cõquerentẽ; cã aũt ꝓp q̃ lamentabũdi demiſsã hẽant frontẽ, eã eſſe puto, qm̃ externa frigẽt, & calor ad interiora recurrẽs ꝓp doloꝛẽ ſecũ ſpirit⁹ attrahit, & deſerta ſpiritib. & calore frõs, & caput in ſe ipſũ cõcidit, quib. igit̃ externa ſupiora frigẽt, ijs demittit̃ frõs, & caput, at cõquerẽtib. & dolẽtib. externa, & ſupiora frigẽt, ij, igit̃ demittit̃ frõs, & caput, qđ fuerat probandũ; lamentabũdos igitur eſſe eos, quib. frons demiſſa, ex his eſt manifeſtũ.

APOTELESMA LXXXII.

Qui habent magnum caput ſenſati, referuntur ad canes.

QVis ſit ſenſatus ſupradictum eſt, idem qui cordatus, & cordati ſunt, qui ad oblata ſe habent, pro ut comuniter recta ratio poſtulat; videndum eſt aũt quid magnum ſit caput, deinde, an canib. magnũ ſit caput, & an ex hoc ſenſati dicãtur; qm̃ non in capite, ſed in ſenſuũ perfectione ſimiles ſint canib. neq; oĩbus, ſed illis quos odoriſequos vocabat Põponius, & quib. vtuntur venatores ad captandas perdices, & qualeas; at qm̃ rectum, & qđ ſm̃ naturam eſt index, & regula ſui, & obliqui, & eius quod præter naturam, dicendum eſt quale nã, & quantũ debeat eſſe caput humanũ, & quinã ſint exceſſus, & defectus termini.

Quale caput humanum, et quãtũ.

Caput humanum quod mediocre dicitur, ac ſm̃ naturam, duplex eſſe põt, vel comparatum ſimpliciter ad hominẽ, ſiue mas ſit, ſiue fœmina, qđ naturaliter definitã hẽt, ac certam magnitudinem, q̃ ſi exceſſerit, aut ab ea defecerit non exactum erit, vel dicitur mediocre

caput

caput non ſimpliciter,ſed reſpectu huius,nam quod mihi eſt mediocre,illud ſimpliciter poteſt eſſe nõ mediocre,ſed iuſto maius,aut minus;de hoc igitur vtroque dicamus; viro itaq. in cõſiſtenti ætate poſito,& optime ſm̃ naturã diſpoſito, captis circumferentia à medio ſupciliorum ſupra vtramq. aurẽ producta ꝓ occiput donec ad eundẽ punctũ peruenerit, tãta eſſe debet, vt comparata ad faciei magnitudinẽ triplex exiſtat, etenim facies à mento ad fontis extremũ capta ferè diameter eſt eius circuli, qui caput ambit; facies autẽ nona pars eſt altitudinis humani corporis optime complexi, ac ſecundum naturam affabre facti.

Facies in tres partes æquales diuiſa eſt, à frontis principio vſque ad media ſupercilia, ſpacium eſt vnum,in quo ſedem poſuiſſe prudentiam, & ſapientiam dixerunt;quod ſuccedit ad naſi extremitatem deducitur,quem locum aſſignant pulchritudini, tertium vſque ad menti extremum bonitatis morum indicẽ vocarunt, cuius capitis collum debet eſſe ſecundum circumferentiam ſuam quanta eſt linea duplicata,quæ faciem totam metitur;huius deinde pes ſextam partem corporeæ altitudinis, ſiue longitudinis quæ eſt à vertice ad plantas æquabit;neque caput tamen hoc apud omnes homines robuſtos idem ſeruat, & præſertim apud Italos, hi enim cum habitent clima temperatum, & quod ſecundum magnam ſui partem XXXXV. gradui ſubiectum eſt,medio modo ſe habent,ad eos,& qui magis ſeptentionales ſunt, & qui minus, caput igitur mediocre hoc erit, magnum autem, quod hanc excedit menſuram vſquequo,ſicut igitur proportionatum caput eſt illud,cuius circumferentia eſt tertia pars totius longitudinis corporis, ita improportionata magnitudo vltra, & citra quam humana capitis forma ſtare uon poteſt.

Ex his ergo quod nam ſit vnicuique viro magnum, & quodnam paruum, & quod mediocre caput patet,ſimpliciter etiam quantum debeat eſſe caput, & quid maius vel minus ſit ſimpliciter, eis clarum erit, qui virilis corporis ſtaturam eſſe extenſam per quinque pedes italicos exactos dicunt, eſt autem pes duodecim vnciarum,quo vtuntur in communibus menſuris Itali recentiores, paulo maior eo, quo & Galli nunc, & olim Romani referẽte Budeo,vtebãtur;ſi igitur res ita ſe habet,nemini dubiũ,qd̃ caput ſimpliciter mediocre habebit circumferentiã ferè vnciarũ viginti,tot enim aſcendunt ad tertiã partẽ ſexaginta.

Quicunque igitur caput magnum habent hoc eſt excedens aliquantis per mediocritatẽ vel magis excedens,quam à mediocritate deficiens,illi ſunt ſenſati,hoc eſt bono(vt puto) diſcurſu, & iudicio prædíti,apti dignoſcere quid deceat, & quid non, & recto more obire omnia vitæ munia,quoniam cum ſenſus ſecundum naturam diſpoſiti ſunt,phantaſmata etiam ſuggerunt pro, vt ſunt res, atque recipiuntur,iudicanturq; ſecundum quod omnib. apparent,qui autem tales ſunt,ſenſati, & cordati vocantur. Hos dicit referri ad canes,ſed non omnes,non ad eos quidem,qui domum ſeruant,non etiam qui leporarij dicuntur,ſed ad eos præſertim quibus vtimur cum perdices, ac qualeas indagamus, aut ferarum veſtigia ſcrutamur;quod ergo quorum caput eſt magnum pleruaque bene ſenſati ſint, & bonũ nacti intellectum,ex hoc patet, quoniam referuntur ad canes, ferarum indagatores, propter quid autem id accidit nunc dicendum;at ſanè bene ſenſati ſunt quorum iudicium bene ſe habet ad oblata,& pulchre diſcernunt, quid facto ſit opus, illorum autem,quibus hoc accidit, neque confuſa ſunt phantaſmata, neque præpropera, neque ſe mutuo impediunt,ſed ordinata ſunt, & diſtincta;hanc diſtinctionem, & ordinem cauſat locus capax, & bene ſe habens,in quo ſit omnibus ſedes,tale autem eſt caput magnum,ergo magno capiti rationabiliter conuenit,bona ſenſatio;amplius vel ſic deducatur demonſtratio,cui magnũ caput eſt illi ꝓbabiliter diſtincti capaces & elaborati ſunt cerebri ventriculi,cui id adeſt,ille bene res percipit,ac bene diſcurrit,qui talis eſt, ille bene ſenſatus dicitur, & cordatus,ergo cui caput magnum,ille eſt ſenſatus. At ex aduerſo ſicuti paruum caput medicus malũ dicit,ſic magnũ vocat nõ bonũ,ſi igit̃ magnũ caput non eſt bonũ,& caput arguẽs ſenſatũ virũ eſt bonũ ergo vel qdã bonũ nõ eſt bonũ,vel caput magnum non arguet ſenſatum

virum; quod Ariſtoteli placet, An dicendum, vt ſæpè, hæc, ſicuti, & aliæ, quę naturalia ſunt & in materia, non ſunt neceſſaria niſi ex ſuppoſitione, & vt plurimum, quare & de his rationes afferuntur vt plurimum, vt primo priorum, nulli igitur mirum, ſi caput magnum non ſemper eſt bonum.

An rurſus dicendum capitis magnitudinem à duplici cauſa poſſe oriri, aut à ſola materiæ exuperantia cui non perfectè dominatur efficiens, & huiuſmodi caput nunquam eſt bonum, ſed qui tale ſortiti ſunt caput, illi & ſomnolenti, & rudes admodum, & ſtõlidi plerunque, atque inſenſati apparent, aut capitis magnitudo exuperantiam quidem materiæ arguit, ſed talem cui apte cauſa efficiens fuerit dominata, & illam apte formauerit, & exacte diſpoſuerit, provt ratio humanæ formæ requirit, & tale caput ſemper bonum eſt; Bene igitur medici cum dicunt caput magnum nõ de neceſſitate bonum, quoniam duplex in capite poteſt eſſe magnitudo; ſecundum hanc enim bonum eſt, ſecundum illam non eſt bonũ bene etiam Ariſtoteles qui dixit caput magnum eſſe bonum, intelligens de eo quod à virtute formatrice materiam ſuperantè, illique exacte dominante factum fuit.

Dubit. Rurſus videtur dubitandum quid commune phantaſmatibus, & ſpeciebus ſenſibilibus, item ingenio, & iudicio cum loco, & corporum quantitate, ſi quidem phantaſma, & diſcurſus res ſunt incorporeæ, incorporeo autem, & corporeo nihil eſt commune vniuocum & illi non datur locus, niſi per accidens, & magnitudo, aut paruitas illud non mutat ſecundum ſe.

Reſp. An reſpondebimus phantaſma, diſcurſuſque non ſanè eſſe res corporeas, attamen eſſe paſſiones, & conſequentia naturam corporum, quare ſi receptum ſe habet per modum recipientis, & hæc à virtute phantaſtica recipiantur, quæ eſt virtus in materia, & organica neceſſe ſane videtur eſſe, vt qualia ſunt organa, talis etiam ſit illorum receptio, & qualis eſt receptio talis etiam ſit apparentia, ex qua diſcurſus, & iudicium eſt, & cætera quæ interius fiuntab anima; quid igitur ſit caput magnum, & propter quid bonam arguat ingenij, ac ſenſuum diſpoſitionem ex his patet.

Dubit. Rurſus etiam dubitare poſſet aliquis, an cui caput eſt magnum, ille ſit probe ſenſatus, exactoſque habeat eos, qui in capite ſunt ſenſus, videtur enim hoc eſſe falſum, & impoſſibile; nam ſi in magno capite multum eſt cerebri, ergo, & multus humor, multumq; frigus; ſiccitatem autem requirit, & mediocrem etiam calorem ſenſuum acrimonia, vt teſtatur Galenus in libro artis paruæ; an dixeris non ſequi vbi multum eſt cerebri, ibi neceſſario eſt multum frigoris & humoris, cerebrum enim dupliciter comparari poteſt vel cum alijs corporis membris principalibus, qualia ſunt cor, epar, teſtes, & pulmo, & his eſt frigidius, & humidius, vel cum cerebro ſuæ ſpeciei temperato comparatur, & ſic frigidius etiam poteſt vel calidius dici, ex his igitur tollendo difficultatem reſpondeo, quod veriſſimum eſt, in magno capite eſſe multum humidi, & frigidi reſpectu cordis, & epatis ſui ſed reſpectu cerebri, & in comparatione ad alia quæ ſunt ſuæ ſpeciei non ſequitur ſimul, atque magnum eſt cerebrum ita etiam ſubito ſit frigidius, & humidius alijs, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, Porro ſi cerebrum perfectum, & elaboratum fuerit ſecundum quod eius forma, & natura poſtulat, cum in maiori quanto ſimilari ſit maior virtus, & ſit principium ſenſus cerebrum, ſecũdum quod ſimilare eſt, patet qđ maius cerebrum aptius eſt ad percipienda ſenſibilia obiecta, quam minus, ergo dicet aliquis ſi cerebrum lib. 3. eſt mediocre & 4. eſt maius, item 6. & 7. etiam maius, igitur hæc quæ ſunt lib. 7. magis erunt apta ad ſentiendum, quam quæ ſunt lib. 3. vel 4. Huic obiectioni puto reſpondendum eſſe, ſimilaria compoſita, & omnia naturalia habere certam magnitudinẽ, vltra quã, & infra quã forma, uel formæ operatio perfici non poteſt; dato itaque quod cerebrum centum lib. foret exactiſſime aptum ad capienda omnia ſenſibilia perfectiſſime ſecundum materiam, at ſecundum formam quæ ipſum facit eſſe, & quatenus ipſi accidit eſſe principium, & membrum organicum hominis

impoſſi-

impoſſibile eſt,tantum ac tale cerebrum dari, & talem hominem reperiri, cui tale contingat caput. Non ergo verendum ne magnum caput,ſubito frigidius, & humidius ſit iuſto neque credendum adeo magnum caput poſſe homini adeſſe,vt longe calorem cordis ſuperet;ſed bene ſenſatum dicimus,qui exacte percipit, & iudicat quæ ſibi ſe ſe offerunt,hic autem mediocrem debet calorem habere;mediocris illi calor ineſt cui cordis repreſſa,ac temperata eſt caliditas,hæc naturaliter,à cerebro frigido temperatur, quo maius cerebrum erit,vſque ad certum terminum,eò frigidius,quare & melius cordis æſtum temperabit, & homo diſcurret melius, & prudentius aget, neceſſe eſt autem maius cerebrum maius etiã requirere caput, iure igitur cui caput paulo maius iuſto adeſt, ille eſt bene ſenſatus, quod erat ab Ariſtotele aſſertum.

APOTELESMA LXXXIII.

„ *Qui vero paruum inſenſati,referuntur ad aſinos.*

COntrariorum contrariæ ſunt qualitates, ſi caput magnum boni ſenſus eſt indicium, ex aduerſo caput paruum ſignificare totum oppoſitum debet,id autem paruum dicitur quod deficit à mediocritate ſuperius declarata,qui paruum caput habent(ait Ariſtoteles)inſenſati ſunt,referuntur ad aſinos;hoc eſt ſimiles ſunt aſinis. At id mihi videtur non parum habere difficultatis,primum enim aſini non habent paruum caput, deinde qui paruum caput habent illi furioſi ſunt, & præcipites,non autem inſenſati, quandoquidem inſenſatos videmur vocare homines plumbeos,pigros,inertes,caudicem atque aſinum referentes,in hoc quod hebetes, nimirum inſulſi ineptique ſunt, & quos indecorum ſit dicere homines,cum potius ſint ſtatuæ, & hac de cauſa non nulli ſuſpicati ſunt, errorem eſſe in textu Ariſtotelis,non enim caput aſininum, vt dixi,paruum eſt, & nemo antiquorum, ceu Polemon, & Adamantius tale caput agnoſcunt, ſed panthera, & fœmina paruum habet caput, & longe minus aſino,niſi forte, vt quidam auctor huius facultatis, dixerimus capitis magnitudinem poſſe capi dupliciter, vel ſecundum ſe, quatenus eſt organum ex diuerſis partibus conflatum, & ſic aſinus magnum caput habet, vel ſecundum cerebrum, quod eſt præcipua capitis pars, & hoc modo minimum habet cerebrum aſinus,ſicut, & anſer, ſi cum alijs comparetur animalibus,ſingula enim quæ alieni generis ſunt,ſi comparentur cũ ſuo cerebro reperiemus maiorem proportionem habere ſuum ſingulorum cerebrum cum ſingulo corpore, quam aſini cerebrum, aut anſeris cum ſuo comparatum; dicemus igitur quorum caput eſt paruum illorum cerebrum etiam paruum neceſſario eſt, at quorum cerebrum paruum eſt,illi referuntur, & ſunt ſimiles in paucitate cerebri aſinis,at aſinus ſecũdum quod tale ſortitus eſt cerebrum inſenſatus eſt, & rudis, & ineptus, ergo quorum cerebrum,caputque paruum eſt,illi rudes, & inepti, & inſenſati dicuntur, proprie autem intelligemus eos eſſe inſenſatos,qui indociles ſunt,quare & ideo rudes, & quoniam tales dicimus,ſequitur,vt etiam ſint indiſcreti,ſtolidi,ſine fide, & iuſtitia; ſtolidas enim,vt plurimum videmus eſſe eas aues quæ porportione corporis caput paruum habent; Cauſa vero propter quam caput paruum deſignet homines inſenſatos affertur à quodam medico Arabe, eo quod ventriculi iuſto arctiores ſunt, & ſtrictiores quare ſpiritus animales libere peruagari non poſſunt,imperfecte igitur mouentur quare & operantur, & in homine cauſant diſcurſum, & propter id inſenſati,ſunt. Ex oppoſito Diuus Thomas lib. de ſenſu, & ſenſili,paruo capite præditos homines impetuoſos vocat, & violentos,non autem refert ad aſinos, quorum natura ab omni violento impetu longe ſemota eſt. *Dubit.*

An poſſumus huic dubitationi reſpondere. Primum quod cum paruo capite, vel iunctum eſt cor frigidum,ut in aſino, & anſere, & hæc animalia inſenſata,inepta, & indiſcreta ſunt,

ta sunt, vt quæ habent cerebrum, & siccius, & frigidius, & crassius alijs, aut cum eodem, calidum cor est, & tunc ea animalia vehementia sunt, impetuosa, ferocia, timida tamen, vt quæ facile reprimantur, neque fortia sint admodum, ceu feles, pantheræ, & struthio camelj; vel dixerim paruo capite præditos referri ad asinos in eo, quod ipsi sunt indociles, & insensati, hoc est inepti ad rerum differentias exactè cognoscendas ob vehementem spirituũ perturbationem, qui paruo in vase arctati confunduntur non autem illi similes asinis sunt in quantum asini frigidi sunt, patientes, & sine iracundia, atque vltionis desiderio, nihil curantes quæ patiuntur; Cæterum cum caput gratia cerebri præcipuè factum sit, & hoc propter animales spiritus, a quo omnis sensus, ac motus originem trahit; quoniam quale est principium, tale etiam est principiatum, probabile est quale fuerit caput, & ex eiusdem figura nobis naturam, & dispositionem cerebri innotescere, & quale nam fuerit cerebrum, tales etiam iudicari sensus operationes, quarum primum est principium, & origo cerebrum.

APOTELESMA LXXXIV.

Qui habent capita pineata inuerecundi, referuntur ad habentes vngues incuruos.

PIneatum dixerim caput, quod pineæ nuci simile existit, quodque quodãmodo conũ imitatur, & in acutum definit, pineatum caput quod aiunt, significat hominem inuerecundum, iracundum, & rapacem, qui propensior sit ad iracundiam, item & ad inuerecundiam; Quid sit verecundia, & inuerecundia, iam dictum est; ea autem est hominum passio, soli enim homines existimationis, & bonæ opinionis affectu teneri videntur, per quandam tamen similitudinem etiam belluis, & irrationalibus tribuitur animantibus: Inuerecundum autem animal illud dici videtur, quod non absterret a cibo, potuque, aut a venereis voluptatibus hominum præsentia, etiam in clamantium, & plagas intentantium, rapax autem dicitur animal, quod violenter aliena carpit, & inuitis dominis in suos trahit, & conuertit vsus. Hos referri ait ad habentia vngues incuruos, Hæc igitur animantia necessario, vel quadrupeda sunt, vel bipeda, & si quadrupeda hæc erunt, vt leones, pardi, tigres, vrsi, cati, & huiusmodi.

At ut mihi uidetur nullum horum pineatum habet caput, quare necesse est, ut ad ea, quæ duos pedes habent conuertamur; nam quæ plures quattuor pedibus sortita sunt, exanguia omnia sunt, neque respirant, modicumque caloris habent naturalis, nam si multum haberent, respiratione egerent, quare & pulmonem possiderent, quæ igitur sine pedibus sunt incuruos non habebunt ungues, quoniam neque ungues, neque quæcunque plures quattuor habent pedes, quoniam exanguia sunt, exangue autem omne timidum est, timidum, non uidetur esse inuerecundum, & rapax, res igitur ad habentia duos pedes reducetur, tales sunt aues rapaces, exhis quædam sunt audaces, & inuerecundæ, ceu aquila, & accipiter, & inter nocturnas, noctuæ, bubones, & maximè omnium oti, & asiones. Hæc igitur auium genera rapacia sunt, eadem inuerecunda, iracunda, & quæ ferè nusquam miteſcũt, quod sanè uidetur experientia clarum.

Dubit. At fortè posset dubitare aliquis, an huiusmodi aues pineatum caput habeãt; si enim qui pineatum caput habent similes sunt ijs auib. quæ aduncas habent ungues, probabile esset in utrisque eandem qualitatem, & figuram capitis reperiri, siquidem a similitudine corporis, animi similitudo infertur. Verum nusquam pineatum caput in aquilis, in accipitribus, aut in ullis auibus, quæ ungues incuruas habeant animaduertes facile; in quadrupedibus autem certum est, quod illorum capita nusquam pineata sunt.

Putarem posse responderi similitudinem in qualitate animi non autem corporis consistere

ſtere, vt ſenſus eſſet, qui pineatum habent caput ſunt diſpoſiti ad inuerecundiam, ſicuti diſpoſitæ ſunt aues, quæ incuruos vngues habent, vt animi propenſione ſimiles ſint, non autē corporis figuram. Vel non præter rem (ni fallor) etiam dici poſſet, caput rapacium, & aquilæ præſertim, ſi ſpectetur a gula ad verticem, certum eſt non eſſe pineatum, ſed potius baſis eſt coni pars illa, quæ vertici reſpondet hominum Conus autem quæ ad roſtrum ſpectat; cum enim dudum ſpectaſſem aquilæ regiæ, quam chryſaeton vocant, caluariam, vidi quidem eam coni figuram referre, ſed coni partem latiorem, & baſim conſtituebat occiput, & caluaria, deinde coeuntibus ſimul mandibulis ad roſtri principium coni vertex apparebat, ſic igitur fortè etiam ſecundum caput, & morem dicemus eſſe ſimilia hæc duo inter ſe, nēpè hominum genus habens caput pineatum, & genus auium aduncarum, oppoſito tamen quodammodo.

Propter quid autem qui pineatum caput habent, illi ſint inuerecundi dubitandum eſt; at ſanè homines calidi, & ſicci temperamenti, & bilioſi vehementer, cū ſubdominio melancholiæ inflammatæ propenſos eſſe ad inuerecundiam, ad rapacitatem, & ad iram ſupra dictum eſt, in his igitur prævalet ignis, cuius proprium eſt in conum definere; ſi igitur in virtute formatrice vis ignis aliquanto plus iuſto prævalet, probabile eſt, in formato corpore apparere ſigna huius ignei prædominij, formatūq; corpus in ipſo habere qđ hoc referat prædominium, quod ſi in pyramidem definit ignis, vt flamma docet, & ſenſere Democritei ſuperioraque ſemper petat, nemini dubium, quod caput pineatum habens verticē illius erit opus; dicamus igitur, quorum pineatum eſt caput, illi ſecundum caput ſunt temperamenti ignei, cum terræ ſubdominio, qui tales ſunt illi inuerecundi exiſtūt; ergo quibus pineatum caput adeſt inuerecundi ſunt.

Quod pineato capite prædi ti, tale ſortiti fuerint a primordio temperamentum (niſi id caſu contigerit, & a caula externa) docet hoc, quoniam plerunque ijdem æneam barbam habent, coloremque in facie rubrum ad puniceum accedentem, claros, ac lucentes oculos, vnde & iracundi ſunt, quoniam calidi, & ſicci, & propter idem etiam audaces, & non timidi, ideo etiam inuereçūdi, ex quo ſequitur eoſdem etiam rapaces eſſe, calidi enim eſt attrahere ad ſe, & ſicci attracta retinere, & calidi eſt vehementes appetitiones habere, qui autē vehementer appetunt, vt exſaturentur promptè, etiam res ſuas profundunt, prodigos igitur cōpoſitos appellant hos, qui ceu Æſopicus corvus, cum aliena quam plura diripuerint, eadem etiam ſine ratione, modoque profundunt, & dilapidant, quæ natura eſt militum, & crudelium hominum, nam & Domitianus, & Neroſæuiſſima monſtra tali fuere prædita facie, & caput pineatum habuere, quid igitur ex Ariſtotelis ſentētia pineatum arguat caput, & propter quid, & quænam hanc paſſionum ſequantur accidentia, & cuius ſit temperamēti ex his clarum eſt.

APOTELESMA LXXXV.

Qui aures paruas habent ſimiales ſunt.

PEr aurem hoc loco intelligendam puto, eam exteriorem partem, quę capiti adiuncta ſonos colligit; & foramini, quod via eſt ad auditus ſenſorium, ingerit; eſt aūt hæc particula noſtri corporis ſeminalis a medicis dicta, ex cartilagine, & cute conſtans, paruæ autem aures dicuntur in comparatione ad eas, quæ in alijs exiſtunt hominibus, ſunt autem membra corporis humani parua dupliciter, vel per accidens, & a principio externo, vel per ſe, & ab interiori cauſa, quæ per accidens naturalem non mutant habitum corporis, neque ad præſentem pertinent ſpeculationem, quæ autem a principio interno, vel iuſto maiora, vel minora ſunt; taliaque exiſtunt vel ratione materiæ, vel ratione efficientis. Nam ſi

materia

materia vel minus sit obediẽs, vel paucior iusto, minus etiam efficitur membrum; & si plus materiæ sit, vel magis obediens, & mollis eò etiam promptius extenditur, cæterum fortè dicendum est cum materia simpliciter respiciat formam, & vtraque ad vtramque referatur, & humana materia ad formam humanam referatur, probabile est etiam hãc formam esse huius materiæ hanc formam, & hanc materiam talem formam numero determinatam sibi asciscere; quare si materia minus impressam formam habet, etiam forma est imperfecta, & si forma inepta est, operæ pretium erit materiam tali formæ conuenire; secũdum autem quod est forma, & materia ex qua compositum existit, sequitur etiam operatio, & propria passio, quare & materia auris formam auris sibi proportionatam determinabit, & tale statuetur compositum; si ergo parua auris a mediocritate deficit, error igitur in composito, ac deficit materia, vel rebellis fuit efficienti causę; efficiens autem causa eadem est secũdum rationem cum forma; sic autem, & forma etiam deficiens erit, quare & operatio quam paruę aures designant, erit imperfecta, & vitiosa; has paruas aures vocat Aristoteles simiales, & simiarum referre mores; simiales quidem aures sunt secũdum formam, qm̃ auribus simiarum sunt similes, paruæ siquidem cõtractæ; infra iunctæ, vt auriculis quodãmodo careant, ea nimirum parte cui mulieres nobiles appendere gẽmas, & vniones solent: humana enim auricula, quæ ciuilem, & secundum naturam dispositum designat hominem, ea est, quæ rubra, quæ carnosa, mollisque & crassiuscula est, & disiuncta probè a carne suppositæ maxillæ, pura, pilis carens, & decora; porrò simiales mores dicuntur, qui simiam referunt; id animalis genus, est cuius proprietas, vt plurima facere, & imitari tentet, atque inepte affectet, quæ deinde ridicule exequatur, & nequiter perficiat. Lasciuum, petulans, & procax iracundum, nequam, in sua operositate, ac sedulitate, morosum, & molestum.

Qualis sit viri probi auris.

Dicit igitur cui paruæ adsunt aures, & in simiæ morẽ contractæ illi adsunt mores simiales, at huiusmodi mores sunt; imitamenta operationum humanarũ rudia, ridicula, & scurrilia, amplius iracunda sæua, cũ procacitate, & petulãtia plena; ergo cui tales adsunt aures, mores ẽt tales habebit, quasi sit Aristotelis sẽsus, cui aures simiæ, ac corporis partes simiam referẽtes, ille ẽt simiæ ꝓpẽsiones hẽt, simia ad imitãdũ parata est; amplius lasciua, ꝓcax inuerecũda, ergo & idẽ de homine cui simiæ aures, & facies est, poterit ꝓbabiliter affirmari.

Propter quid autem auriculæ potius, quam reliqua corporis membra, cum simiam referant, simialem designent morem, non posse explicari sanè puto; sed tota facies totumque caput esse signum pathognomonicum, nõ autem hoc solum quod ab auribus desumptum est, putarem dicendum, vtcunque tamen; propter quid cui aures simiæ adsunt illi etiam simię mores inexistunt?

An respõdebimus, qm̃ cui corpus simiale est, ei & materia simię? quare & forma quare, & propria operatio simię; vnde humanũ corpus qđ corpori simiarum simile erit, ẽt promptissimum erit ad operationes simię similes peragẽdas, aut ex propinquiorib. dicemus, si aures hominis sunt simiales, ergo & efficiens illarum, & capitis, simile erat ei efficienti causæ, quę simiam producit, hoc quod simiam fabricat, est anima simię, potentia eiusdem perfectio; quare cui aures simiales illi eidem est quodãmodo anima simialis, at ex hac anima sequuntur mores, atque dispositiones simię, ergo & cui tales aures illi tales inesse mores concludendum est.

APOTELESMA LXXXVI.

Qui autem magnas asini.

DE auribus etiam sermo est, aitque magnas aures asininas esse, discernitur asinus ab ab alijs animantibus, quę videntur, congenea, vt mulus, & equus, quod ipse maxi-

mas

mas aures habeāt, & hoc illi videtur proprium. Tale autem ſignum ſecundum animam concomitatur diſpoſitio, & promptitudo ad imitandum aſinum; Ille igitur primum omnium animalium eſt ingratiſſimus, deinde ſi parum ocij nactus eſt, laſciuus, atque ineptus piger tamen, ac negligens in his quæ ad ſui pertinent conſeruationem, oblitus decoris, neque curans omnino, quid de ipſo bene, vel male homines ſentiant; Cauſam putarem eſſe, quoniam cui tales adſunt aures, illi materia aſinina, & forma quodammodo apparet, quare & anima interior has habet propenſiones; Vel melius forte cui tales adſunt aures illi tēperies melancholica, & frigida cum ſubdominio pituitæ, at cui tale temperamentum, ille aſini mores refert; hoc enim illius animalis eſt temperamentum, ergo cui aures aſinum referētes adſunt, illum eundem putādum etiam mores aſininos habere; quod ſi contingat aliter fieri, nuſquam mirandum eſt; naturales enim propenſiones equorum, & brutorum, quæ propriè ſunt, eadem aut ijſdem ſimiles in homine, qui omnium eſt quodammodo cōpendium, probabiliter apparere poſſunt, & ſicuti nullus eſt mos, qui nō in aliquo homine; ita omnes in omni reperiri rationi conſentaneum eſt.

APOTELESMA LXXXVII.

Videbit autem aliquis, & canum optimos moderatas aures habere.

EXtrema ſemper vitioſa eſſe diximus, in mediocritate autem virtutem poſitam, quæ eſt diſpoſitio naturæ conueniens; Cum itaque qui paruas aures habent ſint tamquā ſimiæ, parati quidem ad agendum, ridicule tamen, & inepte exequantur, quod ſuſceperūt & cum omnia facere velle videantur, nihil concinne efficiant.

Ex aduerſo qui magnas aures habent, oppoſitas etiam inclinationes ipſas habere probabile eſt, & aſininos mores præſefere tardoſq;, rudes, & ineptos, timidos laborioſos duros eſſe quòd ſi extrema hæc ſunt vitioſa, quæ in medio poſita erunt laudabuntur, quare aures mediocres ſignum erunt quod nobis inſint mediocriter prædictæ inclinationes, ex quo prompti ad agendum, & in actionibus conſtantes, & cum recta ratione operabimur, donec ad propoſitum finem perueniamus.

Mihi autem videtur Ariſtotelem attuliſſe exemplum canum, quoniam hoc animal inter cætera eſt huiuſmodi, vt idem ſecundum ſpeciem habeat, & maximas aures, & minimas; valde auriti omnes ſunt timidi, quales penè omnes canes villoſi, qui vulgo barbati vocantur, quales & quidam gallici canes magni, nec non, & qui melitei in delicijs habentur, omnibus enim magnæ adſunt aures, & omnes etiam timidi, vel minus cæteris audaces. Ex aduerſo lupi, quod videtur eſſe quibuſdam, quoddam canis ſilueſtris genus, amplius, & corſici, ſeu corcyræi canes, & qui ruri pro tutandis domibus degunt, minores aures habent & ſunt audaces, & quandoque etiam ex inſidijs viatores adoriuntur, & vix ullos præter quam domeſticos agnoſcunt, aut illis parcere ſciūt, qui medio modo diſpoſiti ſunt, ceu venatici, qui vulgo leporarij dicuntur, & mediocres aures habent, & ad opus prompti ſunt, & ex altera parte manſueti, & placidi valde exiſtunt.

Propter quid autem qui mediocres ſortiti ſint aures, proborum ſint morum, & bonæ indolis facile non eſt ex proprijs aſſerere, ſed tantum ex eo quod dictum eſt, omnem mediocritatem ſecundum naturam eſſe, quare & laudabilem; Putarem tamen, & id confirmari poſſe ex loco topico, à minori ad maius; ſi enim natura perfecte elaborauit ea quæ minoris ſunt vſus, minuſque neceſſaria, & tandum ad decorem pertinentia, ergo tanto magis probabile eſt, illam elaboraſſe, & perfeciſſe quæ ad eſſe, & ad bene eſſe requiruntur, hæc autem ſunt organa animæ interna, probabile igitur eſt cui exactæ elaboratæ ſunt aures, illum etiam interna bene diſpoſita habere, cui autem interna organa bene ſecundum

natu-

naturam sunt dispositæ, ille bonæ indolis est, ac probe moratus; ergo colligendū est, cui mediocres sunt aures, & exculptæ, & bene formatæ, illū ipsum esse virū probū, & bona indole præditum, neque asininos, neque simiales mores habentem; hæc de auribus Aristoteles.

Aures paruæ, ac subtiles. Alij paruas, & subtiles putarunt esse signum boni, & sapientis ingenij. At paruæ, & subtiles, si præter naturam fuerint, nihil boni portendunt; vt supra dictū fuit; Oblōgas, vel plus iusto latas, aiunt, docere hominem audacem inuerecundum, contemptorem, vanum, & pigrum, tria priora attributa forsan adesse possunt, nam magnæ aures, & non inepte effectæ, temperamentum sanguineum cum subdominio bilis, vel pituitæ, nisi cætera prohibeant, demonstrant, qui autem audax & inuerecundus est, ille non omnino videtur esse piger, siquidem pigri ad asinos referuntur, audaces autem contumeliatores, & iracundi præproperi sunt, & plus iusto ad operationes prompti, iuuenilem enim morem imitantur; At vanitas, & insipientia bene & valde auritorum passio propria uidebitur, plerique etenim, qui huiusmodi sortiti sunt aures, rudes, vani, insulsique sunt.

An id accidit, eo quod huiusmodi aures cerebrum plus iusto humidum, ac frigidum docent, ita tamen, vt multa sit humiditas paucę terræ turbidæ mixta; quare nō facile propter frigus recipiat; & difficile propter humorem recepta retineat.

Not. Noto quod animaduersum fuit à quibusdam recentioribus, Quibus plerunque magnæ sunt aures illis collum breuius est, abeunte nimirum in aures parte materiæ, quæ ad vertebrarum structuram destinabatur, quibus autem collum est breue ijdem auctores aiunt inesse calliditatem, & fraudem, quod videtur repugnare iam dictis, nam si cui magnæ aures illi adest collum breue, & cui collum breue ille est astutus, & dolosus, non igitur erit rudis & insulsus, qui habet magnas aures; Adeo huius artis professores parum sibi constant, qui sine vlla ratione sua dicta enuntiant, quid enim ineptius, quam dicere, qui habet aures equo similes futurus est princeps, & cum dominio moriturus?

At re vera puto ego magnas, & crassas aures non bene elaboratas propter causam supradictam significare iudicij, & interiorum sensuum hebetudinem, neque aduersatur supradictis ab Aristotele, qui dicebat hos ad asinos referri, adde quod sit verum, magnam aurem collum breue, & crassum denotare; crassities enim colli robur indicat, & cum robore plerunque ingenij obtusitas consistit; Mihi tñ videtur, qđ de colli dictū est breuitate, cō siderandum omnino, etenim potest esse breue, & crassum, vt in tauris, vel breue, & subtile vt in felibus, quorū priores sunt robusti, posteriores vero insidiosi; omnino aūt quæ præter temperamenti principia, & sine Syllogismo in physiognomicis enuntiātur, ea omnia nullius esse momenti videntur, & solum excogitata, vt vulgaribus hominibus imponatur.

Quod vero dixit Polemon, aures elaboratas, & bene exculptas rudiorem naturam significare, non video quomodo sit rationi consonum; nisi illas plus iusto magnas dicamus; etenim aliter repugnaret ijs, quæ supra dicta sunt, nimirum elaborata, & bene exculpta extrema ostendere naturam probabiliter melius etiam interna excoluisse. Illa etenim, sicut ars propter finem operans, in hoc ab illa differt, quod ars à principio externo pendens, ab extra ad intus procedit, at ex aduerso natura cum sit ioternum principium, ab intus ad extra mouet, ac fertur, quare si exteriora bene se habent, interiora optime dispositā esse probabiliter coniectare poterimus.

At si quis dixerit, vnde igitur factum est, quod pulchri plerunque sunt mali, id iam alias dictum fuit; Nunc etiam dicitur, quod duplex est pulchritudo, quæ virilis est, virumque decet, ea nusquam malam indolem arguit, at quæ in viro muliebris apparet pulchritudo, præter naturam in illo existens; præter naturalem etiam in eodem ostendit dispositionem, hinc factum, vt hi pessimi omnium dicātur, ac valde fraudulenti, qui rotundā faciem, ac virgineū quendā ruborē prę se ferūt, & hęc de figura mēbrorū ex Arist. dicta sint.

Finis Quartæ Partis. COM-

COMMENTARII IN PHYSIOGNOMICA ARISTOTELIS

Pars Quinta.

DE FACIEI COLORIBVS, AC PILORVM, MOTVSQVE Corporei differentijs.

APOTELESMA LXXXVIII.

Qui valde nigri, timidi sunt, referuntur ad Aegyptios.

NEMINI dubium esse debet corruptissimam esse hanc physiognomi corum præceptorum fatraginem; quare & peruerso ordine inter se coniungi, & quamplurima deficere, quæ ab Aristotele, notata fuere at quando inceptus labor, ad vmbilicum iam spectat, hanc etiam partem eadem ratione qua superiores exegimus, declarare tentabimus Aristotelicorum dictorum rationem afferentes, si poterimus aliquam.

Pars hęc in sex portiones commode distingui potest, prima colores persequitur tum corporis, tum faciei, ac partium, & contentorum in ipsa, vnde sequitur secunda, quæ de pilis tractat, tertia motus totius corporis, & partium agitationes considerat, quarta vocis differentias speculatur, quinta proportiones membrorum seruatæ quid indicent, quid non seruatæ doceant, animaduertit, tandem in fine epilogum quendam facit animaduersionum, ac præceptorum quorundam, quæ debeamus continue in iudicando obseruare.

Ad primam partem veniamus; in hac exponenda videndum est, quid sit color; quæ colorum differentia; qui in brutis, & in homine nati sint fieri; & ex quibus oriantur principijs in illo, deinde contemplandum est, an regio, regionisque dispositio agat in hominum corpus, & illud magis ad hanc, quam ad oppositam determinet dispositionem; quænam sit causa, propter quam varia hominum oritur dispositio, & temperies, cælum ne, aut sol, aut terræ plaga. Aut planetæ, & planetarum, vt quidam volunt, imperia, demum vnde factum est, vt in Ægypto, in Britannia aliquando nascantur, aliqui qui neque Aegyptiam faciem, nec mores Aegyptios, aut Britannicos habent.

Igitur ad primum dicamus colorem poſſe dupliciter cõſiderari, vel ſecundũ ſe, vel quatenus eſt viſibilis, pro vt eſt obiectum viſus illum Ariſtoteles ſecundo de anima definiuit eſſe motiuum diaphani, ſecundum quod eſt diaphanum, verum de hoc non eſt ſermo, ſed de colore quatenus eſt qualitas, ſecundum quam quales dicimur, albi nempe, nigri, & rubei; at ſi qualitas eſt, & de genere earum, quæ paſſibiles dicuntur, non quoniam paſſionem inferant, ſed quoniam per paſſionem introducuntur, manifeſtum eſt, oriri, ex paſſione mutua primarum qualitatum inter ſe, quare color erit qualitas corporis mixti, ex mutua habitudine primarum qualitatum cum luce diaphanoque exoriens. In corpore igitur ſimplici non eſt color, ſed coloris principium, ob id neque cælum, neque aer, aut aqua, quæ ſimplex eſt, neque ignis eſt coloratus, ille nempe qui in propria ſphæra ponitur; at dices terra, ex Theophraſto, ſimpliciſſima alba eſt, non igitur, omne corpus ſimplex colore vacat.

An dicam ego album duplex eſſe alterum quod eſt color, alterum vero quod natum eſt recipere colores omnes, quare eſt quodammodo inchoatio, potentiaque & rudimentũ omnium colorum, & quaſi materia, & baſis, prior non eſt in terra ſed poſterior, quam diſtinctionem etiam in nigro licet aduertere, quorum alterum eſt priuatio, vt tenebræ, alterum autem proprie eſt color qualẽ habent, & corui pennæ, & lapides quidam, qualis ille, quẽ indicem vocant in quem conuerſum fabulantur quendam paſtorem nomine Battum, ignis autem ſecundũ quod natus eſt lucere formam coloribus præſtat, & duo media, quæ diaphana sũt elemẽta, nectunt extrema; ſimulq. iuncta faciũt omnes colorũ ſpecies. Diximus cauſari colores ob mutuã habitudinẽ primarũ qualitatũ, ſeu corporũ, qm̃ in hac habitudine ſicci, & humidi inter ſe ratio colorũ poſita eſt; vnde dixerat Ariſt. has eſſe qualitates introductas p paſſionẽ, hoc eſt à reciproca paſſione q̃ inter ſe faciebãt primę qualitates.

Quodque hoc ſit verum patet; ſicca ſit tela, ea humectetur colorem mutat, ſit pannus purpureus, aqua diluatur colorem perdit; idem exſiccetur, aut reuertitur, aut alium acquirit, idem in hominibus, ac cæteris viuentibus apparet, ſecundum quod magis minuſue ſicceſcunt, aut humeſcunt, varias colorum differentias ſuſcipiunt, additum eſt, ex habitudine quam habent inter ſe principia paſſiua cum luce, ſi quidem ignis qui in rebus eſt duas rationes ſuſtinet, vel, vt principium caloris, vel lucis; ſecundum quod eſt caloris principium, & fons facit odores, ac ſapores, at ſecundum quod eſt natum ex ſe producere lumen, cauſat colores, non enim putandum eſt, cæleſtem lucem corporibus his annexam eſſe, & in horum mixtionem venire cælum aliqua ratione, niſi ſpiritualiter, & metaphorice id intelligamus, vel effectiuè, vt policletus, aut eius ars ineſt ſtatuæ. ſecundum quod cælum, cælique lationes, & lux, quæ vna à ſuperioribus in hæc inferiora ſenſibiliter tranſfunditur vniuerſalia agentia exiſtunt, omniaque agunt, educunt, conſeruant, perdunt, eo quod vel calorẽ proportionatũ, uel improportionatũ rebus impartiunt, ex his igitur q̃d ſit color ſimplex patet, nec non, & mixtorum eſſe hanc paſſionem, & realiter ineſſe corporibus coloratum eſſe.

Breuiter autem, quæ ad colorum differentias, & principia pertinent contemplantes dicamus, corporis compoſiti ſeu mixti paſſio color eſt; omne autem corpus mixtũ ſiue id diaphanum ſit, ſiue emphanum, ſiue ex utriſque participans, ex quattuor conſtat elemẽtis, elementa ſecundum ſe corpora ſimplicia ſunt, ſimplicium corporum alia diaphana sũt, alia terminant diaphanum; hæc terra dicitur, illa ſunt aqua, aer, & ignis, horum quattuor duo dicuntur principia paſſiua, & duo actiua; terra ſicca eſt, quare terminata, a qua humida, ergo terminabilis, ſecundum ſe aũt interminata, & hæc duo paſſiua ſunt, quare & ſm̃ molẽ in rebus dominantur, in perfectioribus terra, in imperfectioribus aqua, amplius actiua duo aer, & ignis, quorũ hic eſt calidior, ille minus, vtraq. lucida ſed magis diaphanus aer, lucidus magis ignis, q̃ vtraq. elementa ſm̃ virtutem in animatis dominantur, albũ igitur à ſicco, quare alba eſt terra, huic ſi miſcetur aqua oritur niger color, vt in glebis madefactis, omnis enim nigroris cauſa materialis eſt, aqua, vt Ariſt. 21. ſectione prob. ſicuti frigus eſt cauſa efficiens, vt ſect. prob. 38.

Si mo-

Si modicus aer accedat, & tantum caloris, vt probe duo hæc elementa miſceantur ſimul fiet viror, ſi ampliori aeri nectatur ignis efficietur luteus color, quoniam in hoc maior eſt lux, quam in viridi, ſi etiam atque etiam ignis in mixtionem venerit, purpureus naſcetur, at maior ignis magis exſiccans id quod à ſicco, & humido conſtat, obſcurat lucem, vt videmus in lignis, quæ vruntur, ſuccedit igitur color cæruleus, quem excipit fuſcus pallido reſpondens, vt nigrum albo, ſequitur autẽ niger color, qui ſoboles eſt, terrei aquoſi à multo calore exuſti, tot igitur ſunt ſimplices colores, qui ex mixtione elemẽtarium qualitatũ, elementorumque naſcuntur; his ſiccum, & humidum videntur afferre materiam, ſecundũ quod in elementis paſſiuis ſiccum, & humidum reperiuntur, calidum, & frigidum ſecundum quod actiua exiſtunt, dant formam, vt autem paſſiua formãt colores, vel ad eos conſtituendos ueniunt nõ quatenus ſunt ſicca vel humida, ſed quatenus diaphana ſunt, vel nõ diaphana, ita actiua non ſm̃ quod calida, ſed ſm̃ quod lucida, vel non lucida exiſtunt.

Quod ſi aliquis non lucentem diceret aerem, & terram non albam, ſciendum eſt elemẽta, & principia eſſe talia non actu, nam ſi actu talia forent, iam in eſſe perfecto, & non in principio, & principia eſſent, ſed principiata forent, & compoſita; ſunt igitur talia in eſſe inchoato, & potentia non autem actu, & in eſſe completo, ac perfecto.

Porrò cũ octo ſint colores ſimplices, albus, pallidus, luteus, viridis, purpureus, cæruleus, fuſcus, & niger, ex his penè infiniti ſtatuũtur, q̃ & in florib. & in auiũ plumis aliquãdo reperiũtur; animaliũ pilos, nec virides, neq. cæruleos, neq. purpureos facile reperies, ſed rubros, albos, flauos, nigros videre poteris, qm̃ qualis eſt ĩ brutis color cutis, tales pili exiſtũt, cutis aũt talis eſt quales sũt humores ex quib. ipſa, & caro illi p̃xima ſtatuitur; ſecus ĩ hoĩe.

Humores aũt ex quibus animal perfectum ſtatutum eſt licet quattuor elementis mundi reſpondeant, hi tamen omnes ad rubedinem, & colorem purpureum accedunt, cum ſm̃ naturã diſpoſiti sũt, hunc enim p̃fectorum animaliũ colorẽ diximus eſſe ſuorũ humorũ qui in vaſibus exiſtunt, ſicuti virorem plantarum, nam ex omni ferè planta, qui educitur ſuccus virorem habet, viridia folia, virideſque rami, ex omni ſimiliter animali perfecto, & ex coitu nato, non ſolo viui paro, ſed etiam ouiparo ſi reſpiret, atque pulmonem habeat, eductus naturalis ſuccus purpureus eſt, & ad colorem rubeum accedens. Hic tm̃ nõ ſimplex eſt, nã diluta purpura pituitã docet, pura ſanguinem, ſplendida, & rutilans flauam bilem, exſaturata, & ad puniceũ accedẽs colorẽ, & fuſcior effecta melancholiã naturalẽ nobis exprimit.

Si verò præter naturã vnus, aut alter ſingillatim diſponatur à calore, aut frigore, nigredinem, liuorem, pallorem, flauedinẽ, albedinẽ p̃ducunt, & q̃ plures alios colores, quos medici notant, vt bilẽ porraceã quãdã vocãt, vitellinã, & amplius æruginoſã, uel pallidam, ſm̃ qđ magis, aut minus ab externo calore paſſi ſunt humores, ſiue ſm̃ ſe, ſiue cum alijs mixti.

In humani aũt corporis ſup̃ficie in uniuersũ plures duobus, ut plurimũ ſm̃ naturã nõ reperiuntur colores, nẽpe albus, & ater, ſub quib. tanq̃ generib. quodãmodo omnes alij poſſunt reduci, q̃ in hominũ facie, ac cute ſolent apparere; ad album. n. & pallidũ, & cinericiũ referes, colorẽ, q̃ eſt in Hiſpanis, & Mauris, amplius ẽt, & roſeũ, quẽ uidemus in Germanis & Polonis, & ſub flauũ cũ quodã ſplendore, quẽ ſpectabis in Græcis, & in his q̃ in Troade, & Lycia, & Bithinia nati sũt; idẽ ẽt color, ſed magis ad fuſcedinẽ accedẽs cũ liuore ac ſplẽdore quodã in Armenijs, & Perſis ſpectatur, ſic aũt ordinare licebit colores humanę cutis, quos ſub albo reponas eorũ, q̃ in Europa degũt, nulli etem̃ ĩ hac plaga nãliter nigri oriunt.

Liuidum uidebis in Tartaris, & Moſchouitis, ſqualidum in Hiſpanis, quos Caſtellanos uocant, & in Illycis, liuorem facit frigus, quod ſi remiſſius fuerit naturalem, & non morboſum producit ſqualorem; hunc excipit roſeus color, qui in externo roſarum uidetur folio hic Gallis, Germaniſque proprius uidetur, rutilus magis in Gallis, rubrior in Germanis, illi uehementiores, hi ſtabiliores; ſuccedit cinericius qui ad fuſcedinem accedit, qui & in Italis, & Neapolitani regni accolis, nec non, & Græcis pleriſq. apparet, huic cinereo quo-

niam additus est fulgor quidam, & quasi liuor efficitur sub flauus color; tot igitur naturales sunt alborum hominum colores; Nigri prima species est fuscedo, fuscos eos voco qui cum subflaui forent multo calore eductus fuit humor, qui in superficie erat, vnde fuscus remansit, fuscos dicimus Mauritanos, & Ægyptios, affecta enim magis, & magis exsiccata cute à calore fuscedo efficitur, sicuti videmus in his qui diutius in sole permanent, aut turi habitant; fuscis succedunt ferruginei multo nigriores quales sunt qui prope æquatorem & qui oras sinus Persici habitant, & qui Calecut oppidum Indicum incolunt; Arabas ẽt hoc esse colore præditos aiunt, Qui vero littora guineæ tenent, ac Aethiopes, & quicunq. sub tropico cancri, aut vltra illum habitant, locaque arenosa, carentia aqua tenent, omnes nigrum omnino colorem habent, & proprie atri dicuntur, carbonemque extinctum, aut pi 10
cem representant, nec tamen rubore priuati sunt, sed similes sunt rosis quas nigro vitro, aut velamine aliquis operuerit, Aethiopum autem, & accolarum fluminis illius, quod Niger appellatur, alij proprie atri, & extinctum carbonem referentes, alij vero picei sunt, hi iuniores, & melioris habitus, ac magis succosi; illi vero seniores, & minus humore naturali referti. Tot ergo videntur esse naturales humanæ cutis colores, qui à calore, vel frigore, externo loci, atque eius qualitate mutantur; cum enim hominis corpus, vt plurima alia cõposita, ex terra, & aqua certam speciem habente, secundum quam dicitur melancholia, & pituita, tanquam passiuis elementis conflatum sit; intensum frigus elidens humorẽ, ac spiritus ad interna repercutiens luridum colorem facit, siue liuorem quemdam in cute, si remissum fuerit, repercutiatque tantum calorem ad interna, nõ tñ illum extinguat, color quem 20
in Germanis conspicimus apparebit, minus etiam si fuerit frigus, roseum Gallorum colorẽ aspicies, quando autem calor, & frigus successiue, & æqualiter secundum annum mutantur squalorem Italorum, & Siculorum spectabis, fuscus, & ferrugineus, & ater efficitur secundum quod à maiori, vel minori calore corpus patitur, & humor à sicco separatur, & aduritur, cum autem iam totus ferè in cute defecerit humor, tunc non color ater, sed cinericius apparet. Quoniam autem hominibus diuersarum nationum vtitur Aristoteles in physiognomicis; querendum restat an regio, regionisque diuersa dispositio, diuersas etiam faciat dispositiones, & si id faciat propter quid, & quomodo hoc contingat.

Quod varij homines diuersa loca incolentes varias habeãt dispositiones, & inclinationes, varijsque teneantur studijs, & desiderijs, per se notissimum est, aliud enim septentrionales, aliud Meridionales affectant, apud hos turpissima est ebrietas, illi mirifice scelus ueneris præter naturalis abhorrent. Huius varietatis causæ plerunque sunt, temperamentũ, nam alias habet inclinationes iracundus, & qui nactus est temperamentum biliosum cum subdominio sanguinis, alias item qui pituitosus est cum subdominio melancholiæ; hic addiscendum humilis, ille ad imperandum superbus existit, educationi, consuetudini, & institutioni secundæ partes tribuendæ sunt, adeo enim à teneris assuescere multum est, vt tẽperamentum, temperamentique inclinationes corrigere, superare, mutare, & in oppositũ trahere possit consuetudo, & educatio, idque roboris præsertim in homine nacta est, si quidem homo maximè ad temperamentum secundum pondus accedit hoc autem videtur esse in æquilibrio, quę vero talia sunt facile ad oppositas partes vertuntur, & hinc patet quo- 40
modo etiam ab hominis temperamento deduci possit, hominem in manu sui arbitrij positum esse, & suarum operationum esse dominum, vt facere, & non facere possit quæ à temperamento aut ab affectu, aut ab alia causa illi suppeditantur.

Sub educationem reducitur institutio, & lex, religioque patriæ, nec non, & conditio, & omnis cultus qui pueris nobis adhibetur. Tertio loco succedit regio in qua, & aeris, & solis diuersitas contemplatur, vna regio ab altera diuersificatur propter diuersitatem habitudinis, quam terra habet cum cęlo soleq. ac stellis; duplex hæc, vna vniuersalior quæ nascitur ex maiore, vel minore mora solis supra orizontem loci, & sm̃ proiectum radij solaris

ad ma-

ad magis, vel minus rectos angulos; Altera magis loco peculiaris orta ex natura terræ, & loci, qui certam cum sole tenet habitudinem, quoniam igitur in eadem plaga, & sub eodē paralello contingit habitare quosdam loca campestria, vndique aperta, alios autem habitare summa montium cacumina, humore carentia, saxosa, & sterilia; alios autem incolere lacus paludes, arboribus consitas terras, & à ventis penitus immunes, effectum est, vt his variæ etiam insint temperaturæ, variæque inclinationes, quod patet in Italia si conferas eos qui habitant circa lacum larium, cum ijs qui Aquileienses paludes, & Ferrarienses incolunt; quæ particularis regionis dispositio, & situs tantum valet, vt longe prævaleat vniuersalem cæli, ac solis dispositionem, ex quo factum est, vt circa lacum larium ijdem arbores oriantur, & viuant qui circa Neapolitanum, & Ianuensem sinum nascuntur, quamuis hæc loca multo magis australia sint, & longe secundum vniuersalem Solis dispositionem calidiora existant, quam sit lacus larius, aut lemanus. Idem videbit qui in vertice Appenini positus partem intuebitur Septentrionalem horridam, herbis exutam, & squalentem & australem totam ridentem cultam, aurantijs, & limonijs malis suauiter olentibus referta m; cum igitur varia loca varium aerem pariāt, varius aer inspiratus, cū accedat ceu pars materialis ad generationem spirituum, illeq. ipse sit qui in cor fertur, eiusdem temperiem remittere, intendere, & mutare probabiliter potest: & quoniam varia loca varios producunt fructus, & varias aquas habent, quibus populi vti solent, varios autem cibos sanguinem variare, & alterare certum est; patet quod cibus potusque cum aere maximè possunt corpus nostrum afficere, & hoc est quod dicebatur regiones diuersas, habere homines diuersis moribus præditos, quoniam diuersum aerem spirant diuersumque cibum, potumq. capiunt, vnde, & diuersi spiritus, diuersæque affectiones, ac desideria suppeditantur.

Societates, & sodalitates ad educationem referes; nam certum est tales nos esse, quales sunt illi cum quibus familiariter consuescimus, & quibus familiariter vtimur; Quinta est ætas, variæ enim ætates varijs teneri affectibus docet etiam Horatius in poetica, & præter Horatium in Rhetoricis Aristoteles.

Aetatem sequuntur studia, quæ tantum possunt, vt iuxta vulgare dictum omnia tandē in mores abeāt, studia voco vitæ genus, exercitium, & operationem quam quisq. exercet, illam siue electione siue casu, siue suorum placito susceperit; militiæ, doctrinæ, medicinæ, aut theologiæ, æconomicæ exercitium, artificiaque quotidiana, quibus ciuitates abundāt, ea nomine studiorum continentur, demum id omne quod hominem occupat, & secundū quod ad certum finem operatur, cum enim homo animal actiuum sit, agit igitur, & omne agens propter finem aliquem agit omne igitur, quod ad certum finem, cum electione hominem mouet, studium dixerim.

Si quis igitur studium militiæ exercuerit, quid aliud quam militares illum mores habere dixeris, ex aduerso si religioni addictus fuerit, humanum, benignum, misericordem vocaueris, at medicum plerunque omnem, eadem de causa sub tristem, & querulum videbis affectus etiam ab externis causis orientes si diutius permanserint certos in homine mores generant, qui iam habitus vocantur, quos eosdem etiam ratio siue ea recta sit, siue non recta psuadet; tot igit penè causæ sūt quib. variātur humanæ dispositiones, vnde variæ, ac diuersæ opationes oriūtur, ex quib. & varij fiūt habit⁹, & illos varios esse comprehēdimus.

Nusquā aūt hominū diuersitas planetis assignanda est, eo qđ hi sub Marte, illi sub Saturno sint orti, causæ enim vniuersaliſſimæ particulariſſimos non faciunt effectus, & ridiculi sunt, qui populos quosdā audaces, quoniā Leoni, alios timidos, qm̄ Capricorno subiectos esse aiunt, ceu Bononienses musicæ deditos, ac litteris; humanos ēt, & ad amandū procliues, qm̄ sub Tauro sūt, & à Mercurio, & Venere regunt, ī certis igit locis, vt Aegypto, Arabia, Germania, Scythia sūt determinatę hominū facies, naturę, & mores; in alijs aūtficuti Italia, & Sicilia ĩcertę facies, & indeterminati mores existūt, neq. vnū est oīb. Italis ĩgeniū,

neque vna facies; idem de his qui ſub æquinoctiali habitant ſcribitur, forte eadem cauſa eſt, quoniam, & qui ſub æquinoctiali ſunt, & qui ſub 45. gradu habitant, æquæ temperati ſunt, & æque ab extremis diſtant; non ob hoc tamen tollitur quin in Germania etiam fieri poſſint, qui faciem Hiſpanicam habeant, & in Aegypto, qui, & facie, & moribus græcum æmulentur; poſſunt enim ſummi viri, & magna exempla daturi,

Veruecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.

At præcipue in principio, medioque ſexti climatis, & fine quinti, vbi hæc faciei diuerſitas animaduertitur, exerceri poteſt hæc à moribus regionnm deſumpta prædicendi ratio.

Quod igitur talem à regione diuerſum colorem, & faciem ſortiatur aliquis cauſam puto particularem, ac priuatam quæ vniuerſalem impediat temperaturam patris, & matris, aut à ratione viuendi, aut ab ætate, aut à cibis alteratam, vnde tale fluxerit ſemen, ex quo corpus huiuſmodi notis, & inclinationibus inſignitum fuerit productum.

His ergo longius nimis enarratis ad rem veniamus, quales ſint Aegyptij docet Herodianus in Caracalla, item Capitolinus, & Dion, leues ſunt iocis, Riſibuſqe dediti, timidi, ſeditioſi, vani, ſuperſtitioſi, & quales ab his auctoribus tractãtur, id puto accidere, quoniã cum calidam, & humidam colant regionem, ſintque naturaliter melancholici cum ſubdominio bilis, & pituitæ effectum eſt, vt ijs, ceu auiculis accidat, quę cum vere nouo incaluerint, huc atque illuc volitant, & perpetuo cantu aerem circum ſitum fatigant; dicit ergo.

Qui valde nigri ſunt timidi, referuntur, ad Aegyptios, Nigrorem debemus intelligere, qui multus eſt, ſi cum colore Italorum, aut Græcorum comparueris, at ſi cum Aethiopibus fuſcum dices, cui igitur ineſt calor qualem Aegyptij habẽt, ille eſt timidus, ſi quidẽ Aegyptij timidi ſunt, & ijdem fulci, timidos eſſe docet etiam Achilles Tatius Alexandrinus, natus ea in regione, qui ait, in fugam conuerſos præcipitoſiſſimos fugere, neque poſſe teneri, ijdem ſi vicerint, ac potiores ſint inſuperabiles eſſe, propter quid autem fuſci, & parui corpore plerunque ſint imbelles, & timidi ſciemus, cum cauſam propter quam tales Aegyptij ſint perceperimus; Aegyptijs ab externo calore multo, interior euocatur, interna igitur frigent, naturali calore; & accidentali aliquando incaleſcunt, externo vero euocato humore ad cutim eoque aduſto nigreſcunt, inde factum eſt, vt nigri fiant, his ita poſitis dicamus, cui exteriora nigra ſunt illis euocatus eſt humor cum calore ad partes exteriores; ibique ab externo ambiente audſtus, at cui hoc accidit interiora frigent, frigenti interiora cõtingit metus, quare cui facies nigra, ſiue fuſca eſt naturaliter, & oculi parui, & capilli criſpi & nigri ille timidus eſt, malitioſus, doloſus, & cui vel vnquam fidere non poſſis, maximæ eriam, & vehementiſſimæ iræ, & quam diu latenter ſeruet, locum, & tempus nocendi expectans, neque Aegyptijs multo robuſtiores ſunt Aethiopes, qui vero littora guineæ habitant omnium omnino videntur deſpicatiſſimi, vt tantum ſeruiant à natura producti; quique præter cibum, & venerem nihil aliud cogitent; illi autem nigerrimi ſunt, extinctumq; carbonem imitantur; ex his quaſdam mulieres noui, quæ quamuis, & Italicè loquentur, & fidem Chriſtianam profiterentur, adeo tamen proſtitutæ, & infamis erant libidinis, vt ignotos quoſuis præſentarent, & vt ſecum rem haberent, efflagitarent, & vino etiam adeo erant deditæ, vt ſemper ebriæ vinum olerent.

At dicet quiſpiam quomodo accidet noſtratibus, & in Italia natis colorem habere Ægyptium, aut Aethiopium? ſi quidem vbi non adeſt cauſa efficiens, neque adfuit vnquam, neque ibi affectus exiſtere poteſt; In Italia calor Aegypti, aut Aethiopiæ non eſt, aut eſſe poteſt; ergo neque color; Aethiopemque in Italia etiam ex parentibus Aethiopibus nõ penitus naſci puto, quando qui apud nos ex his naſcuntur valde dilutum habent cõlorẽ; at quod naſcantur qui fuſci ſint, & Aegyptios imitentur, aliquando contingit, hoc autem fit vt aliquis Aegyptiacam ſortiatur temperiem in ſui ipſius conſtitutione, duplici de cauſa, altera eſt, quoniam paternum ſemen, eiuſque temperies à principio eſt melancholica,

cum

cum ſubdominio pituitæ,ac bilis,nec multus adeſt calor quo poſſit incaleſcere melancholia,quare frigidior permanet,altera quoniam in matris vtero contingere poteſt, vt ille plus iuſto calidior euocet ad partes exteriores naturalem humorem, & calorem embrionis,eoque in loco,qui circa cutim eſt humorem adurat,& ſic fœtum tingat, fuſcumq; efficiat,vnde poſtea interioribus frigidioribus effectis,ſuboritur illa ad metum ſeruilem propenſio; quæ eſt in Aegyptijs.

Poſſem tamen etiam dicere hanc eſſe vniuerſalem regionum enuntiationem, dixiſſeq; Ariſtotelem quod qui nigri ſunt ſicuti Aethiopes,qui propriè atri ſunt,& ſicuti Aegyptij, quos fuſcos dicimus,illi ſunt timidi,quam timiditatem ſequitur,& leuitas,& calliditas, & ſuperſtitio,& promptitudo ad ſcientias,& contemplationes,ad artes autem,& ad arma pertractanda inhabilitas quædam,& inefficacia,vnde in pugna ſtataria,non adeo valent, vt nationes Septentrionales,& temperatę.

APOTELESMA LXXXIX.

„ *Valde autem albi timidi ſunt, referuntur ad mulieres.*

HVius apoteleſmatis in promptu cauſa eſt,ſecundum quam, & valde albos appellat timidos,nam ad mulierum naturam referuntur,quæ ſecundum ſe timidæ exiſtũt, cauſa eſt,quoniam parum caloris ſecundum cor habẽt,quoniam multus eſt circa vterum, quare non multus circa cor; propter quid autem valde albus timidus eſt, quoniam pituitoſus,ſecundum naturam igitur frigidus, & humidus, at frigus ſequi timorem iam ſæpè diximus,ſicuti audacia calorem.

Sed dubitandum videtur, quanam ratione doctrina hæc poſſit ſubſiſtere, quoniam diximus valde nigros eſſe timidos,at valde albi deberent eſſe audaces. Amplius Angli, & Germani valde albi videntur,ijdem tamẽ audaciſſimi ſunt;Ad hoc puto reſponderi poſſe; vehementer album intelligi colorem,qui niueus eſt,quique fœminilis, & hic cum præter naturam ſit viri,qui audax eſt,ſecundum quod eſt vir,arguit etiam timorem,qui priuatio eſt audaciæ. Ad argumentum autem prius dico,multam nigredinem non eſſe cauſam timoris,ſecundum quod exceſſus eſt nigredinis,ſed eſſe ſignum diſpoſitionis præter naturalis,quæ virum poſſit ſtatuere;ſic & multam albedinem eſſe ſignum alterius extremi,omnia autem extrema ſecundum quod talia,vitioſa ſunt, quare qui verè viri meret nomen, neque albus,vt fœmina,neque niger,vt Aethiops eſſe debet; Ad alterum autem quod de Germanis,& Scythis dicitur non eſt verum,illi enim non ſunt albi,ſed roſeo colore,aut flauo,& mellino cum purpura mixto præditi; Ignauiam igitur & inefficaciam in operationibus docet color nimium albus,& timorem inſitum qualem videmus in virginibus plus iuſto candidis.

Dubit.

Reſp.

APOTELESMA XC.

„ *Color autem,qui confert ad fortitudinem medius horum oportet eſſe,flaui enim magnanimi ſunt, referuntur ad leones.*

NOn tanti videtur eſſe phyſiognomonica apud Ariſtolem,vt apud quoſdam recẽtiores,qui omnia illi adeo tribuunt,vt etiam futura contingentia, & quæ ab externo agente penitus pendent ſe poſſe prædicere,ac iudicare præſumant;videtur itaque hic ſcopus Ariſtotelis,vt contempletur,atque inquirat,qualis nam ſit conſtitutio uirilis ſecundũ naturam,& qualis mulieris,& quibus nam ſignis exceſſus,defectus, & medium coniectemur;

mur;hoc fundamento ſuppoſito. Virilis naturæ perfectionem medietatem quandam eſſe,cuius propria ſit paſſio magnanimitas,ſiue fortitudo animi,& corporis robur,ſimiliter, & alteram quandam medietatem eſſe naturam muliebrem, cuius paſſio eſt pulchritudo, & delicata quædam corporis conformatio; animi autem affectio propria eſt illiberalitas quædam,& dolus,non quod fœminæ omnes doloſæ ſint,ſed naturaliter dico viros eſſe apertiores,& magis audaces,fœminas uero eſſe magis coopertas,& magis animi proprij ſenſus tegere,& minus eſſe audaces,quod ſi quando audaciſſimæ quædam appareant,illæ iam præter naturam ſunt diſpoſitæ.

Sed ad Ariſtotelem; Ait ille, quod color conferens ad fortitudinem eſt medius inter ualde album,& ualde nigrum;Non putandum eſt colorem hunc medium conferre ad fortitudinem,ut cauſam,ſed tantum,ut ſignum,quare ſenſus eſt,Color indicãs corpus humanum natum eſſe ad animi fortitudinem,& propẽſum ad audaciam,eſt medius inter atrũ, & candidum;ſed non putandum hunc colorem,quem dixi medium,debere eſſe uiridem, non enim color hic homini ſecundum naturam ineſt.

Erant colores qui ad album referebantur pallidus,roſeus,cinereus.palliduſque multiplex eſt,nam luridus,& cinereus collor pallor dicitur,& pallidum etiam uocant colorem qui reperitur in ebore,uel lacte coagulato,& propriè hic fœmineus eſt, quando igitur purè apparet color qualis eſt cineris quernæ bene coctæ,cum hic ſit effectus melancholiæ,cũ pituitæ ſubdominio,& melancholia cum calida non ſit,poteſt tamen mediocriter caleſcere,hunc non dices fortem,ſed humanum quidem,& temperatum,neque aliena appetentem,qui uerò propriè mellinus eſt,coloremque mellis refert,nimium flauæ bilis in ſe habet;qui cydonitem colorem ſibi comparauit,& ad fuſcum magis accedit,ſqualoremque præ ſe fert,ille eſt ex his quos Ariſtoteles uocat medios,eſt enim in alborum confinio participans ex albo,& nigro,factus à multa melancholia incaleſcẽte,& multa flaua bile cum pituitæ,& ſanguinis partibus æqualibus;præualet autem pituita;& hic color eſt, quẽ hoc loco ipſe flauum appellat,melius fuluum uocaſſet,qui leonis eſt,non quod homo reperiatur cuius cutis illum exactè colorem habeat;ſed dicitur quod ad illum accedit, ac quodãmodo repreſentat;& ſimiliter inter homines atros,qui ferruginei ſunt, atque ad colorem rubiginis accedunt,illi fortes,& magnanimi ſunt,& robuſti;quoniam ex atra bile,ac flaua conſtant,quorum altera,cum terram referat,conſtantiam ac robur,altera, cum igni ſit ſimilis,uehementiam,celeritatemque,& in actionibus promptitudinem miniſtrat; qui uero nigriores exiſtunt,ijs iam flaua bilis deficit,& carboni extincto ſimiles ſunt, & non calidi,ſed frigidi,at in calore audaciã conſiſtere iam ſæpius eſt dictum,calor enim ignis proprietas eſt,& ignis primũ actiuorũ dicitur;Ater igitur,ſeu piceus,ex una parte,& cãdidus, ſiue pallens ex altera,ſunt extrema quædam;eos igitur quibus inſunt à mediocritate remotos eſſe docẽt;at in mediocritate poſuimus robur,audaciamque, ergo qui in extremitatib. ſunt,audacia,& robore carebunt,timidi igitur & imbelles dicentur. Fuluum igitur, ſiue cydonitem colorem eſſe fortitudinis indicem,confirmat exemplo leonum,qui cum fortes ſint,& maſculi hunc colorem habent,fortibus ergo hic ineſt color.

At propter quid fortes,ac robuſti ſunt fului? cauſam ex prædictis in promptu eſſe puto; Nam fortes,& robuſti ſunt temperamenti melancholici cum ſubdominio bilis,quam partes æquales ſanguinis, & pituitæ excipiunt, & melancholia naturalis eſt, & multo calore referta,at quibus ineſt tale temperamentum,ijſdem ineſt color fuluus, qualis eſt in leonibus,ergo fortibus & robuſtis ineſt color fuluus;ſicuti diximus;talem autem fuiſſe Herculis colorem legimus,at Cacus ferrugineus erat,ſicuti etiam Anteus;quod igitur,qui talem habent colorem ſint fortes,ac manu prompti, & robuſti ex his clarum eſt.

APO-

APOTELESMA LXXXXI.

Rubei valde astuti referuntur ad vulpes.

COlorem de quo loquitur Aristoteles in vulpina pelle eiusque præcipuo tergore spectare poteris, ille enim propriè est qui rubeus dicitur, & qui astutiam declarat; astuti dicuntur qui perspicaces sunt, & in malis prompti ad inuenienda media, quibus suum finem obtineant; hæc itaque videtur esse prudentis, & astuti differentia, vt prudens laudabilem, ac bonum finem sibi proponat, deinde sit potens ad media inuenienda, eaque naturaliter proba, & laudabilia, quibus finem suum obtineat; ex aduerso astutus, neq. bonum, ac laudabilem sibi finem proponit, sed omnia ad se vnum tantum trahens, nihil de alienis commodis sollicitus est; perspicaxque, ac promptus est ad media inuenienda, nihili faciẽs siue illa sint laudabilia, siue non, dũmodo quod intendit perficiat; dicit igitur quicunque rubeo sunt colore præditi, ac præcipuè secundum faciem illi sunt vulpibus similes, at tales sunt astuti; ergo qui rubei sunt secundum faciem sunt astuti, quod rubeo infecti colore sint secundum colorem similes tergoribus vulpium, ex se patet, nam & rubeos pilos habet vulpes, & astuta valde est, vt etiam ex Aesopo colligitur, qui primas astutiæ partes vulpib. assignat, propter quid autem rubei sint astuti; id explicabitur si prius notauerimus, quod rubor duplex est, alter splendore carens saturatus, & ad nigrorem cum pallore pauco inclinans, qualem fere, in ære deprehendimus, alter autem est splendidus purpureusque, aut roseus oculos quodãmodo exhilarans. rubor aũt, splẽdescens duplex est vnũ incarnatum vocant, qualem in malis autumni tempore, qualem in rosis vere nouo spectamus; alterum quem dicunt propriè rubeum, siuè purpureum quem in cocinneis pannis, quem in floribus lychnidis coronariæ, atque in ipso cinnabari conspicies; de priori ruboris specie, carente splendore est sermo; qui constat ex multa bile atra aduста cum flaua coniuncta; quib. vtrisque simul certa ratione commixtis, si calorem cõceperint, & vtraque aduratur, nihil nobilis, nihilque magnanimi facient sentire hominem sed propter naturam melancholię, semper timor, semperque suspicio, & incredulitas illi erit cordi, & insociabilitas. Hæc enim terræ propria sunt, secundum quod est frigida, & sicca, quare & alieno termino difficile termi nabilis, difficileque cum alijs coherens, quod suscepit diu retinet, quod reiecit non facile recipit, at bilis calorem ignis referẽs, inquietam agitationem, inquisitionemque molitur, vnde fit astutia; multo autem maior est portio nigræ quam flauæ bilis, vnde & superat timor, qui nisi superaret, iam audax, non a aũt timidum esset animal; sit ergo rõ. Astuti sunt quorũ temperies ex multa bile atra iuncta cum flaua bile vtrisque naturalibus quidem, sed calefactis mediocriter constat, at quorum temperies talis est illorum cutis, & corporis color est rubeus siue splendore colorem æris referens, aut pellis vulpinæ, ergo astutis color rubeus ineſt, quare & quibus ineſt color rubeus illos esse astutos probabile est, quoniã non necessario conuertitur in terminis vniuersalis affirmatiua, hoc autem etiam communi Italorum prouerbio confirmatur, qui vulgo dicere solent, neminem rubeum esse bonum; minor speculantibus definitionem, & essentiam astuti manifesta est; nam si propẽsio ad astutiam est virtus, & passio quædam materialis, necesse sanè est, vt sibi certam materiam determinet, quæ simul constantiam in inquisitione, & acrimoniam det in inquirendo, hanc à flaua, illã ab atra bile dari hominibus iam supradictum fuit; quod ergo qui valde rubei sunt illi astuti existant, ex his manifestum est; plures Cretenses, & Sardos tali colore præditos vidisse videor; at Germani non rubei sunt, sed rosei, vnde illi non astuti, sed suspicioſi facile fiunt, decepti enim suo malo, non credere discunt; id etiam & virginibus accidit, quæ suspicioſæ sunt, quod calor benignus, sanguinisque subtilitas facere solet.

APO-

APOTELESMA LXXXXII.

Pallidi colore turbati, sunt timidi, referuntur ad passionem, quæ fit ex timore.

PAllidi quinam sint dictum est; color hic duplex est, vel ex bile assata, & iam, vt medici dicunt, in cinerem versa, vel ex pituita; prior nescio quid fusci admixtum habet poste rior ad candorem accedit, vtcũque autem duplex est, alter vniformis, æqualis, efflorescẽs, & quodammodo naturalis, & aliquid splendoris in se continens, qualis est ille, quem videmus in adolescentibus naturaliter pallidis, bono tamen habitu præditis, pallorem huiusmodi in violis albis, & in rosis augustanis, quas vulgo moschettas vocant, percipies; sed de hoc nunc sermo non est, quamuis & iste non sit admodum solitus in faciebus virorum fortium reperiri; alter pallor est inæqualis turbatus, pessime se promens; & quodãmodo, vel luridus, vel saltem representans colorem, quem gipsum habet cum aqua fuerit dilutum, & pene exsiccatum; talem conspicies in eo, qui repente ex timore palluerit, nam cum ad cor recurrant spiritus, & sanguis faciem deserat, concidit cutis, & sanguine, & spiritu priuata efficitur pallida, rugosa, fusca, turpis, & inæqualis; quicunque igitur naturaliter nactus fuerit hunc colorem, illum Aristoteles pronunciat timidum; & probat à signo, quoniam qui timent pallidi sunt, & colore turbati, ergo & e conuerso, qui pallidi sunt, & colore turbati, illi sunt timidi; huius propensionis causa difficultatem non habet; timidus parum habet spiritus, & sanguinis, & totum, quem habet, ille ad inferiora, & ad diaphragma recurrit, atque stabulatur, cuius indicium est, quod timidi ferè omnes, cum actu timent lubricam habent aluum, bile nimirum, & sanguine & spiritibus ad inferiora delatis, & quicunque parum habet caloris, & spiritus, & quem habet totus ad inferiores partes stabulatur, & manet illi superiora, & facies sanguine, & spiritibus est vacua, cuius superiora sanguine, ac spiritu sunt deserta, & facies præcipuè, ac partes quæ sunt circa oculos, ille est pallidus, & colore turbatus, ergo qui timidus est, ille est pallidus, & colore turbatus, & e conuerso, qui pallidus est, ac colore turbatus erit timidus.

Dubit. At fortè dubitabit aliquis dicens non conuerti propositiones vniuersales in terminis, ad quod respondere possem primum propositiones demonstrabiles conuerti siquidem sunt per se in secundo modo; sed amplius probabile est conuerti non autem necessarium, & vt signum solubile, concludunt, saltem in pluribus; si enim omni timenti inest pallor, & non timet qui non palleat, probabile est, si cui inest pallor, vel illum timere, vel ad timorem propẽsum esse, siue id illi ex habitu, siue à principio interno, & secundum naturalem dispositionem inexistat.

APOTELESMA LXXXXIII.

Qui autem mellei coloris sunt frigidi; frigida autem mobilia difficulter, mobilibus autem difficulter existentibus ijs quæ iuxta sunt corpus, erunt vtique tardi.

NVllam difficultatem habet huiusmodi apotelesma, si modo cognouerimus quid melleus sit color, & propter quid mellinus color tarditatem doceat, cum totum oppositum videretur significare: siquidem mel calidum est, & abstersorium, quare & color, qui illud primum indicat, effectus eius temperamenti videri deberet, mellinus color vtiq. à melle denominatus est, sed mellis color non est vnus, nam mellis aliud pallens est quale est ligustrum, aut cera dealbata, tale aũt est mel quod ex illyria affertur, aliud est flauum quale est Italum, quod etiã sic vocauit Lucretius, est alius mellis color subflauus, & quasi

cum

cum quodam ſplendore palleſcens,quem videre poteris in melle hiſpano, & qualem probabile eſt fuiſſe in melle attico,ſiue hymettico;huius igitur coloris mellei,qui refert hiſpanum,aut atticum mel, nunc ſermonem fieri puto ab Ariſtotele; vt ſit eius poſitio; mellino colore præditi,ſunt frigidi,frigidi autem ſunt tardi,maior probatur, quoniam frigida ſunt difficulter mobilia, quod videmus in terra,& in his qui hyeme frigent, qui vix attolli poſſūt. Amplius animalia ferè omnia frigida,ceu cochleæ,teſtudines,inſecta quam plurima, & ſalamandrę,& chamæleon,ſunt motus tardi, & difficulter mouentur,cauſa eſt quoniam frigidum calori opponitur, calor principium motus eſt ; & primum calidorum,quod eſt ignis ſempér mouetur;quare frigus principium erit quietis; & quæ à cœlo maximè abſunt frigida ſunt,quod in terra videmus.

At ſi dixeris aquam moueri,Reſponderem non à ſe ipſa quatenus eſt aqua,ſed vel quatenus eſt extra ſuum locum,& ſecundum quod grauis eſt,non ſecundum quod frigida moueri;vel ſi in ſuo loco mouetur,nempè in mari, iam id illi accidit,vt à motu primi mobilis, & ipſa rapiatur, ſiuè ſolem, ſiuè lunam ſequatur ; at iam aqua cum vehementer frigeſcit, quieſcit, ac gelu riget;patet igitur frigida difficulter eſſe mobilia.

,, *Quod ſi frigida ſunt,quæ iuxta corpus.*

Hoc eſt ſi membra corporis erunt frigida frigore naturali, quod ſignificat proprij caloris abſentiam, erunt etiam difficile mobilia, quare & tarda, & hominem facient tardum,minor erat;mellini ſunt frigidi, hæc ab Ariſtotele non probatur, cum tamen probatione egeat;mellinus color tertio modo dictus, qualem in Chloro Ceſare notauit Vopiſcus,conſtat,ex multo phlegmate albo, cui admixta eſt bilis flaua, cum modico melancholiæ,quare flauities illa albedini iuncta colorem ſubflauum,& propriè mellinum facit, qui demonſtrat diminutam eſſe coctionem,hic enim color in conualeſcentibus plerunque ſpectatur; mellinus igitur color victoriam pituitæ ſupra ſanguinem docet; flauamque bilē præter naturalem abundare , cum melancholia temperatam,ſiuè confuſam monſtrat ; quod hanc conſtitutionem humorum,diminutamque coctionem arguit, id frigiditatem dominari oſtendit; mellinus igitur in homine color frigiditatem partium corporis docet, quod erat probādum; iure igitur dictum eſt;quorum color faciei mellinus eſt,& ſubflauus, illi ſunt pigri,& tardi;& ſi tardi igitur etiam ad magnas actiones irreſoluti,& inepti,ergo nullius penſi homines, & quoniam frigidi eſt appetere pluſquam concoquere poſſit; tales etiam voraces,& gulones,& circa cibos intemperati,& quoniam flaua bile non deſtituuntur,erunt etiam iracundi,ſed quam non exercebunt, niſi cum inferioribus, & domeſticis, & cum ijs à quibus vix malum,& talionis pœnam poſſe recipere putant; quod ſi iraſcantur maioribus,vicente metu patientur ſilent,& ad dolos,& blaſphæmias,& nugaces minas in abſentes ſe conuertunt.

APOTELESMA LXXXXIV.

,, *Quibus color ruber eſt, acuti ſunt, qnoniam omnia, quæ ſunt ſecundum corpus à motu calefacta erubeſcunt.*

RVber hic color nō eſt,qui in apoteleſmate 91. ponebatur, quique erat vulpini tergoris color;ille enim,vt eo in loco dictum eſt, ſine ſplendore erat, conſtans ex multa melancholia aſſata,cum flaua bile coniuncta;at hic ruber color conflatus eſt ex multo ſanguine ſubtili,iuncto cum bile flaua naturali, quæ cholera dicitur rubra, & tenui pituita; & ille eſt,quem videmus in adoleſcentibus vehementi motu calefactis, quique purpuraſcēs propriè eſt;hic igitur color ſi cui naturaliter ineſt,illum dixeris acutum;dicitur acutus,qui cito penetrat,ac cognoſcit, quæ reſpondenda, quæque agenda ſint, aciemque intellectus talem habeat,vt celerrimè,quæ alij in multo tempore non conſequerentur, ipſe aduertat; probat Ariſtoteles id, ponens rationis ſignum.

Quibus

Quibus ineſt color rubeus, illi ſunt temperamenti bilioſi, & ſanguinei, qui tales ſunt calidi naturaliter exiſtunt, quorum complexio eſt calida, & bilioſa illi tenues ſpiritus habẽt, habentes ſpiritus, & ſanguinem tenuem acuti ſunt, ergo qui rubeo colore præditi ſunt, illi acuti exiſtunt, probat in textu minorem, nempe quod rubei ſint calidi dicens, quorum corpora, multo motu ſunt agitata illi incaluerunt, & calidi exiſtunt, at quorum corpora multum fuerunt exagitata illi ſunt rubei, ergo rubei ſunt calefacti, quare & calidi; cauſa autem propter quam rubei ſint calidi eſt, quoniam rubei ſunt, vt dictum eſt, bilioſi, & ſanguinei, qui humores cum calidi ſint, ſi prædominentur corpus etiam calidum efficiunt, & ſi ſecundum naturam diſpoſiti, & ſani externa rubent, & mediocriter calent, tanto magis etiam interiora, & caleſcent, & rubra erunt.

APOTELESMA LXXXXV.

„ Quibus color flammeus, maniaci, quia ea quæ ſunt in corpore vehementer calefacta flammeum colorem habent.

FLammeum colorem voco illum ruborẽ, in quo ſplendoris eſt multum, qui flammam imitatur, cinnabarim, & coccineos pannos; qualem colorem aliquando ſpectare licet in facie eorum, qui multo vino ſe ingurgitarunt, & iam ebrij ſunt, eundem colorem vidimus in duabus fœminis phrenitide laborantibus, quorum altera mortua eſt, altera cum ex hæmorrhoidibus multum ſanguinis eieciſſet, tandem ſeruata fuit, poſtquam capilli omnes defluxiſſent; Maniacus appellatur à Mania, hæc autem furor eſt, qui ſequitur mẽbranarum cerebri inflammationem, inflammanturque à quouis humore ebulliente; præcipue autem à bile tum flaua, tum atra exardente, & capitis interioria exurente; eſt igitur poſitio talis.

Quorum color faciei flammeus eſt, illi propenſi ſunt ad phrenitidem, & maniam, probatur quoniam quorum color faciei eſt flammeus illorum interiora vehementer ſunt calefacta, & exæſtuantia; quibus præcordia, & membra interiora exæſtuant, iis facile accenduntur cerebri meninges, quibus hæc accidere facile poſſunt, propenſi ſunt ad maniã; ergo quorum color eſt flammeus, illi ad maniam ſunt propenſi; quod fuerat probandum; à ſigno confirmat Ariſtoteles in textu minorem, quæ erat flammeo colore præditam faciem arguere vehementem membrorum corporis calefactionem; & ait.

Huius indicium eſt, quod omnia corporis membra vehementer calefacta colorem induunt flammeum, quare ſi contingit faciem aliquam naturaliter flammeum colorem habere, probabile eſt faciem illam eſſe vehementer calefactam; non enim in ſecunda figura neceſſaria ſequitur, ex vtriſque affirmatiuis concluſio.

Mihi autem videretur multo facilius, atque etiam multo conuenientius Ariſtotelicæ methodi ſi argueremus, probaturi, flammeum faciei colorem denotare propenſionem ad maniam, hoc modo; Maniacis interiora, & præcipue, quæ circa meninges cerebri, & ventriculos poſita ſunt, vehementer æſtuant, & incenduntur; quibus interiora exæſtuant, illi flammeum colorem in ſuperficie corporis habent, & circa faciem, ergo maniacis facies eſt flammea, ergo, & quibus flammea facies eſt, illi ad maniam ſunt propenſi; ponitur maior in tex. nempe quorum interiora corporis membra vehementer æſtuant, illi flammeum colorem habent. Sed clarius, & ad tex. accommodatius dicemus hoc modo.

Quibus color flammeus maniaci, quia ea, quæ ſunt in corpore vehementer calefacta flammeum colorem habent; Qui autem extreme calefacti maniaci vtique eſſent.

Eſt huius Apoteleſmatis ſenſus; Quorum facies eſt flammei coloris, hoc eſt vehementer inflammata, illi propẽſi sũt ad furorem, & inſaniam, quoniam hoc indicat partes internas

cere-

cerebrum ſcilicet, & cor etiam eſſe vehementer calefacta; & ideo talem colorem in facie apparere; Non dico autem hos qui habent flãmeum in facie colorem eſſe maniacos, ſed bene propenſos ad maniam; Nã ſi interna eſſent in exceſſu calefacta non iam inclinati eſſent tantum, ſed in actu, & realiter eſſent maniaci, cum nihil aliud ſit mania, niſi internarum partium cerebri inflammatio; ſic itaque fiat ſyllogiſmus. Quibus color flammeus eſt in facie, illis interna viſcera, & præcipuè cerebrum, & cerebri membranæ vehementer ſunt calefactæ: Quorum cerebrum, & cerebri meninges valde calefactę ſunt illis ineſt propenſio ad maniam ergo, quorum facies flammeum colorem habet ad maniam ſunt propenſi. Minor probatur ex euidentia; Nam videmus corporis noſtri membra cum vehementer calefacta ſunt hunc colorem flammeum habere; Maior eſt definitio ipſius maniæ; aut ex definitione maniæ clarum eſt; maniam vocant Medici inflammationem membranarum cerebri, & conuerſionem ſpirituum ad igneam naturam; & in lib. Gal. de Anat. viuorum dicitur, maniam eſſe ſignum quod præcordia ſint plus iuſto calefacta, ſi ergo maniaci habent interna viſcera ſumme calefacta, ergo, & quorum uiſcera calefacta ſunt illi ad maniã propenſi; ſed qũ videbat Ariſtoteles, poſſe aliquem obijcere, hos non eſſe maniacos; quãuis ſint vehementer calefacti; Reſpondet, non eſſe in ſummo gradu calefacta interiora; Nam cum ad exceſſum perueniunt, iam ſunt actu maniaci.

Flammeus color fit in noſtro corpore, uel à cauſa externa, nempe motu, uel igne, aut ſole, uel fit à cauſa interna, hoc eſt à ſanguine bilioſo, & ſpiritibus affatim, & ſimul ad partem unam concurrentibus, ita ut præmultitudine impedita tranſpiratione augeatur calor, quę ſequitur inflammatio, & prædictus color. Maniam etiam deſcribunt, eſſe corrupta m cerebri functionem à calore igneo, citra tumorem illud occupante. Ex his apparet, quomodo flammea facies propenſionem ad maniam indicet.

Non erit igitur cordati, & prudentis uiri cum hominibus flammeam faciem habentib. diſputare, aut de quacunque etiam leui cauſa contendere; Quoniam ſi paulo plus ſpiritus incaluerint, in contentione, facile eſt, ut actu maniaci fiant, nec ſolum in conuicia erũpant, ſed manus etiam inferre tentent.

APOTELESMA LXXXXVI.

„ *Quibus autem eſt flammeus color circa pectus difficilis iræ ſunt, referuntur ad paſſionem, iratis enim ſuperaccenduntur ea, quæ ſunt circa pectus.*

QVid ſit flammeus color, & propter quid inexiſtat, & cur exæſtuantis temperamenti ſignum ſit diximus. Hunc igitur colorem ſi circa pectus contigerit difficilem iram ſignificare ait, hoc eſt trucem, & pernicioſam, & mali modi, quam alibi Ariſtoteles vocat acerbam, quæ niſi extrema pernicie illius, qui excitauit finiri poſſe, non ſit ueriſimile; eſt igitur Ariſtotelis ſententia, quibus circa pectus color ineſt flammeus, illi ſunt ſæuæ, & difficilis iræ, probat, quoniam qui hac paſſione tenentur, ac ſæuè iraſcuntur, tunc illis, quæ ſunt circa ſtarnum partes flammeum concipiunt colorem, quare & quibus naturaliter talis color adeſt circa præcordia, illis propenſio ineſt ad ſæuè, & crudeliter iraſcendum; ut ſit tota uis rationis huiuſmodi, quicunque diſpoſiti ſunt naturaliter ſecundum corpus, & particulas corporeas, eo modo, quo contingit ex affectibus certis diſponi homines, qui illis tenentur affectibus, illi ualde propenſi ſunt ad eos affectus, ſed quicunque habent cutim, quæ ſupra pectus eſt colore flammeo imbutam, illi habent colorem, quem uidemus in pectore illorum, qui ſæua, & difficili ira tenentur, ergò &

quibus ineſt flammeus color circa pectus, illis ineſt propenſio ad ſæuam, & crudelem iram vt enim dicitur, in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus, cauſa vero propter quã flammeo colore præditum habens pectus ſit valde, ac vehementer iracundum, hæc eſt, quoniã ei qui detinetur ſæua, ac difficili ira, ebullit atque vehementer exæſtuat ſanguis ſubtilis, & bilioſus circa cor, at cui circa cor exæſtuat bilioſus ſanguis, illi interna pectoris exuruntur, & inflammantur, inflammatis internis, color flammeus externis participatur, & appareat in cute, & in pectore, ergo vehementer, & ſæue irato talis adeſt color, ergo, & ex aduerſo, cui talis color circa pectus erit, vel vehementiſſima tenebitur ira, (ſi id illi naturale non fuerit) vel paratus eſt admodum ad huiuſmodi affectũ; quauis etiam minimæ de cauſa. Tota vis rationis in hoc conſiſtit, quod natura ſemper eodem modo operetur, niſi quid impediat, & cui adeſt ſignum, adeſt etiam cauſa ſigni; & cui cauſa illi eſſentia, & principium operationis, vnde cuius facies, vel lugenti, vel deridenti naturaliter ſimilis eſt; illum in hos affectus propenſum eſſe dicimus magis quam qui oppoſito modo ſunt diſpoſiti.

APOTELESMA LXXXVII.

Quibus circa collum, & tempora venæ diſtentæ ſunt, difficilis iræ ſunt, referuntur ad paſſionem, quia iratis hæc accidunt, cum vehementer deſæuiunt.

EIſdem & hoc nititur principijs, quibus ſuperius, nam ſi in eo, qui ſæue iraſcitur talem videmus venarum diſtenſionem, ergo, & cui tales venarum apparent affectiones ni ſi ille actu iratus eſt, propenſum tamen ad ſæuam, & difficilẽ iram eſſe dicemus; circa collũ duæ venæ ſunt, quæ iugulares dicuntur, & arteriæ duæ, ex vtraque parte ad caput aſcendẽtes, & ſe implexu mirabili, & in cerebri, & membranarum ſubſtantiam inferentes, vt, & alimentum, & ſpiritus cerebro, ac capiti toti ſuppeditetur; oriuntur autem ab arteria magna, & à vena caua, & circa tempora, quæ venæ ſunt, & arteriæ, harum ſunt propagines, & propè cutim, eo in loco apparent vbi temporalis muſculus implantatur.

Diſtentas voco venas turgentes, & ſanguine repletas ita, vt multo quam prius, magis perſpicuæ appareant; eſt etiam vna in fronte vena, quæ ad perpendiculum naſo videtur ſuperſtare quæ cum diſtenta eſt, aut hominem bene potum, aut bene riſiſſe docent, aut tandem calefactum à cauſa interiori circa caput, ſic Silenum inflatum venas heſterno Iaccho, ait Virgilius, ſic & Siluanum, & Priapum fabulantur venas temporum, & frontis inflatas habere.

Eſt Ariſtotelis placitum, quibus uenæ iuguli, ac temporum diſtentæ apparent, illi ſunt uehementer iracundi, probatur à ſigno, quoniam qui uehementer iraſcuntur, illi uenas hoc modo affectas habent, ut turgeant, & diſtentæ appareant, ergo quibus uenæ circa collum turgent, illi propenſi ſunt ad ſæuam, & difficilem iram exercendam; conſequentia tenet, quoniam correlatiua ſunt anima, & corpus, paſſioneſque animæ, & corporis, quæ ſunt uirtutes in materia, cum autem affectus nihil aliud ſit, niſi exitus ad actum, potentia, quæ habet eſſe in determinata, & certa materia, quo propinquior eſt actui, & ipſi exitui ad actum, eò etiam materiam elaboratiorem, & magis formatam accidentibus, quæ ipſum actum concomitantur, probabile eſt habere, nam potentia uerbi gratia iraſcibilis eſt, ut forma, & entelechia quædam, quæ ſibi certam determinat materiam in corpore, nempe ſubtilem ſanguinem, & calidum, & rubrum huius compoſiti propria operatio eſt iraſci, ſignum quod hanc materiã, ſequitur eſt flammeus color in pectore, quare ſequetur propenſionem etiam, & habilitatem.

Cauſa autem propter quam iratis turgeant uenæ circa collum, & tempora ex ſe facilis eſt; nam iratis ualde, ſanguis bilioſus ebullit circa cor, quibus hoc accidit multus ſpiritus,

multuſ-

multuſque calor, & ſanguis tenuis fertur in cerebrum, & caput; adeo, vt aliquando oculos & faciem flammeam habeant, & à naribus ignem ſpirare videantur; materia autem hæc efferueſcens per venas, iugulareſque arterias fertur, vnde illæ dilatantur, & extenduntur, calidi enim eſt dilatare, ergo vehementer iratis extenduntur iugulares venæ, nec nõ, & eadem de cauſa, quæ ſunt circa tempora etiam dilatantur, vt non nullis præ nimia ira, (ſicuti experiẽtia cognitum eſt) ex oculis, & auribus ſanguis eruperit; ergo iratis valde venę iugulj diſtenduntur, ergo, & è conuerſo, quibus iuguli, & temporum venæ naturaliter diſtentæ ſunt; illi propenſi ſunt ad iram ſæuam, & mali modi.

Animaduertendum etiam eſt, quod ſi quis non naturaliter, ſed caſu aliquo tales venas habuerit, ille ſecundum quod talem venarum affectum habet, tunc etiam ad iram acriter propenſus erit; nam memini quoſdam nimio vino repletum cum caput haberẽt, ijſdemq. turgerent venæ minima de cauſa in ſæuiſſimam iram inciderunt; alij etiam cum multo riſu iocoque inflatas venas, & calefactum haberent caput, repente in iram ſæuiſſimam conuerſi ſunt; & hoc eſt qđ forte dicebat Horat. *Ludus enim genuit trepidum certamen, & iracundi.*

Cauſa eſt quoniam in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus, iracundi omnes circa præcordia prius, deinde circa caput calefacti ſunt; quibuſcunque igitur quacunque de cauſa partes hæ internæ incaluerint, omnes ad iram promptiſſimos dixeris, eadem de cauſa ẽt amantes cum in promptu voluptatem cupitam habent, ad iram ſunt paratiſſimi, amor. n. calor eſt circa præcordia gliſcens, non minus quam ira, quamuis amor in ſanguine benigno, ira autem in acri, & bilioſo ſedem habeat, facile tũ ab hoc ad illã fit tranſitas, vt abaere ad ignem.

APOTELESMA LXXXXVIII.

„ Quibus facies ſupererubeſcens eſt, verecundi ſunt referuntur ad paſsionem, quoniam verecundantibus ſupererubeſcit facies.

FAciem ſupererubeſcere puto, hoc eſt, circa frontem, & partes ſuperiores concipere colorem rubeũ; qui propriè ſanguineus eſt, ac purpuraſcens, q̃ ſupererubeſcentia ſpectatur in pueris, & virginibus quando erubeſcunt; porrò, vt mihi videtur quamuis calor naturalis, ac ſanguis, & ſpiritus tõtum noſtrum corpus occupet, regat, & gubernet, neque ſit ulla pars uiuens, & ſentiens, quæ utroque, aut altero ſaltem (ut forte poſſet accidere oſſibus) non fruatur, attamen eſt quædam portio ſanguinis, & ſpirituum, quæ paratior eſt, per totũ corpus diſcurrere, & laboranti parti ſubſidium ferre, non ſecus atq. in prælijs plerunq. cõtingit, Imperatores enim quandoque agmen militum quoddam extra pugnam locant, vt laborantib. & inclinãti aciei, ſi cõtigerit, præſidio eſſe poſſint, & valẽter opẽ ferant, Accurrit aũt sãguis hic, & ſpiritꝰ quẽ in ſubſidijs poſitũ diximus, vt puto ad prȩcipuas corporis noſtri patres, ſm q̃ cõtingit has, vel illas magis, aut minus affici, hoc vel oppoſito mõ diſponi,

Vel enim fertur in caput, & faciem & partem ipſius anteriorem, ac præcipue in oculos, cum lętamur, aut in promptu eſt voluptas ex ira; qui enim uindictam ſumunt, aut iam iam ſe ſumpturos eſſe ſperant, neq. quidquam timent, illis efferueſcit ſanguis, & color in facie, & oculi flammas euomere videtur; ſimiliter ſi nobis vehemẽter exoptatus amicus, aut expectatum ſe ſe nuncium offerat, quaſi occurrens ſanguis, ac ſpiritus rei quæ placet, vt delectabiliter iungatur obiecto, faciem, & oculos occupat, qui etiam miſereſcunt rubore quodã ſuffundi videtur, ſimiliter, & ijs, q̃ verecundãtur, calor, & ſpiritus in caput fertur hęc tñ inter pudore affectũ, & lętantẽ exſultione ſperata, & in prõptu iudicata, aut miſereſcentem eſt differentia, quod illis qui pudore fiunt rubei, color ad aures, & ſanguis ad ceruicem, & ſuperiorem partem capitis fertur, oculique ſpiritu deſtituuntur, vnde erubeſcentes propter pudorem demittunt oculos, & claudũt, ac uultum deijciũt, & uix loqui poſsũt, deſtitura. ſ. calore, & ſpiritib. lingua, at q̃ ex ira rubei sũt p̃p nimios ſpiritus, & ipſi impeditè loquũtur,

& balbutiunt, quoniam tam multitudo, quam paucitas ſpirituum impedit locutionem, & tam improportionatum mouens in exceſſu, quam in defectu motum ineptum facit; quod patet, ſi quis plumam proijcere vellet, aut ſaxum ducentum librarum; Amplius ad cor præcipuũ, & ad membra, quę circa ipſum ſunt in omni pene affectu naſcente ex malo corruptiuo præcipuè, aut iniucundo fertur ſanguis, & ſpiritus tanquam ad arcem, & principium totius vitæ, quo conſeruato, illa ſeruatur, & quo amiſſo procul dubio amittitur; in doloribus autem ad ipſum recurrit, vt ad terminum ad quem, & in ira etiam circa ipſum recurrit ac furit, & æſtuat quatenus ira eſt dolor, ſed poſt paulo fit cor terminus à quo cum æſtuans ſpiritus, ac ſanguis per totum corpus deinde, & maximè ad partes ſuperiores feratur.

Cum autem incaluerit cum corde pulmo, & frequentior fit inſpiratio propter neceſſitatem, & multa verba præter rationem effutiuntur, ratio enim medietas eſt, quæ vitiatur à vehementibus, atque exæſtuantibus ſpiritibus, & vaporibus, à quibus tanquam ventoſis procellis, & nube denſiſſima impeditur, ne proprijs fungi muneribus poſſit.

Etiam in epar, & membra prima nutritionis calorem, & ſpiritus recurrere puto, nõ qđ eo in loco ſit concupiſcibilis potentiæ ſedes, ſed quoniam contingit hæc aliquando etiam præter naturam affici, vel propter inanitionem nimiam, vel propter oppoſitam repletionẽ, aut propter obſtructiones, vnde præter rationem manus, pedeſque aliquando incaleſcere, quandoque etiam male affici corpus ſentimus.

Quarto ſi circa diaphragma feratur ſanguis, & ſpiritus affatim; exoritur riſus, & in riſu iociſque calor, & ſpiritus eo in loco præcipuè augentur nam & pars illa magis incaleſcit, & ea eſt, quæ præcipuè agitatur in his affectibus.

Si quando autem vehementi motu, & pauore turpiter opprimatur, & pene conficiatur homo, tanquam ſpiritus calor, & ſanguis impotentiæ ſuæ ſibi conſcius ſit, & offendi ac extingui vereatur, ad inteſtina, & partes inferiores circa vmbelicum fertur, vt ibi deliteſcat; exquo ſequitur, vt venter, & veſica vehementer timentibus, turpiter ſoluatur, calidũ enim ſua præſentia dilatat, & aperit, & hic quintus eſt locus, ad quem ferri contingit; at tunc ſuperiora frigeſcunt, vox faucibus hæreat, & comæ horrore arrigantur pedes ſtare nequeũt.

Sexto ad teſtes, & genitalia feruntor, cum libido venas inflarit, & veneris voluptas in promptu eſt; quare, & in his etiam ſicuti in alijs partibus idẽ enuntiari poteſt; quod quibuſcunque multum ſanguinis, & ſpirituum exiſtit circa genitalia, illi libidinoſi ſunt; & quę ſigna indicant multam ſpirituum, ac ſanguinis circa inguina ſtare copiam, eadem præſentanea, & certa ſunt vehementis libidinis ſigna. Sed his expeditis ad Ariſtotelem deueniamus, eius eſt placitum. Quibus facies ſupererubeſcens eſt, illi ſunt verecundi; affert ſui dicti rationem à poſteriori, & eo modo quo fecit in ſuperiorib. dicẽs, qm̃ qui verecũdia afficiũtur illis rubra fiunt frons, ſupcilia, & aures, & incaleſcunt partes ſupiores capitis; ergo è cõuerſo, quibus naturaliter hic rubor in prędictis partib. ineſt, illi ſunt ad verecũdiã ꝑcliues.

Noto autem non omnem ruborem, ſed illum qui purpureus eſt, quemque incarnatum diximus, ex puro ſanguine ſubtili exorientem, eum eſſe de quo, nũc eſt ſermo; cauſam aũt, propter quam ab oculis recurrat ſanguis, & ſpiritus in verecundia, & pudore ad aures, & partem ſuperiorem, & ad eum locum, vbi dicitur, rationalem partem poſitam eſſe, hanc putarem, qm̃ cũ obijcitur aliquod dedecoroſum, quod tale iudicet ẽt ratio, ſecundumq. illud ipſum de ſe male exiſtiment, aut exiſtimare poſſe homines putat, percellitur ratio, intelligens quod nolebat, laborat igitur, quare ad eam partem ſpiritus, & ſanguis quaſi laturi auxilium recurrunt. & ſua præſentia illam turbantes magis magiſque præpediunt.

An dicẽdũ ſicuti ꝑ immenentẽ iniucũditatẽ, & doloroſũ dãnũ refugit color, & ſpiritꝰ ad inferiora, ita ꝑ imminẽs vitupiũ, & dedecꝰ ab oculis ad poſteriora, & frõtẽ recedit calor.

At ĩ verecũdia ſuffũdi rubore genas, & nõ frõtẽ, aut aures dicet aliquis, idq. ẽt teſtaꝫ Virg. ꝙ experientia docet, ſolis. n. pallidis ſm naturã, & male dedecꝰ timẽtib. aures tãtũ ĩcaleſcũt,

ac ru-

ac rubore ſuffunduntur; An reſpondendum eſt, genas prius rubore tingi, quoniam genæ ſunt loca media per quæ ſpiritus, & ſanguis euocatus ad caput fertur, vt ad aures, & ad frõtem feratur, ꝙ autem locus ad quem, ſint aures, & ſinciput, ex hoc patet quoniam ibi rubor diutius permanet, atque aures tiniunt, & cutis frontis agitatur, neque loco quieſcit, deiecti autem ſunt oculi, cũ iam à malis ad ſuperiora deferatur ſpiritus, & ſanguis, vt dictũ eſt.

Propter quid autem quidam ſunt, qui nuſquam erubeſcunt, alij qui ſemper & ſine cauſa erubeſcere ſolent? memini enim me vidiſſe quoſdam adoleſcentes liberaliter, & ingenuè educatos, qui cum primum aliquem de re quapiam ſibi ſublata quærẽtem audiuiſſent ſubito erubeſcebant, vt cõtinuo poſſet aliquis credere illos eſſe eius rei, de qua erat querela, reos, & verè culpabiles: An, vt quiſpiam dicebat, eius quod præter naturam eſt, nulla naturalis reddi poteſt cauſa? An vero id ridiculum eſt dictu? effectuum enim, vt plurimũ cauſæ etiam ſunt, vt plurimum, & qui in paucioribus, ſimilies etiã habent cauſas, quare putarem ex principijs naturæ cuiuſquè id ſequi.

Animaduerti, quod qui quauis etiam minima cauſa, aut etiam ſine cauſa erubeſcunt, ꝙ hi omnes ſunt calidi, & humidi ſanguineo, & pituitoſo habitu prædiți, & præcipuè circa caput, creduli igitur, quare quod audiunt ab alio turpe iudicari, idem etiam, & ipſi turpè iudicant, iudicium factum ſequitur ab horritio, & vt ſic loquar deteſtatio illius rei, huic iuncta eſt diſplicentia, diſplicentiam ſequitur ſuſpicio nunquid tale quippiam de ſe ipſo credi poſſit, hoc excipit dolor, doloris proprium eſt ad ſe calorem, & ſanguinem trahere, ſurſum igitur fertur ſanguis, & ſpiritus, quoniam valde mobilis eſt, hinc factum eſt, quod quacunque leui de cauſa, qui tali prædiți ſunt temperamento erubeſcunt, etiam ſi id ſibi adeſſe nõ putent, quod ab aliquo vituperari audiunt, qui vero nulla ratione erubeſcunt impudentes, & perfrictæ frontis viri ſanguinem craſſum, & melancholicum habent, & ſpiritus craſſiores, neque facile credunt quoniam ſicci, neque dedecus curant admodum, quoniam frigidi, & impudentes ſũt, quare male mobiles, ſed tardi, hinc ſequitur quod nec facile, neq. leuiter rubore ſuffundantur; ſed ijdem omnino immobiliter, & impudenter permaneant.

Sed iã cauſam Ariſtotelici placiti afferamus propter quid quibus facies ſupererubeſcit illi ſint verecundi. Cauſa eſt, quoniam qui verecundantur ijs recurrit ſanguis ad ſuperiores partes faciei ad frontem, aures, & ſupercilia, at quibus ad hæc loca feruntur ſanguis, & ſpiritus, illi rubeum, ſeu purpureum circa illas partes induunt colorem, ergo qui verecundantur illi ſecundum faciem fiunt rubei, vt dictum eſt; & è conuerſo dicendum eſt ex ſupradictis principijs, quod cuicunque os, ac facies purpurea eſt, & ceu roſa colorata, quod ille eſt verecundus, & ingenuo pudore facile ſuffunditur, quod erat probandum.

APOTELESMA LXXXXIX.

„ Quibus genæ ſupererubeſcunt, amatores ſunt vini, referuntur ad paſsionem, quia ebrijs ſupererubeſcunt genæ.

MVlto diuerſus eſt hic color ruber, qui in ebrijs ſpectatur, ab eo qui in pudibundis videtur, & aliæ partes ſunt, quæ rubent vinoſis, aliæ quæ pudentibus, quare non mirum ſi diuerſę etiam paſſiones à diuerſis ruboribus ſignificentur; primum igitur verecũdantibus color non ſtat in genis, ſed ad aures, & frontem peruenit; in vinoſis non pertranſit genas, niſi inflammato tandem epate, & naſum, & faciem totam occupet; amplius in pudefactis color eſt propriè roſeus, & imitans purpuram cum quadam candoris adumbratione, ſecus ĩ vinoſis, genę. n. ſub oculis, ac oculi ipſi rubore miniũ referẽte, nõ tñ ſplendẽte colorãtur, loco igiĩ, & ruboris diuerſitate diſtinguũtur, vinoſi, & pudefacti, aut pudibũdi.

Quib. igiĩ genæ, hoc eſt partes q̃ ſub oculis ſunt valde rubeſcunt, illi ſunt amatores vini, ꝓbatur eo quia, q̃ actu ebrij ſũt hoc colore genas impreſſas habẽt; ſi igiĩ cũ actu ſecũdo, &

energia ebrietatis, hic color iunctus est tanquam signum concomitans illum affectum, siue affectus præsentiam, ergo cui naturaliter hic adfuerit color ille paratus est ad talē actū, & promptissimè inebriabitur; causam huius signi sic puto deduci posse, ebrijs, & ijs qui multo vino se se ingurgitarunt, multus vapor calidus, & siccus ad cerebrum, & caput fertur, & maximè propè oculos, cui hoc accidit, illi partes quæ sunt circa oculos rubescunt rubore minium referente, non tamen splendido, ergo ebrijs huiusmodi color circa genas apparet, ergo & quibus circa genas huiusmodi color apparebit illos, ad ebrietatem propensos esse naturaliter pronunciabimus.

At re vera nescio an rationabiliter ex vno tantum signo ebriosum dicere poterimus hominem; præcipium autem illorum signum est, spiritus, siue anhelitus creber, & fortis qualem habent Septentrionaliores, quam sint Itali, item, & oculos naturaliter rubros habent, & sanguineis venulis plenos humidos, vibrantes, & quodammodo sursum euntes.

Mihi autem videtur ebriosos esse naturaliter, & siticulosos eos, quorum cor, & pulmo multo calore æstuant, neque suis illis potationibus remittitur sitis, & cum iam habitum super induxerint, neque sitim fugare volunt, sed continuè suis condimentis reuocant qua ratione forte fit, vt frigidiores, qui habitant plagas, cæteris sine magis bibaces.

APOTELESMA C.

„ *Quibus autem oculi super erubescunt, ij extra se feruntur ob iram, referuntur ad passionem, quia qui ab ira efferantur, illis oculi erubescunt valde.*

NOlim putes colorem qui de oculis nunc enuntiatur ad palpebras oculorum, aut ad adnatam, quam vocant, sed propriè intelligendum est, hoc dici de pupilla; est autem sensus, Quorum oculi naturaliter valde rubri sunt, vt uideantur referre carbonem ignitum illi adeo sunt naturaliter iracundi, vt cum in affectum iræ cadunt apud se nō sint, sed ea faciant, & dicant, quę vere furiosi facere solent, idem senserunt Polemon, & Adamantius, & quos vulgus habere viderit oculos rubros, & siccos illos valde esse iracūdos dicit, hoc Aristoteles confirmat exemplo passionis dicens; qui vehementissimè irascuntur, ut præ ira apud se non sint, illis oculi supererubescuntur, aut igniti videntur; ergo hęc est passio, quæ sequitur vehementissimam iram; qui igitur ad iram talem valde propensus est, ille tales oculos habebit; Causam huius placiti habebimus, contemplantes, quare valde iratis, & ob iram in furorem conuersis, tales adsint oculi; in problem. enim habetur ratio huiusmodi, oculos in iniurijs maximè se lęsos arbitrari, ad eam igitur partem tanquam maximè læsam transmitti sanguinem, & spiritus quorum præsentia efficitur, vt rubore suffundantur, & igniti appareant.

At mihi multo magis arridet, quæ Alexandro Aprodiseo attribuitur, sententia, oculos valde iratis, & præ ira apud se non existentibus ideo lucere, ac rubros effici, quoniam iratis sanguis circa cor ebullit; qui feruor vapores, ac spiritus calidissimos ad caput mittit, atque ad oculos præcipuè, vnde, & facies rubicunda, & oculi inflammati apparent, eademque ratione cui oculi naturaliter rubicundi sunt, illum præ ira adeo, data occasione, inflammari dices, vt extra se ipsum fiat, id de irata Alecto canit Virg., & quotidie flammatos oculos ostendere excessum iracundiæ manifestum est.

Noto autem inter cætera præcipium sæuissimæ iræ signum esse, habere plurimas venas valde rubicundo sanguine plenas in albo oculorum, & qui sic affecti sunt valde crudeles, & sanguinolenti sunt, cum in illo furore iræ existunt, & nisi omnem executi fuerint vltionem quiescere nequeunt.

Quidam inquiunt, sanguineos oculos etiam impudentiam significare, & rapacitatem, simi-

ſimileſque tales eſſe canibus, & ranis; at neque omnes canes habent ſanguineos, & rubros oculos, neque ſat ſcio impudentes eſſe ranas, & pro ſymbolo impudentiæ poni, cum, & illæ timidæ ſint, & natura frigidæ.

Certum quidem eſt ex Auer. quod oculi rubei ac minutis venis, ijſdemque rubentibus pleni calidum cerebrum indicant, quare cum ex ira amplius incaleſcãt facili negotio deinde in maniam, & furorem labi poſſe iudicandum eſt.

APOTELESMA CI.

Quibus oculi valde nigri, timidi, niger enim color valde videtur timiditatem ſignificare.

VAlde nigros oculos intelligemus atros, & qui ſcriptorio atramento in nigredine sũt ſimiles, aut carboni in puluerem redacto; hos vocat Ariſtoteles eſſe certum timoris indicium, quidam dicunt adeo infallibile eſſe, vt ſit neceſſarium, & addunt homines huiuſmodi eſſe auariſſimos, & turpi lucro deditos.

Cæterum quoniam niger oculus multiplex eſt, adhibenda eſt diſtinctio, vt de quo loquatur Ariſtoteles, habeamus, qui igitur nigri vulgo vocantur, alij ſunt ad colorem æruginis accedentes, & de his infra ſermonem faciet, alij verò atri proprie, de quibus nunc eſt agendum, qui autem atri propriè ſunt alij ſplendeſcunt, ceu rubi maturæ moræ, & de his etiam non tractatur nunc, alij hoc carent ſplendore; de quibus nunc eſt contemplatio; hoc vocat, ſignum eſſe timoris, vel pauoris potius, nam tales, non ſolum, quæ ſunt vulgo timenda, ſed etiam non timenda timent, ac ſeruili quodam, & inepto more pauitant, ſic autem videtur id Ariſtoteles confirmare.

Niger color in corpore timorem ſignificat, reſpiciens forte ad id quod ſupra dicebatur de Æthiopibus, & Aegyptijs, qui nigri ſunt, ijdemque timidi, ergo quibus adeſt color niger ijſdem, adeſt etiam timor; videmus etiam plurima inſecta ſicut cicadas, muſcas, & ſcarabeos, nigra eſſe, eademque timida; at ex oppoſito canes nigri timidi non ſunt, & equi ĕt colore nigro prædiți inter timidos non ponuntur, Alcem nigram, vidimus, & quaſdam mulas nigerrimas, quæ tamen obſtinatiſſimæ erant, neque verbera, aut fuſtes timebant; Ad hominum igitur genus Ariſtotelis ratio reducenda eſt, vt ſit ſenſus, homines nigro colore ſecundum naturam infecti ſunt timidi, quare & qui oculos huiuſmodi habent illi timidi erunt.

Poteſt autem facile aſſignari cauſa propter quam nigri oculi timorem arguant; ſiquidẽ nigri oculi arguunt dominium atræ bilis in cerebro, & quoniam fulgore caret, non calefactæ; dicamus igitur cui adſunt nigri oculi, illis prædominatur in cerebro atra bilis pura, & ſecundum ſe, at in quibus hæc prædominatur illi ſunt frigidi, & ſicci ſecundum naturã, frigidis ſecundum naturam, circa principia timor adeſt, ergo cui adſunt oculi nigri ille timidus eſt; & quoniam ex atra bile timet, hæc autem refert terram, quæ ſecundum ſe ſicca eſt, ſunt igitur & inſociabiles, & obſtinati, & propter eandem cauſam, aliena quidem recipiunt, at cum receperint difficillime deponunt.

Quidam auctor tribuit Polemoni callidos, & doloſos homines per oculorum nigredinem ſignificari; at id ſanè Polemon non dicit, ſed ait nigrum oculum, ignauiam, pauorem, & infidelitatem teſtari, quando autem doloſos, prauos, & maleficos notat; id non tribuit oculis atris, ſed ijs, qui cum notabili ſplendore nigreſcunt; alibi etiam idem auctor, oculis nigris iram difficiliorem, impudentiam, & impietatem tribuit; at ſanè non immerito dicemus nigros oculos, & ſplendentes callidum, & doloſum hominem ſignificare, nam cum bilis atra aduritur, ſpiritus etiam ſubtiles, & acuti eleuantur, aptique ad inquiſitionem, &

inuen-

inuentionem fiunt homines, quæ qualitas non absurde dici potest calliditas, quoniam autem timidi sunt, dolos meditantur, & fallacias, non enim aperto marte ad arma, & ad nocendum alijs accedent, qui autem solo nigrore sunt præditi timidi sanè sunt, quoniam melancholici, melancholici autem frigidi, & frigidi meticulosi, & quoniam frigidi etiam tardi ad motum, ignaui igitur, & quoniam timidi, & ignaui, & tardi ideo etiam duri ad apprendendum, quæ dicuntur, & ad credendum, & quoniam neque credunt, neque amant insociabiles sunt ferè, & ideo infidi; hæc igitur de his qui atros sine splendore habent oculos dici possunt.

APOTELESMA CII.

„ *Qui autem non sunt ualde nigri, sed declinant ad flauũ colorem boni animi sunt.*

ALtera species est nigroris splendore carentis, sed ab atro declinantis, hi oculi rubiginis ferreæ colorem imitari mihi videntur, est enim rubiginis color medius inter nigrum, & fuluum; ita tamen, vt nigredo superet; hos Aristoteles bonum animum indicare ait; illos bono animo præditos puto, qui nati sunt ad amandum homines, illisque bene faciendum, qui demum secundum naturam hominis sunt dispositi, est enim hęc hominis natura, vt sit sociabilis magis quam omnis apes.

Huius passionis rationem nullam assignat Aristoteles, fortè credens ex superioribus posse colligi, si enim valde niger bonus non est, ergo probabile est, non valde nigrum bonum esse posse, non sequitur tamen necessario, etenim sublato antecedente, non necessario tollitur consequens, at rationem, & causam venari tentemus; Bono animo præditos diximus eos, qui humani sunt, & qui ad ferendam opem alijs propensi sunt, hæc propensio arguit conscientiam, siuè animaduersionem quandam, quod etiam ipse alijs possit egere, secundũ quam animaduersionem, paratus est homo ad iuuandum alios; tales igitur acutè discurrũt quid sit è re sua, & quid hominem deceat, & sibi timentes alijs prouident, secundũ igitur quod timore non carent frigidi sunt, frigidi terrestres quare melancholici, vnde nigredo, secundum autem quod sunt prouidi, & acuti calore participant, bilis igitur portio iuncta est melancholiæ, quæ deinde colorem fuluum illum facit; qui cum nigro iunctus rubiginẽ imitatur, quod si hoc verum est, Dicemus.

Bono animo pręditi non sine calore, sed melãcholici sunt cum sub dñio bilis naturalis, qui tales sunt oculos habent nigros ad fuluum declinantes, ergo qui bono animo præditi sunt oculos habent non valde nigros, sed ad fuluum colorem declinantes, quod fuerat probandum; ergo, & è conuerso quibus tales adsunt oculi illi ad humanitatem sunt propensi, & bono animo præditi; melancholicum autem habitum cum bilioso iunctum facere oculos nigros, ad fuluum inclinantes, & colorem imitantes rubiginis, ex supradictis iam manifestum est, cum terram referat, melancholia, & humor hic naturaliter sit ater; ignem autẽ bilis; hic iunctus cum terra nigra fuluum colorem producit; cæterum hos potius ad fœminarum, quam ad virorum naturam reduxeris, illæ enim sunt viris, & mansuetæ, & misericordes magis quæ videntur passiones animi boni, de quo supra.

APOTELESMA CIII.

„ *Quibus oculi glauci, aut albi timidi sunt, visus est enim albus color timiditatem significare.*

SI color, quem græci glaucum vocant, est idẽ cũ cæsio latinorum, necesse sanè erit, illius species percurrere; non enim verum est simpliciter, cæsium oculum esse timoris inditium,

tium, nam ſi cæſij (vt non nullis placet) oculi, ſunt ijdem, & cærulei, cum Scythis, Germaniſque ferè omnibus cæſij adſint oculi, illos oporteret eſſe timidos, quod tamen certè falsũ videmus, cum his populis, pauci aut nulli ſint audaciores; glaucum igitur ponamus cęſium eſſe, & hoc verbum à cæli claritate, vel aeris deductum eſſe, cæſiumq. hoc eſt, cęlium nuncupari, hunc igitur quotuplex ſit dicamus, & quomodo fiant ſingulæ ſpecies, & quæ pars ea ſit quæ cæſia in oculo dicitur, ſic enim, & cur timorem ſignificat forſan clarum fiet.

Triplex videtur eſſe oculorum color qui cæſius dicitur, vnus eſt, & primus, qui in pueris lactentibus ferè ſemper reperitur, qui ad albedinem valde declinat, & color hic ſubalbidus propriè vulgo dicitur, ſecunda ſpecies cæſij coloris neſcio quid flaui iunctum habet, & tales oculi ſunt noctuarum, has enim græcè glaucopas, hoc eſt cæſios oculos habentes, vocãt tertia glaucedinis ſpecies ad virorem accedit, & propriè color cæruleus dicitur, quem in mari ſpectamus, & quem plures ſeptentrionales nationes habent, quid igitur ſit color glaucus, & quotuplex patet; nunc quomodo fiat paucis percurramus.

Prima ſpecies glaucedinis, quæ in pueris conſpicitur, ſi Meletium audiamus, non ignobilem veterem philoſophum, dicemus glaucedinem quæ accedit ad aqueum humorẽ cauſari à multitudine humoris vitrei, in cuius profundo exiſtit chriſtallinus clarus admodum, & multo lumine repletus, ſi vero paucus ſit vitreus humor vtrique tamen clari, & ſinceri admodum, hic nempe, & chriſtallinus, tunc illa exiſtit cæſietas, ſiue glaucedo, quæ in populis Septentrionalibus ſpectatur in quorum oculis flauities quædam apparet, & ad oculos noctuarum accedit, at ſi cum multo lumine multus fuerit humor chriſtallinus iam virorem referet oculus.

Ego vero in his valde dubito, neque mihi videtur oculos noctuarum, qui aureum imitantur fulgorem, quidquam commune habere cum oculis Saxonum, & Germanorũ, qui circa Albim fluuium habitant, quorum oculi in primis cærulei apparẽt, nec ſat ſcio an Meletij, aut interpretis culpa, quæ in ipſo leguntur peruersè, & peſſimè ſint ſcripta.

Inquit Ariſtoteles oculorum colorem corpora ſequi, quare qui ad ſeptentrionem cum corpora habeant alba, oculos etiam cæſios habent, qui vero ad meridiem cum corpore nigro nigrum colorem obtinent, quod etiam hic ſentit quodammodo, cum oculos nigros timorem indicare dixit.

Quod de albicantibus dicet nunc. Idem videtur in libris de generatione animalium dicere, quod humoris paucitas cæſium, multitudo nigrum facit colorem, at probabile foret minus humoris adeſſe in meridionalibus, quam in ſeptentrionalibus oculis, & eo magis quod copiam humoris non vitrei, ſed aquei cauſam nigroris, paucitatem glaucedinis dicunt, quod ex eo confirmatur, nam cum oculus marcorem patitur, ac aqueus humor amittitur, tunc oculus fit glaucus, ſiuè cæſius, & multa aqua nigrorem præſefert, quæ vero pauca in flumine, vel lacu exiſtit cæſium colorem habet.

Quidam ex recentioribus colorum diuerſorum cauſas vueæ tribuunt, ex cuius diuerſitate oculorum varietem naſci arbitrantur.

At, vt ego puto, & etiam ſine vueæ diuerſitate erit oculus diuerſus, & humorum oculos ſtatuentium multitudo, & paucitas, & diuerſa inter ipſos habitudo cauſat hanc varietatẽ, ex quinto igitur de generatione animalium dicamus, quibus nõdum perfectus eſt oculus, neque perfecta tunica, ac bene digeſtus humor, illis cæſius eſt oculus ad colorem aquæ accedens, & admodum albicans, tales ſunt puerorum nuper natorum oculi, & hic color timorem indicat; nam pueri timidi omnes ſunt, ſignum autem eſt calorem non dum ſuperare humorem aqueum, qui in temperatura cerebri multus exiſtit. Procedente tempore, & nigriore effecta vuea, & diſſipata ſuperflua aquei humoris quantitate, additaque inſuper multa ſpirituum, ſed non excedente copia, efficitur ſecunda ſpeties glaucedinis, quę ad flauitiem accedit, ſi vero, & augeantur ſpiritus bilioſi, & minor etiam fiat aqueus humor, ocu

li no-

li Scytharum existunt, qui virorem referunt; si autem magis, magisque spiritus augeantur, neque bilioſi puri, ſed cum melancholicis mixti, oculi humores repleant, & vuea etiã hoc eodem ſanguine paſcatur, bilioſo nempe, & melancholico naturalibus vtriſque humoribus, iam oculum, quem Ariſtoteles charopum, gratioſum, fulgentem fuluumq. dices, quẽ in leonibus, & aquilis, & generoſis canibus tueri poteris.

Hæc autem pars quæ cæſia quæ fulua, quæ quandoque nigra dicitur ea proprie eſſe videtur, quæ pupilla vocatur, quod ſi per pupillam nonnulli obſtinatius oculi foramen viſoriũ intelligi contenderint, nõ contradixerim; ſat nobis ſit, de colore illius partis ſermonem eſſe, quæ foramini coronam facit, & ab adnata circumquaque terminatur.

Eſt ergo ſenſus Ariſt. quibus oculi glauci, hoc eſt albi, ſiue ſubalbicantes ſunt (intelligendo de prima ſpecie glaucedinis) illi ſunt timidi, probatur, quoniam, ſupra dictum eſt album colorem arguere timiditatem, quoniam arguit prædominium humoris aquei, ſeu pituitoſi, quare & frigidi, at frigus timorem cauſat, hac igitur de cauſa quorum oculi ſunt cæſij, & albicantes hi ſunt timidi; pueri enim tales habent oculos, qui recens nati ſunt, & valde timidi ſunt, quare oculorum hic color arguit timorem.

Cur autem Germani cæſios oculos habent, & Sauromatæ, nec tamen ſunt timidi? at neque ſane frigidi, quidam reſpondent, nam calore interno abundant, & ab hoc forte plerunque ſiticuloſi, dicerem ego aliam eſſe glaucedinis ſpeciem, quæ eſt in Germanis admodum diuerſam ab hac, de qua nunc agit Ariſtoteles, eamque non ſolum ſequi cutis colorẽ, ſed ab oppoſita quodammodo cauſa generari, nam etiam quædam cum ſiccantur cæſium colorem induunt, & id præſertim accidit quibuſdam generibus olerum, quorum folia cũ vegeta viridem quandam nigrorem haberent, dum exſiccantur, ad glaucedinem accedũt, cum remiſſa quadam viriditate, qui color ni fallor animaduerti poteſt in oculis Germanorum, & Sauromatum à quo coloris genere olim cognominati fuere, quid igitur cæſius oculus ſubalbicans ex Ariſtotele ſignificet, nec non, & cur accidat ex his patet.

APOTELESMA CIIII.

„ Qui autem non ſunt glauci, ſed charopi, boni animi ſunt, referuntur ad leonem, & ad aquilam.

QVi charopi ſint oculi, & propter quid tales exiſtant ſupra dictum eſt; hos indicare bonum animum dixit Ariſtoteles, quis etiam ſit hic bonus animus, & quomodo humanitatem, liberalitatemque præcipuè ſignificet animi bonitas dictũ eſt; porro hunc oculorum colorem ſignificare bonum animum hoc eſt naturalem, bonamque diſpoſitionem probat Ariſtoteles exemplo leonum, & aquilarum Leones enim, & aquilæ oculos habent charopos, hoc eſt fuluos, vel cum ſplendore quodam ad fuſcum accedentes, cui admixtus ſit auri color, at hæc animalia ſunt magnanima, liberaliaque, & fortia, ergo quorum oculi ſunt charopi illi tales ſunt, qui tales bono animo præditi dicũtur, ergo charopi oculi bonũ animum ſignificant.

Propter quid autem hic idem oculorum color bonum ſignificet animum, ex ratione ſupra dicta, facile probatur, cui enim ineſt oculus charopus, illi ineſt temperies cerebri, & cordis à quo ſpiritus exeunt, melancholica, cum ſubdominio bilis flauæ naturaliter diſpoſitæ, at quibus ineſt huiuſmodi temperies, illi ſunt audaces, & conſiderati, qui tales ſunt bono animo præditi exiſtunt, ergo cui inſunt oculi charopi illi bonus ineſt animus.

Quæ primo loco poſita eſt minor nullam habet dubitationem, ſupra enim in præcedenti apoteleſmate fuit expoſita; quæ ſequitur ſecundum ſe manifeſta eſt, nam qui ex naturali atra, & flaua bile proportionate inter ſe iunctis conſtant ſunt audaces propter flauæ bilis

calo-

calorem, & permanent conſtantes propter melancholiam, quæ cum calorem recepit illũ retinet; valde conſiderati etiam tales ſunt, vt in problem. Sectione 30. qui enim ſpiritus ab huiuſmodi mixtione (quoniam adeſt bilis) ſubtiles, atque acuti, & penetrantes ſunt; quoniam autem adeſt ater humor vniformes, ſtabiles, æquales, & ſicci exiſtunt, ſicca autem anima, vt dicebat Heraclitus ſapientiæ, & bonitatis eſt hoſpitium; liberales etiam ſunt, qui hoc nacti ſunt temperamentum, nam caloris eſt diſpergere, ac difundere; qui cum ab atro humore cohibeatur mediocriter diſperget, at dare eſt liberalem eſſe; quoniam autem fortes, & liberales ſunt, ideo etiam magnanimi, quare & boni animi, ac laudabiles iure dicuntur, quod ergo charopus, ſiue cum quodam ſplendore fuluus, ac leoninus oculus ſignificet bonum animum, ex his patet.

Noto tamen vnum quod legitur, leonibus duplex eſſe oculorum genus, & enim viles, & non iubati habent oculos cæſios, hoc eſt ceruleos, & ad virorem ſubnigrum accedentes, vt etiam pantheræ, quare & fæui ſunt, & doloſi ſimiliter, ex hoc ſunt genere, qui circa radices montis Atlantis ſtabulantur, & oculos cæſios, & ſubalbicantes habent, quos, ait Ioannes Leo, eſſe viliſſimos, adeo, vt facile ab incolis illius montis mulieribus aliquando fuſtibus abigantur, qui vero campeſtria, & calida loca inhabitant ferociſſimi, & iubati exiſtũt quales etiam Indici, & his oculi fului, & ſplendentes cum quodã nigrore inexiſtunt; quem colorem vocauit Ariſtoteles charopum, & gratioſum, quoniam ſpectantium oculos delectat, ſimul, & quodammodo terret.

APOTELESMA CV.

Quibus oculi vino ſimiles ſunt ſecundũ colorem, ſtolidi ſunt referuntur ad capras.

QVid Ariſtoteles per vinoſum colorem intelligat, explicat cum dicit illum eſſe, qui in caprarum ſpectatur oculis, porro vinoſus color à Scaligero dicitur ex Theopraſti ſententia, in libello de coloribus, ille, qui ex puro nigro, & aerea luce conflatus eſt, hunc colorem ſpectabis in quibuſdam ceraſiorum ſpeciebus; at, vt mihi videtur nihil commune hic color habet cum oculis caprarum, qui mihi rubentes, & flaui cum albore videntur, & tales qui vinũ colorem non nigri ſed albi, ut dicunt Itali, aureum, uel croceum colorem imitantis repreſentent, cum igitur album cum lucido ſolis colore miſcueris illum generabis colorem, quem, & in uino tenui albo, & colorato, & quem in nubibus albis à ſole percuſſis, & quem in caprarum oculis ſpectare licebit, hunc igitur oculorum colorem ſtoliditatẽ ſignificare ait, & mores capræ denotare, ſtolidum, ut mihi uidetur, nomen à ſtollonibus deflexum eſt, arbores autem, quæ ſtollones emittunt eæ ſunt, quæ ab imis radicibus, aut ex ima parte, quæ propè terram eſt poſita, emittunt uirgas, quibus emiſſis cum totus humor in uirgas illas tranſundatur, ipſæ arbores, neque fructum faciunt, neque nutriuntur, ut igitur alienas, & inutiles ſectentur, & alant uirgas, ipſæ ſe ipſas deſerunt, quare ſtolidæ dicuntur, unde ſtolidus eſt, qui ſua non curat, quique eorum, quæ ſunt uſui nullam gerit curã aliena, & inutilia ſectans, quique facile irrideri, facileq. deludi poteſt, in quo capram imitari uidetur, unam enim, quidam ſcribunt, ſi quis barba apprehenderit, reliquas è grege immobiliter hærere, & quaſi ſtupeſcere; proprie autem ſtolidus, ut mihi uidetur ille eſt, qui & non multa cum ratione operationes exordiatur, & exorſas non perficit; inefficax igitur ad perficiendum, & promptus ad ſuſcipiendum, quod facto opus eſſe uidetur.

Dicit igitur, quicunque uino ſimiles oculos habent ſunt ſtolidi, quod probatur, nam capra uino ſimiles oculos habet ſecundum colorem, & hæc eſt ſtolida, ergo quibus uino ſimiles ſecundum colorem ſunt oculi, illi ſunt ſtolidi; dixi autem colorem hunc uinoſum non eſſe nigrum, neque cum, quem marmarat Homerus, ſed color hic uini flauus eſt, & quem in

caprarum

caprarum oculis spectamus, ille sanè album, non nigrum vinum imitatur; est enim flauus, & ad paleæ colorem accedens, aut maturorũ citrorum, quid igitur sit caprinus color, quid stoliditas, & quod hæc duo iugata sint, caprinus in oculis color, & in anima stoliditas ex his manifestum.

Propter quid aut id contingat nunc dicendum; supponamus igitur primũ, quod sæpius dictum est, quales sunt oculi, illorumque color secundum naturam, talis vt plurimum est cerebri temperies, qualis autem est cerebri temperies, talis etiam est modus operationum cerebri, item ponamus caprinum colorem, ex pituita cui adiuncta est flaua bilis ortum esse; nam pituita color albus est, vt aquæ; at si aquæ adiunxeris colorem crocem, (hoc est proprie crocum) in pauca quantitate, efficietur palearis ille color, sed non lucens, quod accidet si non admodum clara fuerit aqua, quibus igitur adsunt huiusmodi oculi, illis prædominatur pituita cum subdominio flauæ bilis in cerebro, sed non perfecte temperatæ; atque elaboratę; quibus autem huiusmodi temperamentum in cerebro adest vrgente bile prompte aggrediuntur, quæ facienda sunt, at propter pituitam quæ aquam refert inefficaciter peragunt, & desistunt, & rursus propter bilem irrequieti multa petunt, vnde etiam petuleæ vocantur capellæ, sed propter pituitam quæ petierunt subito spernunt, & omittunt, nã humidi est non retinere, quæ facillimè suscepit, hoc etiam capellarum videtur esse propriũ vt cum pascunt modo hæc, modo illa petant, & busta, & cum vnum carpere cæperint, non perficiant, sed ad aliud ferantur, neque vnquam pastu saturari posse videantur. 10

Ex his puto sic posse demonstrationem condi. Cui insunt caprini oculi illi inest cerebri temperies expituita multa, & turbida uscula, cum subdominio bilis flauæ, at cui tale inest temperamentum eidem inest stoliditas, ergo cui inest oculus caprino colore, quem diximus vinosum, infectus, ille stolidus est; sic ergo illi dicent, qui sic legunt textum Aristotelis, & qui caprinos oculos interpretantur varios, & turbulentos. 20

At sunt non nulli, quibus non possum non accedere, qui putant textum hunc corruptũ, & pro capris legendas esse oues. Primum quoniam vere oues pecus dicitur stolidum, qd testatur Aristoteles in libro de historia animalium; capræ tamen videntur ouibus multo prudentiores, quamuis, quod de Cretensibus affertur, quæ percussæ dictamnum quærant, potius videatur intelligendum de capreis feris, quam de his quæ apud nos degunt; cæterũ puto sane id de ouibus debere intelligi, & quos vocauit caprinos, potius ouillos oculos legendum esse; qui multa pituita cum pauca admodũ bile producti apparent; & probe etiã colorem vini diluti admodum imitantur, tantum autem valuit locus hic apud quosdam huius facultatis auctores, vt ideo librum hunc Aristotelis esse non putarint, cum hoc ab ipso asseri legissent, capras stolidas nimirum esse, quas alibi vocarat prudentes. 30

APOTELESMA CVI.

Quibus ignei oculi sunt inuerecũdi referuntur ad canes.

CAprini siue vinosi de quibus supra mentionem feci quodammodo in colore conueniunt, cum his de quibus nunc futurus est sermo, at diferunt quoniam hi sunt splendentes, illi nusquam splendent, hi ad croceum colorem illi ad palearũ accedunt; hi de quibus nunc agimus imitantur ignem, & prunas accensas, illi corticem mali citrij si splendorem ademeris; hos oculos igneos Achilles notauit apud Homerum in Agamen. & caninos vocauit, & illum impudentem dixit; tales etiam erant furialis erynnis, quæ Turno apparuit, illum in Troianos concitantis. Dicit ergo ignei oculi inuerecundiam arguunt, quoniam sunt oculi canum, canes oculos habent igneos, & præsertim illi qui ab Italis Mastini hoc est rusticani, & agrestes dicuntur, canes autem (& hi præcipuè sunt) impudentes, & 40

inuere-

inuerecundi; ergo igniei oculi inuerecundiam disignant.

Porrò noto ex antiquorum placitis cani dari impudentiam,& inuerecundiam,procacitatemque,audaciam, & contumeliam;impudens enim, & inuerecundus videtur canis; quoniam nulla habita ratione loci,aut temporis aut personarum vbique & venereos actus tentat, & deponere vesicæ,atque intestinorum pondera non dubitat;iure igitur dicitur impudens, & inuerecundus, audaciam tamen in omnibus non agnosco, sed in his tantum, qui sunt domi suæ,atque in proprio cubili,aut apud dominos suos,in quibus spem habent; contumelia forte ab ijs exercetur,contra peregrinos quibus oblatrant pertinacissime, & eo magis si irritari contigerit. Causa vero propter quam igniti oculi impudentiam significant facilis est cognitu ex his, quæ alias dicta fuere, etenim cui adsunt huiusmodi oculi ille est temperamenti ficci,& calidi secundum caput,& cerebrum,in illo igitur dominatur melancholia cum bile flaua quæ accensa est, cui huiusmodi adest temperamentum ille est ferus,audax, & impudens,vt supra explicauimus;amplius etiam contumax, & contumelioſus, & inhospitalis paratissimus ad iram,ad vindictam, effundendumque cruorem aliorum,ergo cui insunt oculi igniti,ille inuerecundus,contumelioſus, & contumax erit, & inhospitalis, quod fuerat probandum.

APOTELESMA CVII.

„ *Qui autem oculos discoloratos habent, & turbatos timidi sunt,referuntur ad passionem,quoniam qui timent pallidi fiunt colore, & inæqualiter.*

QVi nam oculi proprie vocentur discolorati apud neminem me legisse memini,sed puto sanè primum hos carere omni fulgore ac splendore, deinde turpes esse, demum representare terram squilantem, quæ ad alborem quemdam pallidum accedit; tales autem videntur esse morientium oculi, & propriè turbati sunt, his enim spiritus abeunt, & concidit vuea, & contrahitur,quare quodammodo lucem,ac leuorem amittit,vnde discoloratus dicitur oculus; est igitur ni fallor hic turbatus,& discoloratus oculus à quo spiritus, & calor receſſit, quique pallorem quendam subcinericium præsefert. Hos igitur oculos timorem indicare notat Aristoteles,quoniam qui timent talem colorem, non solũ in facie,sed etiam, & in oculis habent;quibus igitur inest color, & qualitas, quæ sequitur plerunque eos,qui timent actu,illi sunt propensi ad timorem, & potentiam habent,ad talem actum egregie dispositam, sed quibus inest pallor in facie, & oculi discolorati ac turbidi,vt de Didone refert Virgilius,illis qualitates insunt,quæ naturam timentium sequuntur, ergo quibus oculi discolorati,& turbati insunt illi sunt timidi.

Hæc Aristoteles,cuius dicti non difficile est causam reddere,nam timenti recurrit ad inferiora sanguis,& spiritus ergo superiora destituuntur,destituta sanguine,& spiritu pallescunt, & inæqualiter discolorantur, cum ab hac parte prius ab illa posterius recedat spiritus, & sanguis; ergo timentes pallescunt, quod si id accidit omnibus timentibus; ergo, & cui hæc inesse apparebunt,aut actu timebit,aut ad timendum valde paratus est,quod fuerat probandum.

At forte dubitabitur,etiam posse pallidos, & discoloratos habere oculos aliquem,neq. tamen timentem,aut timidum esse;etenim qui irascuntur aliquando pallescunt, & oculos hoc modo discoloratos habent, similiter qui animo delinquunt propter dolorem, & mœstitiam,aut etiam propter inopinatum gaudium,pallidi efficiuntur,nec non, & turbantur oculi, neque tamen timore premuntur.

Huic dubitationi posse responderi puto; primum si dixero iam facultatem hanc nihil habere necessitatis, sed à signo procedere, & à posteriori,quare licet forte necessarium sit

quod omnis timens sit pallidus, non tamen ob id sequitur, quod necessario omnis pallidus sit timens. Ob alias enim causas etiam præter timorem ad interna potest recurrere sanguis, & partes superiores, atque in primis oculos deserere, sed dicam tamen, quod cuicunque quacunque de causa inest talis passio palloris, & discolorationis oculorum, ita, vt morientium oculi videantur, quod ille est paratissimus ad timendum, sed non ideo paratus est ad timendum; sicuti pyrius puluis ad susciendum ignem, & si in ignem promptissime transibit, non ideo est ignis, sicut igitur qui prædictum puluerem spectauerit, si dixerit hic facile fiet ignis, verum dicet, quoniam valde magnum habet cum igne symbolum, at si hunc ignem vocauerit, falsus erit, ita qui hæc signa in hominis facie aspiciet hominem dicet paratissimum ad timendum, non tamen ideo timentem.

Qui autem ob iram pallescit, ac turbatur inæqualiter, certum est etiam ipsum naturaliter esse timidum, nam nisi timeret, aut timidus esset naturaliter, præsente obiecto nociuo, & hostili, quod iam iudicatum est esse ingratum, & repellendum; sanguis, & spiritus ad interna non recurrerent, sed potiùs accurrerent, ac magis magisque facies fieret rubra, & si mæsti pallidi sunt, & non timent, at iam timuerunt de proximo, & propterea quod dolorẽ expectabant imminentem, spiritus ideo ad cor recurrerunt.

Pallescunt amantes, & studio litterarum plus æquo dediti, quoniam spiritus, & calor naturalis consumitur, sanguisque hebescit at etiam hi, quando tales sunt, timidi sunt, nam melancholici efficiuntur; melancholici autem frigidi, omnis autem frigidus frigore naturali, quod proprio opponitur calori, timidus est.

APOTELESMA CVIII.

Quicunque oculos lucentes habent luxurioſi referuntur ad gallos, & coruos.

LVcentes oculos non voco catorum, aut luporum, qui noctu lucent, sed per lucentes intelligo splendentes quales sunt speculorum superficies, quæ splendent, cum à lumine feriuntur, qualiaque sunt leuigata omnia, & tersa; hanc autem passionem in oculis galli apertissimè percipi potest, hos eosdem oculos lucentes videbis in tribus hominum affectibus, nam qui bene poti sunt, illis oculis lucent; similiter & lucent ijs, qui hyppocondriaca passione tenentur, aut quomodolibet aliter melancholico affectu tentantur; Et lucent oculi, cum ad coitũ amantes primùm accesserit, talesque sunt, vt voluptate repleti videantur; sed non puto, solum requiri splendorem, nam splendor, & claritas libro de partibus animalium, si in oculis fuerit, humorum etiã splendorem, & claritatem docet, quare oculos splendidos quidam aiunt per optimos mores indicare.

Credo itaque oculos qui luxuriosum designant debere esse paruos, fuluos, imitantes corticem aurantiorum, & lucentes, & humidulos, & mobiles tales autem sunt gallorum oculi præcipuè, cum à coitu primum recesserint; sit igitur hæc sententia Aristotelis.

Quibus oculi parui sunt, fului, & lucentes, & sub humidi illi sunt luxurioſi, hoc est maxime venerem appetentes, & cuius vis generis, & quacunque ratione vetitam; probat Aristoteles exemplo galborum, & coruorum. At in gallis tales adesse oculos certum est, de coruis dubium, tum quoniam non apparent in coruis lucentes oculi, tum quoniam si fuerint non est forte verũ, quod corui sint luxurioſi, cum semel in anno pariant, & non secus ac turtures vni tantum iungantur, si modo vera sunt, quæ à quibusdam historias animaliũ tradentib. dicunt, quare & præter rationẽ puto, coruũ in texto Arist. & impudẽter volasse, ergo dicamus relicto coruo. Gallus habet oculos paruos, flauos, lucentes, humidos, & gallus

est val-

est valde luxuriosus; ergo habens oculos tales est luxuriosus; vtraque propositio sensui, & experientiæ nota est.

At propter quid nunc id contingat quærendum est; dico quod qui paruos oculos habẽt, flauos, splendentes, & subhumidos hi sunt lasciui, luxuriosi, & amoribus dediti; paruos habere dico quoniam, & qui amant, & lasciuiunt oculos subclaudunt, paruitatis causa est hæc quoniam lasciuientibus spiritus, & sanguis, & humor naturalis ad inferiora defertur, superiora exsiccantur, & oculi præcipuè, vt apparet in coitu; quare parui efficiuntur, flaui sunt, nam bilios⁹ salsus, & seros⁹ humor est qui in venerem pronos facit homines, irritat enim salsedo vellicans partes genitales, hic igitur humor est croceus, quare & oculos croceos facit, siue flauos propter congeneum humorem qui in his est; quales autem dominantur humores, tales etiam oculi; splendent demum quoniam flatulenti, & pleni subtilium humorum sunt isti, & spiritus plerunque ad oculos etiam feruntur, vnde distenditur oculorum tunica, & læuis fit, quare splendet, humidiusculi autem sunt quoniam superfluus humor abundat, & præ calore præter naturali aliquantis per adaucto exsiccante, humorem congenitum, exprimitur, quasi in lachrimam vaporos⁹ quidam halitus ascendens, vnde humescunt oculi.

Noto siccos, & ob id paruos esse oculos secundum humorem, qui dicitur naturalis, & congenitus, & substantialis, esse autem humidos humore excrementitio, & præter naturali, cuius inditium est, quod ijdem etiam, qui luxuriosi sunt cito calue scunt quod Cæsari, & Galbæ accidit, passio autem siccitatis est caluities, & tamen cum calui, hoc est sicci sint, catarrho, & plurimis excrementis abundant, nam si naturalis deficit humor, superat tamen excrementitius; hæc igitur, ni fallor, causa est propter quam qui tales oculos naturaliter habent, illi sint lasciui, & amoribus dediti, & facile in omnem venerem proni, quoniam secundum propriam naturam eijcere tantum semen, & salsum humorem partes genitales vellicantem appetunt, quomodo autem, aut in quem locum non quærunt nihil præter voluptatem affectantes.

APOTELESMA CIX.

Qui tibias pilosas habent, venerei sunt, referuntur ad hircos.

CVm primum Partis huius expositionem aggressi sumus, ipsam in sex particulas distinximus; prima, vt vidimus colores faciei, & cutis, & oculorum contemplata est, nunc ad pilos considerandos se conuertit; causam ordinis nullam subesse puto, siquidem, vt alias dictum est, hæc potius obiter congesta, & in vnum compacta, quam digesta fuerunt, & ordine inter se dispositа, vt apte, & ratione biter dicta dicendis cohæreant, vt igitur propositum explicemus Theorema quid pilus, & quid pilosum sit, & quid tibia, & quid venereum esse primum exponemus, deinde quod Aristotelis dictum sit verum, & propter quid ostendere tentabimus. Pilosum corpus est, quod pilis obsitum existit, quod autem pennæ pennatis auibus, squammæ squamosis, vt piscibus, & serpentibus, idem est pilosis pilus. Pilo materiam præbet exhalatio quædã fumida, hoc est sicca, & viscosa, quæ est pars excrementi tertiæ digestionis, causa eiusdem efficiens est calor naturalis validus, vt cõcausa accedunt pori cutis, nam qui nimis laxi sunt, & aperti parum pilos retinent, sed materiam transmittunt, talis videtur esse cutis frontis, & nasi, talis etiam forte est glabrũ molliũ fœminarum corpus, quod penitus præter quã paucis in locis depile existit, ex aduerso si pori ijdem nimis fuerint occlusi, aut nullum aut pertenuem pilum videbis, vt cutis vole manus obstructos, vel minimos habet pilos, item cum infima pedum cutis, & ipsa talis sit pi-

Quid pilus.

lis caret; quid igitur sit pilus quæ materia, quæ causa efficiens, quæ instrumentalis eiusdem ex his patet, colores autem suscipit varios pro diuersitate superantis humoris in ea materia ex qua factus est pilus, nam si bilis flaua prædominatur, colorem vnum, si sanguis alium, si melancholia alium, atq. alium, pro diuersa mixtione producit, sunt etiam, & crassi, & subtiles, & molles, & duri, & recti, & crispi magis, & minus pro diuersa pororum, ac meatuum à quibus effigiantur dispositione, qui enim recti sunt pilos rectos, intorti crispos producũt; tibia proprie est pars anterior cruris, posterior sura dicitur, & os tibiæ est illud, quod à genu ad pedem vsque porrigitur longissimum omnium, quæ sunt in nostro corpore, cui os suræ â parte posteriori adhæret interior pars tibiæ, ea est potissimũ, quæ pilosa cõspicitur, exterior minus pilosa, siue huius rei sit causa interna siue, vt puto, causa sint linteamina in quib. dor mimus, cũ .n. tela fricent sæpius externę partes factũ est, vt glabrę euadant. Venereos non solũ vocamus, qui pluries coire valẽt, & in coitu sufficere, sed eos quib. frequẽtius arrigitur penis, aut quibus titillatio frequẽter circa genitalia, & quidam pruritus percipitur, qui frequenter coire appetunt, & plusquã deceat verbis, & rebus ad coitum pertinentib. aut præparantibus delectantur. Horum alij ex habitu tales sunt, alij hanc sortiti sunt passionẽ ex temperamento, alij autẽ per accidẽs, vt qui à causa externa veluti cibis, & medicamentis, sermonibus, & venereis, & inhonestis spectionibus in venerem stimulantur, qui venerea aspiciunt, non minus quam in cibum, aut potum, qui edere, vel bibere alios vident, sollicitari solent, vnde memini quandam mulierem fateri, se mirificè affici, & penè semen emittere, si contingebat illi videre canem, aut asinum venerea exercentem; quin cum aliquando puerulum vidisset, ita sine fraude, ac malitia tractantem sibi tenta genitalia, subito semen dicebat cum titillatione emisisse; erat autem fusca mulier, & pilosum pectus habebat, & tibias, & coxas multis pilis ijsdemque nigris, & crassis vestitas.

Qui ex temperamento, & principio interno venerei sunt, & in coitum mirificè proni, illi sunt qui simiæ, & cynocephali temperamentum æmulantur, differt autem multũ propensio multa in venerem, à multa aptitudine ad generandum; nam hi posteriores calidi sunt, & humidi, & multo semine ex necessitate abundant, aliter enim non essent valde apti ad generationem, vt supponitur, at qui in venerem valde proni sunt, & qui multa tentigine tentantur, non necessario abundant tanto semine, neque vt plurimum sunt calidæ, & humidæ, ac sanguineæ temperaturæ, quod videmus in melancholicis, cum sicci sint, & diminuto calore prædi ti, plerunque sunt valde libidinosi; Socratem denique Platonem, Aristotelem, Herculem, & Agesilaum dicunt melancholicos fuisse; at ijdem admodum in venerem proni fuere; ad hoc igitur, vt naturaliter aliquis in venerem sit valde pronus, requiritur humor acris, & salsus, qui naturam bilis flauæ, aut atræ adustæ, aut salsæ pituitæ representat, quo humore excitatur pruritus, & illa affectio, quæ ad coitum se habet, vt sitis intempestiua ad potum, & canina fames, siue bulimos ad cibum; amplius requiritur, vel flatus, vel spiritus, quo loca turgeant, spiritus solus, in impuberibus est, & nondum potentibus semen emittere, spiritus & semen in adolescentibus, qui ex præsenti, ac præparato semine eleuatur; in illis etiam si nihil conspicuum emittatur decidit, ac remittitur tensio pudendi; at in adolescentibus valentibus, si penis arrigatur non flaccescet, nisi semen, quod erectionis est causa, secundum partem aliquam fuerit emissum; at sine calore neque spiritus generantur, neque flatus etiam mouentur, necesse est igitur ad sit calor saltem mediocris, quare senes, quamuis flatus multos habeant, non arrigunt tamen naturaliter, quoniam in illis tantus non adest calor, qui generet flatum proportione respondentem vento Australi, quo flante, vt docet experientia, paratiores in venerem sunt fœminæ; exterior enim calor si proportionatus est interiorem iuuat, vt videmus in auibus, & in nobis hyeme experimur, cum intramus lectum mediocriter calefactum.

Si

Si vero maior, aut minor lædit, vel noſtrum euocando, vel extinguendo, temperamentum igitur, cui accidit, vt valde ſit in venerem propenſum illud eſt, quod ex melancholia cum ſubdominio bilis, & portionibus ferè æqualibus ſanguinis, & pituitæ conflatum eſt, illique additus eſt calor mediocris; ita, vt neque melancholia aduratur, neque frigeſcat pituitus. Iam igitur, vt puto, quæ in placito Ariſtotelis habẽtur explicata ſunt, ait igitur ille.

Quorum tibiæ ſunt piloſæ, illi ſunt in venerem plus iuſto proni; ſigno probat, quoniam in hoc, ſecundum corpus, ſimiles ſunt hircis, quare etiam ſecũdum animam eidem animali ſimiles erunt; caper autem venereus eſt, hoc eſt maximè indulget coitui.

Non tamen amatorius, & valde differunt hæ duæ voces, amatorius eſt, qui affectu amoris tangitur, & certam deperit puellam, quam iudicat pulchram, & ea potiri ſperat, tangique præſertim pulchritudine uidetur; at laſciuus, & veneri deditus ille eſt, qui in quamcunque ſe ſe offert fœminam, vel aliud etiam, paratiſſimus eſt impetum facere, prior guloſo, poſterior voraci lupo ſimilis. Hircus talis videtur, & in quamcunque capram indiſtinctè inſilit, neque dolet, aut curat, ſi eadem alius etiam hircus abutatur, quamuis legatur aliquando quendam hircum occidiſſe dormientem caprarium, qui cum capella gregis rem habuerat; cum igitur hircus tibias habeat valde villoſas, & hoc animal ſit in venerem magnopere pronum, cui tibiæ erunt piloſæ valde illum dicemus eſſe venereum.

Sed his, qui in venerem adeo ſunt prompti, non ſolum piloſæ ſunt tibiæ, ſed ſubtiles ſuræ, ac ferè carne deſtitutæ, & hoc non minus libidinoſæ naturæ ſignum eſt, quam piloſitas & paſſim in fœminis hoc notatur vitium, nam quarum crura ſunt macra, & carne deſtituta illas meretriculas procaces vocant, & capris ſimiles dicunt, cauſa fortè hęc aſſignari poteſt, quoniam in partibus ſuperioribus alimentum retinetur, atque in ſemen, & ſpiritus tranſit; quare crura macra euadunt; hoc autem clarum eſt in his, quibus aut pes deeſt, aut aliqua alia de cauſa claudi cum exiſtant, ad illas partes inferiores non fertur copioſum, vt prius alimentum, hi enim omnes valde venerei ſunt.

At cauſa propter quam piloſæ tibiæ arguunt hominem venereũ, ſic deduci poteſt; quorum definitiones, & eſſentiæ inter ſe conueniunt, & cohærent, definita etiam inter ſe iuncta ſunt coniunctorum ſecundum rationes, cui adeſt vnũ illi etiam adeſt alterum, vt ſi rationes admirantis, & capacis ſcientiæ ſimul aliquomodo nectuntur, ergo & qui admiratur erit etiam capax cognitionis cauſæ; ſimiliter ſi rationes huius paſſionis, quæ eſt uenereum eſſe & alterius, quæ dicitur piloſitas tibiarum inter ſe coherebunt, ac coniunctæ apparebũt neceſſarium erit cui adeſt alteram illi, etiam naturaliter alteram paſſionem adeſſe. Venerei rationem in melancholico ſalſo excrementitioſque humore, & moderato calore cõſiſtere diximus, melancholicum autẽ terreſtre exiſtit, & flatus craſſus hoc ab humore mediante calore attollitur: pilos ſimiliter materiam habere fuliginoſam dictum eſt, quæ & melancholica eſt, & humorem uiſcoſum iunctum, caloremq. tanquã efficiẽtem cauſam poſſidet.

Patet igitur quod harum duarum paſſionum rationes conueniunt, & inter ſe eſſentialiter nectuntur; quare cui ineſt piloſitas multa in tibijs, illi ineſt multum excrementi fuliginoſi, at fuliginoſum excrementum, eſt corpus melancholicum pituitæ iunctum, quod à calore paſſum eſt, cui adeſt huiuſmodi materia in partibus inferioribus illi adeſt humor ſalſus, & melancholicus cum calore potente eleuare flatus, & uapores, qui talem ſortitus eſt temperiem uenereus eſt, ergo cui tibiæ piloſæ adſunt, ille uenereus eſt; non ſolum autẽ hoc hominum genus tibias habet piloſas, ſed, & omnes partes inferiores pilis ſunt opertæ; & ut dictum eſt hircos, & ſimias maximè referunt.

Poteſt & alia aſſignari cauſa, ut pili, preſentiã caloris ad partes inferiores uergẽtis, indicent; crurũ uerò ſubtilitas materiã nutrimẽti crurũ retentã propè inguina, & in partibus circa cincturã, quare excremẽta pellunt foras p poros crurũ, at utilis materię pars inflatũ à calore reſoluta partes arrigit genitales, & tẽtiginẽ ſuſcitat; ſic igit piloſitas uenereũ deſignat.

Hoc loco notare succurrit quod legi hædos septimo die quo nati sunt subito venerē tentare, & nefando incestu matrem lacessere; quod sanè ridiculum puto, nam generare sibi simile, aut generationis opus tentare, est Animalis iam perfecti, aut penè perfectionem attingentis; qui autem nondum septem dies natus est hędus, vix stare potest, quare cum imperfectissimus sit, ridiculum est credere, quod iam citum adeo, & intempestiuum meditetur incestum.

Aristoteles in problem. calidos, & humidos esse veneris auidiores, at iam dixi, aliud esse venereum, & lasciuum esse. & aliud aptum ad venerem, & coitum valenter exercendū; ijs autem qui venerei valde sunt plerunque caput caluū est, sunt etiam aliquando sub agrestis, ac ferocioris naturæ, & plusquam oporteret, contumaces, & indociles, si accidat præ- 10
sertim pilos esse crassos, & nigros, & in fine crispos.

APOTELESMA CX.

,, *Qui autem ea quæ sunt circa pectus, & ventrem valde pilosa habent nunquam in eisdem perseuerant, referuntur ad aues, quia illæ, & pectus, & ventrem valde pilosum habent.*

ET pectus, & venter valde pilosus causæ efficientis, & materialis arguit robur, & bonam dispositionem quæ sunt, tum multa materia fuliginosa obscura terre stris, tum 20
multus calor acutus, qui illam expellit, pectus pars dicitur quæ cor, & pulmonem continet, & à parte inferiori terminatur à diaphragmate, sub quo positus est venter, & epar, & cætera quæ nutritioni seruiunt membra; venter autem inferior est qui continet intestina porrectus ad pubem vsque, dicit igitur, qui pilosum maximè pectus, & ventrem vsque ad pubem habent sunt instabiles mente (mentem puto vocare, vt in tertio de anima) phantasiam; nā, & quod petunt, spernunt repetunt quod nuper omiserunt, & æstuantes secum ipsi diffidēt; probatur exemplo auium, nam aues, & præcipuè quæ paruæ sunt instabilissimæ sunt, nunquam eodem loco persistentes, modo huc, modo illuc volitantes; sed aues habent pectus, & ventrem valde pilosum, ergo quorum pectus, & venter pilosus est illi sunt valde instabiles; De minori, quod aues pectus & ventrem pilosum habeant non est qui dubitet, si per pilos 30
pennas intelligamus, quæ in auibus, vt diximus, proportione respondent pilis, qui sunt in animalibus terrestribus, siue quatuor sint, siue duorum pedum, vt homo nec non, & quod instabiles sint etiam clarum est.

Sed propter quid sint pilosæ aues, siue pennate videtur non adeo clarum; amplius si pennatæ, vel pilosæ sunt aues, & id demonstret multum terræ prædominari in illarum temperamento, terra autem est grauissima, & maximæ stabilis, quomodo animalia quorum pectus, & venter vel pilosus, vel pennatus erit poterunt leuia, & instabilia vocari? Amplius boues, & equi pilosum ventrem, & corpus habent, attamen neque leues, neque instabiles vocantur; an dicendum fortè erit, non esse difficile afferre propter quid aues sint pennatæ, nam cum eam rationem cum aere habeant, quam pisces cum aqua, sicuti piscibus data sūt 40
instrumenta, quibus ferantur per aquam, quæ pinnæ dicuntur, ita plumæ auibus datę sunt vt volare possint. Sed forte id est dicere cuius gratia pennæ datę sint, non autem ex quo, & à quo, & quomodo factæ sint; Quare iterum ponendum est, quod mixtorum quædā ita sunt affecta, ut quæ totius est crassis, & compositio, amplius & facultas, eadem etiam sit partis unius cuiusque, ut totum animal perfectum uiuit, & sentit, & singulæ ipsius partes etiam uiuunt; neq ulla in ipso pars est, quæ uita non fruatur; Napellum totum secundum se pernitiosum aiunt, radicem, ramos, folia, floresque, neque ullam in ipso partem ab hoc uitio immunem, similiter quæ fumus terræ dicitur planta, siue fel terræ tota est amara, ne-

que id

que id partes vllæ effugiunt: ſed & alia ſunt mixta, quorũ partes alio ſunt præditæ temperamento, & facultate, aliæque alio; nam inter animalia uidemus eſſe partes quæ ſentiunt, aſt oſſa ſanguinemque non ſentire, ac forſan etiam cerebrum; in ſcorpione pars vna quæ cauda eſt noxia exiſtit, & venenoſa, reliquum corpus tanquam huic particulæ penitus oppoſitum venenatæ caudæ antidotum eſt; idem de viperarum fele, ac dentium veſiculis creditur, quibus caro, & earum adeps opponitur; idem de punctura apium, veſparũ, & cabronum dicunt; morſui canis eiuſdem mederi pilus, rabioſiq; venenum tollit eiuſdem epar, cinaræ, ac abſynthij cortex anariſſimus eſt, interiora dulcia; ficus planta ſucco acerrimo, & inguſtabili conſtat, penè tota, fructus fici tamen cum maturi ſunt, ſuauitate omnes penè alios vincunt.

Id autem huiuſmodi generi rerum accidit quaſi facta ſequaſtratione partium inter ſe diſſimilarium, quarum quædam ad alias comparatæ quodammodo rationem oppoſiti habeant, & iure, nam cum ſint tota quædam compoſita, & finita, habent etiam extremas partes, quæ oppoſitæ ſunt, oppoſitorum oppoſitæ ſunt differentiæ; ſic igitur in auium maſſa, forte contigit, vt facta in ipſa ſecundum naturam ſequeſtratione, ac ſeparatione, partes ſiccæ, terreæ, frigidæ, & melancholicæ externã occupauerint poſitionem, ſicuti in abſynthio partes amaræ corticem tenuerunt: ex his factæ ſint pennæ, & quia ſecũdum naturam in aue fit, hæc continua ſequeſtatio, ſic etiam continue pennis ſuggeritur materia, qua illæ reparentur, ex aduersò interior portio conſtituta fuit à partibus calidis, humidis, aereis, ſanguineis ad quas cum reſpicimus auem talem eſſe dicimus, quod ſi ad plumas, & partem exteriorẽ, quà interior veſtitur reſpiceremus, nemini dubium, quod alia ratione dicendum eſſet; hac igitur poſita diſtinctione dico ideo aues eſſe leues, & inſtabiles, quoniam pars omnis, quæ illis grauitatem, & ſtabilitatẽ præſtare poſſet educta eſt; ſicuti quando ſcorpioni adepta foret cauda, vel viperæ fel, & dentes, ductuſque qui ad dentes, permeant poſſumus dicere feras illas non ſolum noxias non eſſe, ſed potius homini ſalutares, ſic cynaræ caudex, ſeù trũcus fructum ſuſtinens ſecundum partem interiorem dulcis eſt, ſecundum exteriorem amarus, quod & in melupepone etiam animaduerti poteſt, cuius pediculus, quo fuerit amarior, ille dulcior exiſtit; aues igitur leues, & calidæ ſunt, ſi ſecundum ſuam ſubſtantiam interiorem conſideratæ fuerint, & quod tales ſint ſignum eſt, quoniam tota pars frigida terreſtriſque melancholica, & ſicca in plumas, & pennas ſequeſtrata abijt: ſecundum pennas igitur, terreſtres, & frigidæ, ac ſiccæ, & fulginoſæ, ſunt aues, at ſecundum partem, quæ caro, & ſubſtantia illarum eſt, oppoſitum ſortitæ ſunt temperamentum, quare iure leues, & inſtabiles dicuntur.

Secundo quando addebatur equos, & boues, & leones piloſum habere pectus, & ventrẽ, nec tamen leuia, & inſtabilia eſſe animalia, facile admodum eſt reſpondere; glabros, & ſine pilis ac penitus nudos poſſe dici boues, & equos, & leones ſi cum pennis auicularum comparantur; nam bouis atque equi pili, ſi toti capiantur, collati cum reliquo ipſorum corpore nullam partem ferè ipſius referunt; at pennæ cum aue cuius pennæ erant, ſi comparabuntur, aliquando illam ferè pondere exequabunt, quod de cucullo apud nos eſt in prouerbio, illum præter pœnas, & vocem nihil eſſe. Quare ſi quis quærat cur aues pectus, & ventrem ac demum totum corpus pennis opertum habeant, hanc dicemus eſſe cauſam, quoniam à multo illorum calore in principio facta eſt ſequeſtratio partium frigidarum, & ſiccarum ab alijs, quibus extra pulſis pennæ conſtant, & ob hoc etiam aues ſunt leues, & inſtabiles, quoniam pars calidior, & humidior intus remanſit, quæ autem calida ſunt bene mobilia, leuiaque, at leue inſtabile dicitur, hanc puto cauſam propter quam quorum pectus, & venter maximè piloſus ſit, & veſtitus (non inſtar leonis, ſed inſtar auium) quod ille ſit leuis, & inſtabilis.

Quod autem auium interiora ſint calida ex cibo illarum patet, nam quæ grana comedunt,

dunt, illa conficiunt, præter quam quod dentibus prius terant, quæ carnem crudam, ceu rapacia eam facillimè digerunt, idem dixeris si illorum stomachum, & apparatum à natura factum spectaueris, gallinas, & columbas calidissimas dicunt, quare illis vniones in guttur & in gluuiem ingerunt, vt ijs in locis tota carne nudentur, & colorem accipiant; Amplius calidas, & humidas esse aues præter illorum irrequietum motum, si cum quadrupedum genere comparentur, id arguit, & vox, & cantus, agente enim calore in humorem ille attenuatur, & in spiritum, & flatum resoluitur; qui ascẽdens deinde ad guttur, & fauces per tracheam ab illis partibus, & lingua dum modulatur, efficit cantum, & per reliquum corpus dispersus motum, & irrequietam parit agitationem, adde quod opinantur quidam, aues, & præsertim calidiores, & mobiliores crepitum ventris nusquam emittere; Quod ergo quorum pectus, & venter valde pilosus est, ita, vt probabile sit interius solum fere calorem, eumque magnum cum humore tenui, & aquoso permansisse, illos dicemus esse similes auibus in hac parte, quare instabiles, vanos, leues, tàm beneficiorum, quàm iniuriarum immemores, non admodum ingenio valentes, vt ex se ipsi prouidere sciant, quid sit cõueniens, & decorum atque ipsis met utile, & commodum.

APOTELESMA CXI.

Qui pectora habent valde nuda, vel non pilosa inuerecundi sunt, referuntur ad mulieres.

QVod hoc loco dicitur inuerecundos esse, qui glabrum habent pectus mihi valde suspectum est, & eo magis, quod dicitur illos mulieribus esse similes; quæ sanè glabræ sunt, & præcipuè circa pectus, at ex altera parte passio inuerecundiæ, & impudentiæ non conuenit mulieribus; quæ secundum naturam si dispositæ fuerint, pudentes ac admodum erunt verecundæ; amplius vt supra dictum fuit, si impudentia soboles est ex cedentis caloris in melancholia, & crasso humore existentis; mulieres cum uiris comparatæ frigidæ sunt, quare illas non potes dicere impudentes. Rursus si considerabimus causam, propter quam animal glabrum est, ac depile, videbimus nunquam dici posse impudentem huiusmodi hominem; Causa propter quam depile esse animal solet, vel ex parte agentis peti potest, quoniam deficit calor, qui materiam promoueat, sed caloris defectus timidum facit, non autem impudentem, vel ex parte materiæ, quoniam non adsit, vel quoniam non potest moueri; si nõ adfuerit materia leuem quidem, at fortè non impudentem dices; nam vt diximus, in melancholia posita est impudẽtia; si adfuerit, sed non exeat in actum id accidit, vel quoniam non potest moueri, si quidem nimis crassa est, & tenax materia, vel quoniam calor debilis est, quia agere non potest, & tunc iam frigidæ temperaturæ est animal, quare neque impudens, sed timidum erit.

Hac ego ratione puto mendum esse, & ideo neque assentior Suessano, qui asperum legit, quasi quod asperæ, aut animo, aut corpore naturaliter sint mulieres; puto igitur ego legendum esse imbellem; sic enim & mulieres debiles sunt, & hic effectus, vt potè in illis naturaliter non vituperatur, & vox Græca, quæ imbellem significat nam valde distat, ab ea, quæ in textu legitur vulgato, sit igitur Aristotelis placitum.

Quibus pectus valde pilis nudum existit illi sunt debiles, quoniam sunt mulieribus similes; nam illę debiles, timidæque sunt, & pectus depile habent, ergo quibus pectus depile illi sunt debiles, causa huius facilis est, quoniam quæ frigida debilia sunt, quibus pectus depile illa sunt frigida, ergo & debilia, minor probatur, quoniam quibus pectus est pilosum valde illa calida sunt, & calida præcordia pectus pilosum faciunt, ut in figura fortis dictum est, ergo quibus depile corpus illa erunt frigida, quod fuerat probandum, frigus autem

esse

eſſe timoris, & imbecillitatis ratione ſupra dictum eſt. An forte dicendum ex imprudentia librariorum adiunctum fuiſſe αν ac præpoſitum voci græcæ, & pro pudente factum impudens.

APOTELESMA CXII.

Quoniam igitur non oportet valde piloſa eſſe, neque núda, medius habitus eſt optimus.

MEdietas mixtorum perfectio eſt, ſingula ſingulorum; At ſi vlla ſimpliciter poteſt eſſe medietas, ea eſt hominis, ſecundum iuſtitiam tamen, non autem ſecundum pondus, vt autem vniuerſale, & ſimpliciter continet particulare, & id quod eſt ſecundum quid, ita videtur quod hominis medietas, & compoſitio omnes alias contineat, & comprehendat, quo factum eſt, vt egregias habeat potẽtias, per quas omnium animalium mores, inſtinctus, proprietates, operationeſque poteſt repreſentare, vnde non male à quibuſdam homo totius orbis compendium uocatus fuit; ſi itaque ſecundum pilos mediocritas ineſſe debet homini naturaliter diſpoſito, & hæc poſſit eſſe tum ſecundum quantitatem, tum ſecundum qualitatem, clarum eſt, quod ſi multi plus iuſto pili, & præcipuè circa pectus & uentem docent diſpoſitionem hominis non laudabilem, & hoc idem faciunt etiam nulli pili; inter uehementer piloſum, & uehementer glabrum quod intercedet illud erit laudabile; & propter hoc quaſi corollarium, ex prædictis infert Ariſtoteles; ſi multi pili, & nulli dedecent, ergo medius habitus erit optimus, at hic medius pectoris ſecundum pilos habitus eſt, cum pauci pili ſunt ſupra pectus, ijque molles, & flaui, & in fine criſpi, nec non etiam ſupra ſtomachum adſint, alij ad fuſcedinem cum flauitie accedentes, ſintque craſſiuſculi magis, quam illi qui ſunt ſupra pectus, ſic enim contingit fieri hominem audacem, ad actiones promptum, robuſtum etiam ſecundum corpus, humanum, liberalem, & magnanimum; Noto tamen quod triplici de cauſa poteſt paucitas pilorum contingere in pectore, & cute ſuperpoſita uentriculo, aut propter meatuum laxitatem, ſed hi latum habent pectus, & calidum, & bene compactum, aut propter defectum caloris, & hi oppoſito modo diſpoſiti ſunt, uel tandem ob defectum materiæ ex qua nati ſunt fieri pili, quæ cauſa eſt, cur in pueris quamuis calidi ſint, non tamen fiant huiuſmodi pili; propriè ẽq; intelligendus eſt Ariſtoteles, ſermonem habere de ijs, qui cum proportionatum habeant calorem, & aptum fuligines depellere, tamen quoniam pauca materia præſto eſt, pauci etiam exiſtũt pili; non igitur propter cãlorem, aut propter poros ſed propter moderatam materiam, & declinantem ad paucitatem pilos paucos eſſe contingit.

APOTELESMA CXIII.

Qui humeros piloſos habent nunquam in eisdem perſeuerant, referuntur ad aues.

EAdem penitus ſententia cum illa, quæ habetur in apoteleſmate ſuperiori, & forte ẽt eandem cauſam habet; dicit igitur quod quicunque piloſos habent humeros illi sũt inſtabiles, & uani; humerus uocatur pars à qua pendent brachia; & eſt à principio cubiti uſque ad collum, & producitur uſque ad finem oſſis ſpatulæ, ſolet etiam humerus appellari armus, ſed quamuis Feſtus hominum dicat ita appellatum armum, eo quod ab ipſo arme pendent; uidetur tamen etiam armus dici brutorum, ut Horatius in Satiris hæc pars in auibus reſpondet illi portioni, quę alæ primam partem ſtatuit, nempe quæ collo immediate coniuncta eſt, & unde ala brachium referens oritur, quæ in auibus ualde ſemper pennis

eſt con-

est consita, ratio Aristotelis à posteriori cæteris consimilis est; aues pilosas, siue pennis loco pilorum obsitas habent partes, quæ respondent proportione humanis humeris. Aues autem leues, vanæque & instabiles existunt, ergo quibus insunt humeri vehementer pilosi, illi sunt instabiles, & vani, quod aues sint pennatæ, & propter quid dictum est, quodque etiam sint instabiles, propter quid autem homines humeros pilosos habentes sint instabiles, ac vani mihi perdifficile videtur, experientia sanè comprobatum est, nam plerosque memini, quorum pilosi adeo erant humeri, vt viderentur pelle ouilla, aut caprina operti, & illi homines leuissimi erant, & qui promissis nunquam stabant, & ridebant, si quem audirent dicentem dedecus, atque infamiam esse non manere promissis, & fidem non seruare; ijdem autem erant acerbissimæ iræ, auari, & vno verbo me expediam bestiales, potiusquam humani.

At propter quid sanè dubium est; Mihi videtur, quoniam, & hi habebãt pilosum pectus eandem etiam cum superiori causam habere, humeri igitur sunt circa collum, pectus, per collum feruntur venæ, & arteriæ in cerebrum, cum igitur contingeret à multo calore multam, & perfectam factam esse huius materiæ crassæ, & terrestris, & fuliginosæ expulsionẽ contingebat sanguinem, & spiritus, qui circa partes has, nempe caput, item & pulmonẽ, & cor, esse calidissimum quidem, sed etiam tenuissimum, & valde acrem; cuius rei inditium est, quod cum ab vno horum virorum extractus fuisset sanguis, aliquando mirabantur medici; sanguinem ferè non concrescere, & quasi carentem fibris à quosumque videri, cum tamen idem vehementer esset rubeus.

Si igitur quorum humeri vehementer pilosi sunt, horum sanguis, & spiritus qui circa cor, & pulmonem amplius, & collum à melancholia, & uiscosa materia seiunctus est; talis autem sanguis tenuis, & acer est, & quorum sanguis talis est, illi sunt instabiles, & vani, ergo quorum humeri multis repleti sunt pilis, vani, & instabiles erunt, & quoniam instabiles, non in eadem persistunt opinione, aliquando igitur honorem, & decus multi faciunt aliquando derident, quid de se ipsis homines sentiant securi; amplius, quoniam tales sunt ideo bestiam magis, quam hominem sapiunt, qui enim decoris obliti sunt, & honorem nõ curant neque virtutem æstimant, quiq; bene agere despiciunt, cũ recta ratione careant, potius inter bestias, quam inter homines sunt numerandi, auari autem, sed compositi mihi videntur, nam caloris est ad se attrahere, & rapere, idem tamen, quæ traxit consumit, ac dissipat; hanc igitur, puto, posse causam afferri propter quam humeri pilosi indicent instabilitatem, & vanitatem.

APOTELESMA CXIV.

Qui dorsum valde pilosum habent inuerecundi sunt, referuntur ad bestias.

DOrsum vocatur pars posterior hominis, quæ ex vertebris 24. constat, à ceruice vsque ad vltimum os coccigis, est autem tanquam carina in naue, & huius ope recti stamus, qui itaque, ait Aristoteles, partem hanc pilosam habent inuerecundi sunt, alij addũt malitiam bestialitatem pigritiam, imbecillitatemque. Aristotelis ratio est, quoniã bestijs sunt similes, at non video ego quomodo simpliciter bestiæ secundum quod sunt bestiæ sint impudentes nisi quatenus carent ratione, quare & honoris, ac bonæ existimationis curam non gerunt.

Sed quod auget dubium est, quod fuerat supra dictum, pilosos instabiles esse, at quorũ dorsum pilosum est, cur, & ipsi potius inuerecundi, quam instabiles non dicuntur? at inuerecundiam dices instabilitatem procreare, qui enim inuerecundus est, ideo non pudet ipsum, quoniam instabilis, nã si puderet staret promissis, ac dictis neq. in horas mutaretur.

At sa-

At ſanè puto ego, impudentiam, & inſtabilitatem poſſe quidem eſſe eaſdem ſecũdum ſubiectum, ſed tota ratione differre, nam inſtabilis eſt mulier etiam honeſtiſſima, & illi accidit ſecundum naturam, non tamen eſt impudens. Putarem igitur poſſe nos dicere, ſicuti contingit apud medicos duplicem eſſe criſim, alteram perfectam, & alteram diminutam perfectam dicunt, quando tota penitus materia peccans ſeiuncta, ac ſeparata eſt ab vtili, & ſalubri, & ea eſt affatim per locos conuenientes iecta, atque expulſa tota ſimul, altera vero dicitur imperfecta criſis, quando materia peccans, vel non tota ſimul ſequeſtrata eſt, & eiecta, vel non per loca conuenientia; ſic etiam & nunc accidere poſſe, maſſa humorum naturaliter hominem ſtatuens, vel pluſquam ſit neceſſarium habet in ſe materiam fu
10 liginoſam, vel non habet, ſi non habet homo non eſt piloſus, niſi in his partibus ſolis, quas pilis natura deſtinauit, & modici, & parui, & molles, & rari, & hi ſecundum naturam bene diſpoſiti exiſtunt, ſi vero abundat in humoribus prædicta materia, vel eijcitur, vel non, ſi non eijcitur homo atrabiliarius efficitur, obſcuros, ac feros gerit animos, & ſi materia hæc calorem conceperit furioſus facile fiet, atque atrabiliarius; ſi autem huiuſmodi præternaturalis materia pelletur, vel tota expellitur, & perfecta fit ſeparatio, ac criſis à ſanguinea maſſa, & tunc remanet ſanguis qualem in columbis, auibuſque ferè omnibus videmus, purus, ſcilicet aereus, aquoſus, ruber, ſubtilis, & hic homines facit, auibus ſimiles; ſi vero non fuerit facta perfecta criſis, ſed tantum circa dorſum, & renes materia ſe ſe oſtenderit, quæ vero in venis circa cor, & pulmonem non potuerit expelli, ſed ibi remanſerit, dico quod il
20 li, quibus hoc accidit, ſunt impudentes, quoniam hoc ſignum eſt ſanguinem melancholicum inflammatum, & bili iunctum non paucum circa cor, & partes vitales remanſiſſe quo loci cum exiſtit ſanguis huiuſmodi, hominem fieri impudentem, ac temerarium iam ſupra diximus, hac ergo ratione crederem non immerito, me poſſe aſſerere dorſum piloſum, eſſet impudentiæ ſignum.

Quoniam autem qui impudens eſt dedecus, & infamiam, & quid de ipſo ſentiant homines nihili facit; ideo beſtialis dicitur, eſt enim beſtialis qui nullam rationem uirtutis habet, uitioſus igitur, & malus alijſque nocere tentans, ideo malitioſos feroſque, & aſperos mores habet, hoc enim beſtiæ proprium eſt, per beſtias autem hoc loco intelligerem, non iumenta ſolum, ſed fera quadrupeda, quæque rapto uiuunt, ceu lupi, pantheræ, tigres, at-
30 que huiuſmodi, ſic igitur apoteleſma ni fallor exponi poteſt, uidemus enim lupos, & urſos hanc partem ualde piloſam habere, atque apprime feros, & impudentes eſſe.

APOTELESMA CXV.

„ *Qui autem collum retro piloſum habent, liberales ſunt, referuntur ad leones.*

IVbatos eſſe leones, coſdemque magnanimos, & liberales dicunt, at iubati, & equi ſunt quibus etiam ſi magnanimitas, & audacia ſecundum partem conueniat, illos tamen nemo dixerit liberales, adde, eſt genus quoddam canum piloſum valde, præcipuè tamen
40 circa collum, quod ſane neque liberale, neque magnanimum, neque audax, ſed naturaliter vile eſt ac timidum; quare quid de hoc apoteleſmate ſit ſentiendum, mihi videtur difficile, cum cauſam vix vllam conijcere poſſim, quæ doceat quomodo piloſa ceruix, liberalem ſignificet; hoc enim contingeret, ſi in ratione corporis liberalis mediatè, vel immediatè ceruix piloſa reperiretur; dico ceruicem, partem, gulæ oppoſitam, quæ propriè dicitur ceruix, collum autem ex vtraque parte conſtat; ceruice, & gula; id ergo eſt quod ait.

Qui habet ceruicem piloſam eſt liberalis, quoniam leones ſunt liberales, & hi habent ceruicem piloſam, ergo qui habet ceruicem talem eſt liberalis; eadem autem eſt in leone liberalitas quam dicunt etiam eſſe in aquila; hanc enim multæ ſectantur aues, vt reliquijs

aqui-

aquilinæ prædæ vescantur; quod enim illâ vi capit, non totum absumit, sed generosè despiciens capta, vnica tantum venatione gaudet ciboque satur, reliquias sequentibus auiculis dimittit; hoc etiam de leone scribunt nonnulli, quodque fœminis pueriſque parcant, cum forte bene saturi sunt, & quam consecuti sunt prædam plerunque semesam relinquunt; at nescio quænam sit hæc liberalitas, cum ex altera parte sæuissimos legerim esse leones, & adeo acri præditos anhelitu, vt quas afflauerint, reliquiæ à nullo alio animali tangantur; fœminas, pueroſque indistinctè dilaniant, & alia quamplura à liberali, & magnanimo longe remota faciunt; quare non puto esse necessitatem vllam secundum quam possimus dicere, vel liberales esse leones, vel quorum pilosa est ceruix illa animalia esse liberalia, & magnanima. Hyenas enim, ait Aristoteles, esse iubatas, & tamen illæ ex insidijs homines, & alia animalia impetunt, sepulchra, & mortuos sectantur, quæ neque liberalitatem, neque magnanimitatem in se habent, sed iam videamus, an aliquid probabiliter possit asseri secundum quod, pilosæ ceruici conueniret liberalitas, & magnanimitas; sane, vt dictũ est, quorum rationes in aliquo conueniunt, & nihil contradictionis includunt, ea simul in eodem subiecto possunt esse, vt sensus, & respiratio, quare cui inerit respiratio eidem potest sensus inesse; at non è contra, idem sequetur; si igitur liberalis nõ ex habitu, vel electione, sed naturali propensione ille dicitur, cuius temperamentum est humidum, & calidum, atque aerem referens, & calor hic & humor sit præcipuè circa partes cordis, & cerebri, cũ cuicunque inest huiusmodi temperamentum illi adsint pili circa ceruicem, ergo cui liberalitas illi inest pilosa ceruix, quare cui pilosa ceruix inest, ille erit liberalis; minor supra aliàs fuit probata, maior confirmatur, quoniam cui inest temperamentum humidum, & calidũ illi tantum inest materiæ ficcæ, & fuliginosæ, quæ à calore possit expelli; modica materia non multum faciet pilorum, & qui fient in illis partibus erunt, quæ à principalibus remotæ sunt, principales autem sunt caput, & pectus, & gula per quam feruntur venæ, & arteriæ insignes, quibus spiritus ad caput cerebrumque ascendunt; hæ autem sunt posteriores, ceu ceruix, cum igitur pilosa ceruix segregatum doceat modicũ illud fuliginosæ materię, quod fuerat in sanguine ad cerebrum accedente, si cætera respondeant, probabile est hominem constitutum esse ex temperamento sanguineo, cum sub dominio bilis, quod arguit etiam illum ipsum esse naturaliter liberalem; ergo pilosus circa ceruicem liberalis dici poterit, nisi sit quid aliud, quod impediat; puto tamẽ signum hoc esse parui momenti, nam si leo dicitur iubatus, & liberalis equusque etiam, & mulus est iubatus, hyena, ex Aristotele, & a sini non nulli, in quibus tamen neque imago liberalitatis, aut ingenuitatis spectari, nec somniari potest.

APOTELESMA CXVI.

Qui mentum habent acutum animosi, referuntur ad canes.

MEndosissimum esse textum Aristotelis iam sæpè diximus, ex hoc autem loco valde patet, nam cur de mento nunc dicendum, cum de pilis instituebatur sermo? & si de pilis, cur supra ne verbum quidem de mento? deinde quæ de canibus nunc fit mentio? nam neque canes omnes acutum mentum habent, nec omnes sunt animosi, nisi per animosum intelligas iracundum, quod vox latina priuatim significat, sed voci græcæ non respondet vox, quæ significat bonum animum habere, boni animi hominem dicimus humanum placidum, & bonis, atque ingenuis præditum moribus.

Auctor huius facultatis non ineptus, ait se legisse librum, in quo non ad canes, sed ad leones acutum mentum referebatur; at leones acutum mentum nõ habẽt, quare assentior ijs, qui dicunt, non de mento sed de pilis, ac barba sermonem habere Aristotelem, & loqui de ha-

de habentibus barbam longam, nam vox græca, quam hoc loco vſurpat, eadem eſt cum ea qua Iulianus Imp. in libro miſopog. vtitur, & apud illum non ſolum mentum, ſed etiam barbam ſignificat, quare forte dicendum erit, qui barbam longam, & faſtigiatam habent, quod plerunque videmus in Germanis (nam vox ἄκρον, & præſtans, & ſummum, & magnum, & longum ſignificat, & in acutum deſinens) illi ſunt boni animi, ſiue ingenui, & magnanimi, & referuntur ad leones, his enim eſt quodammodo barba nō autem canibus. dicemus igitur qui bene barbati ſunt, γενείαδα etenim barbam etiam, non tantum dicunt mentum græci; magnanimi; referuntur ad leones, quoniam magnanimi leones, & ingenui, ijdemque bene barbati.

Barbam dicebāt quidam philoſophi, ideo datam eſſe homini maſculo, & virili, vt eſſet loco iubarum, quæ in leone ſunt; quare ſicuti audaciores, & leones, & equos dicunt, qui melius ſunt iubati, eadem etiam ratione præſtantiores eſſe illos, aiunt, homines qui melius barbati erunt, & magis ad virilem naturam accedere putabant, cuius indiciū eſt, quod fœminæ imberbes ſunt, & quo magis depiles ſunt, eo magis decent, ex aduerſo viri parū barbati peſſimi habentur, atque ex prouerbio peſſimè audiunt.

At rurſus ſi hæc vera ſunt, inquirendum reſtat, propter quid promiſſa, & multa barba virum indicet maſculum, audacem, & magnanimum? primum enim puto non omnem barbam hoc denotare, ſed quæ nigra eſt, aut æenea, vel ruffa, nam quæ ſubalbida eſt, omnia præter audaciam denotabit; ſi igitur fortis, & audax ſecundum naturam eſt temperaturæ melancholicæ naturalis, cum ſub dominio flauæ bilis, ſiue ſanguinis ſubtilis, & ea melancholia probè calida eſt, & accenſa, qualem in Hercule fuiſſe ferunt; cum quicūq. huiuſmodi habet temperiem ille abundet fuliginoſo, & nigro vel aeneo excremento circa caput, & genas ac mentum, qui locus eſt deſtinatus expulſioni talis excrementi; qui autem id habet probè barbatur eſt, ergo audax, & magnanimus bene barbatus erit, ergo e conuerſo cui multa inerit barba ille fortis, & magnanimus dici poterit; ergo multa barba magnanimitatem poteſt arguere probabiliter, nam in hoc nulla neceſſitas eſt.

APOTELESMA CXVII.

Qui habent ſupercilia coniuncta triſtes ſunt, referūtur ad ſimilitudinem paſſionis.

CIlia à ſupercilijs differunt, quod illa palpebrarum ambitum coronant, ſupercilia vero oculis ſuper poſita ſunt, & in extremo frontis ſita; quæ nunc nulla alia ratione conſiderantur, niſi quatenus ſunt, ſedes pilorum, inquit igitur Ariſtoteles.

Quibus ſupercilia, hoc eſt pili poſiti in illa parte quæ in imo frontis eſt, ſunt inter ſe iuncti, illi naturaliter ſunt triſtes, hoc eſt inclinati ad naturalem quandam triſtitiam, & procul à iocis, ac riſibus ſecundum ſe conſiſtunt, quod probat ex quo qui triſtantur aliqua de cauſa externa, illi contrahunt frontem, & ſupercilia, ex qua contractione iunguntur, ſimul ſi igitur mæſti, & dolentes iungunt ſupercilia, dum occupatur eorum animus circa cauſam quæ dolorem, & mæſtitiam inducit, ergo qui naturaliter iuncta fert ſupercilia ad mærendum, ac dolendum paratiſſimus eſt, ac natura quærulus; quod autem qui dolent, ac triſtantur ſupercilia naturaliter iungant certum eſt, quoniam, & contrahunt, idque illis accidit quoniam, & frontem cuius partes inferiores occupant ſupercilia, etiam contrahunt.

Hāc ipsā iudicij q̄dā ſedē vocarūt, q̄ vero mæſti sūt pleriq. cogitāt de re, q̄ illos ſollicitat, cogitare aūt eſt cogere frequēter, ac cōtrahere, neceſſe eſt igit̄ ſi animę vires, ſpirituſq; cogunt̄, ac vniunt̄ cōtrahi ēt, & iūgi partes, q̄ ſpirit⁹ ſequunt̄, hęc sūt ſupcilia, iure igit̄ ſupcilijs

hoc contingit, vt in mæstitia contrahantur, & rursus quibur naturaliter contracta apparẽt, ij ad mæstitiam, ac dolorem prompti sint; quod igitur, & propter qui accidant ea, quæ dixit Aristoteles, ex his patere potest.

Alij, vt Albertus præter mæstitiam addunt etiam sapientiæ paucitatem, si fuerint iuncta supercilia, & pili crassi, & densi, causam aiunt, quoniam locus ille plenus admodum terreis excrementis ostẽditur, quare ab horũ præsentia acies iudicij obtunditur, & claritas ingenij obscuratur, at forte ostendere oporteret prius iudicium, & ingenium ibi sedem habere, quidam hos simplices vocant, & verecundos, at si paucæ sunt sapientiæ, sequitur rudes esse, quare etiam simplices, si vero simplices sunt, probabile est, & verecundos esse; quidam alij ex superciliorum coniunctione accuratum animi studium in rebus, exquisitamq. diligentiam præsagiunt, & sic inquiunt Augustum supercilia iuncta habuisse, & virum in regendo Romanorum Imperio accuratissimum fuisse, alij interpretantur hoc signum monstrare virum malitiosum, prauum, deceptoremque qua nõ minus in Augusto fuere, quam accurata diligentia; ille enim, & Ciceronem, & Romanum senatum decepit, & malitiose deposuit Lepidum, subuertit Sextum Prompeium, prauè fefelit I, Antonium, & ipsum Ciceronem quem ceu patrem colere monstrabat Inter proscriptos recensseri, & occidi passus est; Hæc potius decent iuncta supercilia, quam simplicitatem, & verecundiam, si quidem hæc sunt atræ bilis soboles, & operationes, non autem quæ ab illo auctore sunt adducta, vt verecundia, & simplicitas.

APOTELESMA CXVIII.

Qui supercilia diuulsa habent ante nasum, & extensa vsque ad tempora, fatui sunt referuntur ad porcos.

SI propter quattuor principiorum primorum, humanum corpus stătuentium diuersam temperiem fiunt propensiones animi diuersæ, & si quibus insunt naturaliter, quæ apparent in iratis, aut misericordibus insignia, illos dicemus paratissimos ad iram, aut misericordiam exercendam, & similiter si quos videbimus homines eadem signa habentes, quæ habent vel sues, vel asini in corpore aut eius partibus primarijs, quæ signa illis insint secundum quod certæ eisdem naturaliter insunt propensiones, iure illos in quibus asini, vel suis secundum corpus qualitats animaduertemus; & eis adesse dicemus propensionem comitantem signum, quod in corpore suillo, aut asinino apparet; sic cum porcos secundum animam fatuos esse videmus, eosdemque immundos, & in ijsdem deprendimus supercilia esse ante nasum valde diuulsa, deinde supra quodammodo ad tempora pertrahi, & retrocedere; ergo concludemus quibus hæc adsunt supercilia fatuos esse, & immundos.

Sed dicet quispiam conclusionem vniuersalem non debere esse; nam quid vetat, & nos dicere porci sunt fatui; & ijdem respirant, ergo omnes qui respirant fatui sunt; huic ita dubitanti respondendum puto, quod etiam alias dictum fuit, id signum quo posito in corpore animalis ponitur talis passio in anima eiusdem, & quo ablato auertur; dicitur esse signũ proprium illius passionis animæ, & se mutuo sequi, vt posito, & ablato signo illo, similiter ponatur, & auferatur passio, siue propensio animæ; dico igitur ita, & nunc se habere quoniam fatui dum fatuitatem suam exercent videntur diducere supercilia, & sine vlla cogitatione, quæ faciunt operari, patet quod quibus diducta naturaliter erunt supercilia, illi fatui erunt; at ita diducta esse debeãt, vt pars q̃ versus aures est, sursum ferat, q̃ uero ad nasum deorsum tendat; supercilia igitur extensa, & iuxta nasum diuulsa, & ita affecta, ut sursum ad tẽpora ascẽdãt extẽsa, eadem q. rara sint, & cũ pilis crassis, nigricãtia, designãt hoiem fatuũ.

Dubit.

ille au-

ille autem dicitur fatuus, vt alias explicatum fuit, qui parum considerat ea, quæ loquitur, & simul garrulus est; quam plurima præter rem, & sibi, & alijs etiam quandoque damnosa effutiens; at fatui, & garruli videntur, esse porci quando, & continue grunniunt, & cum delicatè ac munde stare possint, se ipsos tamen in immunditias immergunt, & relictis quãdoque cibis boni succi, malos & corruptos sequuntur; duplici igitur de causa possunt vocari fatui, tum quoniam, vt dictum est, sæpè, & præter occasionem grunniunt, & clamitãt; tũ quoniam se libenter in cæno, & immunditijs volutant; hæc igitur ratio est, quam Aristoteles induxit, at si propter quid porcus sit immundus, & fatuus cognouerimus, forte etiam & causam habebimus propter quam fatui, & immundi talia habeant supercilia, vnde sequetur, & hoc vnum immunditiæ, ac fatuitatis esse signum.

Quæratur igitur primum propter quid sus sit lutosus, & immunditijs gaudens, deinde propter quid diuulsa habeat supercilia ad nasum, & extensa, & diducta ad aures vsque. Quo ad prius dictum supponendum est, quod omnino verissimum esse videtur, simile simili gaudere, eo ipsoque conseruari, si cuti oppositio perditur, & hoc per se; per accidens autem, & contrarium contrario conseruatur, & gaudet, sic Hydropiper, & hippomarathron in aqua, & locis frigidis, & humidis, cũ herbæ sint valde calidę, & siccæ, crescunt, quod ẽt angelicæ odoratæ accidit; oppositio enim externo circum existente oppositum magis vnitum permanet, magisque proficit, & conseruatur melius, quod primo aspectu forsan videtur esse mirabile, attamen est verum, vtrum igitur per se, an per accidens immunditiæ, & lutum à suibus appetitur, & vtcunque, an id illis accidit secundum totum, an vero secundum partem aliquam sui corporis, contingit enim idem animal quandoque secundum partem aliquam petere calorem, & secundum aliam frigus amare, quod plerisque contingit hominibus, qui secundum renes frigus quærunt, at secundum stomachum calorem sectantur; porcum itaque per accidens amare lutum, & immunditias dicere possumus tanquam rem naturæ illius oppositam, si Plutarchum in Symposiacon 4. audiamus dicẽtem, Iudæos se à iustissimis animantium carnibus abstinere; cũ igitur à suilla carne abstineant sequitur eos iudicare suum esse iustissimum, iustissima immunda nõ sunt, sed pulcherrima, etenim, & Aristotelis ait, iustitiam rerum omnium pulcherrimam esse.

Amplius neque turpem dicemus porcum, neque fædum, neque ineptum, quod apparebit, si cum Cocodrilo, cũ Cercopitheco, aut Ibide, aut alijs ab Aegyptijs cultis brutis conferatur; At olim Aegytij suem adorabant, & propter hoc Iudæi nunc etiam tanquam à re sacra abstinent, & apud alias quasdam nationes inter numina collocatur; In Creta enim summo aiunt in honore fuisse suem, quoniam Ioui nascenti primum mammam porrexit, grunnituque neuagiens audiretur vehementi peruicit, olim etiam solemne videbatur per porcam iurare; est igitur probabile porcos impuros, & fædos non esse, quod si lutum appetunt, id faciunt non quod fædari quærant, sed quod aquam petunt, in qua se prouoluant, aquæ accidit in terra esse, vnde oritur ex volutatione lutum; sic igitur lutosa videtur esse sus.

Ex aduerso Alexander Aphrodiseus, nec non Aristoteles, eodem referente, pro re certa ponunt suem immundum esse animal, sterquilinijs, & luto gaudentem, radicibus victitantem, quas rictu rostroque suo continuè in terris fixo reperit, eundem omnium rerum voracem dicit, & promptissimè pingue fcere, quarum rerum etiam idem Alexander pro parte rationem reddit.

Sed, vt cunq; per se non videtur porcus immundus, neq. immũditiarũ appetens, si enim porcus, ẽt & homo nõ minus erit immundus, si quidẽ si carnẽ carni humanã suillæ cõparaueris, & præcipuè maialiũ neq. in odore, neq. in colore, neq. (vt experti aiunt) in sapore differũt; adde vtrisq. idẽ tact° mollis, & vtraq. caro humidior est, & facillime putrescit, & corrũpit, amplius interna hoĩs, vel teste Gal. adeo similia sũt porcorũ viscerib. vt nullũ discri-

men inter hæc appareat; sed si totam corporis temperiem spectabimus, illum ipsum, cum citissime pingueſcat, cum multi etiam coitus sit, & fœcundus satis, dicemus esse humidum & calidum ita, vt sit temperamenti pituitosi, cum subdominio sanguinis, vnde & excremẽtosa caro est, & facile putrescit; si igitur res ita se habet, facile est interna esse calida, moderate, humida, & ad partes externas bilem omnem reijci, quo fit, vt pili porcini plerunque sint subflaui, aut ænei, & delectantur scalptu, quoniam pruritum excitat bilis ad cutim perueniens, & si scalpantur ita afficiuntur, vt in somnum labantur, & totos scalpentibus se exponant; id etiam videtur testari Aristoteles, qui decima prob. sectione prob. 23. ait suem esse omnium calidissimum, partique valde calenti eius corporis pilos adhærere quæ cutis est, quare illos non mutare pilum sicuti ouibus, bobus, & alijs plurimis accidit. Calidissimam igitur si cutim habet, cui plurima subest sæpè pinguedo, non est mirum, si aquæ se inuoluere quærat, vt suus calor temperetur; at quoniam aqua, quæ in promptu est, cænosa plerunque existit, pauca enim, propter hoc videntur porci lutulenti, quod per accidens contingit tamen, vt videtur. Hæc pro porcorum munditia, & defensione possent adduci.

At his relictis re uera porcos puto esse immundos, fœdos, & fatuos, nam præter Aristotelis sententiam; manifestum est quod fatua caro fatuam etiam requirit animam, & si duæ illi proponantur aquæ, quarum altera clara, altera sit lutosa hanc clara post posita auidus eliget. Quod igitur sit lutosa supponatur, at propter quid quæratur, ait Alexander ex sententia medicorum, porcum esse lutosum, & gaudere stercoribus, quoniam iecur habet maximum, hoc autem membrum est sedes cupiditatis, & libidinis, quare maximè esse lutulẽtum, deinde ex Aristotelis sententia aliam etiam affert responsionem, & ait, quod sues sũt crassis, & interceptis naribus, quare habent vim olfaciendi hebetem, & ita fœtorem nequeunt percipere.

At mihi vtraque causa parum probabilis videtur, nam quo ad priorem, dato quod porcus habeat maximum iecur, (quamuis; & anseres, & quædam alia animalia multo maius proportionabiliter habent, quam porcus) sequetur ne ob hoc ipsum esse lutulentum? & quomodo verâ erit propositio, quæ supponit omne habens magnum iecur esse lutulentum? & si dixeris in magno iecore est magna cupiditas, non tamẽ erit verum, quod vbi magna cupiditas inest, ibi etiam sint multæ immunditiæ; nam amantes quo magis amore ardent, & quo maximè cupiunt, & maximè munditijs studeant; putarem igitur hanc medicorum (vt ille ait) causam nullius omnino esse momenti; sed neque illa quam Alexander ex mente Aristotelis affere, profitetur (quicunque ille fuerit) valde videtur vrgere, ait enim sues habere vim olfaciendi, interceptam, & hebetem, quod sanè primo aspectu mihi videtur falsum, cum certum sit sues olfactu reperire sub terris latentia tubera, & radices & quæcunque illi naturaliter in escam cedunt, videmus, etiam hos eosdem pira, & poma solo olfactu matura, & mitiora ab oppositis dignoscere, sed dato quod habeant olfactum pessimum, non ideo crederem illum fœdum, & lutudentum esse debere; nam, & homo pessime omnium animalium odorat, neque tamen est lutulentus; & immundus, & rursus dato quod haberet pessimum odoratum, non sequeretur, quod odoribus fœdis ac tetris non afficeretur, sed gauderet, & rursus si male odoraret tantum voluptatem, aut dolorem ex odoribus perciperet, quare, vt homo tetros odores odisset, non autem delectaretur ijsdem.

Putarem igitur aliter omnino dicendum; si horum problematum reddenda sit causa, propter quam porcus sit immundus, & sterquillinijs gaudens, sit fatuus, cur delectetur scalptu; cur pilus plerunque sit subflauus, neque, vt alijs brutis cadat, & caro mollis valde, & prompte corrũpatur, itẽ cur radicibus vescatur, cur deinde facile fiat omniuorus, amplius & citissime pingueſcat, demum propter quid diducta habeat supercilia, quæ illi si propria sunt, vel saltem semper insunt ab eius definitione, ac substantia oriri certum est, hanc igitur venari oportebit; q̃ tunc sciemus, consecutos esse, cũ omniũ accidentiũ, q̃ per se necessario, & semper insunt rationẽ reddere nouerimus.

Por-

Porcus ſanè, de quo loquimur animal eſt terreſtre quadrupes, & domeſticum cuius tẽperies (cum exactus fuerit) calida eſt, in primo gradu, & humida vltra ſecundum; eſt igitur pituitoſa eiuſdem ſubſtantia, cum ſubdominio ſanguinis, & id apparet ex colore, & ſapore, ac contentis in ſanguine, quæ in iugulatis apparent; hac igitur temperie conſtant membra, & viſcera principalia, bilis igitur quæ ſuperat expellitur ad circumferentiam, & melãcholia ipſa quoque à medio depulſa, vel oſſa conſtituit, illaque nutrit, vel ad extrema corporis in vnguibus, & roſtro abſumitur, ſi igitur ſus eſt animal hæc præditum temperie, ergo excrementoſum erit, quoniam valde pituitoſum, quod etiam produnt medici valde excrementis plenam eſſe ſuillam carnem, quod ſi verum ſit, quoniam ſimile ſimile delectatur, excrementis etiam gaudebit, calidam ſcilicet, & humidam naturam habentibus, porcus igitur in ſterquillinijs delectabitur, iure igitur immunditijs lętatur, quoniam immundus eſt, immundus autem quoniam excrementis abundat, & hoc illi contingit, quoniam prædicta temperie affectus eſt, & quoniam excrementoſa abundat pituita inſulſus eſt, ſecundum carnem, quare & fatuus ſecundum animam, in tali enim corpore talis ſecundum proportionem ineſt anima, omnium autem carnium inſulſam maximè eſſe ſuillam ſine ſale iudicat guſtus, & qui illum dixit habere animam, pro ſale dum viuit, & mortuum ſalẽ pro anima vere locutus videtur, & quoniam ad extrema, & ad cutim delata eſt maior pars bilis pruritu plerunque afficitur, & ſcalpi delectatur, & præ delectatione concidit, ac dormit, & quoniam circa extremam pellem adeſt bilis, ideo pili referentes cutis naturam, & colorem ſubflaui ſunt; neque decidunt, referente Ariſtotele, pili, ſicuti cæteris animalib. quoniam id pinguedo vetat; cito autem, & valde pingueſcunt, quoniam pinguedinis ratio in humido, & calido ſita eſt, & quoniam contingit vnũ quodque animal cibum ſequi quod ſuæ naturæ ſit conueniens. Quod igitur eſt humidum, & calidum, ſimilem cibum affectabit, hinc factum eſt, quod ſues radicibus libenter veſcuntur, & pomis, quoniam hæc videntur eſſe humidiora cæteris partibus plantarum, eadem corporis temperies illud ipsũ animal, facit molle ſecundum carnem, ſiquidem humidius eſt humiditate aquea, & quoniam caro humida, ideo corruptioni paratiſſima eſt, corrumpitur enim quod humidum eſt adueniente exteriori calore, à quo interior conſeruãs euocatur; videtur autem omniuorus, quoniam, & eius ſubſtantia cum inſulſa, & humidior ſit ſe ſe habet, vt aqua, & tanquam materia ad omnes cibos artificiales culinæ, quare ſi ille eſt quodammodo aqua quæ parataeſt ad omnes ſapores ſuſcipiendos, nulli mirum erit, ſi omnibus veſcetur etiam cibis indiſtinctè, qua forte ratione moti antiqui Aegyptij ſuem tanquam chaos ſymbolum poſuerunt, vt pote qui materia ſit rudis, & indigeſta apta ad omnes formas, & condimenta excipienda.

Verum neque dum ex his clarum eſt cur diducta habeat ſupercilia, & ſurſum verſus aures extenſas, quod primum quærebatur; puto ego ſanè porcum quoniã fodere terram debebat, ac radices eruere neceſſariò illi datum fuiſſe roſtrum, cuius extremitas eſſet dura, & calloſa, & aſt calloſæ cuti non adſunt pili, neque innaſcuntur, depile igitur neceſſario eſt roſtrum, & pellis quæ partem ſuperiorem roſtri veſtit depilis eſt, & ſicuti quæ volam manus humanæ veſtit cutis, cum futura eſſet glabra; ipſa etiam multo ante, & ferè ab axilla incipit deponere pilos, & procedens, & iam in parte interiori brachij ſemper leuis, & glabra eſt, donec in volam deſinat, ita puto dicendum, à ſumma fronte porci incipere depoſitionem pilorum, eaniq; ipſam per media ſupercilia ad roſtri extrema peruenire, vt ſit depile roſtrum, & ſic diſtincta fieri ſupercilia, & ſine pilis apparere, materiamq; ad illas partes pro pilis, & ſetis generandis defluentem, ad partes ſuperiores verſus aures propelli; vnde factum eſt, vt neceſſario extenſa ſint ſupercilia; ſi igitur porcus ſm̃ quod eſt porcus roſtrum habet, & ſm̃ quod roſtrũ tale habet, etiam extenſa, & diuiſa gerit ſupercilia, manifeſtum eſt igitur, quod porcus ſm̃ qd̃ porcus eſt talia gerit ſupercilia, ſed ſm̃ quod porcus eſt,

idem immundus, & fatuus erit, ergo cui insunt huiusmodi supercilia, illi etiam natura porci quoddammodo, & per quam similitudinem ineſt, quare & fatuum, & immundum rationabiliter illum dicemus, at re vera ex hoc signo declaratur quod crassior sit cutis circa illas partes, quare & nasi cutis crassior, & labium superius minus molle, & delicatum, sed durum, hos autem talibus labijs prædictos supra dicebamus esse ignobiles, & fatuos ac bardos & sues, vel asinos referre.

APOTELESMA CXIX.

Qui erectos pilos habent in capite timidi referuntur ad passionem, quia timentibus eriguntur.

QVibus accidit capillos erectos habere, id ijs præcipuè accidit circa verticem, & circa eam sutnram, quæ cadit inter coronalem, & lambdoidem, forte quoniam eo in loco, & os tenuius est, & magis porosum, est apotelesmatis sententia.

Quorum capilli sunt naturaliter erecti, & non crispi, & molles potius quam duri, isti sunt timidi; quod probat Aristoteles à posteriori dicens timentibus eriguntur capilli, timentes, quoniam timent etiam apti sunt ad timendum (quod enim actu est, necesse est, vt possit esse) ergo quibus pili sunt in capite erecti, illi sunt propensi ad timorem, timentibus erigi capillos certum est, & quotidie experientia confirmatur, nam, & Virgilius id testatur in secundo Aeneid. cum Aeneæ de improuiso apparuit imago Creusæ, nam subito obstupuit, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit, quod idem etiam in tertio ijsdem met vocibus testatus est, Polydori voce audita accidisse, cum igitur timent homines, ipsis stant capilli; at non è contra cum capilli erecti sunt hoīem subito obstupescere timore, & terreri dicendum est; nam, vt docet Aristoteles, dicta sectione problematum, ferè omnibus rigentibus pili attolluntur, rigere autem possunt homines ob plurimas causas, quarum nōnullæ in ea sectione enumerantur.

Mihi igitur videtur dicendum, quod omni timenti, vt plurimum stant crines, sed non omnis cui stant crines ille timet, nam stridor ferræ rigorem inducit, & cibus post ieiunium captus, & qui à græcis dicitur enthusiasmus, & plures vehementes motus animi, et morbi, ac febres quædam rigorem afferunt, omne autem quòd rigorem affert etiam natum est comas erigere; quare clarè patet non conuerti prædictam propositionem.

Sit igitur per definitionem passionis demonstranda hæc conclusio, cui omni ineſt timor illi omni ineſt erectio capillorum, & supponatur ex Aristotele erigi capillos, cum cutis cōtrahitur; id accidit quando calor ad interiora recurrit; quare sit demonstratio, omni timenti calor ad interiora recurrit, cuius inditium est, quod pallescit, & vocem reddere non potest; at cui calor ad interiora recurrit illi exteriora calore, & sanguine spoiiantur, quicunque hoc capitur affectu, ille circa externa frigescit, ac rigorem percipit, frigus, & rigor cutim contrahit, contracta cutis erigit pilos, ergo timenti capilli eriguntur; habemus igitur causam propter quam timenti capilli stent; ergo cui capiili naturaliter stabunt, probabile est, illi contractam esse pellem, & ad interna calorem recurrisse, quare & dispositum esse secundum naturam eo pacto, quo disponuntur ex affectu secundum corpus, illi qui timent qui autem sunt paratissimi ad timendum, viles & abiecti sunt, adde rudes, & ineptos, auaros etiam, & pusillanimes, ergo iure cui hoc inerit signum illum ad timendum paratum esse dicemus.

APO-

APOTELESMA CXX.

Qui capillos multum crispos habent, sunt timidi referuntur ad Aethiopas.

CApilli, Æthiopum crinibus similes, sunt nigri, & subtiles admodum, & spissi, & valde crispi, nigri quoniam similes sunt cuti, quod ferè omnibus accidit animalibus, præter hoïem, vt pili quoddãmodo sint cuti concolores, aut quoniam ab humere nigro, & adusto sunt geniti, subtiles quoniam pori, per quos exeunt, ab excedent calore aeris ambientis ex siccata pelle sunt ferè obstructi quare valde arctum dant pilis exitum, & hac de causa pauciſſimam etiam habent barbam, sunt autem crispi omnino eadem de causa, nam excellens, calor, ita cutim contrahit, & siccat, vt pori contorqueantur, & inde contorti, hoc est crispi oriantur pili, hoc ipsum timiditatis esse signum docet, dicens, Aethiopes huiusmodi capillos habent, & ipsi timidi sunt, ergo quorum capilli tales sunt illi timidi existũt, hos esse capillos Aethiopum dubium non est, eosdem etiam similiter esse timidos, & imbelles clarum est, si comparentur cum septentrionalibus, quare, & magis cauti, & astuti sunt, & magis etiam inclinati ad religionem, & ad pietatem, & apti ad credendum ijs, quos bonos iudicant, & naturam fœminilem, magis, quam virilem referunt; causa autem propter quam prædicti capilli timiditatem significant, hæc vna est, quoniam arguunt refrigerationẽ cordis internam, ad quam sequitur timor, quibus igitur capilli huiusmodi ad sunt, illis ad externo euocatus penè est omnis calor, & internæ partes atque humores multo calore sunt priuati; Quibus accidit habere hanc humorum dispositionem, sequitur frigus, à quo causatur timor, patet igitur propter quid quibus pili in capite valde crispi adsunt, illi sint timidi.

At dubitabit aliquis si recursus caloris ad interna timorem facit, ergo quibus calor ad externa euocatur audaces esse deberent, quare audaciſſimi Aethiopes, ac cæteri nigri, quod tamen Aristoteli repugnat; at nulla est hæc dubitatio, primum enim non dico recursum caloris ad interna facere timorem, sed affero propter timorem ad partes inferiores interias calorem retrahi. Nam & in ira aliquando, & in dolore calor ad interna recurrit, nec tamen tunc timor oritur, sed refrigeratio partium, quæ sunt circa cor, & cordis ipsius, retracto ad inferiora calore, ea est quæ timoris sequitur rationem, & cum euocatus sit calor ad partes externas, patet, quod cor, etiam refrigeratum est, quare necessario propensio ad timorem sequitur; rursus in audacia verum est calorem ab intus ad extra ferri, at si idẽ in Aethiopibus accidat non ideo sequitur illos audaces esse, ex vtrisq. enim affirmatiuis, in secunda figura nihil infertur, demum in audacia interiora, & exteriora incalescunt, & iã præsens in vtroque loco exiſtit calor, quoniam est multus, at in Aethiopue iam euocatus, neque intus, neque extra reperitur.

Rursus dubitabit aliquis, si timido calor ad interiora recurrit; ergo timidus calida habet interna, at Aethiops calida non habet interna, ergo Aethiops non est timidus; huic dubitationi respondetur, & primum recurrere calorem ad interiora dicitur multipliciter, nã vel ad cor recurrit, vt in iratis, & est causa audaciæ, vel subit diaphragma, & sequitur timor cuius indicium est, quod soluuntur membra, & excrementa deijciuntur timentibus, quare ad argumentum neganda est prima consequentia, nam non est verum quod omnis cui calor ad interna recurrit ille habeat interiora calida; nam si paucus fuerit calor, calidiora quidem respectiue, at non simpliciter habebit interna, vel calidiorem quidem habebit ventrẽ inferiorem, non tamen superiorem in quo resident cor, & vitæ principium, timidus igitur non habet vllo modo ventrem medium calidum, sed tãtum inferiorem Aſt Aethiops neutrum, vtrique igitur, & timenti, & Aethiopi eadem adest dispositio secundum cor, & vtrique

que eandem habent passionem pilorum, quare quibus pili adsunt, vt Aethiopibus, illi ad timorem sunt propensi.

Cæterum si capillos hosce nigros valde, valdeque subtiles, & densos, & crispos quales habent Aethiopes attentius spectemus, videbimus non solum timorem, sed etiam multa alia signare; quoniam enim sunt nigri exusta est bilis atra, atque alij etiam humores à calore passi sunt, hinc efficitur, vt timidi sint, & maximè id accidet, quando cute albiori præditi erunt; hoc enim docet pituitam multam in compositione adesse, neque timidi solum, sed etiam auari; adde quoniam nigri, & crispi difficiles sunt ad scientias apprehendendas, etenim siccus humor est melancholicus, sicca autem difficile externas admittunt formas, rudes sunt igitur, at quas susceperint diu retinent, inde factum est, vt valde sint iniuriarum memores, valdeque iram seruent acerbam, obscuram, & latentem, quam, nisi maxima cum pernicie eius, cum quo iram exercent deponant; quod si huiusmodi capilli crispi in sincipite fuerint eleuati colliculum præferentes, astutiam quandam non omnino malitiosã, & turpem denotãt, ad decentiam enim huiusmodi capillorum dispositio, vt supra dictum est, refertur, molles vero quoniam subtiles sunt, & subtiles propter strictos cutis poros adustæ ab externo calore, & densi propter multitudinem materiæ; Luxuriam multam, & appetitum indistincti coitus significant, hoc enim melancholicæ materiæ, quæ iam est adusta proprium est, adde, & crudelitatem, & cupiditatem, quæ sunt timoris perpetui comites; qui enim timet sibi, necesse est, vt ijs à quibus timet nocere cupiat, & si potest vehemẽter noceat, quod opus est crudelitatis, & eadem de causa quoniam sibi timet, & ne sibi desint opes, ac fortunæ dubitat, ideo auarus est, fallax etiam huiusmodi genus hominum, ac præcipuè si cogitabundum est, ac raro ridet, quòd ex ijsdem, quæ supra dictæ sunt, causis infertur.

APOTELESMA CXXI.

Quoniam igitur, & erecti, & vehementer crispi timiditatem indicant, qui in extremitate sunt crispi, bonum animum designant, etenim ad leonem referuntur.

MOre suo contemplatis extremis secundum excessum, & defectum, cum vtraque vitiosam propensionem significent, iure dicendum est, quod medium laudabile sit, erectus igitur capillus timorem, & valde crispus idem etiam denotabat; quoniam vtraque dispositio ostendebat caloris circa cor inopiam, vel quoniam euocatus ferè omnis ad externa est, paucusque effectus vix corpus corporisque munia exercet, vel quoniam ad inferiora retractus erat naturaliter, circa nempe epar, & stomachum, & intestina multus, vnde factum est, quod omnes valde voraces timidi sunt; si igitur extrema hæc timore arguũt, manifestum est quod media dispositio timorem non ostendet, sed bonum, vt ipse ait, animum, & secundum naturam virilem dispositum; Hic autem capillus est, qui in medio, ac principio est extensus, & in extremo crispus; dicimus ergo capillus subfuscus siue subfuluus quales sunt castanearum maturarum cortices, mollis, mediocriter subtilis, nec valde spissus, cum recedat à vehementer nigro, & ab eo qui subalbus est, & qui colorem funiculi ex canape facti imitatur, (qui & denotat timorem, quoniam pituitam prædominari demonstrat, quare & imbecillitatem) bonam indicat naturam, & virum audacem mediocriter; similiter qui est erectus, hoc est nec valde extensus, nec valde crispus, sed in extremo tantum & in medio planus, & rectus mediam dispositionem inter frigiditatem humiditatemque, & siccitatem atque adustionem significat, medietas autem, vt sæpe dictum est, omnis laudabilis existit, nec molles etiam, nec nimis duri, eandem mediocritatem demonstrant, nõ enim aliter fieri potest, vt perfectum secundum propriam naturam sit vllum mixtum, nisi

propriam

propriam conſequatur mediocritatem,ea autem quæ hominis medietas eſt, vt ſupra diximus maximè ad medietatem ſimpliciter accedit; neque hac communi ratione contentus Ariſtoteles,etiam ad animalis exemplum ſe conuertit; leones enim ſubfuluos habere pilos,& in medio planos, in fine criſpos; eſt manifeſtum eoſdemque eſſe animoſos, audaces,ſed etiam placidos,quando vel ira, vel fame non torquentur;& ludere,ſicuti canes, vel felium pulli,cum maximè ſunt domeſtici,ergo quorum crines tales erunt ad naturam leonum accedunt,ac ſecundum propenſionem naturalem quodammodo erunt, audaces, nempe iracundi mediocriter,liberales,placidi, & bene ſecundum naturam hominis diſpoſiti, vel ſicut recta ratio poſtulat;ſunt autem huiuſmodi homines etiam mediocriter ambitioſi,& amatorij,ambitioſi quoniam calidiores,audaces,& iracundi,amatorij autem quoniam liberales,& placidi;& hæc,ut puto,huius apoteleſmatis ſententia eſt,& ratio.

APOTELESMA CXXII.

„ *Qui id frontis quod eſt ante caput eleuatum habent,liberales ſunt, referuntur ad leones.*

HOc,& ſequens apoteleſma vnum,& idem puto, & in textu mendum eſſe autumo, quod etiam alijs quibuſdam viſum eſt,vt ſit ſenſus,quorũ capilli,qui mediæ fronti imminent,eleuati ſunt,& in ſe ipſos contracti, vt quendam colliculum fronti deſuper imminentem,demonſtrent, illi ſunt liberales,quoniam referuntur ad leones, & ad apparentem decentiam;primum enim videmus leones tales eſſe,& placent,ac videntur pulchri,hoc eſt ſecundum naturam diſpoſiti,qui talem capillorum tricam ſuperſitam habent fronti;ſed vt cumque ſit,ſententiam puto hanc eſſe Ariſtotelis,vt de capillis, ac figura capillorum,non autem de fronte loquatur,nam de illa ſatis ſupra.

Sit ergo ſenſus,qui habent in parte anteriori frontis molliter eleuatum crinem,illi ſunt liberales,hoc eſt non auari,neque lucro dediti,ſed parati ad opitulandum egenis,& ijs, qui illos rogant,cauſam vero propter quam id fiat,difficile eſt reperire,niſi dixerimus quę diſpoſitionem naturalem ſimpliciter viri indicant,illa etiam liberalitatem,& comitatem, & placiditatem docent,ac coma circa frontem eleuata virilem diſpoſitionem ſignificat, vt probatur exemplo leonum,quibus virilis habitus attributus eſt,ergo diſpoſitio hæc comæ ſupra frontem eleuatæ decet hominem liberalem,ac placidum eſſe.

Vel forte dicere etiam poterimus,crinium ſupra frontem mediocris eleuatio deſignat temperatum calorem cerebri,& præcipue,ſi color criniũ fuerit ſubfuluus, vel ſubrutilus, & in fine criſpus;at quod ſignificat temperatum cerebri calorem, & præcipuè in parte interiori,quem locum dant imaginationi,& phantaſmatibus,illud denotat hominem liberalem,& placidum,& humanum,& qui alijs libenter opituletur, ergo quibus crinis ſupra frontem erectus eſt,mediocriter,vt colliculus eminens,illi homines erunt humani,& placidi,vtraque propoſitio conſideranda eſt,ac primum minor quod huiuſmodi coma ſupra frontem mediocriter eleuata,& ſubfuſco prædita,vel ſubrutilo colore indicet temperiem cerebri mediocriter ad calidum vergentem,confirmari poteſt, quoniam calidi proprium eſt pilos contrahere,atque incriſpare,quod videmus à mulieribus fieri,crines ferro,vel vitro calefacto criſpantibus,ſi igitur mediocris eſt calor,mediocriter etiam criſpat, mediocriter criſpati capilli colliculum illum repreſentant,contracti enim cum ſint,& conuexam circuli portionem imitentur,neceſſario collis figuram repreſentant: Cui igitur talis eſt in ſincipite coma,illi cerebrum eſt mediocriter calidum.

Maior erat,cui cerebrum tale eſt,ille magnanimus eſt, liberaliſque, & placidus,& humanus,confirmatur hoc,quoniam cerebrum mediocriter calidum, & ad temperatum inclinans,

clinans, mediocriter etiam remittit calorem cordis; quare cum calor vegetus sit cordis, homo magnanimus est, audaxque & liberalis, illiberales enim timidi sunt; at calido corde mediocriter præditi non sunt timidi, quare neque illiberales, quod fuerat probandum.

Alij dicunt huiusmodi viros vehementer mulieribus deditos, puto ego natura duce hoc quodammodo insitum esse mulieribus, vt illis placeant inter homines, qui magis viriles videntur, & è conuerso ijs, qui magis viriles sunt, magis placeant mulieres; at magis viriles sunt, qui leonum naturam referunt, qui igitur mulieribus placere quærunt, ipsi etiam natura hoc docente habitus huiusmodi viriles, ac signa quæ illos maximè viriles esse ostendant præseferre nituntur, ensem igitur accingunt, pennas infigunt pileis, & quo ad fieri per ipsos potest, bellacem, audacem, robustum, & martialem virum representant; quandoquidē ita Veneri placuisse Martem probabile est; inter cætera autem virilia signa, hanc etiam crinium eminentiam ostendere, & alere diligenter quærunt, sic enim magis viriles videri putant.

APOTELESMA CXXIII.

Qui in capite adnatos habent capillos ad frontem iuxta nasum, sunt liberales, referuntur ad apparentem decentiam.

EGo sanè (vt etiam supra dictum fuit) non possum non credere mendosum esse Aristotelis textum, quomodo enim capilli dicuntur esse iuxta nasum, & quis vnquam pilos qui in facie sunt, capillos vocauit; quod autem ea quæ sunt iuxta nasum, sint in facie, neminem posse dubitare credo; quidam huius scientiæ non ignobilis auctor, putauit confusū esse superius, cum præsenti apotelesmate, & aliquem olim in margine scripsisse hoc, quod nunc contemplamur, quasi superioris paraphrasim; Hoc ego neque improbo, neque rursus valde probo, puto tamen aliquid rationabiliter etiam addi posse, & decere, cum licet seruare auctoris dicta, eaque ad rectam intelligentiam deducere; si igitur verbum græcum τρίχας pilos interpretati fuerimus, quod factum est à Gaza in pluribus locis, in quo etiam significato vsus est Plutarchus in Apophth. & Plin. verba quædam Aristotelis reddens latine, ait defunctorum capillos, quos græcè dixerat Aristoteles τρίχας & vngues crescere, quod si res ita se habet, dicemus.

Qui pilos habent ad frontem iuxta nasum natos sunt liberales, quoniam referunt leones, & sanè si leones diligenter inspexeris, videbis prope nasum adesse quosdam pilos in confinio superciliorum, qui pili neque plani, neque erecti sunt, & nescio quid dignitatis afferunt fronti, & faciei. Verum quod hoc sit signum liberalitatis valde dubito, nisi per liberalitatem, ingenuitatem intelligere velimus; credo ego potius id signi audaciam, & uirilitatem significare, argumento leonum; addo quod memini me nouisse duos duces militum audacissimos, quorum frontis inferiora extrema erant paucis pilis, ijsque ferè directis uestita, sed quoniam illos continuè tondebant, forsan tales apparebant, id autem nescio quid reuerentiæ, & dignitatis illis conciliabat, erant, ut dictum est, & ualde audaces, & iracundi, sed cum suis amicis satis humani; uerum nunquid liberales forent ambigo, & potius oppositum experientia dicere possem; habebant autem, & digitos manuum pilosos, & totum etiam corpus facile pilis scatebat.

Dicerem igitur, quæcunque in facie hominis existentia illum decent, eique reuerentiā, & respectum conciliant, illa eum secundum naturam uirilem dispositum esse indicant, sed pili eo in loco supra nasum nati decent uirum, & illi reuerentiam, & quandam maiestatē conciliant, ergo huiusmodi pili audaciam, & uirilitatem designant, ego tamen, ut dixi locum hunc ualde suspectum habeo, nec mendum adesse dubito.

APO-

APOTELESMA CXXIV.

Qui longi, ac tardi greſſus, ſit vtique tarditate moleſtus perfectiuus quoniam longe progredi efficax, tarde vero cogitabundum.

TErtia eſt huius partis ſectio, in qua motus corporis humani, tum ſecundum totum, vt progreſſiuus tum ſecundum partem quales qui fiunt à manibus ab oculis, à collo, & humeris conſiderantur, non quidem omnes, qui poſſibiles ſunt, quidam tamen, & ij qui ſunt magis in hominum conſpectum Sententia autem apoteleſmatis huius, mihi admodũ obſcura, & difficilis videtur, nec huius, ſed etiam ſequentium; in textu latino Baſileæ impreſſo, hæc, quæ de greſſuum differentia enuntiantur, non leguntur, attamen poſtquam cõtingit, nobis hæc occurrere, quædam de his dicemus, & eo magis quod quattuor hęc de inceſſu theoremata in græcis codicibus habentur.

De hominis motu progreſſiuo ſecundum locum quem nunc inceſſum appellabimus, cõtemplatur duas contrarietates nempe tarditatem, & celeritatem, longitudinem, & breuitatem quarum prior ad tempus, poſterior ad ſpatium pertinet, tardus enim motus dicitur qui multum temporis inſumit in tranſeundo aliquo ſpacio, velox, ex oppoſito motus eſt, qui parum temporis in eodem ſpatio tranſeundo impendit, vel dices, ex Ariſtotele in phyſ. tardum eſt, quod in multo tempore parum procedit, velox quod in pauco tempore multum mouetur, longus gradus dicitur qui multum ſpatij intercipit, breuis qui parum; ex his igitur fiunt quattuor iugationes, nam greſſus vel eſt longus, & velox, vel longus, & tardus, & rurſus ſi breuis, vel erit ſimul, & tardus, vel celer, ſeu velox; quod eſt idem, prẽter has nullæ aliæ fieri poſſunt, iugationes, ſimul enim longus, & breuis, velox, & tardus eſſe nequit, niſi forte dabitur vna ſpecies greſſus, quæ neque tarda ſit, nec velox, nec longa, nec breuis; Ad rem igitur, greſſus breuis dicitur qui comparatus cum greſſibus aliorum hominum naturaliter progredientium, parum ſpatij capit, longus qui multum ſpatij, velox qui comparatus cum motu hominis ſecundum naturam procedentis citius abſoluitur; tardus autem dicitur qui à mediocri, & ſecundum naturam diſpoſito ſuperatur ita, vt ſemper ſit habenda ratio eius greſſus, qui ſecundum naturam eſt, proque eius modo iudicatur breuis, longus, tardus, & velox: Nunc quid horum vnus quiſque ſeparatim denotet, ac ſignificet, quando naturaliter in homine conſpicitur dicamus; tardus gradus cogitabundũ magis etiam quam virum deceat mollem, & fœminilem denotat, qui tardiſſimus eſt, pigrum, & inertem omnino hominem, ac nullius penſi indicat; ad agendum inefficacem, hoc eſt cunctabundum, mollem, & laboris hoſtem vehementiſſimum, nam arguit temperamẽtum pituitoſum aut melancholicum, & omnino caloris paucitatẽ. Ex oppoſito greſſus velox inconſtantiam ſignificat, velocior etiam timiditarem, & inefficacem quandam operoſitatem, quidam etiam dicunt illiberalem, puſillanimem, auarum, ei enim, qui hoc motu mouetur calor ad inferna deſcendit, ſuperiora, & thoracem deſeruit: plerunque huic accidit, vt ſit puſillus, macer, & paruas extremitates habeat, ex pituita, & bile cõpoſitũ habitũ gerẽs, propter hanc celer, propter illã inefficax eſt ad agendũ; Priores atram bilem, hi poſteriores flauam repreſentant; longus greſſus rob uſtum, & magnanimum declarat; robur enim id cauſat (nam imbecilles, & valetudinarij paruum, & tardum greſſum faciunt) qui tales naturaliter habent greſſus, hi ſunt magni, & magnis etiam extremitatibus prædicti; & boni animi, & ad virilem naturam accedentes, ita enim comparatum eſt, vt leones, & tauri, & elephantes qui quodammodo ſecundum naturam videntur eſſe magnanimi, hoc motu longo, & tardo moueantur, ex aduerſo greſſus breuis, ſtupidum, & bardum ſignificat, & ineptum hominem, quodque hoc ſit verum experientia docet, quoſdam enim breuiſſimi greſ-

mi gressus homines vidimus, qui & stupidi, & percontatores erant, eandemque rem ter, quaterque ingerebant, & quod audissent, iterum petebant, breuissimos autem gradus facere videbis puerulos, senesque, & hi in actionibus vani, & inefficaces erunt.

Qui vero ex his, compositus gressus vocatur, & præter hunc etiam qui moderatus est, & qui simul inæqualis existit, vel secundum spatium, vel secundum tempus; Ad Aristotelem igitur, cum dicit.

Qui incedentes naturalites faciunt longum, & tardum gressum (quamuis tarditas molesta sit actionibus) perficiunt tamen, quæ faciēda suscipiunt, cum quid tardus, & quid longus gressus sit, & quid indicet dictum fuerit; restat, vt dicatur, quid sit, quod vocat perfectiuum, & quæ ad hanc proprietatem requirantur, & cur interposita sit illa obiectionis responsio.

Ad primum igitur vox quæ (perfectiuum) reddita est ab interpretibus, apud græcos initiatum significat, siue arcanum, aut mysteriosum hominem, puto ego hoc loco hominem probum, & honoratum importare, & in negotijs versatum, & ad exequendum aptum, quæ facienda susceperit; Videbat autem Aristoteles, aliquem posse dicere, quomodo laudandus est homo tardus? cui obiectioni quasi per antiparastasim respondens, ait, nō nego, quin tarditas sit in actionibus molesta, iuxta illud, quod in beneficijs dici solet, bis dat qui cito dat; attamen, sicuti spatij longitudo in motu raritatem quodammodo compensat, & corrigit; sic etiam in actionibus, & negotijs quamuis tarditas, & pigritia corporis videatur molesta, tamen quoniam stabiles, ac constantes sunt viri huiusmodi, putandū est illos ipsos, quæ facienda susceperunt, omnino perfecturos esse; huius sui apotelesm. causā affert Aristoteles propter quam dixerit hos viros esse perfectiuos, quoniam consilio valēt, & efficaciter operantur; ad hoc enim, vt aliquis prudenter opetetur, & quæ susceperit laudabiliter exequatur duo requiruntur, vnum est diligenter cōsulere, quidnam sit faciendū, alterum est vbi consuleris maturè efficere quod consultum fuit, tarditas consilium indicat, tardi enim cogitabūdi, & qui cogitāt, considerant, quid agendum; qui vero gressus longos faciunt, cum multum spatij pertranseant, similes sunt elephantis, & camelis, qui cum longissimos faciant gressus non videntur quidem celeres, attamen multo quandoque celeriores sunt, quam vel Arabici equi, vel ipsi cerui, aut struthiones; siquidem scriptum est camelum, suo naturali gressu centum milliaria vnius diei spatio exigere, sit igitur Aristotelis demonstratio huiusmodi.

Qui longo ac tardo gressu incedunt sunt in rebus suis considerati, & in operationibus efficaces; qui sunt huiusmodi, quæ suscipiunt, acriter, ac bene perficiunt, quare & homines cordati sunt, & in actionibus valde laudati, si quidem quæ incipiunt rectè perficiunt, ergo qui supradicto modo incedunt perfectui dici poterunt; puto autem ego reuera huiusmodi viros probos quidem esse, sed aptiores vitæ cōtemplatiuæ, quàm actiuæ, & tarditas omnis tantum videtur esse in negotijs vitium, vt sola celeritate omnia perfecerit Cæsar, nūquamque cunctationem profuisse legimus, nisi quæ à Fabio Maximo contra Annibalem adhibita fuit, quæ tanquam aqua gelidissima, illi igni feruidissimo Italiam exurenti fuerat opponenda.

APOTELESMA CXXV.

Qui breuis ac tardi gressus, tarditate molestus non perfectiuus, quoniam breuiter tardeque progredi minime efficax est.

HÆc in vulgatis codicibus; huius apotelesm. verba non multum à græco deferunt, attamen apud antiquum interpretem, & in græco Aldino primę impressionis (ni fallor) clarius

clarius est quod dicitur, & tale est. Qui breuis ac tardi gressus est molesta segnitie, non perfectiuus, breuis enim ac tardus (scilicet motus) in efficacem significat; vt sit sensus.

Quicunque breui ac tardo gressu incedunt, illi sunt homines inefficaces, negligentes, nō seduli, & nullius, vt vulgo dici solet, valoris; causa est molesta segnities, quæ primum aspicientibus, & ad quos spectat, omnino molesta est, vel eo vulgari prouerbio detestata; melius esse male, & cito facere aliquid eorum, quæ facienda sunt, quam lente ac tardè quamuis bene; sola enim mora homines enecat; vt sit ratio; Homines segnes & tardi segnitie alios offendunt, & sua tarditate perdunt occasionem bene agendarum rerum, qui tales sunt negligentes homines, & nullius pensi existunt; ergo qui tardi, & breuis gressus sunt omnino inefficaces, & nullius valoris existunt; breuitate gressus parum spatij occupant, & pertranseunt, quare in transeundo multum temporis insumunt; tarditate deinde etiam temporis adaugent mensuram, quare in transeundo medio quod inter principium, & finem cadit cū multum insumant temporis nemini mirum esse debet, si & sua segnitie molesti sint, & tēpus terentes hoc modo occasio, quæ in agibilibus præceps est, aufugiat; vnde, & vulgo dicitur, vnum equum esse maioris prætij. quam duos boues, quamuis hi, & viui, & mortui sint boni, equus mortuus nullius fit vsus, idque nulla alia de causa, nisi quoniam equus citus est, ac velox boues verosegnes, lenti, ac tardi.

Videtur autem Aristoteles à motu pedum, & à ratione incessus efficatiam, aut inefficatiam actionum inferre ex hoc, vt puto, quoniam incessus docet vim, & statum caloris naturalis in corpore, quare lentus, ac breuis incessus cum valde sit proprius fœminarum, ac decrepitorum hominum, ant ægrotantium probabile est, quod secundum naturam calor naturalis in homine tardi, & breuis gradus, sit dispositus ita, vt solet esse in decrepito, vel in ægroto, aut in fœmina molli, & delicata, in his autem cum sit omnino inefficax, & ipsi sint segnes nimium, & ad actiones inepti, & non perfectiui eorum quæ agere suscipiunt; iure quorum tales erunt incessiones, illos non perfectiuos, non sedulos, nec diligētes, sed segnes negligentes, & nullius pensi viros iudicabimus; cum autem referant mollissimas mulieres, & valetudinarios homines, erunt igitur, & vt illi iracundi, sed qui cito mansuescunt, erunt queruli, adde, & inepti ad cognitiones, ac scientias, & nimia vel pituita, vel melancholia frigida obruti, itaque parum ingenio valebunt, nec viribus corporis sibi, aut alijs poterunt esse præsidio, referentes cochleas, aut testudines lutarias in suis motibus, & actionibus.

APOTELESMA CXXVI.

Qui longi ac celeris gressus, minimè molestus, perfectiuus est, quoniam celeritas perfectiuum, longitudo vero non inefficacem indicat.

QVi longo, ac celeri mouetur gradu, ita vt & multum spatij complectatur, & celeriter illud, quod complexum est transeat, ille homo est efficax, & in negocijs perfectiuus, hoc est perficit quæ agenda suscepit, nec molestus est, at verbum hoc ita ab interprete expressum apud græcos, & græcorum lexica, omnia alia præter non molestum hominē significat, etenim notare dicunt hominem aptum ad inualendum, vel idoneum ad aggrediendum opus, promptum, & audacem, & proprie de milite, de Imperatore, & de canibus dici aiunt, quod auctoritate Xenophontis confirmant, quare putarem hanc forte huius apotelesm. esse germanam sententiam, quod.

Qui gressibus longis, & celeribus incedit, ille aptus est aggredi, & tentare quodlibet, idoneusque ad operationes, & negocia, & aptus illa perficere, cuius dicti reddens causam in textu ait, qm̄ celeritas in motu progressiuo arguit promptitudinem ad perficiendum, & habilitatē ad transeundū spatiū, qđ inter principiū, & finē cadit; longitudo vero, q̄ cū celeritate iuncta est, cū doceat constantiā, & durationē in agēdo, arguit etiam efficaciam agētis, vt sic possit ratio formari.

Qui longo, atque celeri incedit gradu, in se habet longitudinem gressus, quæ arguit hominem, cui non deest animus ad aggrediendum quoduis ciuile opus, & habet celeritatem quæ docet hominem aptum ad perficiendum, & exequendum quod expediendum suscepit. Qui has duas habet qualitates idoneus ad agendum, & perfectiuus est, ergo qui longo, & celeri incedit gressu aptus est ad aggrediendas res, & illas easdem perficiendas. Duas igitur patet esse attributiones, quæ de huius subiecto apotelesm. dicuntur, nempe aptitudo ad aggrediendum opus, & efficacia ad perficiendum, uidenturque habilitates huiusmodi habere interna principia, determinatamque materiam, nam sunt passiones compositi, sunt igitur in materia, nam omne compositum est constans ex materia, & forma.

Decet huiusmodi incessu moueri hominem fortem, ac robustum, & eum qui sit temperamenti melancholici cum subdominio flauæ bilis, vterque tamen, humor sit naturalis, & atra bilis calorem multum conceperit, à primordio, & conceptum retinet, qui autem hoc nacti sunt temperamentum propter bilem aptissimi sunt, ad quoduis magnum opus aggrediendum, & propter melancholiam persistunt, & vsque in finem perdurant, neque furiosi sunt moderante melancholia bilis impetum, neque timidi, inefficaces, & desperabundi, calefaciente ac pellente bile flaua siue potius temperante naturalem frigiditatem melancholiæ, quæ similiter flaua bilis, dum calefacit, attenuat, rarefacit, & dilatat ita, vt nusquam patiatur, auaritiam, & indignitatem & abiectionem animi in huiusmodi hominibus reperiri, hoc autem hominum genus proprie masculinum dicitur, & ad virum refertur, & ad leonem; nam leo longos facit gressus, & celeriter incedit.

APOTELESMA CXXVII.

Qui breuis, & celeris gressus, molestus non perfectiuus.

SIc in codice vulgato, at ex aduerso in utrisque græcis, qui sũt apud me, legitur; qui breuis, & celeris gressus est promptus quidem, & audax ad aggrediendum, non perfectiuus tamen, sed inefficax; quam puto esse germanam huius apotelesmatis lectionem, vt sit Aristotelis sententia talis.

Homines incedentes breui, & celeri, siue citato gressu, prompti quidem sunt, & apti ad aggredienda opera, sed non sunt efficaces, ad eadem perficienda; alij vocant hos homines malignos, timidos, imbelles, alij dicunt esse auaros, & maledicos, & suspicios, & ideo secum ipsos occulta consilia versare, & recensere, impetuosos autem, & impotentes, & qui facile aggressa deserant, & facile susceptarum peniteat rerum, rationabiliter autem, & uiri parui sunt, quod si paruum etiam proportionabiliter caput habebunt, omnibus auiculis erunt instabiliores, magisque inconstantes; Hæc atque similia ijs, qui tali gressu incedunt tribuuntur ab auctoribus. Suæ positionis rationem non affert Aristoteles in textu, attamen ex his quæ supra dicta sunt colligi potest; nam meminisse oportet, quod dictũ est passus breuitatem significare stupiditatem, inefficaciam, inualiditatem ac demum habitum senilem & temperamentum referens hyemem, quæ frigida est, & humida, sed humore excrementitio, inconcocto, & præter naturali; velocitatem autem indicare inconstantiam, timiditatem, inefficacem sedulitatem, pusillanimitatem, & auaritiam, bilem enim flauam indicat, dominanti pituitæ coniunctam; si igitur res ita se habet, patet quod qui, & breuẽ, & celerem facit passum dum incedit, ille erit promptus quidem ad aggrediendum, & incipiendum opus, & propter bilem quæ celeritatem dat, & promptitudinem ad motum; at motus hic adeo promptus, & velox cito deficiet, ceu candela, quæ proxima sit extinctioni unde sequitur qđ tali motu incedentes sunt prompti quidẽ ad incipiendum, negocia, inefficaces tñ ad ea exequenda; qm̃, ut dixi, ex pituitoso, & bilioso constant temperamento, quæ

bilis

bilis male proportionata eſt, maleque elaborata cum pituita, & melancholia vnde factum eſt, vt videantur eſſe aliquid, ſed tamen nihil valeant, qualem prædicabat Martialis ſuum illum Attalum, quem magnum tandem vocabat Ardelionem; putandum eſt autem non omnes temperaturas ex quattuor humoribus etiam ſecundum naturam vniuſque diſpoſitis, & non corruptis ſubito eſſe bonas, ſed eas tantum in quibus, cum armonicè iuncti ſint quattuor humores, ſecundum totum, vna quæque etiam pars quæ ſimilaris vocatur, ſuam particularem ſortita eſt conſonantiam, quæ partis ratio, & forma dicitur ſecundum quam hæc vocatur caro, & illa os, vel neruus, ex quibus deinde rurſus inter ſe conuenientibus certa ratione, fiunt organicæ partes, quarum ratio forma dicitur membri, vnde tandem totius ſtatuitur forma, vt autem compoſitum partes habet, ita etiam forma, quod in phyſ. declaratum fuit.

Quæ igitur ſimilares partes armonicæ erunt, & nactæ propriam naturam, illæ ſtatuent corpus aptum ad exercendum, perfectè munera talis vitæ, vt equi, vel bouis: tales vero tẽperaturæ certis accidentibus diſtinctæ, tale quoddam corpus conſtituunt, quod quidem eaſdem operationes ſecundum ſpeciem pariet, non tamen ſecundum numerum, ſed illas ad certum quendam modum determinabit; ſecundum quem uocabuntur operationes Socratis, vel Platonis, uel huius aut illius equi, ſed de his ſupra, ut puto, ſatis dictum fuit.

APOTELESMA CXXVIII.

„ *De manus, & cubiti, & brachij motu, eadem referuntur, Qui humeris rectis, & tenſis inſultant galeangones referuntur ad equos.*

EOdem modo præſagire licet ex motu brachij, & cubiti, quo diximus fieri poſſe ex motu pedum, & crurum, ſicuti igitur qualitas uaria motus progreſſiui, uarias ac diuerſas oſtendebat mouentis animæ differentias, ita etiam diuerſitas motus humerorum, brachiorum, & cubitorum diuerſitates quaſdam arguet uirtutis, quæ corpus ſic mouet, uidetur autem ex uerborum formula, hęc Ariſtoteles ex aliorum proferrre ſententia, dicens eadem referri, quaſi hæc ipſe non ſentiat ad ita alij iudicent.

Tria autem proponit, quorum motum ſe contemplaturum eſſe dicit, uerum etiam humerorum deinde meminit, & hæc ſunt manus, cubitus, & brachium; cui deinde humerum addidit; manus ea pars eſt, quæ extremitati eorum oſſium conuexa eſt, quæ brachiale uocant, ex octo, oſſiculis conſtans, alij carpum uocabulo græco dixere, palmum, digitoſque continentem Manum Ariſtoteles, intellectui aſſimilans, inſtrumentum uocauit inſtrumẽtorum; partem corporis noſtri notiſſimam, ſicuti formam formarum dixerat mentem; brachium communiter appellatur tota illa pars, quæ à iuguli oſſibus & ſpatulis exoriens uſq. ad oſſa carpi, ſiue brachialis producitur, conſtat brachium ex tribus oſſibus, quorum primum unicum eſt, & uocatur os humeri, in medio rotundum, durum, medulla plenum, ac leuiter gibbum ſummum eius globoſum eſt, ac ſcapulæ infixum ſinui; quem græci vocant cotyledona, pars inferior duos proceſſus habet in æquales, quibus cubitus, & radius annectuntur; hæc autem duo oſſa ſunt, quæ propriè oſſa brachij uocantur, minus os radium dicunt, maius cubitum, utraque hæc oſſi ſuperiori humeri ualidis nexibus ligantur, & muſculis cuteque operiũtur, & brachium uocatum ſtatuunt, cuius proceſſus exterior reſpondens genui, dicitur à græcis ancon, quaſi inflexio quædam, angulus nimirum, quem facit totum brachium in medio cum flectitur, dictum eſt, quid brachium ſit, quid etiam cubitus, & quid ſit manus.

Puto tamen ego hoc loco Ariſtotelem, per brachium intellixiſſe quod uulgo dicitur totum ſpatium, quod eſt à carpo uſq. ad ſinum ſpatulæ, & per cubitum intellixiſſe partẽ, q̃ eſt à flexu brachij, quẽ ancona dici græcè notauimus, uſq. ad carpũ, & id ex textu colligi põt.

His igitur paucis verbis quasi proemio vsus, proponit præceptum vnum quod est.

Qui humeris rectis, & tensis insultant galeangones, referuntur ad equos.

Quid sibi velit Arist. hoc suo dicto, valde dubium est, & primum quid per humerũ, nun quid armũ & partem eam à qua os humeri dictũ pẽdet, intelligat, an vero accipiat ipsum illud os, quod ab his anatomicis os humeri propriè dicitur, quod sanè in diuersis, diuerso motu agitari videmus; quid rectis, & tensis humeris insultare significet, etiam non parum dubium est, præcipuèque interpretes, & eos qui de hac Aristotelis sententia mentionem fecere valde torsit vox galeangones, tum quid significaret, deinde an se teneret ex parte dati, & subiecti, aut esset prædicatum, & attributum.

Suessanus quamuis aliàs oscitanter totum hunc libellum exposuerit, hoc tamen in loco, & se prorsus rudem, & linguæ græcæ expertem ostendit, & quæ affert ridicula sunt.

Putarem per humeros hoc loco intelligendam superiorem dorsi partem, quæ constat ex ossibus iuguli, & spatulis, quæque ea est, quæ primo post faciem, & caput visui occurrit, hæc autem à diuersis diuersimode in incessu mouetur, quando alij immobiliter eam gerunt, alij autem intorquent vicissim, quidam incuruant, alij rectam ferunt; rectos putarem humeros dici, quando in incessu, neque ad hanc, neque ad illam partem, non ante, non retro mouentur, & non incuruati, sed erecti manent, quod etiam videtur declarare vox (extensi) nam extensum est, quod nullas habet plicas, neque curuaturas, aut sinus; humeros igitur rectos, & extẽsos putarem illos esse, qui spectantur in hominibus, quos superbi, & elati animi iudicamus.

Quid autem per galeangones sibi velit, nunc est quærendum; Suessanus galeagines legens, se ipsum miserè torquet, Aristotelem nusquam assecutus, dicit autem suum illud verbum galeaginem significare *hominem habentem brachia pusilla, hoc est existentem breuiorem alijs hominibus mensura vnius brachij, quoniam refert equum paruum hoc est pusillum, & humeris rectis incedentem.*

Quã expositionẽ iueptam puto vel eo vno, quod vocem (insultant) explicans dicit, hoc est, irrident; quasi sit eius sententia, qui humeris rectis, & tensis cum sint, irrident homines brachio cæteris minores sunt, referuntur ad equos, puto igitur verum esse quod quidam auctores dicunt, hoc loco mendum adesse, & quo ad vocem illam quæ est galeancon inuenio Galenum in explanatione verborum exoletorum, quæ sunt apud Hippocratem galeãconas vocare, qui parua, & gracilia habent brachia, partes autem circa cubitum turgidiores, eosque similes esse mustellis, quarum anteriora crura circa articulum sunt crassiuscula.

Plutarchus in libro de Iside ait, & ex Aegyptiorum sententia dictum fuisse Mercurium galeanconem, quam vocem interpretatur Xilander habentem alterum cubitum altero breuiorem, quo loco, & Typhonem rubrum, horum album, & ositim nigrum dicit, thesauri græcæ linguæ compilator, breuibus lacertis homines ait, galeanconas nominari voce à felibus deducta; Ex Adamantio Porta locum Aristotelis corrigit, & loco galeanconis, subdit aliam vocẽ, quæ superbientem, ac sibi placentem significat, quod fortè magis quadrat exemplo equorum, hoc enim illorum est proprium, vt superbiant, & sibi placeant.

At si quid sentiam mihi dicere liceat; putarem primum vocẽ galeancones, à voce γαλῆ apud græcos (mustellam) significante deduci, & indicare hominem eo motu se ipsum mouentem, quo videmus humeros mouere mustellam, dum incedit, vt modo hic, modo alter antecedat; deinde referre equos dicerem homines, qui naturales mores equorum representant, hique ex Aristotele tres, aut quattuor sunt, libidinosi, superbi, plurimis morbis subiecti, & pro corporis magnitudine breuis vitæ; ex his crederem posse nos sic Aristotelis dicta interpretari, galeancones, qui nempe humeris rectis, & intensis se contorquendo incedunt, illi sunt equis similis, hoc est superbi, & glorioſi, & libidinosi, quod etiam puto experientia in plurimis, qui ita incedendo contorque-

tõrquebãt humeros, constate, cur autem tales sint fortè causatur à calore, & à flauæ bilis prædominio, quod tẽperamẽti genus in mustellis, in martib. & fainis, & similib. spectatur. Quare facile hæc est tota Aristotelis sententia, de manu, cubiti, ac brachij, motibus idẽ est sentiendum, quod de incessu diximus, qui igitur tardo motu, sed longo mouent brachia, & manus quamuis tarditas illa molesta sit susceptis actionibus isti tamen non sunt omnino inefficaces, qui autem parũ quidem, sed celeriter manus, & brachia agitant, omnino inefficaces sunt, qui parũ, & tardè, & cum quadam segnitie mouent cubitos, & manus nullius pensi sunt homines in operationibusque omnino inefficaces. At quicunque prompte manus mouent, & longo motu, hoc est multum spatium transeunte antequam terminetur sua quiete, illi motus homines sunt efficaces, in actionibus præpotentes, ac non mali consilij, melius tamen qui exequantur, quàm qui consulant. At qui insultant, hoc est dum incedunt, qui concutiunt humeros, & illos agitant, ut quodammodo se extollere, & in pedes eleuari, & quasi velle saltare videantur dum gradiuntur, illi superbientes, & sibi placentes sunt, imitantur enim equos, qui dum gressus superbos glomerant, hoc modo moueri solent, si igitur hoc modo equi dum incedunt, mouent armos, & concutiũt; & equi sunt superbientes, & quodammodo sibi placent, qui hoc igitur modo inceduntsibi placere plusquam deceat, ac superbire putandum est.

At quænam est huius motus causa? profecto si naturaliter, & non ex insensibiliter irrepente habitu hoc est factum, dicerem in principio formationis multam bilem circa partes has fuisse, quæ cum sit calida, & calor principium motus sit, vbi multum est motus, ibi etiam multa virtus, quæ illum facit; quare & multus calor, igitur, & multum eius corporis cui calor igni elementari proportione respondens, primo, & per se ineſt hoc autem in corpore nostro est flaua bilis, siue sanguis subtilis & calidus, cui hic ineſt secundum illas partes, & valde abundat, cum humor hic naturaliter referat ignem cuius proprium est alijs superemminere, & omnibus velle dominari, probabile est, etiam in anima instillari huiusmodi inclinationes, quibus homines sibi placeant, & alijs præesse, omnibusque superemminere affectent, quæ superbientis, & sibi plus iusto placentis ratio est, hæc igitur posset dici causa propter quam qui incessu agitant humeros, eosque rectos, & extensos, non autem curuatos ferunt, superbi, & sibi placentes iudicari possunt, quare & ijdẽ iracundi erunt, & ambitiosi, & qui alijs non facile cedant.

APOTELESMA CXXIX.

Qui scapulis mouentur curui, elati sunt, referuntur ad leones.

SVperiores de quibus supra, rectos habent humeros, eosque directos, & extensos ferunt, sed illos quasi vndabundos agitant, & quatiunt; at isti de quibus nunc futurus est sermo, non rectos, sed curuos habent humeros.

Dicit ergo qui scapulis mouentur curui (helleniſmus est) hoc est qui scapulas incuruas habent, dum mouentur, & ita in partem anteriorem quodammodo inflectunt humeros, elati hoc est magnanimi sunt; hic enim est incessus leonis, quem describẽs Aristoteles ait, leonem tarde incedere, & grauiter humeros quatere ad singulos passus. Mihi sanè cõtigit semel, aut bis tantũ videre leonem, eumq. incedentem, per sex aut octo passus; videbatur autem omnino incedere sicuti feles masculi, & domestici incedunt, cum suis dominis aliquando blanditias facere tentant, illi enim ita longo, sed tardo incedunt passu, & humeros in partem anteriorem contorquent, & dicuntur hi, non vt priores, quod superbiant, & sibi placeant; in illis enim vehementior, & incitatus est affectus, & calor subtilior, & à terrea, siue melancholica natura remotior; lasciuire igitur illi, & superbire dicuntur,

hi vero se elato animo, & graui præditos esse ostendunt, tardè operantur, sed perfectiui sũt illi vero cito quidem ad opus feruntur, sed plerunque non perficiunt, quoniam nimis sibi ipsis placent, & durare in eadem nequeunt actione diutius, hæc igitur est, ni fallor Aristotelis sententia; at huius propensionis ad magnanimitatem nullam ego reddere aliam causam scirem, nisi ad temperamentum confugerem, nam qui elato, ac grandi animo sunt, & forti, si secundum naturam tales sunt, qualem ferunt fuisse Alexandrum Magnum, illi nacti sunt temperamentum melancholicum secundum melancholiam naturalem, cum subdominio sanguinis subtilis, quem flauam bilem similiter naturalem vocant, cui succedit æquis penè portionibus sanguis pituitæ naturali iunctus, ita tamen, vt sanguis purus illam in proportione certa non tamen generis multiplicis superet; magnanimi igitur, & elati 10
sunt hoc temperamento prediti, nam sunt calidi, & sicci, at qui tale sortiti sunt temperamẽtum illi incedunt vt leones; qui ita mouentur tardo, & magno incessu feruntur, & humeros quodammodo in curuando quatiunt, ergo magnanimi naturaliter, ita mouentur, & ex aduerso qui hoc motu, & humerorum inflexione, dum incedunt, vtuntur, hos esse elatos magnanimos, & fortes, si cætera respondebunt putandum est; acceptæ propositiones, ex iis prædictis sunt manifestæ.

APOTELESMA CXXX.

Qui pedibus, & cruribus inuersis ambulat, fœminiles sunt, referuntur ad mulieres. 20

A Deo à communi omnium hominum consensu hoc apotelesma admittitur, vt nullã ferè probationem requirat, pedibus inuersis incedere eos dicimus, quorum summitas vnius pedis distat à summitate alterius magis, quam calx, à calce, si vtroque pede pari secundum rectam lineam steterit homo, & digitorum extremitates ad partem exteriorem singulæ feruntur, his autem accidit, vt dum ambulant malleoli interiores à parte calcis interna mutuo se percutiant, quod apparet in pueris, & in his etiam cum per viam lutulentã incedunt, nam tunc malleoli ea in parte lutosi apparent, & cum stant supra rectam lineã positis pedibus vtrisque paribus, semper minor est distantia à calce ad calcem, quam sit à pollicè ad pollicem, his ijsdem accidit etiam, vt suræ sint inuersæ, aut potius peruersæ, nam 30
musculi qui suras statuunt, & ipsi in partem vergunt interiorem, & dextri ferè sinistras tãgunt, dum huiusmodi homines stant, euenit etiam plerunque ijsdem, vt ferè tanta sit crassities suarum surarum circa malleolos, quanta est prope genua, neque enim, vt in figura fortis dicebatur, sursum contractas habent suras.

Hos homines, qui & tales habent suras, & cum incedunt adeo male proijciunt ad latera externa pedes, vocat Aristoteles fœminiles, siue effœminatos.

Dicuntur effœminati molles corpore, delicati, laborum naturaliter impatientes, timidi viles, & abiecti animo, creduli, faciles qui decipiantur, & tandem ijs moribus siue propensionibus insigniti, quæ in fœminis, vt plurimum spectantur.

Hanc suam positionem probans ait, fœminæ sic incedunt, & talem habitum pedum, ac 40
surarum habent, vt experientia patet, neque enim pulchra est mulier secundum crura, & pedes, vt plurimum, nec aspectui forte ita grata sicuti secundum partes superiores. Vtcunque tamen clarum est, fœminas pleraſque tali modo incedere, & suras, & pedes peruersè dum incedunt disponere, & sic laudantur, quoniam signum est femora esse carnosa, crassa, & carne plena, fœminæ autem mores habent effœminatos, & quos supra diximus, colligendum est igitur quod cuicunque talis incessus inerit, ille effœminatus, hoc est mollis, delicatus, & timidus vocandus erit.

Probabilem huius apotelesmatis causam reperire non erit difficile, etenim quibus laxantur li-

tur ligamenta pedum, ac genuum, nec non & crurum, illis ſubito talis accidit pedum proiectio, cum autem molles valde ſunt carne, contractas non habent ſuras, quare ſignum eſt hoc laxitatis carnis, & ligamentorum continentium articulos, in his igitur multa abundat aquea humiditas, erit itaque ratio; qui tales ſuras habẽt, & tali modo incedunt, vt proijciant pedes ad latera, & ſuras inuerſas portent, illi habent valde laxa ligamenta articulorũ; at quibus id accidit, illi ſunt humidi valde ſecundum temperiem, & molles ſecundum corpus. Molles corpore, & humidi valde, referunt fœminam, & mores fœmineos habent, ergo quibus talis adeſt inceſſus illi ſunt moribus effœminatis præditi.

APOTELESMA XXXI.

,, *Qui vero corporibus circum torquentes ſe, & fricantes, adulatores ſunt, referuntur ad paſsionem.*

EXemplum valde appoſitum huius circum torſionis, & fricationis corporis, vt mihi videtur, apparet in felibus domeſticis, quos ad venandos mures alimus, hi enim cum heris adulantur, corpus circum torquent, & ſe ſe herili corpori fricant, & murmur quoddam, quaſi quærulum effundunt; quod genus moris etiam in puerulis ſpectatur, cum adulantes matribus, aut patribus aliquid ab ipſis obtinere cupiunt, nam, & illi in varias partes diſtorquentur, & quandoque ſe labi in terram ſinunt, maternoque, aut paterno corpori ſe fricant, vt omnino hunc habitum referant, vt hanc eſſe paſſionem, aut morem naturalem adulantis, & alij placere quærentis, quo ſuum conſequatur deſiderium, penitus declarent; per adulatorem autem (vt puto) nunc Ariſtoteles non intelligit eum virum malum qui, vt nobis noceat, aut vt ſibi proſit, adblanditur, quique decipit alios, & omnino aliud in ore, atque in corde gerens, placere quærit, quod ſibi ſit commodo tantum, nulla deinde noſtri habita ratione, ſiue, quod perſuaſit in bonum aut in malum ceſſurũ quærit; ſed per adulatorẽ intelligendum credo eum, qui etiam blandus dicitur, quique naturaliter alijs placere auet, alio nomine vocatur indulgens, & qui facile paratus eſt amicis morem gerere; ſi enim aliquid ipſe cupiat, & propoſito ſibi fine, ſic ſe contorqueat, & ſe adfricetur, alijs ſe ſubmittat, & inclinet iam ex arte, & electione, non autem naturaliter id aget, quare non facile iudicabis, natura ne an arte ſit adulator, hanc blandam, & indulgentem quodammodo naturam fuiſſe in Nerua quidam ſcribunt, & quicunque populares fuerunt, his non caruere geſtibus ſecundum quod magis, aut minus ſimilem animum habuere; eſt itaque ſententia hæc Ariſtotelis.

Quicunque dum incedunt naturaliter ſe diſtorquent, & cum alios alloquuntur, ſe illis affricant, inclinantque corpus, & contorquent, illi habent propenſionem ad adulandum, & apti ſunt ad fallendos homines, & ad extorquendos ab illis prece multa, quæ deſiderãt. probatur, quoniam qui adulantur, ſic ſe contorquent, & adfricant ijs, quibus adulantur, ijdem autem cum habeant actum ſecundum, & in energia adulentur; habent etiam neceſſario propenſionem, & primum actum, ergo qui hoc modo mouent corpus, ac ſe contorquent illi habent propenſionem, & habilitatem ad adulandum; minor propoſitio exẽplo catorum, & canum confirmata fuit ſupra; hæc enim animalia videmus, dum nobis adblandiuntur, hos facere motus, ac corporis diſtorſiones.

Cauſa autem propter quam, qui adulantur ita ſe affricent eorum corpori quibus blandiuntur, & cur ita ſe contorqueant, ea erit, quæ apoteleſmatis huius rationem, ac veritatẽ monſtrabit; vt igitur arbitror, qui nobis adulantur, nobis præ cæteris placere quærunt, naturaliter autem placere ſe credunt, ſi perſuadebunt, quod nos amẽt, at quoniam, qui amãt ſecundum quod amant vnionem, ac coniũctionem ſemper cum eo quem amant expetunt

(amor

(amor enim vnionis, ac coniunctionis causa est, vel teste empedocle) ergo qui nobis adulā-
tur se valde expetere hanc coniunctionem, & à nobis ne latum quidem vnguē discedere
velle nec procul à nobis aliquid ipsis carum, aut suaue esse posse, profitentur; qui igitur con-
iunctionem, & vnionem hanc quærunt corpus corpori iungunt; & præ desiderio cum exa-
ctè hanc vnionem consequi non valeant, se distorquent, vt pene languere, & exanimari vi-
deantur; hanc igitur putarem esse rationem, & causam propter quam qui naturaliter blan-
di sunt, & ad adulandum propensi, dum corpus mouent, dum loquuntur, & cum alio agūt
ita se contorqueant, corpusque affricent, se inclinent sæpè, vt humiliores, & minores sæpē
strent illo, quem alloquuntur, & honorare ostentant putandum est autem quod omnia
quæ ex arte ab aliquo callido, & ingenioso fieri videmus, vt aliquem sibi propositum finē 10
obtineat, ea omnia, & singula in diuersis esse dispersa, arte autem accedente, vel addita,
vel dominata fuere, vt facilius finem consequerētur, cuius gratia à natura fuerāt instituta, 15
qd etiam primo rhetor. ad Theod. Aristoteli visum fuit. Quod ergo huiusmodi incessus,
& corporis affricatio, & distorsio adulatorem, vel ad adulādum propensum significet, nec
non & propter quid, ex his iam puto esse manifestum. Nam si qui adulatur sic agit secun-
dum quod adulatur; ergo qui sic agit etiam aptus erit ad adulandum; vniuersales enim
propositiones affirmatiuæ si per se; & vniuersaliter fuerint veræ, in terminis conuertentur.

APOTELESMA CXXXII. 20

*„ Inclinati autem ad dextram in ambulando cinedi sunt, referuntur ad apparen-
tem decentiam.*

AIt quod quicunque dum ambulant, inclinant corpus antrorsum ad partem dextram
illi sunt cinedi. supra in figura cinedi posuerat inclinationem capitis ad dextram;
quo sanè loco aliquam rationem afferre huius passionis tentatum est, vt autem ibi sic, &
hoc loco per cinedum non intelligo pathicum, & hominem præposteram libidinem patiē
tem, sed puto mollem, & effœminatum significare, & qui magis nomen fœminæ, quam
viri mereat.

Cæterum, vt probet Aristoteles suum dictum, ait hos referri ad apparentem decentiam 30
at quid hoc sibi vult? crederem id significare, quod vulgo receptum est; talem motum, ta-
lemque capitis & corporis inclinationem decere cinædos, vt sit ratio, signum, vel qualitas
quæ ex communi hominum consensu decet mollem, vel fortem hominem in aliquo si re-
periatur demonstrat illum vel fortem vel mollem esse; sed inclinatio corporis, & capitis ad
dextram partem est qualitas, quæ ex communi hominum consensu decet mollem hominē
ergo huiusmodi inclinatio mollem ostendet, propter quid caput ad dextrā cinædi, & mol-
les homines intorquerent dictum est supra in figura cinædi.

Cur autem inclinato corpore ad dextram qui ambulant sint cinedi, & molles vocandi
quærit auctor huius facultatis non spernendus; & ait hominem esse natura calidum præ 40
cæteris animalibus, & ideo esse erectæ staturæ, latus item dextrum naturaliter esse sinistro
calidius, vnde infert quod qui cæteris magis viriles sunt viriliratem que præseferunt potē
tius dextrum latus mouent, quapropter rectum portant; quod si ad dextrū latus inclinant,
signum est illos frigidiori, & humidiori natura præditos esse, hæc natura muliebris est, &
molles, & cinædos hoc est effœminatos decens, subdit deinde ambulatio est, vel recta, vel
curua, si recta elatum, & magnanimum decet, ergo curua mollem, & cinædum ostendet.

At, vt mihi videtur.

Hominis huius rationes nihil cōcludere eorū quæ proposita sunt dubito, & an paralogi
zēt, aut principiū petāt, & ad priorem esto verū, quod latus dextrū sit sinistro calidius, &

qui

qui rectum fert latus dextrum, demonſtret ſe virilem eſſe, ac calidum, at non ſequitur ſi rectum non tulerit non eſſe calidum non enim à deſtructione antecedentis, ad deſtruendum conſequens argumentamur. At eſto ſit verum, quod qui rectum fert latus dextrum ſit virilis, qui non rectum ſed curuatum fert ſit mollis; quid ſi ſiniſtrum rectum ferat, nunquid erit mollis? an dices mollem? ego ex aduerſo robuſtiorem dicam, quam qui dextrum rectum fert; ſi enim de quo minus ineſſe deberet, & ineſt, ergo, & de quo magis, ſed minus caloris, & roboris deberet eſſe in ſiniſtro latere, & tamen ineſt, ergo magis erit in dextro; & mæſti, & cogitabundi, & pudibundi, totum corpus, hoc eſt vtrumque latus antrorſum inclinant, neque ideo tamen dicuntur molles, quare tanto minus, qui vnum tantum latus inclinant, altera ratio eſt; quod quoniam rectus inceſſus indicat virilitatem, ergo non rectus ſed inclinatus ad dextrum ſignificabit mollitiem, & naturam fœminilem, tenere vtique ſi inclinatio corporis cauſa eſſet mollitiei, nam quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, vt primo poſter. etiam negatio eſt cauſa negationis; ſed quoniam rectitudo corporis non eſt cauſa fortitudinis, neque etiam ex altera parte inclinatio eſt cauſa mollitiei, neque poſſumus (vt mox dicebatur) argumentari à deſtructione antecedentis ad deſtruendum conſequens, eſt autem ratio illius viri non ſecus atque ſi quis diceret, ſi qui ægrotat, & febricitat viuit, ergo qui ſanus eſt, & non febricitat ille non viuit, ſed mortuus eſt.

Quare crederem hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam, Qui inclinato corpore ad dextram incedunt, illi ſunt effœminati, & molles, cauſa eſt; quoniam qui ad dextram inclinant corpus videntur laxiora, & remiſſa habere ligamenta ſiniſtri lateris, quod deſignat multam molliciem, & humiditatem ſuperfluam in parte ſiniſtra, prædominari, à qua cum laxiora effecta fuerint illius lateris ligamenta, ſuo pondere corpus in oppoſitum deflectitur latus, ſic igitur latus ſiniſtum humidius & frigidius factum id cauſat; quare & corpus hoc modo in oppoſitum trahitur, ſic etiam contingit, buccas in alteram partem trahi, quando reſolutio facta eſt neruorum, & ligamentorum alterius partis, ſic igitur forſan dicentes rationē habebimus propter, quam quorum corpus in ambulando ad latus dextrum inclinat, illi ſunt cinædi, hoc eſt molles, & effœminati.

APOTELESMA CXXXIII.

Quicunque habent oculos bene mobiles ſunt acuti, & rapaces, referuntur ad accipitres.

IN oculis accipitris depicta eſt Ariſtotelis ſententia quales enim ſint oculi de quibus ille loquitur, in hac aue clarum eſt; accipiter auis diurna, rapax, incurui roſtri, & vnguiſt vultere, & aquila minor, velociſſimi volatus eſt, & motus, ex quo dictum (aiunt) Hieracem à græcis à volatu celerrimo. Audax adeo, vt aquilæ etiam nonnunquam inſultare præſumat, hic (vt dicitur) oculos habet acutiſſimos, ac ſplendidiſſimos, vnde vocatur aquibuſdā vniuerſi oculus, ſolique dicatur, vt pote qui uiſus acie clariſſimè omnia perſpiciat; hic igitur claros, atque bene effigiatos habet oculos eoſque in omnem partem mirabili conuertit facilitate, uehementerque lucere uidentur, quibus igitur tales oculi accipitris adſunt, eos uocat Ariſtoteles eſſe acutos, per quam uocem (ut puto) non eſt intelligendum, quod ſint apti ad inuenienda, & perſpicienda media in ſcientijs, ſed illam ſignificari acrimoniam, quæ naturæ accipitris propria eſt, hic enim naturaliter preceps eſt, indignabundus, & conſortis impatiens. Vnde Albertus ait Solitarium ſemper volare, præter quam tempore cōitus, uirtute maior, ac fortitudine, quam corpore, ut robore corporis paruitatem compenſet rapaciſſima uidetur hæc auis inter omnes rapaces, ut, & Quidius teſtatur, qui illam in om-

nes aues

nes aues æque sauire ait; & Martialis volucrum prædonem vocat, & ab omnibus odio haberi, ait Ouidius, Quia semper viuit in armis.

Est itaque huius apotelesmatis sensus; cuius hominis oculi erunt viuaces, ita, vt continuè illos moueat, & modo ad hanc, modo ad illam partem conuerti videantur, & omnia lustrare luminibus (vt ait Virgilius) Tacitis, ille erit indignabundus & sæuæ atque acutæ iræ, & alienorum violenter appetitor, & rapax, ratio est, quoniam, accipiter oculos habet veloces hilares, & promptos ad motum, & idem est rapax, & præceps, vehemens, & valde indignabundus, ergo cui Hieracis, siue accipitris inerunt oculi, ille idē his etiam propensionibus affectus erit naturaliter, causam facile poterimus reperire, si contemplati fuerimus talem oculum naturam calidam, & siccam cerebri indicare, cui autem talis inest natura, ille ferox est, truculentus, & rapax nihil non arrogans armis, ergo cui tales oculi aderunt, illum, & rapacem, & crudelem, & sæue iracundum dicemus.

Ac sanè memini quosdam me vidisse talibus oculis præditos, qui pessimè rapaces erant, & alienis bonis inhiabant, nec legem nec rationem vllam audiebant; præcipuè autem si admonebantur, id indignissimè ferebant, & cum magnificentiam, & magnanimitatem exercerent, aut exercere profiterentur, & beneficentiam, ex altera parte, quod expenderant, per fas, & nefas instaurare conabantur, erant autem hi mulierum amatores quidem, sed minima quacunque de causa illas conuitijs maximis prosequebantur, sæpè etiam fæde pulsabant, adeo impotenti ira malè torquebantur, & effreni quadam superbia omnibus dominari, omnibusque insultare volebant.

APOTELESMA CXXXIV.

Qui palpebrizant sunt timidi, quia ex oculis primum mouentur.

PAlpebrizare nouum, & satis secundum voluntatem nomen fabricatum est quo vtitur hoc loco interpres; sic igitur Aristoteles, qui oculis plus iusto frequentius nictant, illi sunt timidi, & ignaui, cuius sui dicti rationem affert, quoniam in passione timoris incipit ab ea parte fieri motus caloris, & eiusdem recursus ad interna; videmus eos etiam, qui displodentes id armorum genus, quod schopetos vocant, timent, oculis subito non solum nictare, sed etiam eos claudere, cum primum fulgorem aspectant ignis; amplius & timidis pueris abeunte luce superuenit timor, & quantum lucis abit, tantum timoris accedit, timidorum igitur passio in oculis incipiet, aut sedem habet. Videtur autem ratio Aristotelis in hoc sita, si in timentibus incipit calor ab oculis ad inferna recedere, quando abit calor ab oculis cum spiritu, ipsi oculi clauduntur; timentes igitur facilè oculos claudunt, qui vero hoc agunt similes sunt ijs, qui nictant, nictare igitur est timiditatis inditium, hæc ille.

At propter quid qui nictant propensi sunt ad timorem? an diendum quoniam qui habent primarias corporis partes, ita naturaliter dispositas vt habent illi, qui ex affectu timoris alterati sunt, illi propensi sunt ad timorem, sed qui nictant, oculos (partes nempe corporis primarias) ita naturaliter dispositas habent, ceu qui timoris affectu tenentur, ergo qui nictant timidi sunt; Maior nititur illi fundamento toties, ac toties repetito, animam operari secundum naturam, dispositionem, ac propensionem eorum instrumentorum quorum est actus; quare quicunque corporis partes, ita dispositas habet, atque paratas, vt illæ sint organa ad exercendum robur, robustus erit, si ad imbecillitatem imbellis, si ad venerem venereus, ergo si ad metum, etiam meticulosus, & ignauus videbitur dicendus.

Quod autem qui nectant oculos habeant paratos ad timendum, & quod ab oculis timor incipiat, & prius, & nunc exponetur; ab oculis timor incipit, tum quoniam inter formidolosa

midoloſa maiorem metum incutiunt,quæ oculis,quam quę auditu percipiuntur,tū etiam quoniam cum timoris paſſio ſit poſita in recurſu ſanguinis ad inferna, ab oculis igitur,diſcedit;& illi videntur eſſe quaſi quidam terminus,à quo incipit recedere calor.

Dicamus ergo qui nictant,frequenter attollunt,ac demittunt palpebras,quibus id accidit,illi diù ſublatas non poſſunt tenere palpebras,paſſio hæc (tremoris, & palpitationis membrorum cum ſit ſimilis)oſtendit paucitatem caloris,& ſpirituum circa oculos exiſtentium,quibus in his partibus paucus adeſt calor,& ſpiritus,hi vel frigidi ſunt, vel naturaliter ad inferiora calor in principio receſſit,frigidi autem,& qui ſic diſpoſiti ſunt,vt calor ad interna receſſerit prompti ſunt,& inclinati ad timendum, timidique vocantur, ergo qui nictant,illi ſunt timidi,quod fuerat probandum.

APOTELESMA CXXV.

„ Qui demiſſum aſpectum,& quibus altera palpebra immittitur in oculis per medium fixi aſpectus, & qui palpebras ſuperiores tarde reducunt,molliterque intuentur, referuntur ad apparentem decentiam, & ad fœminas.

PArs hæc etiam in antiquis codicibus non reperitur, quidam & in latino, & in Græco inſertam putant,vtcunq. autē ſit,docet idipſum,cuius ſæpius iam mentio facta fuit libellum hunc mendis vndique ſcatere,reliquiasque miſeras eſſe cuiuſdam farraginis, collectæ,vt aliquando tractatui ſciētifico materiam poſſent ſuppeditare;cum autem alias poſitiones declarauimus,etiam hanc aggrediamur;ſcopus huius apoteleſmatis eſt quattuor ſigna,quibus & mollities,& timiditas effœminata declaretur afferre,vt ſit ſenſus,ex his intricatis verbis Ariſtotelis extractus talis.

Qui oculos naturaliter demiſſos gerunt,ceu bene educatæ virgines, & matronæ honeſtæ,mores habent fœminiles,quod in Didone expreſſit Virgilius dicens.

Tum breuiter Dido vultum demiſſa profatur.

Verbum autem græcum,quod ita inuerterunt interpretes,vt ſignificarent demiſſum aſpectum,quamuis illud ipſum nuſquam,apud illum notatum legerim, putarem ſignificare ſuauem quandam oculorum demiſſionem,nam & qui maligni,& inuidi ſunt, & qui vehementer dolent,& qui cogitant,aut erubeſcunt etiam quandoq; demiſſum vultum habēt, ſed ſine ſuauitate vlla aſpectus, quam in pulchris, & honeſtis ſpectare fœminis ſolemus, quando ſine vlla perturbatione degunt:Repeto igitur quod,qui oculos ſuauiter demiſſos gerunt,illi ſunt molles,timidique,& effœminati,quoniam hic eſt aſpectus fœminarum, & illę ſic ora,ſic oculos ferunt;cauſa talis poterit aſſignari,timidus, mollis,& imbellis,eſt temperamenti frigidi,& humidi,caret igitur multo calore efferueſcente,at caloris efferueſcentis præſentia facit oculos acutos, audaces,elatos,& referentes, oculos accipitrum, & cum affirmatio ſit cauſa affirmationis,& negatio cauſa erit negationis, ergo caloris multi,& feruidi abſentia demiſſos,& non elatos,attamen neque timorem monſtrantes oculos faciet,ſed placidos,& ſuaues.

Altera proprietas eſt Quibus altera palpebra immittitur in oculis per mediū fixi aſpectus;Hoc eſt quicunq.dū fixo obtutu hærent demittunt alteram palpebram vſque ad mediam oculi pupillam illi ſunt molles,& timidi,vnum aliquando memini me obſeruaſſe hominem,qui hunc pateretur affectum;nam ſi quando tacitus ita hærebat defixo lumine in rem certam,& tunc alterius oculi ſuperior palpebra ſenſim vſque ad mediam deſcendebat pupillam,& rurſus ſenſim ſurſum ferebatur;vt autem ſcio illum naturaliter timidum, & modeſtum fuiſſe,ita duriſſimum hominem cognoui,& valde obſtinatum, eundem tamen

men magnificum, magnanimum, ambitiosum, magnarum rerum cupidum, quas tamen passiones contrarijs operiebat plerunque actionibus, vt primo aspectu difficile illum cognoscere possles. Alium, item atque alium vidi eandem oculi passionem habentem, qui vtrique & timidi, & maximè obstinati erant ad auaritiã potius, quam ad magnanimitatẽ, aut liberalitatem propensi. Huius affectus causam putarem dari posse humori mediocriter superfluo, qui musculum frontis presentia sua sensim non aduertenti relaxaret, & musculos palpebram attollentes alteram, resolueret; vnde cum defixo lumine homo ad alia intendit animum, deficit copia spirituum, quæ quodammodo violenter sustinebat illam palpebrã, ita laxatur musculus, & suo pondere labens palpebra ad medium vsque oculi peruenit, quẽ in locum cum peruenit iam visio, & operatio pupillæ impeditur, & sic attollitur rursus palpebra sensim tamen, quoniam non intense id animaduertitur, sed eò ferè modo, quo dormientes cum punguntur retrahunt brachium. Videmus autem palpebras descendere intento animo aliquid cogitantibus, exemplo eorum qui student, quibus quo magis intentè contemplantur, eò magis vel nolentibus obrepit somnus.

Vna autem descendit non autem vtraque, vt ostendatur hanc esse magis præter naturalem cerebri dispositionem; nam si esset vti in dormientibus, & repletum frigidis vaporibus habentibus caput, æque vtræque descenderent palpebræ cum autem vna tantum sit, quæ descendat, necessarium est male affectum esse à causa frigida cerebrum, & sic causare alterius palpebræ resolutionem imperfectam, at non apparentem nisi cum animus, & calor naturalis aliò est distractus.

Tertia conditio est. Qui palpebras superiores tarde reducunt, ij etiam timidi sunt, & effœminati ait Aristoteles hos ad fœminas referri, quoniam fœminis conuenit, illasque decet non attollere promptè oculos, vt faciunt viri, causa est eadẽ cum superiori, si enim tarde attollunt palpebras, vis motrix valida non est, ergo deficit calor naturalis frigus igitur præualet, quibus autem præualet frigus illi sunt timidi, vt sæpius est dictum.

Quartum signum est, qui molliter intuentur, hoc est remissè placidè, & languidè, illi sũt timidi; quoniam referuntur ad fœminas, non quod omnes fœminæ sic tueantur, sed quę secundum naturam fœminilem maximè dispositæ sunt, solent tueri; ita placidè, & molliter præcipue dum amant, aut amorem simulant, & hoc est quod ait, id referri ad apparentem decentiam; eo quod apparet, hoc est passim videtur, quod deceat fœminas sic aspectare; decet enim fœminarum obtutum talem esse, remissum nempe, & mollem, contra virorum audacem, & viuidum, causa huius est, quoniam qui molliter, ac remissè tuentur temperatum etiam habent calorem, & spiritum, & molles etiam sortiti carnes sunt, quare habitũ fœminilem frigidiorem, & humidiorem, quibus autem talis adest habitus eos iam dudum timidos esse, & effœminatos ac molles decreuimus. Quod ergo quibus hæc accidunt meticulosi sint, & propter quid tales ijs adsint proprietates, & signa ex his patet.

APOTELESMA CXXXV.

Qui oculos frequenti tempore mouentes tincturam quandam veluti immotam habent in albo oculorum illi sunt intellectiui; si enim in quopiam fiat vehemens intellectio stat anima simul, & visus.

HOc est inter homines qui oculos frequenter mouent, quosque supra diximus esse timidos, illi qui videntur habere quadam fuscedine immobili, & permanenti tinctã oculorum albuginem, siue partem illam albam, (quæ tunica dicitur adnata ab anatomicis,) illi sunt intellectiui, hoc est prompti ad intelligendum. Quæ fitum, siue passio, quæ proponitur est habilitas, & promptitudo ad intelligendum, quæ intelligibilitas dici poterit; hu-

rit;huius effati. Datum siue subiectum De quo predicatur est homo,cui duæ adsunt conditiones, altera est, vt frequenter nictet, altera, vt in albo oculorum eiusdem appareat quædam species fuscedinis,quæ semper ibi permaneat eadem;si enim quandoque adesset & quandoque non;ea per se, & naturalis non esset,at naturalis omnino esse debet,si modo promptitudinem ad intelligendum demonstrare debet; prædicatum est promptitudo ad intelligendum.

Intellectiui dicuntur qui apti valde sunt ad intelligendum, intellectus tres dicuntur esse operationes,prima quæ simplex terminorum vocatur apprēsio,secunda est compositio, vel diuisio,in qua verum est falsum,tertia ratiocinatio,siue discursus in primam non cadit error,neque enim decipitur intellectus in simplici rerum apprensione,quod sint, sicuti neque sensus circa propria obiecta falli contingit, cæteræ veri, & falsi capaces sunt.

Sui dicti causam afferens Aristoteles ait,quod si in quopiam fiat vehemens intellectio, quod tunc stat animus,stat & visus. Quasi semper eodem vtens principio,quod, & supra fuit vsurpatum,nempe qui omni affectu vacui eas in corpore qualitates, & signa sensibiliter apparentia habent,quæ spectari solent in his,qui certo ac determinato tali tenentur affectu, illi secundum naturam ad illum affectum, & ad operationes secundum eundem exercendas sunt valde propensi; vt si iratis oculi lucent; & illos horrendum in modum contorquent,dum ira agitantur, ergo quibus, & oculi lucebunt, & illos horribiliter intorquentes videbimus, quando ab ira vacui sunt, eosdem dicemus esse valde ad iram pronos, sic etiam si quibus exactè rem aliquam contemplantibus, & illam intelligentibus stat anima, & visus siue oculus, ergo quibus naturaliter stant oculi, illi videbuntur esse intellectiui.

Et sanè id videtur velle dicere Aristoteles, sed medium, & conclusio nihil inter se conueniunt, & quæ pro medio posita sunt,oppositum potius,quam propositum colligere nata sunt. Quod autem medium quo vtitur,nempe visus,siue oculorum immobilitas, animi seu mentis inferre probabiliter possit immobilitatem,patet, nam & Virgilius dubitantem inducens Aeneam an deberet Turnum interficere;ait:

Stetit acer in armis Aeneas voluens oculos, & alibide

Didone loquens dubitante,quid responderet ait:

Iam dudum aduersa tuetur;
Huc illuc voluens oculos.

At cum eandem firmum habere animum significat ait:

Illa solo fixos oculos immota tenebat;
Nec magis incepto vultum sermone mouetur;
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes:

Similiter certum est quod cum intelligere,& scire sit quies quædam, & immobilitas;si intellectui inerit quies,eidem inerit probabiliter scientia,ignorans enim anima quærit,quærere autem est moueri,naturaliter igitur cum mens omnis scire cupiat,nisi sciat,quærit. ac inuestigat dubitans,vt deponat ignorantiam negationis, à qua sciendi nascitur desideriū; patet igitur quod mens intelligens quiescit, mens quiescens etiam quietam finit cogitatiuam;quieta cogitatiua existente quiescit neque agitatur locus phantasmatum, aut phantasia,aut sensus communis,stat igitur sensus omnis,ergo, & visus, & oculi,quorum ipsa visiua potentia ratio est, & forma,est igitur medium quo vtitur oculi immobilitas.

At ex aduerso Aristotelis placitum habet pro dato,oculi frequentem motum,& si quid immoti dicitur adesse, illa est tinctura, quam in albo oculi extare supponit; mihi igitur videretur pro concordandis medijs, & extremis simul, aliter legendum esse, atque probabile est sic in textu lacunam erroremque non leuem reperiri; Crederem itaque sic dicendum.

Cuius palpebræ frequenter mouentur si oculus immotus secundum se fuerit, & albugo eiusdem quadam fuscedine tincta apparuerit, hunc dices esse promptissimum ad intellectiones, ac scientias rerum adipiscendas; ita si legeris, & Aristotelis ratio faciet ad rem, & huius apotelesmatis rationabilis causa poterit assignari. Quod igitur oculus immotus significet promptitudinem ad intelligendum declaratur, eo quod qui intelligunt, ac percipiunt aliquid, dum id exactè, ac perfectè mens consequitur, oculi manent stabiles, & immoti; quod si hanc Aristotelis esse germanam lectionem supponamus, causæ eorum quę in apotelesmate sunt singillatim exponentur, & primum ponitur in dato quod palpebræ nictent, quod signum esset timidi, & mollis viri diximus, molles autem secundum carnem eosdem esse aptos mente ex Aristotelis sententia posuimus. 10

Oculos immotos secundum se esse, non intelligimus eos, qui ex affectu, aut aliqua externa causa permanent, sed qui apparent ferè semper in eodem statu, neque dicuntur immoti, quod reuera immobiles sint, & semper stent quasi rigentes, nam quorum oculi rigidi sunt, & sicci, ex Adamantio illi sunt homines stupidi, & bardi, sed immobiles dico eos, qui raro mouentur, hos ergo, cum fuerint humidiores, aiunt, dicere virum intellectiuum; cum enim & acuti, & valde mobiles arguant siccam cerebri temperiem, & calidã; probabile est non valde mobiles, & pene immotos, (vt sentit etiam Auer.) frigidum cerebrum indicare, & humidum mediocriter, si humidiusculi appareant oculi, Nam in mediocri frigiditate, & humiditate tenui, ex Auer. posita est ratio cogitatiuæ, & promptè apprehensionis, hæc, vt arbitror, causa reddi potest oculorum pene immobilium. 20

Quod si dixeris supra ex Heraclito affirmatum fuisse siccum animam esse sapientem, quasi probitas intellectus in sicco, & non in humido posita fuerit; responderi potest multipliciter; vno modo quoniam duplex est humor excrementitius, qualis est, qui insidens cerebro læthargum, & cataphoram producit, & hic rigentes oculos facit, & penitus stupidos ac bardos, huiusque est expetenda absentia, & secundum hunc humorem, abesse à cerebro bonum, alter autem est humor naturalis, qui si abundauerit, hominem mollem facit, & timidum, & effœminatum, aptum tamen ad intelligendum, non tam ratione humidi, quam ratione frigidi; cuius ratio dicit quietem, vt caloris motum, scire autem, & intelligere est quiescere.

An rursus dicere possumus corpus humanum organicum, & dissimilare esse, quare & plures partes habere inter se valde differentes temperie, ac substantia, & ideo propter hoc diuersas habere potentias, quæ diuersarum partium sint actus, non absurdũ est igitur quasdam partes cerebri esse humidiores si cum alijs comparentur, vt potè quæ phantasmata recipiunt, alias sicciores secundum quas illa promptius retineant; alias calidiores quibus inquirit, & discurrit, secumque versat homo, quid agendum, aut non agendum sit, alias demum frigidiores quibus cogitans intelligit, & apprehendit, quæ prius considerauit; demũ possemus dicere, cerebrum vocari humidum, & siccum vel simpliciter, vel in comparatione, quod simpliciter est tale, non est cerebrum, sed corpus, aqueum simpliciter frigidum, & humidum, at cerebrum si cum alijs partibus corporis conferatur dicetur sanè frigidius, & humidius; vel cerebrum in respectualiorum membrorum principalium, humidum, & frigidum esse debet, ratio eius igitur, magis est in frigido, & humido, quam in oppositis qualitatibus, & inter illa quæ humida sunt capita; dico melius esse disposita, quæ ad siccitatẽ magis accedunt, hoc est quæ minus humida sunt, & præcipuè præter naturali excrementitioque humido carent, sic igitur in siccam animam cadit sapientia. 30 40

Sed ad rem redeuntes patet, quod palpebræ possunt frequenter moueri oculos vero penè immobiles esse, in his qui valent intellectiua virtute. Tertia erat conditio quæ ponebatur in dato, quod nimirum albugo oculi foret fusco infecta colore, & hoc rationabile est, nam demonstrat melancholiam in oculo dominari, quare & cerebri

tempe-

temperiem melancholia non carere quæ cauſa eſt ſapientiæ, & promptitudinis ad intelligendum, ſi modo moderato calore fuerit temperata, & hoc erat quod proprie volebat Heraclitus, cum ſapientem animam ſiccam vocauit; hoc eſt bene vti inſtrumentis ſecundum temperamentum melancholicum paratis, quod etiam in tertia problematum, prob. primo dictum fuit.

Sit ergo ratio ad apoteleſma huiuſmodi, Quorum cerebrum temperamento melancholico, & pituitoſo ſecundum naturam, non autem præter naturali, & excrementitio præditum eſt, illi ſunt intellectiui, ſed quorum palpebræ nictant, & oculi pene immoti manent, & oculorum albumen fuſco quodam calore infectum eſt, illi melancholico, & pituitoſo cerebri temperamento ſunt præditi, ergo quorum palpebræ frequenter mouentur, & oculi penè ſtant, cum fuſcedine quadam albumen eorum inficiente ſunt intellectiui, quod fuerat probandum; maiorem exprædictis patere certum eſt; Minor clara, etiam quoniam pro cerebri temperie variatur oculi diſpoſitio, & fuſcedo certum eſt dominantis melancholiæ indicium.

Noto autem melancholicum cerebri temperamentum multiplex eſſe, neq. tamen omne laudabile, nam ſi præter naturalis fuerit melancholia, & illa omnino rigeat neque calorem concipiat, homines quibus contigit tale cerebrum, carent communi ſenſu, obſtinatiſſimi, nec per ſe norunt quid opus ſit factu, neque ab alijs diſcere volunt, ſi vero calorem multum conceperit furioſi, & maniaci, & quaſi malo ſpiritu demonum videntur obſeſſi, ſimiliter ſi naturalis melancholia eſt, & ſubdominium bilis extiterit, in actionibus vehemẽtes, fortes, audaces, prompti manu, ſed nimium præcipites apparebunt, at ſi cum pituita, & mediocri ſanguine, aut bile flaua fuerit compoſita quæ dominatur naturalis melancholia, iam cerebrum quale fuit Platonis, aut Ariſtotelis, fiet; cum autem pituita ſuperior fuerit, cum melancholiæ ſubdominio, iam cerebrum habebis quale forte fuit Ciceronis, & Demoſtenis, nam timor multus, & animi abiectio plerunque illorum prudentiſſima conſilia ſubuertebat, & cum oratione multum valerent, & intellectu, in actione tamen, & operatione multis inferiores exiſtebant, quod plerunque contingit, vt ijdem æque in actione, & contemplatione valere non poſſe videantur, eo quod ab oppoſitis principijs naſci putãtur diſpoſitiones actionis, & contemplationis.

APOTELESMA CXXXVI.

Qui voce admodum magna vociferantur grauiter, iniurioſi referũtur ad aſinos.

INcipit hic ſectio 4. partis huius in qua contemplatur quidnam ſignificent quædam vocem differentiæ, non ſecundum quod voces ſunt, ſed ſecundum quod ſunt ſoni ab animali, ſiue homine facti, nulla habita ratione ſignificationis conceptuum vox magna ea dicitur quæ multum aeris mouet, & longe auditur, grauis autem quæ tarda eſt, & quo grauior, eo tardior, quoniam aeris circulationes tardius mouentur, vt in acuta celerius; iniurioſos quos nunc vocat Ariſtoteles, alij petulantes, & contumelioſos vocant, & inſolentes, eſt itaque ſententia.

Qui cum ſine affectu exiſtentes loquuntur magna, & graui voce, eademque quodammodo intenſa, vt videantur ſemper iurgari velle, illi ſunt naturaliter iniurioſi, contumelioſi, & petulantes, & conuiciatores, reddit ſui dicti rationem, quoniam referuntur ad aſinos.

Quidam putant Ariſtotelem aſſimilare hos homines in hoc vno tantũ, qm̃ vtriq. habẽt vocẽ magnã, & grauẽ nõ aũt in alijs, ſiquidem illis nõ videtur, verum, qđ aſinus conuiciator ſit, & cõtumelioſus, quare in hãc venere ſententiã, vt iniurioſum nõ ſignificatione actiua, ſed paſſiua acceperint, p eo nẽpe q aptus eſt pati cõtumelias, atq. iniurias, ſine vltionis

desiderio, & pro eo demum, qui nactus est seruile ingenium, & asininum.

Ego crederem posse, & secundum animam etiam qui talem vocem habent, cum asinis comparari; natura siquidem asini talis est, vt sit petulans, & iniuriosa, & contumeliosa; bene pastus asinus petulantissimus est, ac dominum calcibus impetit, iniuriosus est, & omnino contumeliosus, nam à multis obseruatum est, si asinus venerit ad purgatum pauimentũ, & ornatum, subito sine vllo discrimine exonerat aluum, & vesicam quæ propriè actio est contumeliosa, monstrans contemnere, ac nihili facere præsentes, loci ac temporis nullam habere rationem bene pasti asini contumeliosam, & petulantem naturam expressit Pontanus elegantissimo, & festiuissimo quodam dialogo, quem inscripsit nomine asini, secundũ hoc igitur puto contumeliosum, & petulantem dicendum esse asinum, qui nullius rei rationem hominum, aut locorum habeat.

Dicamus igitur asinus admodum magnam, & grauem habet vocem, & asinus indiscretus est, petulans, & contumeliosus, ergo quorum magna, & grauis est vox, illi sunt petulãtes indiscreti, & contumelioſi; nunc propter quid id contingat videamus.

Vox magna inest ijs animalibus quæ magnam habent asperam arteriam, & multum inde aeris emittunt, grauem habent qui tarde aerem multum extra arteriam pellunt; magnam igitur vocem habent quæ magna sunt animalia, quoniam, & his magna adsunt instrumenta, sunt igitur necessario hi etiam homines qui magnam vocem habent, & amplo pectore, & magna arteria, & crasso collo, docet id dominari terram secundum molem; quoniam autem cum magna voce iunctam dicimus grauitatem, quam tarditas fabricat, quæ frigoris soboles est, temperamentum igitur frigidum, & siccum, hoc est terrestre indicat; cui tale adest temperamentum ille auarus, ac timidus quidem est, cæterum indiscretus, & vilis, quod si propter aliquam causam internam, aut externam non timuerit, & se alijs superiorem putauerit, subito petulans existet; ac contumeliosus, talis enim est qui suæ abiectionis, & humilitatis conscius, aliquando in homines imperium habet; timens enim ne spernatur, in alios crudelitatem, & contumeliam exercet, vt sibi ipsi suæ potentiæ fidem aliquam comparet; quod in Tyberio, & Caligula apprimè notarunt Cornel. Tac. & Sueton. cui igitur adest huiusmodi vox, illi adest temperamentum asinino simile, at qui asinino par nactus est temperamentum, ille petulans, & indiscretus est, & contumeliosus, cum potest, & cum imperium habet, ergo cui talis vox ille tales etiam sortitos est mores.

Et memini sanè me duos cognouisse alterum priuatum, qui talem habebat vocem omnium hominum indiscretissimum, qui nullam aliorum rationem haberet, sibi soli commodus, iners, contumeliosus, iniustus, petulans, & libidinosus, ignauissimus deinde, ac formidolosus, vt semper fustem timeret; Alter cum aliquando in magistratu constitutus foret, & aliquid haberet auctoritatis, cum ijs à quibus nihil timebat, omne contumeliæ genus exercebat, si quando autem aliquis ei respondebat, & ad superiorem se diceret habiturum esse recursum, idem tanquam muliercula terrebatur, & ad frugem reducebatur, quod etiã asinorum est proprium, nam impossibile est, nisi continue fuste doletur asinus, illum ipsum esse frugi, bonum, & domino commodum, & quo melius ipsum paueris eò petulantiorem reperies, & minus paratum ad seruiendum, & parendum, & hoc primum est eorum apoteles. Aristotelis, quę ad vocem pertinent, quæ iure nectuntur ijs quæ ad motum, quoniam vox, & sonus omnis vel est motus, vel omnino non sine motu.

APO-

APOTELESMA CXXXVII.

Quicunque vocant, grauiter incipientes, & finiunt in acutum iracundi, & lugentes referuntur ad boues, & ad decentiam vocis.

HOc eſt, quicunque cum loquuntur talem vocem habent, vt incipiant in ſono graui, & in acutum finiant, quo pacto faciunt boues cum mugiunt, illi ſunt timidi, iracundi, & queruli, ſed, vt ego arbitror, id non ſibi vult verbum græcum, quo hoc loco vſus eſt Ariſtoteles, neque auctor Theſauri græci, neque alij viri litterarum græcarum peritiſſimi δυσθυμίαν interpretantur iracundiam, ſed mærorem, & triſtitiam, & languorem animi; ali quando etiam diſenſionem, & diſcordiam, quare putarem dicendum, qui talem vocem habent, illi ſunt inclinati ad mærorem, & triſtitiam, & facile cum domeſticis contendunt, ſimiles enim ſunt ſenibus, vt etiam ait Ariſtoteles in rhetoricis ad Theod. & lamentabundi ſunt, hoc eſt ad querelas proclines, vt facile, & plerunque etiam ſine cauſa de amicis, & domeſticis conquerantur; hos igitur tali voce præditos Ariſtoteles aſſimilat bobus, & præſertim fœminis, quarum vox talis eſſe videtur, vt in principio grauis ſit, deinde cum terminat, acutum ſonet; quod tamen acumen neſcio quid lamentabundi in ſe continere videtur, ſunt autem boues naturaliter triſtes, neque illos ceu canes aut equos laſciuire, & ludere facile videbis, dicamus igitur boues hac voce præditi ſunt, & boues natura triſtes ſunt ergo vox hæc propenſionem naturalem ad triſtitiam indicat (*& ad apparentem decentiam*) puto hunc eſſe ſenſum iſtorum verborum; hanc vocem quæ principio grauis eſt, & in fine acuta eſſe talem, qualem vulgo videmus conuenire ijs qui mæſti ſunt, & actu conquerun-tur, videmus enim mærore confectos, & querulos homines, dum loquuntur in fine ſuæ periodi ſemper vocem acuere, & multo acutiorem eſſe, quam in principio foret, cum loqui, & conqueri incipiebant; Id igitur ſentit (vt opinor Ariſtoteles) hos ſcilicet referre morem qui in dolentibus apparet quique illos dicat. At propter quid nunc inquirendum.

Quando igitur habebimus propter quam cauſam qui mæſti ſunt, & conqueruntur hãc vocem emittunt, tunc etiam clare conuerſam cognoſcentes habebimus, propter quid hoc ab Ariſtotele fuerit enuntiatum, Mæſtis, & conquerentibus, & dolentibus calor circa cor cum ſpiritibus colligitur, his accidit igitur ſuperiora, & quæ circa caput, & os frigefieri, & ſiccari in principio, igitur propter frigus eo in loco prædominans tarda vox eſt, grauiſq. at quoniam multus calor circa cor, multo & eget aere, dolentes igitur vt etiam faciunt febricitantes, multum attrahunt aeris, qui deinde cum multus tarde foras regrediens multum aerem externum mouet; dolentes igitur magnam vocem, & grauem in principio faciunt, & quoniam loquendo, & conquerendo, vt inquit Poeta, egeritur lachrimis, egrediturque dolor, ſpiritus, & calor qui circa cor quodammodo comprimebatur, ſoluitur, & dilatatur, & ad partes exteriores progreditur, robuſtior effectus vehemẽtius, ac celerius mouet aerẽ; celerius motus aer vocem acutam, ſonumque magis penetrantem facit; hac de cauſa fortè ſequitur, quod quicunque in mæroris, & querelarum affectu reperiuntur, illi habent vocẽ in principio ſuæ locutionis grauem, & tardam, in fine periodorum attollunt, & acuunt, quod ſane mihi viſum eſt, quã pluries in lachrimantib. & pectus plangentibus fœminis, & pueris animaduertiſſe; quod ſi res ita ſe habet, conuerſa etiam manifeſta eſt, quod quicunque vocem ſic diſpoſitam habebunt, etſi affectibus prædictis carebunt, nihilominus ad illos multam propenſionem habebunt, cum ita diſpoſita habeant inſtrumenta dolori deſeruientia, ſicuti diſponuntur in illis, qui huiuſmodi affectu tenentur propter quid autem id accidat iam ſuperius dictum eſt ſæpius.

APOTELESMA CXXXVIII.

Quicunque autem vocibus acutis mollibus, & ruptis loquuntur cinædi referuntur ad mulieres, & ad decentiam.

HOc est quicunque dum loquuntur emittunt vocem quandam acutam, mollem, & fractam, illi sunt homines molles, & effœminati (vt enim supra dictum est) per cinædos non puto intelligendũ qui patiuntur muliebria, sed molles, delicioſos effœminatos, & magis fœminam, quam virum referentes, quid vox acuta sit, iam declaratum est, & vnde veniat, & quomodo fiat, mollem voco vocem, quæ tum tarda est, tum remissa, & paucum mouet aerem, qualem audimus, aut in ægrotis cum ad summum venerint, aut in pueris, & mulieribus cum græcantur, & blanditias faciunt, has voces molles adamussim expressit Apuleius in suo asino, dũ mores sacerdotum Deæ Isidis exponit; vox igitur mollis potius delectat, quam displiceat, neque acuta adeo est, vt offendat, quamuis naturali hominum perfectorum voce sit autior.

Sed dicet aliquis, si vox tarda grauis est, grauis autem non est acuta, ergo vox tarda nõ potest esse acuta, at per se tarda est mollis, mollis est acuta, aut si non est, tamen esse potest, ergo quæ grauis est, ea etiam simul acuta esse poterit; cæterum acutum, & graue contraria sunt, quare neque simul esse poterunt.

Respondetur, quod omnis vox grauis est tarda, sed non omnis tarda est grauis, ea enim tarda, quæ multum aerem mouet dicitur grauis, quæ autẽ tarda non mouet multum aerẽ non est grauis; hæc quam diximus mollem, tarda quidem est, sed non multum aerem mouet, atque ideo non est grauis; vel tarda, potest locutio dici dupliciter, vel quoniam grauis sit, vel quoniam multum temporis interponitur inter probationem vnius, & alterius Syllabæ; sic igitur etiam tardam dices vocem mollem, ruptam autem, & interciſam proprie appellare possumus, quæ lacunas quasdam recipit, & quando loquens in medio verborum dehiscit, ceu quemdam aliquando audiui, qui antequam verbum finiat, eiusdem medietatem replicat; aut aerem in medio verbi inspirat; interrumpere autem vocem in medio magni affectus, multæque motionis circa cor existentis indicium est, quod testatur Virgilius, dum de Didone loquens amoris æstu percita, ait,

Incipit effari mediaque in voce resistit.

Quid igitur sit acuta mollis, & interrupta vox ex his puto manifest esse. Hanc vocem indicare cinædum, hoc est hominem mollem significare inquit; mollities est duplex altera animi, altera corporis; quæ animi est, delicioſum, effœminatum, laboris impatientem, vilẽ, timidum abiectumque arguit hominem, qui facillime dolere, & lugere etiam ex quacunque leuissima possit causa, qui & paruarum voluptatum absentiam non patitur, & dolores quamuis minimos sustinere nequit; tales sunt, qui medicamentum, quoniam amarum est, sumere non, sustinent, neque edere volunt, nisi perdicem, aut phasianum habuerint, sic quidam lugebat, cum febricitans audisset medicum prohibentem vinum, moriturumque se certo dicebat, neque id passurum esse, alius, cum chyrurgus sanguinem extrahere vellet, aufugit, & cum teneretur, vulnerata vena animo deliquit; ergo molles animo sunt semper damnandi, & mollities animi vitiosa semper est, ac turpis, in viros magis, in pueris atque mulieribus minus, quæ vero corporis, ac carnis mollities est non semper damnanda est; aliquando enim hominem intellectiuum, & sensatum denotat, non tamen semper, etenim, vt alias dictum est, ea duplex est, vel moderata, & ab humido naturali, & aereo proueniẽs vel immodica, & ab humido aqueo nata, qualis ea est, quæ plerunque in mulieribus percipitur; de ea quæ animi est, nunc loquitur Aristoteles, mollitie.

Not.

Not. eſt autem non ſemper cum corporis mollitie, quæ carnis eſt, ſequi animi etiam mollitiem, etenim molles carne qui valde ſenſati fuerunt, ijdem etiam aliquando magnanimi, & in aduerſis fuere tolerantiſſimi, neq; id ſolum in viris, ſed etiam in mulieribus accidit, etiam corpore, & animo in principio, Mollis fuerat Temiſtocles, mollis etiam Cęſar, vt viſum eſt non nullis, ſimiliter Ageſilaus, nemo tamen hos magnanimos viros fuiſſe non aſſeret, duplex enim magnanimitas eſt, & animi præſtantia, altera acquiſita, quæ, in quęcunque, qui illam velit, cadere poteſt; omnis enim non mutilatus, & ſecundum naturam diſpoſitus omnis virtutis, ſi volet capax eſt, vt enim Horatius dicit.

Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator
Nemo adeo ferus eſt, qui non miteſcere poſſit;
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Vnuſquiſque enim in manu arbitrij ſui eſt, & ſuorum habituum ſecundum quos bonus, uel malus dicitur faber eſt, uolenſq. prauas cupiditates excindere, & bonas fouere poteſt. Quare molles carne damnandi non ſunt, ſed laudandi potius, quoniam cum ſenſati ſint facile fieri poſſunt uiri excellentes, ac perfecti, & hæc carnis mollities cum ea, quæ animi eſt æquiuoce dicitur, neque cum illa quid quam commune habet, neq. ſe mutuo indicāt ſi uero aliquid mollities carnis non laudabile naturaliter inſitum animo oſtenderet, hæc eſſet timiditas quædam, & impotentia corporis, non autem animi ad ſuſtinendos labores, quod in Arato notauit Plutarchus; Vox igitur hæc acuta mollis, & interrupta ſignificat animi mollitiem, quæ eſt propria mulierum, & illas decet; hoc eſt, ſequitur hæc uox, & apprime decet eos, quos molles eſſe uidemus, quaſi quod communis hominum cōſenſus hoc ex ſe ipſo iudicet; mulieres igitur ſecundum propriam naturam ſic loquuntur, & hæ naturaliter animo ſunt molli præditæ, ergo qui ſic, & acute, & interrupte, molliter loquitur effœminatus eſt, & animo præditus humili, & abiecto; cauſam huius crederem eſſe caloris defectum, & humoris excrementitij exceſſum, quando enim calor deficit, ita molliter, & interruptè mouet, deficit autem ſi comparetur cum nimio humore à quo penè obruitur; ſit ergo ratio talis, uox acuta, mollis, & interrupta docet humidi ſupra calorem dominium at temperies in qua hoc accidit effœminata eſt, ac mollis, & propenſiones ad mollitiem, & ad abiectionem animi docet, ergo uox huiuſmodi, non facit, ſed indicat animi mollitiem, & naturam fœminilem; minor non uidetur habere dubitationem, acuta uox parum aeris mouere docet.

At dices celeriter mouetur, ergo arguit multum calorem, reſponderem hanc celeritatē, quæ acumen uocis ſequitur per accidens oriri, non à caloris abundantia, ſed ab oppoſito, debilis enim, & paucus calor formans organa, eadem parum dilatauit, unde factum eſt, ut ſtricta ſit arteria aſpera, & larinx; quare cum per arctum locum feratur aer neceſſe eſt, ut celerior aer fiat, & uox reddatur acutior, mollities (ut dictum eſt) humiditatis ſupefluæ ſignum eſt, interruptio caloris non potentis illam euincere, & uniformiter mouere, quod autem hanc temperiem ſequantur propenſiones animi effœminatæ, & humiles, atque abiectæ, inconſtantiæ, & impatientiæ plenæ, iam ſatis ſupra declaratum eſt.

APOTELESMA CXXXIX.

Quicunque grauiter vocant magnum, & perplexum, fortes, & audaces ſunt, referuntur ad robuſtos canes, & ad detentiam.

QVartum uocis Theorema eſt contemplari enim quaſdam paſſiones uocum diximus non ut ſignificatiuæ ſunt conceptuum, ſed ut ſoni indicatiui corporum ſonantium; eſt igitur hic Ariſtotelis ſenſus. Quicunque homines dum loquuntur uocem habent grauem,

uem, magnam, & perplexam illi audaces sunt, & manu prompti; quid sit grauis, & magna vox dictum est prius, quid autem sit perplexa nunc exponendum.

Noto perplexè loqui aliquem posse dici dupliciter aut secundum conceptum, aut secundum sonum; perplexa secundum conceptum locutio ea est, à qua probabiliter nullum cõceptum extrahere potes, quæque non constituit intellectum, neque facit audientem quiescere, qualis est figura quam reticentiam rhetores vocant, vt Virgilius Quos ego, & Terentius Ille ne? sed reprimam me, quæ perplexa locutio, aut ignari, ac rudis admodum viri propria est, aut valde in affectu constituti; & qui intelligi, & deprendi ab omnibus non uult, aliquando etiam perplexe loquitur, sed de hac perplexione non est sermo. Altera uocis perplexæ est species, quando dictiones præ nimia loquentis celeritate inter se confusæ sunt, ac inarticulatæ, & adeo raptim ex ore loquentis exeunt, ut altera alteram superueniens syllaba audientem confundat, quo modo loqui solent, vt plurimum, qui cum naturaliter audaces sint, magna, & sæua ira correpti potius tonare, quam loqui videntur, quę species est sermonis apprime uolubilis, hos igitur ita loquentes animosos, & audaces uocat, eos enim assimilat canibus robustis, & animosis qui talem uocem habent; non enim de omnibus loquitur canibus, sed hos tantum intelligit; qui ad uenandos apros, ursos, & leones apti sunt, qualem fuisse ferunt quemdam, qui donatus Alexandro Magno dedignatus est aprum aggredi, & hi qui ita loquuntur referuntur ad decentiam, hoc est ad id quod cõuenit, & naturaliter consentaneum est ijs, qui talem uocem edunt, audaces enim, & fortes ex sola uocis exauditione communiter à populo iudicantur opinante talem uocem decere fortes uiros; quasi Aristoteles per hæc uerba uelit ostendere, quod necessaria est connexio, & conuenientia inter hominem audacem, & uocem hanc grauem, magnam, & perplexã, ut sit sensus, qui sic loquuntur audaces sunt, & id iure dicitur, quoniam homini audaci naturaliter talis uox conuenit, quæ sanè expositio non admodum dissentit ab eo, quod visum est viro eruditissimo, ac de litteris græcis in primis optime merito.

At quærendum est propter quid talem vocem sequatur audacia? si igitur audax secundum quod est audax talem fuerit sortitus vocem manifestum est, quod cui vox inerit huiusmodi ille audax, & manu promptus dicendus erit; audax à natura quatenus audax est, secundum corpus, & materiam ex qua constitutus est, si capiatur, vt supra dictum est, in figura fortis, habet, temperamentum vehementer calidum & siccum, melancholicum igitur & bilioſum, melancholici grauem uocem emittunt, terram enim referunt, cui vocis grauitatem forte per quandam analogiam tribuunt musici, ergo audax vocem grauem facit, magnam autem quoniam multum spiritus, & auræ emittit, quoniam, & multum inspirauit, multũq. inspirat, quoniam magnę sunt arteriæ, magnaque instrumenta operationum, magna quoniam diducta, & talia quoniam in formatione prævaluit calor, caloris enim proprium est dilatare, & disgregare; propter hoc igitur audax magnam vocem habet, perplexam, & implicitam eadem de causa, dum enim calor vehemens mouet, quoniam suę potentiæ, & vigori quodammodo improportionatum est mobile, vehementius quam deceret illud impellit, vehementer propulsa posterior vox priori superuenit, & cum illa penè, & quodammodo miscetur, & sic vox implicità, & perplexa apparet; quod si audax huiusmodi vocem habet rationabiliter, & illi secundum propriam naturam conuenit; ergo ex aduerso cui talis vox inerit illum audacem, turbidum, præcipitem, ac vehementem hominem probabiliter dicemus, refereturq. ad masculinum genus, probabile etiam est, hominem hũc esse valde iracundum, latum, & pilosum pectus habere, & corporei roboris non parum consecutum esse.

APO-

APOTELESMA CXXXX.

„ Quicunque molliter, & ſine contentione vocãt ſunt manſueti referuntur ad oues.

OPpoſita iuxta ſe poſita magis eluſcere dicuntur; quare poſtquam declaratum eſt quid grauis, magna, & perplexa vox ſignificet, quæ huic oppoſita eſt mollis, & remiſſa nunc contemplatur; mollem voco quæ magnæ, & graui opponitur, grauem, & magnam in canibus magnis & audacibus exaudies, nec non & in leonibus, & Tauris ferociẽtibus, mollem in ouium balatu audies, & agnorum præcipue, hanc etiam in pueris, & virginibus hilaribus ſine perturbatione, & ſecundum naturam diſpoſitis percipies, remiſſam vocant, quæ intenſæ oppoſita eſt, At dices igitur grauem. Quod ſupra dictum eſt, nunc etiam repetendum, aliquam grauem eſſe remiſſam, vt quæ exauditur à remiſſis barbiti, vel teſtudinis cordis, grauior eſt, quam ſit illa, quam eædem contentæ chordæ producunt, non ſequitur tamen quod omnis remiſſa ſit grauis, niſi comparatiue, ſi nempe comparatur cum eo ſono, qui fieri poteſt ab eodem Sonante contento, quæ igitur remiſſa eſt, & non grauis, nec tamen acuta illa eſt vox, ſiue ſonus, qui cum parum aeris moueat tarde, ac lente illum ipſum mouet, quid igitur ſit mollis, & remiſſa vox ex his patet, eſt itaque Ariſtotelis ſentẽtia talis; Quicunque dum loquuntur naturaliter, & ſine affectu, habent vocem paruam, mollem, & remiſſam manſueti ſunt, (timidos legerem, & humiles, quod etiam magis græcę voci, & naturæ ouium conueniet) probat Ariſtoteles, vt ſolet, à poſteriori dicens, oues huiuſmodi vocem habent, eædem ſunt manſuetæ, ac timidæ, ergo cui inerit vox huiuſmodi ille manſuetus, & timidus erit, propriè manſuetos dicimus, qui mediocriter iraſcuntur, (hoc autem loco manſuetos intelligerem) qui pati poſſunt iniurias, neque ad vindictam promptè inſurgunt, cauſam huiuſce rei pendere arbitror ex natura, ac temperamento horũ quibus talis vox adeſt, cum enim qui ita remiſſam, & mollem habent, vt ſupradictum eſt, vocem illi ſint temperamenti humidi, & frigidi, quod clarum eſt exemplo ouium, ergo ijdem timidi, manſuetique ſunt, & ab ira longe remoti, ergo cui vox mollis ac remiſſa iderit timidus, & manſuetus, & ira vacuus, quod erat probandum.

APOTELESMA CXXXXI.

„ Quicunque vocem acutam habent, & intentam iracundi referuntur ad capras.

HOc ipſum, quod nunc proponitur, vtriſque proximè dictis eſt oppoſitũ, propinquiori quidem, quatenus illud ſupponebat, vocem remiſſam, hoc autem intentam; alterum proponebat grauem at præſens habet acutam, eſt igitur ſententia.

Quicunque dum loquuntur emittunt vocem acutam, & intenſam iracundi ſunt, nam ſimiles in hoc ſunt capris, quæ, & talem vocem habent, & eædem ſunt iracundæ. Hanc uocem in capris agnoſcere facile eſt, quod autem illæ ſint iracundæ videtur dubium, nam ſi iracundum animal dicitur, quod in vltionem promptum, ac præceps eſt, cum capræ non ſint huiuſmodi, quomodo iracundæ dicentur? quod autem capræ in vindictam prompte non ferantur, argumento ſint Hirci qui cum ex caprino genere maſculi ſint, ſi ipſi iniurias patiuntur, quæ vel maximæ putantur nulla facta vltionis ſignificatione, multo magis illas fœminæ ferent. Aiunt autem hircos pati coram ſe ipſis, ab alijs hircis capras ſui gregis iniri, quod maximè irritare ſolet alia genera animalium, iracundum igitur non eſt caprarum genus.

An dicemus iracundas ſimpliciter non eſſe capras, ſed ſi cum ouibus conferantur, eſſe calidiores,

lidiores, & ideo etiam aptiores ad repellendum id quod officit; aut forsan melius respondebimus vocem græcam, qua hoc loco vsus est Aristoteles, nempe μάργοι nullo modo iracundum signare, & penes interpretem stare errorem; nam verè vox prædicta, ex testimonio eruditissimorum virorum significat insanum, amentem, vecordem, stolidum, item proteruum, petulantem, & improbe libidinosum, sic Budæus etiam citans Platonem, & Aristotelem sensit; Nusquam autem inuenio vocem hanc captam in significatione iracundię; & rationabiliter, nam irascuntur, vel læuiter, vel nunquam capræ, sed bene sunt amentes, stolidæque, amplius petulantes, & libidinosæ, quæ genera epithetorum capris, & hircis ab auctoribus alias data fuisse nemini est dubium. Dicerem igitur cui talis vox adest illum stolidum, ac vecordem, & petulantem, ac proteruum esse; stolidum voco eum qui quodã- 10
modo ratione abutitur, & ridicula facit, neque decorum in suis operationibus obseruat, vt ait Horatius, Quid deceat, quid non oblitus, quod idem significat etiam vecors, quasi sine corde; hoc adiuncto vsus est Propertius ipsum tribuens capris; sunt petulantes capræ, & poteruæ, vocatæ enim quandoque à pastore accedunt, non nunquam cum propè venerint, abeunt, & si aliæ accedant, illæ, quæ prius stabant, accurrunt subito; quæ proteruitas quædam est, petulantiaque.

Quod si ita dixerimus nihil absurdi sequetur, & sanè temperies qua præditæ secundum naturam sunt capræ, in hominem si cadat huiusmodi propensiones facile generabit; si igitur nouerimus quæ sit capræ temperies, & quomodo talem temperiem sequantur tales propensiones proteruiæ, & stoliditatis, ac libidinosæ petulantię; planum, quod cui aderit talis 20
vox, quæ ponit capræ temperiem, illi etiam aderunt tales propensiones, Capra, sanè videtur animal oue calidior, quod, & tangentibus patet, nam calidiores tactui apparent, caprę quam oues; id etiam pilus docet, qui multo crassior in capris est, quam in ouibus, quare eius pilus nullius est vsus, vnde ortum est prouerbium, de lana caprina disceptare, quod de illis dicitur, qui de re nullius vtilitatis contendunt; amplius idem docet caseus qui linguã pungit, & salsior, siue acutior à gustu iudicatur, quàm ouillus, calidior igitur capra est quã ouis, quare & audacior, & mobilior, vnde factum est, vt rupes, & montium cacumina prõptissime scandat, frondosisque ramis stirpibus vescatur, & nunquam cibo satiari posse videatur, calidam igitur capram dixi, sed & ad siccitatẽ accedit, melancholiamque, sed multa pituita temperatam habet, vnde plerunque earum pilus albus est, pituita vero sordida 30
est, & cum melancholia non bene coniuncta, sed refert cænum, ac limum ex aqua, & terra conflatum; quę incaluerit, vnde, & male olentes sunt, illarumque sudor corruptionem quãdam humidi in sicco demonstrat; capræ igitur, hoc est temperamentum; capris autem ea vox inest cuius supra mentionem fecimus, ergo quæcunque animalia talem vocem habebunt tali etiam temperamento esse prędita probabile est, quod autem temperamentum calidum, & bilioſum cum subdominio sordidæ, & incomposita melancholiæ cum pituita faciat mores stolidos, petulantes, proteruos, ac libidinosos, sic poterit confirmari.

Quicunque quod aggreditur promptè, & vehementer, illud deinde non perficit, sed in medio operę solet remitti, & tandem imperfectum quod aggressum fuerat deserit, ille est stolidus; sed qui bilioſus est promptè res aggreditur, quoniam uero à melancholia, cum pituita iuncta subito refrigeratur, remittit susceptam operationem, hoc autem diximus esse in ratione stolidi, eadem autem bilis petulantem facit, nam petulantes sunt, qui indiscretè, & indistinctè petunt nulla habita consideratione, nunquid deceat nec ne, quod petunt, proteruia obstinationis quædam species est, sed pręcipuè in malo, & in rebus uenereis, quæ à melancholia certo modo bili coniuncta pręsertim producitur, sic ergo, & proteruus est, qui hoc habet temperamentum; libidinosus etiam erit, nam ex Aristotelis auctoritate 30. problematum uisum est, quomodo omnes melancholici si quid caloris conceperint, sint libidinosi.

Ex his

Ex his igitur patet, quod quicunque vocem nacti ſuut acutam, & intentam, quæ vtræq. affectiones ſunt caloris bilioſi, quod illi erunt ſtolidi, petulantes, & libidinoſi, quod fuerat in primis probandum, & hæc de voce ab Ariſtdtele dicta ſunt.

APOTELESMA CXXXXII.

Parui valde, acuti ſunt, latione enim ſanguinis paruum locum continente, motiones quoque valde velociter accedunt ad ſapere.

PArs hæc propoſita, ea eſt, in qua de magnitudine, & paruitate ſtaturæ ſecundũ longitudinem agitur, quibus vtriſque accidit, vel ſimpliciter, vel cum alijs qualitatibus, ſiue accidentibus conſiderari.

Primum autem quid paruitas, quid magnitudo, & qui mediocritas ſtaturæ ſit in homine videamus, deinde quid ſit acumen ingenij, & vndenam proueniat, poſt hæc ſententiam Ariſtotelis conſiderabimus; paruitas, & magnitudo ſecundũ exceſſum, & defectum dicuntur, quare ad aliquid, exceſſus autem cuiuſque ac defectus niſi per comparationem ad mediũ cognoſci nõ poſſunt, mediocritatem igitur humanæ ſtaturæ dicemus eam magnitudinem humani corporis, quæ ſecundum naturam, hoc eſt ſecundum eiuſdem formam illi cõueniet; hæc mediocritas ſecundum regionũ diuerſitatem non nihil contingit variari, Nos de ea quæ Italicis præſertim conuenit hominibus loquemur, mediocris Italorum ſtatura eſt circiter, quattuor pedes cum dimidio, pes vnus conſtat ex duodecim vncijs. Vncia ſpatij tantum eſt, quanta eſt longitudo ſecundi articuli pollicis, mediocris hæc humani corporis extenſio latitudinem quandam ſortita eſt, quare etiam ſi exceſſerit per tres vncias, aut defecerit, vel dicitur eſſe mediocris, confinia igitur mediocris ſtaturæ Italicę erunt corpora vnciarum 51. & vnciarum 57. vltra vero, & citra vulgo magni, & parui dicuntur porro, & paruitas, & magnitudo terminos habet vltra, & citra quos humana forma ſtare nequit; Bononiæ mortuus, & ſepultus eſt ſatelles Caroli Quinti Imperatoris, cuius magnitudo ad pedes VII. peruenit; raro in Italia maiorem pedum V. hominem reperies, & qui ad hanc peruenit magnitudinem vere magnus dicitur, fluius magnitudinis ſe fuiſſe ait Iulius Cæſar Scaliger, patremque ſuum tota facie ſeipſo maiorem, quæ vero de Horeſte, & de Pallante Euandri filio leguntur, & de quodam cuius magnitudo pedes 14. tranſibat, vt refert Hector Boetius in hiſtorijs Scotorum cuius etiam ait ſe vidiſſe os cruris, qui totam ſuam ſtaturam æquabat; vel ficta ſunt, vel monſtra erant, vel illorum menſura pedum, erat multo minor, quam noſtratium, ſed ſicuti dicitur de annis Aegyptijs, qui ſecundum quoſdam erant trimeſtres, ita etiam quattuor, aut ſex vnciarum debebant eſſe pedes illi, quòd autem non nulli volunt homines continue decreſcere, & filios patribus ſemper eſſe aliqua ex parte minores, cum iam ferè ſex millia annorum, vel amplius ab orbe condito pertranſierint, ſi vniuerſaliter filij patribus minores forent iam tandem nos multo minores pygmeis eſſemus, aut primi illi homines vertice cælum pullare debuiſſent; magni igitur in Italia ordinarie dicuntur qui ad quinque pedes, & maximi qui ſex vncias quinque pedibus addunt, ſex pedum qui menſuram tranſeant rari ſunt, qui vſque vncias 76. perueniat, neminem vidi, neque qui vidiſſet audiui, quod vlli ad Horeſtis magnitudinem accedant, de qua Plinius, puto fabulas eſſe, & ſi qui ab ipſo viſi fuerunt nouem aut decem pedum Claudio Cæſare Imperante (vt ait) inter monſtra ſunt numerandi.

Si dixeris patagones gigantas reperiri in quibuſdam Indiæ Occidentalis inſulis, & in nonnullis alijs locis naſci homines communiter maiores per ſex vncias, quocunque magno germano, iam nos de Italis, atque Italica ſtatura loqui diximus, & hæc de terminis magnitudinis noſtrorum hominum dicta ſint.

Ex al-

Ex altera parte minores vocanmus communiter, qui cum perfectam ætatem assecuti sunt, non excedunt quattuor pedes, & hæc est prima, & communis minorum statura, succedit secundo loco quę per tres uncias deficit, tādem qui tres pedes cum dimidio exequāt, valde parui sunt, at qui duos pedes, vel cum dimidio etiam habeant magnitudinis, pusilli sunt, minores duobus pedibus inter pumiliones, vel monstra recensendi sunt, pusioneſque & nanni, non homines perfecti videntur vocandi, sicuti qui in delitijs Iulię Augusti neptis erat, & Andromæda Augustæ liberta, testatur etiam Plinius duos Romanos equites fuisse binorum, cubitorum, & eosdem exsiccatos, & in loculis adseruatos vidisse; paruitatem, magnitudinem, & mediocritatem staturę humanæ quæ præsertim in Italicis hominibus spectatur, executi sumus.

In fœminis autem minor est, & magna quæ dicitur mulier viro mediocris staturæ plerunque non est maior.

Reliquum est, vt de acumine ingenij pauca dicantur, ingenium quasi genitum in eo in quo est, vniuersaliter dicitur naturæ vis cuique ingenita, proprie autem cum ad hominem vox refertur, teste Cicer. significat vim naturalem nobis insitam per se prævalentem ad inueniendum quod ratione indicari possit; est autem promptitudo docilitas, sagacitas, & memoria ad ingenij boni constitutionem requisita, quæ omnia plerunque vno nomine designantur ingenij. Alexander ingenium vocat promptitudinem ad verum iudicandum, sunt qui ingenium, & iudicium confundunt; At mihi videtur differre; nam multi ingenio valent, iudicio parum, quod in Ouidio Poeta animaduersum fuit; multi etiam optimo præditi iudicio, parum ingenio valent; ingenium igitur est naturalis facultas per quam apprehendimus res, discimus, inquirimus, & inuenimus, & facultas qua inuenta iudicamus, & discernimus, an vera sint, vel bona, iudicium dicitur, sed de ingenio, & iudicio satis dictum & supra. Nunc quid acutum sit videamus. Ea dicuntur acuta, quæ habent acumen, hæc ipsa subtilia sunt, porrò subtilia sunt quæ penetrant, oprimè penetrantia, valde res diuidunt, quare per similitudinem quandam, acutum dicitur ingenium, & iudicium quod difficilia cognitu facile percipit, & media ab extremis exactè separat; vt igitur ingenium acutum sit, debet perspicax, docile, distinctum velox esse, his igitur sic positis facile, vt arbitror septem apoteleſmata de staturis exponentur; In hoc primo ait Aristoteles.

Quicunque habent staturam valde paruam illi sunt acuto ingenio pręditi, quoniam motus sanguinis, & spirituum fiunt in paruo loco, quare velociter valde accedunt ad superiora, hoc est, quoniam motus sanguinis, & spirituum in paruo homine existentium fiunt parua inrer capedine, quæ cadit inter cor, & cerebrum; ergo motio sanguinis, & spirituum quæ fit in paruo homine erit celerior ea, quæ fit in magno, sed celerior motio facit hominē acutiorem, ergo parua statura prędituserit acutior, quam qui longiorem est sortitus, quod significat, quando ait, motiones valde velociter accedunt ad sapere, hoc est ad conclusionem, & deliberationem, vt ratio sit Paruis parua adest distantia inter cor, & cerebrum, à quo & ad quod spiritus, & sanguis mouetur, in quibus hoc accidit, in his fiunt celeres motiones spirituum, at celeres motiones velocem faciunt conclusionem, tales vocantur prompti, & acuti; ergo quorum parua est statura illi prompti, acuti, ac resoluti dicuntur, quinam sint valde parui notatum est; cæterum oportet supponere hos valde paruos, Symetros, & proportionatos esse debere, & tantum naturalis habere caloris, quantum habent ferè, qui mediocres sunt, & hoc infertur, quod si quem videbimus paruum corpore, sed quadratum, & bene, quo ad membra sua compactum, & formatum illum dicemus esse in deliberando non solum celerem, uerum crescente calore in paruo loco concluso, etiam præcipitē, mihi quoque uidetur, quod hi sint in motionibus corporis, celeres, & prompti manu, cum se posse superare putant, & cum calidiores sint, iracundi etiam ualde, & rixosi apparent, & quæcunque de paruis hoc loco diximus, multam habere ueritatem, confirmant quæ de

Anto-

Antonino caracalla à Dione dicta ſunt; fuiſſe enim ait, ad omnia ardentiſſimum, & incitatiſſ. acutum, atque acre ingenium, ad intelligendam, promptum, celerem ad dicendum quæcunque illi in bucam ueniſſent.

APOTELESMA CXXXXIII.

Qui autem ſunt valde magni, illi ſunt tardi, latione enim ſanguinis magnum locum continente motus tarde accedunt ad ſapere.

OPpoſitum ſupradicto Theorema eſt, valde magnos opponi valde paruis certum eſt, valde parui ſub Italico cælo dicebantur, qui ſtaturam trium pedum cum dimidio ſortiti ſunt tantum, valde autem magni erunt qui longi ſunt per pedes quinque, & ſex vncias, de hiſ igitur loquens Ariſtoteles ait, eſſe tardos, hoc eſt ineptos ad intelligendum, indociles, & rudes, videturque ex hoc Ariſtotelico dicto fuiſſe deductum, homo longus raro ſapiens; quod igitur valde magni ſint ingenio hebeti, probatur, quoniam cæteris paribus, nempe eodem exiſtente calore, eodemque ſanguine ſecũdum eaſdem qualitates, tàm in valde magno, quàm in valde paruo corpore, cum lationes ſanguinis, motioneſque ſpirituum in ampliori loco tardius curſum ſuum perficiant; tardius etiam accedunt ad ſapere, hoc eſt tardius etiam, quam faciant parui, concludunt, & ſuos diſcurſus terminant; hoc enim eſt accedere ad ſapere, hoc eſt facere cõcluſionem; Nam ſapere eſt intellectum quieſcere, quieſcit quando intelligit; tunc in complexis intelligit, quãdo aſſentitur, quod illi accidit quando rationem, & medium aſſentiendi habet; medium præſupponit extrema quæ ante, & quę poſt, patet igitur quod quando per medium tranſiuit, & deliberando aſſenſit, tunc dicitur ſapere, vt ex græco vertit interpres, ſit igitur Ariſtotelis demonſtratio, huiuſmodi.

Valde magni habent magnam diſtantiam inter cor, & cerebrum, qui magnam diſtantiam habent inter cerebrum & cor, in his motiones ſpirituum à corde ad cerebrum, & ab hoc ad illud tarde perficiuntur, ac multo tardius, quam in paruis, In quibus lationes ſpirituum tarde perficiuntur, quę ad hoc ab illo perueniunt principio, illi tarde concludunt ſuos diſcurſus, qui tales ſunt, tarde ſapiunt, homineſque huiuſmodi rudes, & obtuſo ingenio dicũtur, ergo valde magni corpore ſunt rudes, & obtuſi, & tardi ad diſcendum, & ad intelligendum, quid ſit agendum, & quod ſit verum; nec ſolum, vt arbitror, ſunt tardi ingenio. qui valde magni ſunt, ſed etiam timidi, aut ſaltem timidiores mediocribus, nam ſpiritus in longa diſtantia refrigerantur; puto etiam id illis accidere, quod experientia docet; cum enim diſcurrunt, & ſecum ipſi cogitant, quid ſit verum, aut quid bonum plerunque in medio diſcurſu propoſitionum obliuiſcuntur, & quid colligendum ſit non agnoſcunt; hanc autem, puto, eſſe cauſam, quoniam ſpiritus in longitudine intercipiuntur, neque continui, & vniformes aſcendunt, aut deſcendunt, & cum ratiocinari ſit ab extremo per medium ad primũ accedere, quę tria ſunt, quare & omnia, & perfecta, perfectumque ſit illud quod cõtinet vtrumque extremum, extremaque rationem habeant oppoſitorum, ceu calidum, & frigidum humidum, & ſiccum, nulli igitur mirum eſſe debet, ſi materialiter loquendo nihil aliud ſit diſcurrere niſi ſpiritus ad cor à cerebro, & ad cerebrum à corde perferri; quorũ vnum calidum, & ſiccum, alterum frigidum, & humidum dicitur, medium vero continetur in illa, quæ eſt inter vtumque extremum, diſtantia.

APOTELESMA CXXXXIV.

„ *Quicunque autem paruorum siccis carnibus vtuntur, aut & coloribus, aut quæ per caliditatem corporibus superfluunt illi nihil perficiunt, existente enim in latione paruo, & veloci propter igneum, nunquam secundum idem est sapere, sed aliud in alio prius quam excedens perficiat.*

INeptè verbum verbo reddit hanc sententiam Aristotelis interpres, quæ parum latinis auribus quadrare videtur, nam & vox χράομαι non solum (vtor) sed etiam habeo, & præditus sum, vt apud Xenophontem, & Aristophanem significat, sit sensus.

Parui siccis carnibus prædi ti, vel habentes sicciores, quam naturaliter homines soleant, nec sicciores tantum, sed duriores, vel colores, vel aliquid aliud eorum quæ in corporibus humanis propter excessum caloris generari solent, illis in discursibus, & in actionibus, vel contemplationibus etiam nihil perficiunt; est igitur huius apotelesmatis subiectum, vel datum tale, parui habentes carnes duriores, colorem aut aliqua alia signa arguentia prædominium, aut excessum caloris in corpore (quæsitum autem, siue prædicatum est hoc) quod nihil in actionibus, aut contemplationibus ingenio, & iudicio, valent, & hæc est prima positio, ex his, quæ adstructuram corporis compositam pertinent, prius enim simplices duas contemplatus est, nunc autem compositas aggreditur; Has dico esse compositas, quoniã præter paruitatem aliquam alia additur conditio, secundum quam coarctatur paruitas, & tanquam genus in species partitur; paruitati igitur additur caro siccior, & durior, sed quoniam & siccat frigus, vt in hyeme apparet, nec non & in aqua gelu rigente, & siccat etiam calor, vt in æstate videmus, de siccitate se loqui à calore generata declarat Aristoteles, subdens, qui carnes habent duriores, & colorem, aut aliquid aliud signum in corpore caloris prædominium indicans; porro color qui corporis arguit caliditatem est fuscus, cum aliqua efflorescentia, & splendore, neque enim est, quem videmus in carbonibus, aut fuscus, ceu in Scythis, alia vero, quam plura etiam sunt, sicut pilorum niger color, & crassities, & crispatio, amplius & pectoris latitudo, & pilositas, & iracundia, & huiusmodi quam plura alia, quæ apud Gal. in arte parua enumerata, ostendunt calidã, & siccã temperaturã.

Medium quo suam positionem confirmat, est huiusmodi, quoniam ordo latiouum spiritus, & sanguinis in his propter vehementiam æstus confunditur, sit ratio.

Parui corpore, sed calido, & sicco hoc est igneo temperamento prædi ti habent motiones sanguinis, & spirituum vehementes, ac celerrimas, sed lationes vehementes, & celerrimæ in loco paruo, & angusto factæ; sicut est locus ille, qui est inter cor, & caput hominum valde paruorum, ita affectæ sunt, vt vna alteri superueniat, & posterior præcedentem assequatur antequam primæ ad finẽ suum peruenerint, quo modo se mutuo impediunt, ac confundunt, igitur indistinctæ, & confusæ sunt; motiones confusas, & indistinctas spirituũ sequitur ruditas, & tarditas intellectus, & insipientia, & furiosa quædam imperfectio, patet igitur, quod parui calido temperamento prædi ti non perficiunt, quod assumunt, quare neque in actionibus, neque in contemplationibus sunt perfectiui, Noto igitur neque calorem nimium, neque frigus ad intelligendum esse bonum; sed oportere mediocritatem seruari, quoniam per frigus motiones nimis tardæ sunt, quare hebes, tardum ac irresolutum est ingenium; & propter calorem nimis celeres; quoniam vna aliam superueniẽs impedit, & confundit, non igitur clarè, & lucidè possunt, qui talem sortiti sunt temperaturam cum valde paruo corpore, dignoscere & verum, ac bonum propterea quod motiones cõfundun tur, sed præcipites furiosiq. existunt, tales non sunt perfectiui, neq. in contẽplationib. neq. in actionibus verum, & bonum attingunt, ergo parui corpore, & temperie calida & ficca prædi ti non sunt perfectiui, mihi autem videtur in horum spiritibus contingere illud quod

in

in aquis agitatis accidit, illæ enim non possunt imagines eorũ qui se in eis spectant referre, propter vehemẽtes circulationes; sic & spiritus nõ valent retinere, vel representare species sensibilium, quæ susceptæ fuerunt, aut susci deberent, talis igitur est Aristotelis sententia, ac suæ sententiæ ratio, & causa, quod scilicet lationes paruæ, & celeres propter multum calorem nunquam faciunt sapere, secundum idem, hoc est non tolerant hominem sapere, & impermutabilem esse à sua scientia, & in suis resolutionibus constantem.

APOTELESMA CXXXXV.

Quicunque vero magnorum humidis carnibus vtuntur, & aut coloribus qui propter frigiditatem innascuntur, nihil perficiunt, existente enim latione in magno loco, & tarda, propter frigiditatem non permittit aliquid accedere ad sapere.

QVartum est hoc ex his quæ ad staturam pertinent Theorema superiori contrarium, cuius sensus est, magni temperatura frigida, & humida præditi, ingenio, & mente nihil valent, quæque assumpserint nusquam perficiunt, noto igitur primum non dici valde magnos, sed magnos tantum, magni autem simpliciter tarde quidem accedunt ad sapere, hoc est tarde quidem concludunt, resoluunt, & deliberant, perficiunt tamen aliquando, at magni qui temperaturam frigidam, & humidam sunt sortiti, illi nihil perficiunt, hoc est, homines sunt nullius pensi; cognoscitur hoc temperamentum ex carne quæ humida est præter naturam, mollis, & multa, & laxa siue flaccescens, frigidum autem scies ex colore cutis capillorumque, videbis enim vel carnem albam, vel subliuidam, capillos similiter ad subruffum quemdam colorem siue subalbidum accedentes; huiusmodi enim colores ex Galeno per frigiditatem adauctam magis, vel minus cum humiditate apparent, mediũ quo positionem suam probat Aristoteles eiusdẽ coordinationis est cum superioribus; supponit enim illos homines accedere ad sapere, hoc est bono ingenio præditos esse, quorũ spiritus moderatè mouentur à corde ad cerebrum, & è contra; moderatio hæc est inter celeritatem & tarditatem, ne sint adeo celeres motiones, vt confundantur, nec adeo tardę, vt vna sit disiuncta, & ab altera separata, calorem deinde supponit celeritatis, & frigus tarditatis esse præcipuum instrumentum, vnde dicit.

Nulla latio spirituum, & sanguinis facta in loco magno, & propter frigiditatem tarda, facit accedere ad sapere (& hæc est genuina verborum interpretatio) sed omnis motus sanguinis, & spirituum factus à corde ad cerebrum in homine magnæ staturæ, & temperamẽti frigidi, & humidi est latio spirituum, & sanguinis facta in loco magno, & tarda propter frigiditatem, ergo huiusmodi motus spirituum, & sanguinis factus in homine magno habente carnes humidas, & frigidas non faciat accedere ad sapere, hoc est non perficit ingenium, neque erit vtilis ad exercendas operationes ingenij.

In his igitur & stoliditas, & ruditas, & indocilitas reperitur, quare cum dicitur, quod molles carnes sunt apti mẽte, non de magnis valde, sed de mediocribus, aut de minoribus propositio huiusmodi intelligenda est, neque de frigidis, sed calidis mediocriter.

Obseruo itẽ in hoc duplicẽ tarditatis causam, nẽpe spatij amplitudinẽ, nec non & instrumẽtalis causæ, qua vtĩ anima ad mouendũ inhabilitatẽ, frigidi.n. (vt dictũ est) nõ videtur esse propriũ mouere, sed potius ad calorẽ ptinet, calidissimus.n. ignis est in cõtinuo motu.

Noto item frigiditatem quam ponimus in animalibus non esse eam, quæ reperitur in saxis, vel in glacie, sed hæc, quæ animalis propria est, remissio quædam naturalis caloris dicitur, remitti autem non potest calor, nisi per admixtionem contrarij frigidi, & sic remissus si comparetur cum eo, quem dicimus naturalem, & proprium calorem, & tunc rationem frigoris habet, & frigus vocatur.

Ex isto apotelesmate intelligere licet, id quod infra declarabitur ab Aristotele, quod

si quis magnus corpore temperaturam haberet carnesque calidas, & siccas, quod ille vtique posset ingenio etiam valere, ac prudens vocari merito, quoniam quantum spatij magnitudo celeritati motus spirituum demeret, tantum caloris vis, ac vehementia adiungeret, vnde facta compensatione, probabile esset virum talem, nec rudem, neq; præcipitem esse, imò efficacem, & bono ingenio præditum, quod olim in Antonino Pio, & hodie etiam magis in nonnullis clarè conspicicere licet, & fortè tali corpore, ac temperie præditus heroicos mores naturaliter haberet, nec minus viribus corporis, quam animæ dotibus videretur ornatus, & spectandus.

APOTELESMA CXXXXVI.

„ *Quicunque autem paruorum humidis carnibus vtuntur, & coloribus propter frigiditatem, fiunt perfectiui, existente enim motu in paruo, difficulter mobile temperamenti commensurationem præualuit primum perficere.*

RVdis adeo est, & inepta non solum hæc, sed etiam antiquior translatio, & alia quædam recentior etiam typis mandata, vt vix quid senserit Aristoteles ex his verbis somniare liceat; contemplanti autem græcam litteram, hæc, vt mihi videtur est tex: interpretatio. Quicunque parui, sortiti sunt humidas, & flexibiles, & mucidas carnes, aut colores, aut aliqua alia ex ijs accidentibus, quę innascuntur corpori propter frigus, illi sunt perfectiui, & reddens causam sui dicti subiungit; (Hæc in græco ad verbum) Existente enim motu (scilicet spiritum, & sanguinis) in paruo (scilicet loco) id quod difficulter mobile est propter frigoris mixturam, & temperiē susc̃ipit symetriam, & commensurationem (quod est) primum perficere; hæc totius apotelesmatis cum sua causa videtur esse interpretatio, & sensus est hic, parui molles carnes habentes cum coloribus, & alijs quæ propter frigus naturale inexistunt humano corpori sunt ingenio bono, & accommodato ad operationes proprias obeundas, ideſt parui frigida, & humida temperie præditi sunt perfectiui, causa est, quoniam fit compensatio tarditatis motus spirituum, & sanguinis causatæ à frigore, cū spatij breuitate, quæ est inter cor, & cerebrum; cum igitur motus qui fit supra breue spatiū celeriter absoluatur; qui autem fit à causa tardè mouente, tardè etiam soleat absolui, mixta simul tarditate, & celeritate fit mediocritas motus in spiritibus; sic igitur contingit, vt neque propter nimiam celeritatem se mutuo obruant lationes, & prior motus spiritus, & sanguis à posteriori superueniente non confundatur, & impediatur, neque propter nimiā tarditatem diuellatur, & soluatur continuitas motus inter præcedentem, & sequentem, non enim intercipi quietibus debet discursus maioris, & minoris termini cum medio iuncti, quia syllogismi aliter conclusio non fieret.

Ex hac igitur compensatione tarditatis, & celeritatis, alterius prouenientis à loci breuitate, & alterius à mouentis remissa facultate, fit medietas quædam, & Symetria quæ est prima perfectio, hoc est in qua Symetria, & proportione motuum ita affectorum, vt neque disiungantur neque se mutuo confundant posita est natura & perfectionis, & ipsius ingenij prima, & propria ratio. Non quod essen tia ingenij, & substantia sit hæc motuum medietas, sed dico, ingenium, & rationem siue mentem, & intellectum secundum quod huic corpori iuncta est, non posse operari sine corporeis instrumentis, & pro illorum ratione proportione, habitu, ac dispositione vel perfecte, vel imperfectè operari; quare dico nō mē tem, sed operationis ipsius rationem positam esse in medietate quadam motionum sanguinis, & spirituum, & qualitatum illarū de quib. facta fuit supra mētio, sit demōstratio.

Parui frigida, & humida temperatura prediti habent motus spirituum, & sanguinis medios, & temperatos inter celeritatem, & tarditatem, quicunque habent motus hos temperatos inter celeritatem, & tarditatem sunt perfectiui, & bono ingenio prediti, ergo parui

ui frigida,& humida temperie corporis prędi ti ſunt ingenio,commodo. & bono, quo ad minorem,quæ primo loco poſita eſt;parui qui ſint(præter quam quod oculus id iudicat) ſupra fuit declaratum;qui carnem humidam, & frigidam habent, talemque ſortiti ſunt temperiem ſenſu etiam cognoſcũtur;quod vero dicit,humidam carnem, poſſumus legere mollem,& flexibilem,vel fluidam,& flacidam;ea dicitur mollis, quæ facile tactui cedit, frigida vero caro, ſiue carnis temperies,non tantum quæ tactui frigida eſt, quãtum in qua dominatur frigidus humor, qui eſt pituita,vel ſanguis pituitoſus, quales ſunt, pleræque mulieres in locis frigidis natę,& in ocio probè nutritę.

Cognoſcimus hominem prędi tum temperamento frigido,& humido, vel ex colore cutis faciei,& reliqui etiam corporis,quando ſcilicet color eſt valde albus, cum modico rubore,vel eſt ſubfuſcus,aut ſubliuidus,ſicuti in Moſchouitis,& Scythis apparet; itẽ ex alijs quę in corpore hominum ex dominio frigiditatis oriuntur, qualia quæ in arte medica à Galeno recenſentur,quod autem hi,de quibus loquimur,habeant motus medios, & temperatos inter velocitatem, & tarditatem ſupra declarauimus,nam quatenus interſtitium eſt paruum ideo motus eſt breuis, quare & cito expeditur quatenus autem inſtrumentum quo fit motus eſt inualidum, & ideo tatdè mouens,motus etiam tardus eſt,ex longo, & breui ſimul iunctis ſtatuitur mediocritas quid igitur ſibi velit minor,& quod ſit vera ex dictis manifeſtum eſt ſuccedit maior,quę eſt,quod quicunque habent motus ſpirituum temperatos ſint perfectiui,confirmatum ex hoc quoniam commenſuratio horum motuum eſt prima ratio, & cauſa à qua pendet perfectio diſcurſus,vnde quamuis ſpiritus claros,& puros haberet aliquis,ſed motus eorum eſſent improportionati,hoc eſt vel plus iuſto celeres vel tardi vel interrupti hic nuſquam ſaperet; ſi autem ex aduerſo motus sũt moderati quãuis ſpiritus non exactè ſint clari, & puri, non tamen ideo tollitur quin hic aliquod ingenij ſpecimen edere poſſit, & cum dicimus aliquem habere interualla lucidiora magiſque aut minus ſapere, & hoc ideo afferemus fieri;quoniam motiones aliquando magis ęquales,& ordinatę,ſunt, aliquando minus;perturbatio enim motionum ex diuerſis, quę accidũt impedimẽtis,tam ab interiori,quàm ab exteriori cauſa poteſt fieri, quare aliquando celerior eſt,aliquando lentior,aliquando interrupta motio,quoniam calor, & virtus mouent inæqualiter hoc autem contingit, propterea quod præter naturalis diſpoſitio, aut vitium aliquod, circa principia, vt cor, vel cerebrum, vel vtrumque ſimul occupat, vel aliquando, vel ſemper.

APOTELESMA CXXXXVII.

Quicunque autem magnorum ſiccis carnibus vtuntur, & coloribus,qui propter caliditatem fiunt, perfectiui, & ſenſitiui,exiſtente enim latione in loco magna, & tarda propter frigiditatem nihil conducet accedens ad ſapere,quicunque vero magni ſiccis carnib. vtuntur,& colorib propter caliditatẽ fiũt perfectiui,& ſenſituui magnitudinis enim exceſſum,& carnium,& coloris caliditas acquiſiuit, ut cõmenſurata ſit ad perficiendũ.

HVius apoteleſmatis duæ ſunt præcipuæ partes,altera poſitionem continet,altera rationem, & cauſam reddit; poſitio rurſus ſecatur in duo membra,datum nempe,& quæſitum;datum eſt, magni qui carnes duras, & calidas ſortiti ſunt, hoc eſt magni calido & ſicco temperamento prædi ti(quæſitum eſt)fiunt perfectiui & ſenſitiui, quid perfectiuũ ſit,quid item ſenſitiuum ſupra declaratum eſt.

At dices ſenſitiui ſunt qui excellenter ſentiunt,hi promptè patiuntur,homines tales sũt molli carne,hi ſunt humidi, ergo ſenſitiui molles, & humidi at nunc dicebatur carne ſicca prædi tos eſſe ſenſitiuos;ſi ergo carnem mollem habere debent, quomodo carnem duram habere poterunt,quidam igitur habentes carnem mollem,ijdem carnem duram habebũt, quod ſanè ridiculum eſt.

An dicendum, quod omnes molles sunt sanè sensati, sed non sequitur quod omnes sensati subito sint carne molles, potest enim etiam aliunde quam ab externæ carnis mollitie sensatio bona procedere, nam & mulieres quædam, & pueri valde molles, minimum ingenio valent, & inter pisces, qui molliſſimi sunt, idem etiam insulſſimi, & ignauiſſimi existunt, non enim carnis mollities causa est, sed signum bonæ sensationis; cuius ratio in temperata mediocritate extremorum consistit.

At bene sensati possunt intelligi dupliciter, vel qui exactos habent tangendi sensus, & forte isti erunt semper carne molles, vel quicunque mentis acumen dispositum habent ad discernendum verum à falso, & bonum à malo, secundum se ipsos cognoscentes causam propter quam id verum sit, vel bonum, falsum, aut malum, & hi non semper habent carnes molles, talis autem mihi videtur esse heroica quædam constitutio talesque debebant esse Vlisses, Diomedes, Agamemnon, & cæteri quos Heroas fingit antiquitas.

Ad datum pertinet tanquam differentia illi addita, qua coarctatur, caro dura, & tactui resistens, non autem arida, sicut est caro suilla macra, & longo tempore sale exsiccata, non sicca, ceu quæ solet aliquando ad fumum exsiccari, quod in bubulis linguis, & pernis contingit, sed quoniam siccitas potest fieri vel per frigiditatem, vel per caliditatem de quanã siccitate, & soliditate intelligendum sit, docet, dicens; qui sortiti sunt carnes duras, & colores factos à calore, qualis est fuscus color, vel squalidus quem in figura fortis recensuit supra, sunt calidi temperamenti, quare non simul atque carnes duras habere aliquem viderimus eum esse calidum dicemus, sed color etiam est consulendus, qui nobis indicet nunquid frigus, aut calor duritiem carnis effecerit; *Existente enim. &c.* Pars est posterior in qua assignatur positionis ratio, & causa. Hæc in tres particulas secatur; in prima ponitur loco antecedentis vnum, ex his quod supra probatum fuit; in secunda infertur, ex antecedente supra dicto propositum Theorema; in tertia ponitur causa propria. Huius, primę sensus hic est; in magnis hominibus pituitosi temperamenti existentibus, cũ lationes spirituum, quæ fiunt in loco naturali sint longæ, & tardæ propter frigiditatem, cuius hic naturalis est effectus, vt tardè, & lentè moueat, illæ nullius sunt vtilitatis ad sapientiam, hoc est ad ingenij bonitatem, & acumen, vt sit antecedens.

Si magni aqueo, & pituitoso temperamento prædíti ob lationem spirituum longam, & tardam propter frigus nihil conducens ad sapere, sunt tardi, imperfecto ingenio dotati, & insensati, ergo magni calido, & sicco temperamento erunt perfectiui, & sensitiui, quæ sententia consequens habetur in his verbis.

Quicunque vero magni siccis carnibus vtuntur, & coloribus propter caliditatem. &c. Nempe ergo magni duram carnem habentes, & colorem prædominanti calori conueniẽtem sunt perfectiui, & sensitiui; hæc igitur ratio est, illud antecedens, hoc consequens; Probatur consequentia loco ab oppositis; hoc semper supposito principio (de quo supra sępius) omnem facultatem naturalem, aut medietatem quamdam esse, aut in medietate consistere aut tandem non sine certa medietate operari, & in actum exire; quare ingenium cum, & ipsum sit naturale quoddam donum, nisi sit medietas, aut ratio eius in medietate consistat, attamen non sine medietate operari potest, quæ illius est primum instrumentum; hæc autem medietas est spirituum harmonia, & cõtemperatio, secundum substantiam, & motum, vt diximus, si ergo longa, & tarda, breuis, & celer opponuntur, vt excessus, & defectus vtraque igitur iugatio erit damnanda, quare & supra vtranque damnauit, eam scilicet quæ longa, & tarda est, propterea quod inefficaciam ingenij facit, breuem, & celerem propterea quod perturbationem, & confusionem conceptuum producit; ergo quæ iugationes inter supradictas cadunt mediæ bonæ, & laudabiles erunt, hæ duæ sunt longa, & celer, & tarda, & breuis. Hanc contemplati sumus in Theoremate tertio illorum, quæ ad staturã pertinent, illam supradictam nunc considerat.

Si lon-

Si longa, & tarda propterea quod eſt vnum extremorum eſt damnanda, ergo longa, & celer quoniam eſt vna medietatum eſt laudanda, ſic igitur, vt mihi videtur, patet conſequentia.

Tota autem vis rationis Ariſtotelicæ non nititur huic loco topico, quod oppoſitorum ſint conditiones oppoſitæ, ſed cauſam ex proprijs affert, dicens.

Magnitudinis enim exceſſum, & carnium, & caloris caliditas acquiſiuit, vt ſit commenſurata ad perficiendum,

Cuius orationis (vt arbitror) eſt hæc ſententia, & verbis Græcis omninò reſpondens.

Caliditas quæ in carne, & in colore corporis apparet medicinam adhibuit, & medicata eſt exceſſum magnitudinis, quo factũ eſt, vt ſpirituum motiones temperentur, & commenſuratæ efficiantur, ad perficiendas ingenij operationes, ſit ergo ratio probans magnos calidos, & ſiccos eſſe perfectiuos, Magni calidi, & ſicci habent caliditatem temperamenti, quæ corrigit ac compenſat magnitudinem corporis, quantum hæc ad tarditatem, tantum calor ad celeritatem motionum inclinans, quicunq. huiuſmodi compoſitionem ſortiti ſunt illi temperatas, inter celeritatem, & tarditatem habent ſpirituum motiones, quibus id accidit illi ſunt perfectiui, ergo magni calidi & ſicci ſunt perfectiui quod fuerat probandum.

Excedentia igitur corporum magnitudinibus, aut paruitatibus deficientia quomodo perfecta ſunt, & quomodo imperfecta dictum eſt. Corrol. 1.

Dictum eſt etiam ſuperius antiquæ interpretationis auctorẽ adeo fuiſſe in interpretãdo ſcrupuloſum, & ordinis, & vocum, & modorum loquendi, attentum obſeruatorem, vt ne latum quidem vnguem à verborum græcorum ordine, & ſignificatione, quę primo ſe ſe offerebat, diſceſcerit, aut diſcedere fuerit auſus; quare non tantum barbara, ſed penè inintelligibilis facta fuerit eius oratio.

Corollarium eſt deductum ex his, quæ de ſtatura magna, & parua proxime dicta fuere cuius hic eſt ſenſus; Dictum eſt ſupra quomodo corpora humana excedentia, aut deficiẽtia à naturali, & ordinaria magnitudine, ſint perfecta, & quomodo imperfecta ſecundum mentem; perfecto enim ſunt ingenio prædita corpora magna, quæ calidum, & ſiccum ſortita ſunt temperamentum, & parua corpora quæ frigidum habent temperamentum, illa etiam ingenioſa, quæ vero magna ſunt corpora, & frigidum habent temperamentum, illa omnino ingenio rudi, & tardo ſunt inſignita, & ſimiliter, quæ ſunt parua, & calido temperamento prædita habent preceps, & furioſum ingenium, quod neque perfectiuum eſt, ſed omnino turbulentum, ſic igitur contemplationes circa corporis ſtaturam hactenus expoſitæ ſunt, ſex numero duæ ſimplices, magna ſcilicet, & parua, quæ moderatam temperiem carnis ſecum iunctam habent, & quattuor compoſitæ quarum duæ ſunt probandæ, duæ vero reijciendæ.

Sed dubitabit aliquis quomodo fieri poſſit, vt corpus calidum ſit paruum, aut frigidum magnum loquendo de corpore humano ſi enim caloris eſt dilatare, & ſegregare, quo igitur maior erit calor, etiam maior erit dilatatio, quare & corpus extendetur magis, & maius efficietur, quæ igitur ſunt eiuſdem generis ſi calidiora fuerint minora eſſe non poterũt; ſimiliter cum frigidi ſit congregare, & conſtingere conſtricta autem, & vnita minorem locum obtineãt, igitur corpora humana conſueto, & naturali more frigidiora, minora erunt at in contrarium eſt Ariſtoteles, & experientia videmus enim quædam animalcula corpore minima ceu cantharidas, & bupreſtas, & quoddam erucarum genus, & eadem eſſe calidiſſima, & vlcerantia corpus quod tetigerint. *Dubit.*

In ijs, quæ ſunt diuerſi generis nulla ſanè dubitatio eſt, nam poſſunt frigidiora eſſe maiora ſecundum molem, & è contra calidiora ſuperari, frigidior populus alba, & multo,

quam

quam tymus, aut origanum orientale, arbore illa longè inferior, rursus arbor est, quæ taxus dicitur, multo calidior, quam sit lactuca, non solum secundum totum, sed etiam secundum partem quamcunque lactuca etiam minorem.

Pro solutione eorum quæ in contrarium feruntur, supponendum est, omnem uim agentem secundum subiectam materiam agere, actionemque pro ratione subiecti variari, vt in igne videmus, quo eodem cera liquescit, vt limus durescit; cum igitur multus calor à primordio possit cadere in materiam duram, & siccam, vel in materiam humidam, & mollem, qui calor materiam mollem nactus fuerit magnum statuet corpus, suamque extendendi vim exercebit, at calor qui in siccam, & duram venerit ab initio materiam, illam quidem calefaciet, sed neutiquam poterit extendere prohibente siccitate, & duritie, manifestum est igitur quod multus calor, & in magno, & in paruo corpore eiusdem speciei potest reperiri, secundum quod contingit in eadem specie esse corpus quod humidiorem, vel sicciorem nactum sit materiam. Eodem modo nihil vetat, dari corpus magnum & frigidum, nec nõ etiam paruum, & frigidũ, magnum enim est quod à principio multam molem materiæ sortitum est, eãque humidiorem, vt ita facile cohiberi nequeat, paruum quod paucam habet materiam, quare & necessario minus est. Non negarem tamen si eadem esset portio materiæ secundum se easdem qualitates passiuas habentis, quod si hanc occupauerit calor, alteram frigus nisi expungatur, aut elidatur humor, seu per quæ calida est, rarior effecta, maiorem molem præseferet, quam illa quæ frigido fuerit terminata.

APOTELESMA CXXXXVIII.

Media autem natura horum ad sensus optima, & perfectissima, quibus vtique supponitur inesse, motus enim non multi existentes facilius ad mentem accedunt, nec etiã parui existentes supergrediuntur, quare perfectissimam, & ad perficiendum quæ fuerint proposita, & ad sentiendum oportet moderatam esse magnitudinem.

VNũ ẽt est hoc apotelesm. eorum quę ad staturam pertinẽt quo docetur mediocrem staturam, & ad agendum, & ad cognoscendum, omnium esse optimam. Hæc ergo sententia est, statura hominis, quæ media est inter magnam, & paruam ostendit eos, quibus adest, esse aptissimos ad cognoscendum, & ad agendum perfectissimos; valent igitur huiusmodi homines, & in actionibus, & in contemplationibus, neque igitur timidi sunt, neque plus iusto audaces, & causam sui dicti subdens, id ait contingere per abnegationem eorum, quæ ab excedente, & deficiente statura secundum magnitudinem proueniunt, & quamuis interpretatio latina aliquid difficultatis præseferat, græca tamen lectio non videtur habere vllam.

Dicit enim causa quod media statura sit omnium optima ad contemplationes, & ad actiones est, quoniam in hac motiones sanguinis, & spirituum sunt mediocres, & temperatæ, & subdit, quę enim spirituũ motiones non sunt plus iusto maiores illæ conducunt ad sapere, & adiuuant intellectionem; quæ vero plus iusto minores, aut maiores sunt, mediocritatem excedunt, quare inutiles sunt; ex quo infert moderatam, ac mediocrem hominis magnitudinem tum secundum latum, tum secundum longum esse perfectissimam, & ad perficiendas susceptas operationes, & ad cognoscendum, & contemplandum, hoc est ad agenda bona, & cognoscenda vera.

Sed videamus quid veritatis in his existat, deinde demonstrare conabimur ex Aristotelis sententia propositum apotelesma; Dicitur igitur quod media natura, hoc est statura naturalis quæ media est inter valde magnam, & valde paruam, aptissima est, & ad sentiẽdum,

dum, & ad agendum, eſt ſanè optima ad ſenſus primum ex quadam conuenientia, analogiaque, quoniam ſenſus & ipſe eſt medietas quædam, vt tertio de anima & ſecundo & dictum eſt; deinde quoniam ſenſationes fiunt per paſſionem quamdam perfectiuam ſpirituũ ſi nimium tardi ſunt, (quod in magnis contingit corporibus) etiam hæbes erit ſenſatio, per uenientibus nempe tardè ſpiritibus ad primum ſenſitiuum; ſi vero nimium celeres ſint, & præcipites, neque proba fieri poterit ſenſatio, turbatis nimirum imaginibus, & inter ſe cõfuſſis, non aptè poterunt iudicari à virtute ſentiente, cui accidit formam eſſe primi ſenſorij, ſicuti viſiuæ formam eſſe oculi, & virtuti potenti ſecare formam, & actum bipennis. Mediocritatem igitur ſtaturæ aptiſſimam eſſe ad cognoſcendum per ſenſum patet; quæ igitur mediocris non eſt inepta erit, valde igitur magni, & valde parui non ſunt exacto præditi ſenſu, ergo neque cognoſcitiui valde, ergo neque ingenio acuto, neque acri iudicio præditi dici poſſunt, quorum enim ſenſus eſt bene mobilis ad ſenſibilia, illorumque differentias exactè cognoſcit, & iudicat, eorumdem etiam plerunque intellectus eodem modo ſe habet, ad intelligibilia, & promptè illa apprehendit, componit, diuidit, & diſcurrit; ſunt etiã ijdem apti ad actiones, neque enim præcipites ſunt, quoniam non ſunt paruo corpore, neq. ſunt nimium tardi, quoniam nõ ſunt magno, extra igitur extrema in medio conſiſtens corporis ſtatura, laudabilis eſt, & bona vereque aurea mediocritas ab Horatio dicta fuit, & vere virtus omnis in mediocritate conſiſtit.

Vtrum autem meliores ſint magni quam parui in actionibus, celeriores, an tardiores? ſanè putarem vtroſque damnandos. At celeriores magis fortunæ ſubeunt aleam, & celeritas forſan minus nocuit quam tarditas, nam Cæſaris celeritas illum ſæpiſſimè iuuit; ac in bellis victorem fecit. Niciam tarditas, & irreſolutio perdidit; eſt igitur huius demonſtratio talis; media ſtatura humani corporis habet motus ſanguinis, & ſpiritum temperatos, non peccantes in exceſſu celeritatis, aut defectu tarditatis, quæ motus habet ſpirituum mediocres, & temperates illa nacta eſt perfectiſſima inſtrumenta ad agendum quæcunque ſunt agenda, ad contemplandum, inquirendum, & cognoſcendum, quæ ſunt cognoſcenda cui inſunt perfectiſſima hæc inſtrumenta, quibus quæ ſunt è re agenda, & cognoſcenda, & agere, & cognoſcere poſſint; illi contingit optimum, & perfectum ingenium, & iudicium bonum, ergo cui ineſt ſtatura mediocris illi ineſt ingenium perfectum, & iudicium probũ Videtur igitur mediocritas ſtaturæ, niſi quid aliud ſit, quod impediat, certum quddam, ne dicam patognomonicum ſignum bonitatis intellectus, re vera enim ingenium acre, & mens exquiſita raro apparet in valde magno corpore nec frequenter in valde paruo, facilius autem (vt mihi videtur) eſt imponere magno quam paruo, in his quæ ad actiones pertinent, facilius enim credet, faciluſque decipietur magnus; paruo autem, quoniam non eadem meus manet, & leuiſſimus eſt, non ita facile decipietur, non quod nõ credat, ſed quod mentem non adhibet auditis, neque deceptor, quid perſuaſerit, aut non, ſcire ſatis poteſt, non enim eandem diu ſeruat reſolutionem, quam ex aduerſo mordicus quandoque nimiũ tenet, qui tardus eſt, & ſegnis, & bobus ſimilis, vt alter volitantibus muſcis.

APOTELESMA CXXXXIX.

Incommenſurati aſtuti referuntur ad paſsionem, & ad fœminam, ſi enim qui incommenſurati aſtuti, commenſurati vtique erunt ſimul iuſti, & fortes.

HÆc pars eſt vltima huius capitis, & libri in qua præter vnicum apoteleſma quod habet, continet etiam quædam documenta ad facultatem hanc exercendam apprime vtilia, diuiditur in quattuor particulas, prima continet vnum apoteleſma ex quo deinde alterum infert, poſt hoc documentum vnũ qua ratione commenſurario, & incommenſuratio

ſuratio cognoſci poſſit; in ſecunda, & tertia parte, ſimil iter duo præcepta communiſſimã continentur ad iudicium pertinentia; in vltima parte enumerantur loci, è quibus ſigna ad iudicium faciendum requiſita eruere, ac petere debemus; ad primam partem accedamus, quæ duo continet quorum prius eſt, homines incommenſurati ſunt aſtuti, quoniam qui dolos nectunt, & callidè, ac vafrè operantur, corpus incommenſuratum præ ſe ferunt, & quoniam fœminæ, quę doloſæ ſunt eædem corpus habent incommẽſuratum; in primis autem videndum eſt, quid ſit commenſuratum, & incommenſuratum corpus, deinde quomodo hæc habilitas ad paſſionem referatur, tandem quomodo fœminæ ſint incommenſuratæ, & propter quid, Incommenſuratos & aſymetros illos dicimus homines, quorum membra naturalem inter ſe rationem, ac proportionem nõ ſeruant, verbi gratia, cum tantus debeat eſſe homo à vertice ad plantam pedis, quantus eſt ab extremo medij digiti manus dextræ ad medium manus ſiniſtræ, protenſis in rectum vtriſque brachijs, ſi continget hanc nõ ſeruari rationem, vt in gibbis accidit, hunc dicemus eſſe incommenſuratum; item diuiſo in decem partes humano corpore, tantum debet eſſe ſpatium, quod eſt à ſummo vertice ad naſi extremum, quantum eſt à naſi extremo ad vltimum fonticuli illius, qui eſt inter oſſa iuguli in principio pectoris, hinc ad extremum oſſis, quod vocant enſi forme, à quo ad vmbilicum vſque idem intercedit ſpatium, quod æquale illi eſt, quod vſque ad principium membri virilis producitur; hoc autem erectum vſque ad vmbilicum plerunque protrahitur, inde vſque ad medium oſſis, quod genu patellam vocant duplum intercedit, à quo loco vſque ad calcaneum triplex ſpatium numerari ſolet; ſecundum longitudinem igitur hæc eſt ratio membrorum inter ſe obſeruata, ſecundum proportionem æqualem, adeſt etiã & proportio inæqualitatis ſecundum naturam in corpore humano, nam quod eſt à vertice ad naſi ad extremum, eſt in tripla proportione, cum eo, quod eſt à naſi extremo vſque ad finem menti, & ſpatium à mento ad fonticulum pectori imminẽs duplum eſt eius, quod eſt à naſo ad mentum, Manus decima pars eſt corporis, quæ ſi cum cubito comparetur, eſt in proportione ſeſquialtera; item â ſummo vnius mammæ ad alterius extremum tantum eſt ſpatij quantum eſt, inde ad extremum fonticuli, vt his tribus tanquam punctis ſtatuitur triangulus æquilaterus, & in facie vbi præcipuè pulchritudo inueniri ſolet, quæ vel eſt proportio, vel ſaltem ſine proporrione reperiri non poteſt, eadem obſeruatur etiam partiũ inter ſe ratio. Nam quantum eſt à ciliorum medio vſque ad naſi extremum, tantum eſt à mento ad laringis principium, & idem ſpatium cadit à cilijs medijs ad angulum oculi exteriorem, quod cadit ab angulo prædicto ad auris principium, frontis latitudo, naſi longitudo, & oris eadem eſt magnitudo; oculi ſemicirculus, buccarumque idem eſt, naſi longitudo ad extremitatis altitudinem dupla eſt, his igitur, ac ſimilibus rationibus membra humani corporis inter ſe ſunt coniuncta, & cum has ſeruant rationes naturalis pulchritudo, & commenſuratio exoritur quare commenſurati dicentur quorum membra corporis naturalem ſeruant inter ſe proportionem; incommenſurati autem, quorum membra corporis naturalem proportionem non obſeruant, quod in claudis, & in gibbis perſpicere licet.

Duplex autem eſt error, qui in non obſeruata proportione cnntingere poteſt; nam vel penitus obliterata eſt, & nuſquam apparens, & hoc iam monſtrum, & non homo vocabitur, vel ſecundum quod tantum læſa eſt, & id aut in partibus principalibus omnibus, vel aliquibus, aut non principalibus, principalia voco, quæ neceſſaria ſunt ad eſſe, non principalia, quæ ad bene eſſe, aut decorem requiruntur, quid igitur ſit commenſuratio, & quid incommenſuratio in humani corporis membris, quare & quid commenſuratus, & incommenſuratus ex his patet.

Cognoſcitur commenſuratio viſibilium viſu, ſicuti audibilium auditu, eſt enim quoddam quod magnitudinem, numercumque, & motum ſequitur; quare ſicuti figura, & pulchri-

chritudo ſecundum ſe à ſenſu eognoſcuntur,cum commenſuratio,vt dictum eſt,vel ſit pul chritudo,vel ſaltem non ſine commenſuratione ipſa etiam ſenſu cognoſcetur,id autem pa tet experientia. Nam ſi quis etiam ſi non ſit architectus,ingreſſus fuerit cubiculum, aut atrium aliquod ſubdito cognoſcit,an longitudo altitudini, aut latitudini ſit proportiona nata,necne,dum placere, vel diſplicere ſibijpſi fabricam ſentit. Aſtutos hoc loco puto intelligi malitioſos, & eos qui nihil aliud præter eommodum ſuum curant, & dum illud aſſequantur,nullius alterius rei rationem habent,horum proprium eſt, vt rationem affectui,& appetitui habeant obnoxiam,& obſequentem,& in affectibus ſeruiendis mirificè valentem,iuſti igitur, & honeſti nulla apud hos eſt cura,ſed vt voluptatibus,& commodis ſuis ſatisfaciant,hoc vnum ſatagunt,& petunt;ſeruile igitur quodammodo ingenium habent,in paruis & malis acutum,in magnis & honeſtis vile,& abiectum, plerunque ig itur nacti videntur temperiem frigidam, & melancholicam cum ſubdominio pituitæ craſſæ quidem,ſed cum flaua bile coniunctæ;hos igitur Ariſtoteles aſſimilat paſſioni,hoc eſt ipſi aſtutiæ,ſiue apparentiæ,& figuræ illius,qui aſtutè operatur ;duæ expoſitiones his verbis accommodari poſſunt,altera eſt cõmunis,& à Sueſſano allata,quod ſcilicet referuntur ad paſſionem aſtutiæ,hoc eſt ad operationem eorum,qui aſtutia vtuntur;illi enim cum aſtutè agunt(dicit ille)corpus in concinno, & incommenſurato quodammodo componunt, quod videmus in vulpibus,& felibus;hæc enim animalia,cum auibus,aut murib. inſidias ſtruunt,corpus ad habitum quendam præter naturalem traducunt, nonnunquam ſe contrahunt,aliquando ſe longa,& ſubtilia,aliquãdo ſe marcida,exoſſata,mortuaq. ſimulant, mortui autem diſpoſitio omnino inconcinna eſt,& aſimetra ; videmus etiam qui ludicre aliquem ex inſidijs inſultare volunt illi quodammodo ſe minores faciunt, & corpus proprium conſtringunt,& gibboſi diſpoſitionem inducunt;quare ſi qui aſtutè agere affectãt, vel agunt,illi inconcinnè aſymetrè corpus ſuum figurant, ergo cui inerit diſpoſitio, & inclinatio ad aſtutè agendum,ille incõmenſuratum corpus habebit,& cui inerit incommenſuratum corpus ille ad aſtutè,& malitioſè agendum erit inclinatus ; Hic igitur vnus eſt modus,& communis exponendi locum iſtum.

Alter talis eſſe poterit,vt ſit ſenſus incommenſurati ſunt aſtuti referũtur ad paſſionem, hoc eſt ſunt ſimiles ſecundum corpus operationibus,quæ ab habitu aſtutiæ producuntur; quod autem operationes ab habitu aſtutiæ proueniẽtes ſint incommenſuratæ,ex hoc patet,quoniam diſſonantes,& præter naturam diſpoſitæ,tum quoniam ratio ſeruit appetitui,& miniſtra eſt,& ancilla,quæ deberet imperare,tum quoniam aſtutè,& doloſè agens ſibi ipſi diſſimilis eſt;neque interna reſpondẽt externis; uultu amorem,& reſpectum ſimulat,animo inſidias agitans, inuidia,aut ira,aut mala cupidine conſtruit, ſi igitur aſtutus omnis abutitur ratione,quoniam uitioſus,& malitioſus eſt;cum quicunque ratione abutitur, ille ex Plutarcho inæqualis ſit,& ut Horatius ſecum ipſe diſſideat, quæ inter ſe diſcordant inconcinna,& incommenſurata ſunt;aſtutus igitur incommenſuratus eſt.

Rurſus ſi corporis ſanitas ſymetria quædam eſt,aut in quattuor humorum commenſuratione conſiſtit,aut in eius partibus,& optima ſanitas in optima commenſuratione humorum,ac totius corporis manebit;quoniam autem corpus, & anima compatiuntur, ſi commenſuratum,& ſymetrum erit corpus ſimpliciter; etiam ſimpliciter, & perfectè ſanũ erit,ac ſecundum naturam diſpoſitum;at ſimpliciter ſano,& ſecundum naturam diſpoſito corpori,inerit etiam anima ſimpliciter,& omnino ſana, quæ talis eſt maxime ſecundũ naturam hominis diſpoſita eſt,utitur igitur recta ratione,cui hæc adeſt, ille iuſtus eſt, ac prudens,& uirilis,quare commenſuratus uirilis,& iuſtus,& fortis erit, & ſecundum naturam ſuam diſpoſitus.

Ergo qui fortis aut iuſtus non erit,ille incommenſuratus exiſtet, & rurſus incommenſuratus aſtutus,et iniuſtus,quod fuerat probandum,uel rurſus dicere poſſumus.

Si

Si cui adest incommensuratio ab eo abest proportio, & hæc est naturalis dispositio partium, hæcque est ratio, & ordo secundum quam dicitur perfectus homo, ergo incommensuratus caret ordine, & ratione, & pulchritudine secundum corpus, & cui adest hæc incõcinnitas, & incommensuratio, & ordinis, ac rationis carentia secundum corpus, probabile est etiam secundum animam ita affectum esse, quare & illius anima proportione, ac ratione, & pulchritudine carebit, quare & virtute, apud illum igitur malitia erit, & astutia. Incommensuratus igitur astutus, & quoniam negatio, est causa negationis, ergo affirmatio causabit affirmationem, quomodo igitur incommensurati dicantur astuti eo quod ad passionem referantur, dictum est.

Et ad fœminas etiam referri ait Aristoteles, quasi sit eius ratio, fœminæ astutæ sunt, eædemque incommensuratæ; igitur incommensurati astuti, ex quo infero quibus inest fœminile corpus, illi astuti sunt, & malitiosi, & iniusti, & quosdam fures, & monetarios noui, quorum corpora omnino effigiem fœminilem habebant, illi etiam qui barba carent, qui vocem fœminilem habent, proprio quodam prouerbio Italico declinantur, ceu homines pessimi.

At dicet quispiam, si fœminæ secundum naturam sunt incommensuratæ, ergo turpes, & turpia non amantur. fœminæ autem mirifice amantur, nec igitur turpes sunt, neque incõmensuratæ, & si incommensuratæ profecto incommensuratio non est deformitas; Rursus si perfectio fœminæ secundum quod fœmina est, multam partem pulchritudinis habet, cũ pulchritudo omnis cõcinnitas quædam sit, quo igitur modo dicimus fœminam esse incõmensuratam? at exaduerso oculus iudicat, si non partes quasdam fœminæ esse incommensuratas ceu faciem, & pectus, & anteriora, vsque ad coxarum principium & pubem; posteriora tamen collum nempe, & ceruicem, dorsum, & spatulas inconcinnas iudicabit, amplius, & clunes, & crura, & pedes deficiunt, simpliciter igitur si non est incommensuratũ muliebre corpus, secundum quid tamen est, cuius inditium est quod quæ fœminilia corpora magis ad virile accedunt, illa magis placent; at cum dicitur si incommensuratæ ergo turpes, possem dicere turpes esse simpliciter, nempe comparatę cum forma virili, vel etiam sũt turpes visu secundum aliquas partes corporis, at secundum faciem, & eas quæ placere possunt partes non sunt turpes.

Et cum dicitur si turpes non igitur amarentur; posset negari consequentia, nam turpia quam plurima etiam amantur, & delectant, vt etiam testatur Horatius,

Amatorem quod amica
Turpia decipiunt cæcum vitia; aut etiam ipsa hæc
Delectant, veluti Balbinum polipus Agnæ.

Placent autem, & amantur mulieres pleræque, non quia pulchræ sunt, sed quatenus pleniſſimæ voluptatis instrumenta esse iudicantur.

Vtrum autem sunt astutæ nec ne? etenim astuti difficile decipiuntur, mulieres facile decipi posse testatur etiam Horatius, qui ait: Multos esse qui viduas venantur auaras, non venamur nisi ea, quæ capere posse putamus. An respondere possumus, mulieres facile decipi in negocijs, & in contractibus emptionum, & venditionum, cum in his actionibus virilibus non valde expertæ, ac uersatæ sint at plurimum valent in suis muliebribus officijs, in venereis, in texendis insidijs marito, aut propinquis; Nam mendaciorum, vanitatum, simulationum, dissimulationum sunt excellentes artifices.

Sed contra dices, sunt credulæ quomodo igitur astutæ, nam credulus facile decipi potest; Respondetur primum non esse mirum si mala, & vitia etiam opposita simul iungantur, nam & repetiuntur quidam qui timidi simul & audaces sunt, alij simul prodigi, & auari, vt ait Aristoteles, item quidam simul iracundi, & mites valdè, non igitur mirum quod, & astuti, & credulí quidam forẽt, nam & id in pluribus rusticis apparet, qui ineptas quas-

dam

dam astutias, & rudes malitias fabricant; deinde dici potest fœminas astutas esse in inueniendo, quæ ex vsu suo esse putant, credulas autem esse in his, quæ audiunt, quorum expertes sunt, & miuime peritæ.

Mihi autem videtur ipsas esse similes gladiolis scriptorijs, qui cum exactissimè scindere videantur, in calamis, & quisquilijs leuibus suam vim exercent, in solidis autem lignis, cùm robore, aut illice nullius sunt valoris, sic illæ in nugis, & paruis rebus astutæ, in magnis & grauibus, ac valde seriis, ut ad solem nictycoracis oculi, subito hebescunt.

Addo demum, non putare fœminas esse simpliciter credulas, mihi enim uidetur, illas non credere, nisi, aut quoniam amant, aut quoniam sunt inexpertæ, aut propter habitum à prima ætate contractum; quod igitur astutæ ac ad simulandum promptæ sint in aliquibus, sic manifestum esse potest.

At propter quid astutæ; & malitiosæ uocantur? rationem affert Aristoteles dicens eas habere inualidam rationem, & arbitrium deliberandi mancum, & debile; utuntur igitur ratione quidem, sed malà, non igitur rectam rationem adhibent suis deliberationibus, & actionibus, at actio à qua seiuncta est deliberandi, & eligendi, ratio recta, illa dicitur uitiosa, & mala, & iniusta, ergo fœminæ, quoniam ratione recta non utuntur in suis operationibus, uel excedunt, uel deficiunt, cum excedunt astutæ, cum deficiunt imprudentes sunt, & amentes, sunt igitur astutæ ac malitiosæ, ut uulpeculæ, quæ tamen deinde ab hominibus deceptæ in casses incidunt; uidentur autem habere imperfectam rationem fœminæ, quoniam sunt incommensuratæ, sunt autem incommensuratæ secundum corpus, pro ut sensus iudicat, & confirmari potest, quoniam si uiri secundum quod sunt uiri commensuratum habent corpus, ergo fœminæ quoniam secundum quod sunt fœminæ uiri esse non possunt, necesse est illarum corpora esse incommẽsurata, & animæ operationes incommẽsuratas, & non recta ratione utentes apparere. Amplius & sic licet argumentari; Si uir secundum quod est uir, habet corpus commensuratum, & proportionatum, ergo quod non habet commensuratum non est uir, ergo erit non uir, at fœmina est non uir non igitur commensuratum corpus habet, si enim fœmina in humana specie haberet corpus commensuratum, cum supposuerimus hoc esse corpus uirile, ergo fœmina haberet corpus uirile, quare non esset fœmina hæc igitur, ut puto est Aristotelicæ positionis explicatio; & demõstratio, quod incommensurati sint astuti, & ad passionem ac fœminas referantur.

Ex hoc infert aliam conclusionem quasi loco à contrarijs, ut dictum est supra, quando affirmatio est causa affirmationis, negatio etiam est causa negationis, & non aliter, quare si incommensuratio est causa quod homo sit uafer, & astutus, ergo commensuratio causabit prudentiam, iustitiam, & uirilitatem, quam fortitudinem hoc loco uocauit; unde commensuratum, uel incommensuratum esse non solum causa est cognoscendi, uerum, & essendi; nam, ut dixi commensuratio est proportio, & ratio, & ordo partium corporis inter se; commensuratum igitur corpus humanum perfectum est; quare & secundum animam eadem inerit commẽsuratio, ac perfectio, corporis enim perfectio organica, anima est; rationem autem perfectam sequitur sensus iustitiæ, qua quicunque carent æquinoce uidentur dicendi homines; patet igitur quod dicta Aristotelis uera sunt, & pp quid talia existant.

DOCVMENTVM I.

„ *Relationem autem commensurationis ad corporum bonam motionem, & bonam natiuitatem reducere oportet, sed non ad formam maris sicuti in principio dictum est.*

QVoniam commensurata, & incommensurata iudicantur per comparationẽ eius, quod in illo genere est primum, & quasi metrum, & regula eorum omnium quæ sub illo genere continentur, ideo in præsentia docet quale nã sit illud corpus humanum ad qd respiciẽtes dicimus alia esse magis, & minus cõmensurata; est igit hæc Arist. sentẽtia.

Qui vult de commensuratione aut incommensuratione humani alicuius corporis sententiam ferre, ille iudicandum corpus conferre debet, ac comparare cum corpore, quod sit bene mobile, beneque constitutum, hoc est quod sit bene organizatum, & aptum ad suas motiones, & functiones obeundas perfectè, atquè exquisitè, id vt arbitror significat hoc loco nomen εὐαγωνίαν, καὶ εὐφυίαν concinitatem in actionibus & motu non autem simpliciter bonam motionem, & quod dicitur ad bonam natiuiratem, dexteritatem εὐφυίαν & bonam corporis & naturalem habitudinem interpretarer. Vt semper rationem corporis cum quo fit collatio, haberem, & prior vox illud significaret, illiusque dispositionem ostenderet secundum quod est corpus organicum in quo motionum, & actionum principium existit: posterior autem vox respiceret illud ipsum, secuudum quod est corpus similare saltem secundum sensum, in quo apparet naturalis constitutio carnis, & colorum, id enim εὐφυία præcæteris etiam significat, quę omnia, vt paucis comprehendantur, id videntur dicere, In cognoscendo, & iudicando commensurato, aut incommensurato corpore non debet fieri comparatio, vel reductio ad genus masculinum, aut fœmininum, sed tibi debes proponere humanum corpus maximè secundum naturam dispositum, & quo ad vsum ipsorũ membrorum, & quo ad habitum, & constitutionem eiusdem, & ita quod tibi iudicãdum est cum illo conferre, Nam hoc, quod maximè secundum naturam est organizatum, & constitutum, dicitur proprium metrum regula, & index cæterorum, quę sunt sui generis.

Sed dicet aliquis cur commensuratum ad viros, in commensuratum corpus ad fœminas non reducimus, cum videamus omnes fœminas simpliciter incommensuratas, etiam si secundum naturam dispositæ sint? & rursus nonne paulo ante dictum est fœminatum corpus esse incommensuratum, si cum virili conferatur, quod etiam visus per se iudicat? An Respondendum est tam incommensuratum esse virile corpus, si conferatur cum fœminili, quàm fœminile cum virili, sunt enim duo diuersi generis corpora, quare & diuersas etiam habent species, mensuræ, sicuti igitur non eadem mensura mensuramus frumentum & agrum nisi per quandam anologiam, ita eadem non est mensura virilis, & fœminei corporis, sed virile corpus suas habet mensuras, quæ si in fœmina omnes simpliciter apparerent fœmina illa perfecta & pulchra non esset, & è contra quæ fœminei corporis ornamenta sunt, & decora in virili corpore non laudarentur, fœminæ os paruum, faciem rotundam requirunt, collum longum subtile, pedes parui rotundi, quæ dedecerent virum.

Amplius indicium est, quod debeant habere corpora diuersa quoniam, & mores, & actiones diuersas, & pulchritudinem, ac decorem omnino distinctum vir, & fœmina sortiti sunt, quod etiam in politicis testabatur Aristoteles, docens quomodo viri, & fœminæ non est eadem virtus, ergo neque perfectio, ergo neque actus corporis, quare neque corpus diuersi enim actus diuersorum sunt corporum, similes tamen actus, & similium etiam corporum, hæc igitur est huius documenti, vt apparet, sententia.

Vniuersaliter autem factum est, vt per se & secundum naturam omne animal cognoscat id, quod in suo genere perfectum est, & bonum, quamuis deinde vnum quodque individuum magis quærat, & appetat quod sibi ipsi, quam quod simpliciter bonum est, ac perfectum. Quod vero obijciebatur supra dictum muliebre corpus esse incommensuratũ virile commensuratum. Sciendum est humani corporis, & cuius generis mensuram capi posse dupliciter, vno modo simpliciter secundum quem modum nullum corpus tale reperitur, Nihil enim est ex omni parte beatum Altero modo secundum quid, & secundum hunc magis dicitur vir commensuratus, quam mulier, quoniam ad hanc mensuram simpliciter, magis accedit corpus virile quam muliebre, & ideo dicitur abusiue, & virile corpus commensuratum, muliebre vero incommensuratum; simpliciter igitur vtrumque incommensuratum est, comparatiuè virile est commensuratum, muliebre nequaquam.

DOCVMENTVM II.

,, *Bene ſe habet autem, & omnia ſigna quæcunque prædicta ſunt referre ad apparentem conuenientiam, & in maſculum, & in fœminam, hæc enim perfectiſsima diuiſione diuiſa ſunt, & demonſtratum eſt quod maſculus eſt fœmina iuſtior, & fortior & vt in vniuerſum dicatur, melior.*

QVattuor proponi ab Ariſtotele in hac vltima parte dicebatur, horum vnum expeditum eſt, ad ſecundum tranſit in quo documento quattuor explicat.

Primum obiectioni tacite reſpondet, quæ cauſa eſt, propter quam id nunc proponat, poſſet enim aliquis dicere. Nunc ais commenſurationis iudicium ad marem, & fœminã non eſſe reducendũ, at ſupra id ipſum aſſerebas, reſpondet, & ait omnia ſigna prædicta, præter hoc vnum commenſurationis, & incommenſurationis ad maris, & fœminæ comparationem poſſe referri, vt quæcunque propenſiones, ſiue inclinationes, & diſpoſitiones ad mores, & operationes ſint in indiuiduis ſpeciei humanæ, illæ omnes vel magis virum, vel fœminam magis deceant.

,, *Bene ſe habet autem. &c.*

Hoc eſt, ſed quamuis dixerim ſupradictum apoteleſma non reducendum ad viri, vel fœminæ comparationem, non nego tamen quin aliquomodo etiam eo hoc reduci non poſſit, vt cætera, ſed tamen minus proprie, quoniam, vt dixi, hæc duo corpora in eadem ſpecie exiſtentia ſunt omnino ſecundum ſe diuerſa, præpoſito tamen mare dicemus, vt in contrarietatibus contingit partem vnam, vt album, & calidum habere rationem habitus, & melioris. & alteram partem priuationis, & deterioris, ſecundum ſe tamen non minus eſt color niger, & frigus tactilis qualitas, quam albus, & calor ſic mulierem eſſe imperfectiorem & minus concinnam viro, ſimpliciter eſt verum, at in ſuo ſtatu æque perfecta eſt mulier, quam vir, vt æque animal eſt, canis, & elephas, bos, & lupus, vt auis, aut piſcis.

Secundo loco duo docet principia cognoſcendi ad quę oĩa ſigna phyſiognomica reduci debẽt, Horũ alterũ eſt. Conueniens apparentia, alterũ fœminæ, & maris diuerſitas; Notandũ enim eſt, phyſiognomonẽ ſibi tanquã ſcopos proponere virtutẽ, & vitium, bonitatem q. & malitiã, hoc eſt naturalẽ inclinationẽ ad has qualitates, & actiones, quę inde naſcuntur, & quærere cognoſcere hanc naturalem inclinationem ad bonum, vel malum quę in hominibus reperitur; quare ſignis ſupradictis tanquã mediis terminis, quibus ſuas faciat cõcluſiones vtitur. Hæc aũt ſigna omnia ad duo principia tanquam ad vniuerſaliſſimos quoſdam terminos, vt omnium notiſſimos reducuntur, nempe apparens conuenientia, & maris, ac fœminæ diſcrimen, quæ enim apparent, & vniuerſaliter recepta ſunt, quod deceant virum, & ſecundum naturam doceant illum eſſe diſpoſitum bonitatis ſigna ſunt, vt conuenire homini maſculo apparet, quod elatum ferat caput, quod collũ craſſum habeat, quod os magnum latumque, & quod manus magnas, pedeſque magnos, quoniam igitur apparent hæc conuenire magis maſculo, quam fœminæ, viri autem propria eſt audacia fortitudoque, & robur, ideo cui hæc adſunt audacem & robuſtum dicemus.

Ex aduerſo quoniam paruum os, paruæque manus, & pedes apparent decere magis fœminam, quàm virum, ſi has manus pedeſque in homine deprenderimus, quoniam ſcimus fœminilis animæ proprium eſſe timorem, dolumque, & auaritiam; hæc eadem propoſito viro nobis ad iudicandum, ſi ineſſe videbimus quæ ſunt fœminilis corporis membra, aut fœminiliũ membrorũ ſimulachra, illũ in anima habere muliebria vitia, aut ſaltẽ propenſionẽ ad hæc naturalia mulierũ vitia; hocq. eſt prius ex vniuerſaliſſimis illis duobus principijs, & fontibus à quibus omnis hęc cognitio coniecturalis dependet, ab his enim ad virtutem, & vitium iudicandum, per media ſigna procedendum eſt.

Alterum autem est, notio discriminis, quod est inter marem, & fœminam, quæ notio etiam videtur in vno quoque genere naturaliter infixa, nam & pisces mares sui generis fœminas norunt, & aues, & insecta, sicuti enim se habet dextra pars ad sinistram, ex quibus vtrisque fit totum indiuiduum, ita (vt videtur mihi) se habet vir, siue mas ad fœminam, neque pars dextra ignorat sinistram, aut è contra, sed neutri quidquam est magis familiare, & domesticum quã pars sibi iuncta, ita mari nihil fœmina notius, & fœmina nihil melius cognoscit masculo, nam alter alterius pars dimidiata videtur esse, vt etiam sensit Plato: cũ igitur hoc discrimen notissimum sit, ea etiam quæ inter marem, & fœminam ponunt differentiam, debent esse notissima, quare merito, & hoc potest esse principium cognoscẽdi; Quæ igitur sunt partes, & qualitates, & figurę fœminarum, si quando in viro spectabuntur illum ad fœmineum genus reducentes propensum ad mores, siue ad fœmineos animi affectus dicemus; adest aliquis qui virginis os, humerosque habet, illum dicemus inclinatum ad dolos, timidum esse, mendacemque, quoniam secundum corpus cum fœminam referat secundum animum etiam illi probabiliter erit similis.

Tertio loco sui dicti, quod scilicet omnia speciei humanæ indiuidua, ad maris, & fœminæ discrimen sint referenda, rationem affert dicens: Hanc esse perfectissimam diuisionẽ speciei specialissimæ, omne enim animal non spontinam habens generationem, hoc est nõ factum casu, vel mutilum aut ex putri materia productum, sed ex certo semine, id vel est masculum, vel fœmineum; quare nullum, est indiuiduam, quod hanc differentiã effugiat, illa autem perfecta dicitur differentia, quæ diuidit subiectum vniuersale in partes duas, & illæ duæ partes coniunctim omnia indiuidua continent, disiunctim singulæ nõ omnia, sed quæ sunt sub vna parte nequaquã sub altera esse possunt; hæc igitur appellata est perfecta diuisio; dictum autem est quomodo species specialissima latitudinem quamdam habet, & quomodo in medio diuisa per marem, & fœminam diuersas fuerit sortita differentias.

Quarto loco in memoriam reuocat, quod etiam fuerat explicatum in capite nono. nempe marem esse fœmina fortiorem, & iustiorem, & in summa simpliciter meliorem, vt enim dictum est, cum mas, & fœmina habeant rationem oppositorum, & omnia opposita sint ita affecta, vt vnum melioris, alterum peioris, vnum habitus, alterum priuationis rationem habeat, quod etiam primo phys. insinuauit Aristoteles, ergo necesse sanè est, vnũ melioris alterum sexum peioris habere rationem; ex mare enim, & fœmina omnis generatio, at generatio ex contrarijs, & inter contraria; receptum est autem marem esse meliorem; ergo necessario fœmineus sexus rationem peioris habebit, quod autem virilis sexus melior sit, ex hoc patet, quoniam, & robustior, & audacior, aptior item ad agendum, & ad contemplandum; pauciſſimę enim fœminæ, sunt, si cum maribus comparentur, quæ in actionibus, aut contemplationibus excelluerint; quæ si reperiantur, monstra potius, quam fœminæ, & fœmineum sexum excedere dicuntur; quęcunq. autem ceu semiramis, Pethesilea, aut Atalanta heroinæ visæ sunt, quales etiam non nullæ nostris temporibus extitere, illæ impudicitia, & crudelitate, & alijs maximis vitijs fuerunt insignitæ, neque pręter vnam Zenobiam, quam excipias, reperies.

DOCVMENTVM III.

„ *In omni autem electione singulorum alia alijs signis magis declarant manifeste subiectum, manifestissima autem, quæ in principalibus locis sunt.*

VNiuersale etiam hoc est documentum, quo docemur cognoscere quæ potiora signa & quæ nõ sint, & quib; magis, aut minus sit fides adhibẽda, est sensus huiusmodi, signorũ in hoïe apparẽtiũ, alia magis, alia min⁹ declarãt naturã eius subiecti, in quo sũt, & explicans quæ magis declarent, dicit esse ea, quæ in locis existunt magis principalibus. Ratione igitur subiecti, in quo, & circa qd̃ existunt, alia alijs dicuntur esse magnis significantia

ficantia, ſed etiam ſecundum ſe conſiderata ſigna, alia alijs euidentiora, & magis neceſſaria habentur, nam quæ à formatione prima ortum habentia, in partibus principalibus apparent, & inde sūpta ſunt, magis vrgent, q̄ ea quæ ad colores ſpectant; voces .n. & inceſſus aptiores ſunt, ad declarādam nām eorum, quib. inſunt, quam colores cutis, aut capillorū.

Quod autem alia ſigna alijs manifeſtent certius, ſubiectum, in quo ſunt confirmari poteſt eo quod ſignorum alia à cauſa externa, alia ab interna exiſtunt, quæ ab interna exiſtunt cauſa magis ad rei naturam declarandandam accommodantur; rurſus eorum quæ à cauſa interna proueniunt, alia per accidens adſunt, alia per ſe, & eorum quæ per ſe, quædam ſunt vniuerſaliter, quæ conuertuntur cum ſuo ſubiecto, & hæc maximè declarant rei eſſentiam, & naturam ſpeciei, quædam vero priuatim ſunt huius indiuidui propria, & hæc illius inclinationes explicant proprias; ſi igitur ſignorum quædam magis coniuncta ſunt cum eſſentia, & ſubſtantia eorum, quorum ſunt ſigna. & quædam minus, cum quæ magis iuncta ſunt rei, naturā magis declarāt, & q̄ minus, eadē minus ēt doceāt, manifeſtum eſt, quod ſignorum quædā magis, quædam minus naturā ſubiecti demonſtrabunt.

Quod autem ex ſignis ad ſignatum, & ab accidentibus ad ſubſtantiam cognoſcendam detur via, præter quam quod ſecundo de anima teſtatum reliquit Ariſtoteles, id etiam ex eo confirmatur, quod nobis eſt innata via, vt ex notioribus, & manifeſtioribus nobis, ad notiora, & manifeſtiora natura procedamus, inter ea autem quæ nota nobis ſunt, accidentia, ſi comparentur cum ſubſtantijs, ſolent numerari, iure itaque ab accidentibus ſenſibilibus tanquam nobis notis, ad cognoſcendas potentias, & facultates quæ nobis ignotiores ſunt, & natura notiores procedemus.

„ *Manifeſtiſſima autem ſunt. &c.*

Hoc eſt ſigna autem illa dicuntur eſſe certiſſima, & pleniſſimam fidem facere, quę ſunt in locis principaliſſimis, & pendent à ratione atq. eſſentja earum partium ſubiectarum, in quibus exiſtunt; Loca, vel partes, vel membra principalia ea eſſe videntur, quæ principaliū operationū immediata, & prima ſunt inſtrumenta, o pationes primæ, & principales vnius cuiuſque compoſiti illæ dicuntur, quæ à facultate, quæ prima compoſiti ratio, & forma vocatur, naſcuntur; ſic igitur animalis quatenus eſt animal prima, ac principalis operatio, eſt ipſum ſentire, quoniam eſt energia ſenſitiuæ facultatis, quę prima eſt animalis ratio, ac forma ſecundum quam eſt animal; hominis autem quatenus eſt homo, operari ſecundum rectam rationē, quæ recta ratio virtus eſt cuius gratia natus eſt homo, ad hoc enim natos eſſe homines ait Alexander, vt ſm̄ virtutem operentur, & ſecundum rectam rationem viuāt, quare membrum in homine maximè principale illud erit, quo maximè vtitur homo, cum ſecundum rectam rationem operatur, hocque vel cor eſt, vel caput; porro membrorū principalium duplex eſſe videtur genus, alia enim neceſſaria ſunt ex ſuppoſitione, & talia ſunt q̄ ad comuniora opa requiruntē, vt ſtomachus, epar, & os, hæc .n. à fine hominis valde remota sūt, alia vero ſunt neceſſaria ſimpliciter, & maximè ſcopū attingētia, quale eſt cor, & cerebrū, aut certa cerebri portio, ſm̄ quam contingit homini viuere vitam ſecūdum rationem, ſiue operari per rationem, quæ ipſius forma eſt, quod ſi contingeret hominē, vel capite, vel oculis, vel corde tanquam primo, ac præcipuo inſtrumento vti ad intelligendum, vel ad operandum ſecundum rationem, & quæ circa caput oculos, aut cor accident ſigna, maxime, qualis ſit homo, explicabunt, & inter ſigna capitis id facient illa præcipue, quę ſequuntur, eſſentiam illius facultatis, aut inclinationis cuius cognitionem quęrimus.

Vt illud dicitur eſſe verum timiditatis ſignum in homine, quod ſequitur cauſam illius diſpoſitionis cuius energia eſt timor, & timere, quod ſi cauſa hæc eſt frigus circa cor, & pectus, cum idem frigus quod propenſionem ad timendum producit, etiam cauſet pectus glabrum, & ſtrictum & extremitates paruas, & pilos ſubtiles, & molles. Hoc ſignum omninò demonſtrare timorem dicęmus.

Illud igitur signum dicetur esse principale ad demonstrandam propensionem hominis ad bonum, vel ad malum, virtutem scilicet aut vitium, quod & in partibus erit principalibus, & ab ijsdem causis producitur, quæ natæ sunt inclinare naturales facultates ad sic, vel oppositio modo agendum, aut patiendum; hæc igitur signa propria, & pathognomonica dicuntur, & ab his ad causas, à causis ad cognoscendam inclinationem, ab hac ad morem, & operationem peruenire possumus, sic igitur discrimen in signis ponemus.

Animaduertendum est autem cum tres videantur esse præcipuæ operationes animæ, nempe vegetari, sentire, & intelligere; cum vegetatiua tria principaliter faciat, nutrire, augere, & generare ei simile, in quo est viuendi principium, si illud modo perfectum sit in genere, & in specie non orbatum, nec mutilum, & cum ad nutriendum multæ præcedant operationes, vt concoquere, attrahere, expellere, assimilare, putandum est, vnam quamque operationem à propria facultate exerceri, eam autem esse in eo corpore tanquam formam quod corpus aut membrum, illius facultatis est organum; quod in hoc corpore secundum quod formatum est à tali facultate, certo modo dispositio eluceſcunt quædam signa, quæ necessaria, & demonstratiua dicuntur eorum, quæ illi subiecto insunt secundum quod cõtingit illud ipsum sortitum fuisse formam suam tali pacto affectam, ac dispositam.

Vt concoctricis organum sit verbi gratia ventriculus, quatenus igitur talis est, sortitus est facultatem concoquendi, quæ illius dicitur forma cuius operatio est digerere; Hic potest, habere maiorem etiam, aut minorem capacitatem. & caliditatem ex qua continget ipsum, vel pilosum, vel glabrum esse; hoc vel illo modo dispositum, si igitur, vel in vniuersali cognoscere volueris vim vegetatiuam, præcipua illius instrumenta contemplari oportet, tum ea signa quæ in illis insunt instrumentis, per se & secundum quod talium operationũ sunt instrumenta; idem de anima sensitiua dicendum est, cuius, cum sint functiones quædam internæ, quædam externæ, sicuti virtutem, aut vitium cognosces visiuæ potentiæ, modumque videndi, conspecta oculi natura, structura, dispositione, eiusque signis, ita etiam internarum potentiarum dispositionem ex eorum organis, & organa ex ipsorum accidentibus necessarijs deprendes.

De virtute appetitrice, & motrice eodem modo, si iudiciũ ferre voles, procedere oportebit; at de intellectu valde dubium est, quoniam vt tertio de anima nullius corporis actus est; sed vtitur fortè toto corpore ad propria munera exequenda, secundum quod autem sunt instrumenta, tales etiam esse operationes probabile est, quales autem sunt principales quæ ad vniuersalem, seu communem aliquam perficiendam requiruntur operationem, talem illam vniuersalem esse etiam est probabile, vt ad nutritionem requiritur concoctio, attractio, assimilatio, appositio, excrementorum expulsio, harum in aliqua si contigerit peccatum vitiatur nutritio, compositum enim nullam omnino suorum principiorum naturã exuere potest, & quæ ex terra sunt, & in quibus dominatur terra, necesse est in illis multas terræ qualitates apparere, omnia enim orta naturam suorum principiorum ex quibus sunt testantur.

DOCVMENTVM IIII.

„ *Principalissimus autem locus est, qui est circa oculos, & frontem, & caput, & faciem, secundus qui est circa pectus, & humeros, consequenter circa crura, & pedes, qui autem circa ventrem minimus; omnino autem, vt sic dicam ista loca manifestissima signa probant in quibus & prudentiæ plurimæ decor apparet.*

ORdinem locorum nobis in præsentia exponit Aristoteles, & qui magis principales sint, & qui minus declarat, & tandem præceptum affert, quo locum principalem à

non

non principalibus cognoſcere poſſimus; Diuiditur præſens particula in duas ſectiones, prior continet enumerationem, & ordinem quattuor locorum vnde nobis ad iudicandum ſuppeditantur ſigna; hi autem loci ſunt ſedes ſignorum appellati; poſterior pars præceptū continet quo locorum præſtantiam, & excellentiam cognoſcere valeamus. Principaliſſimum locum vocat Ariſtoteles eum, qui continet ſigna, quæ apparent circa oculos, frontē, faciem, & demum caput; locum illum diximus eſſe principalem, qui continet ſigna cauſas ſequentia illarum paſſionum, quarum cognitionem quærimus.

Cur autem hic locus ſit principaliſſimus nunc eſt videndum, ſupponendum itaque eſt quod ſupra etiam fuit animaduerſum, Phyſiognomonem principaliter quærere hominis inclinationes ad virtutem, & vitium, quæ ſunt bona, & mala hominis, ſecundum quod eſt homo. Horum vtrumque ſine electione, aut contemplatione non eſt; vbi harum altera, ibi ratio, ſiue illa bona ſit, ſiue mala, vera aut falſa; ſigna igitur vitij, & virtutis apparebunt in his præcipuè locis, vbi ſolet ſuas operationes aut ſaltem illarum principia, quæ ſenſus ſunt exercere ratio, & intellectus; id autem circa oculos contingit primum fieri, primus igitur locus qui nobis contemplandus eſt erunt oculi.

Vt ſit ratio, ille locus maximè ſpectādus eſt, qui maximè inclinationem ad virtutem, & vitium indicat, talis eſt oculus, hic igitur præcipuè ſpectandus exiſtit, maior ex prædictis eſt clara, quoniam locus ille eſt valde principalis. Minor probatur, eo quod & iram & pudorem, timorem, lætitiam, & dolorem in oculis maximè eluceſcere videmus, & illos maximè mutari, & diuerſificari ad mutationem, & variationem affectuum. Sed dubitabitur quomodo contingat operationes mentis, aut quæ ſine mente non ſunt, in oculis eluceſcere; nam ſi totius corporis, aut nullius omnino eſt actus mens humana, quomodo igitur in oculis, aut ibi potius, quam alibi ſuarum operationum, aut inclinationum dari ſigna poterunt? Reſpondendum eſt forſan operantem cum ratione, ſiue illa bona, ſeu non bona ſit, neceſſario intelligere, intelligentem ſpeculari phantaſmata, hæc in phantaſia ſunt, quæ facultas in anteriore capitis parte ſita eſt, eo igitur multis ſpiritus deferuntur, & aſcendūt à corde, quales generauit, & effecit paſſio, quæ cor occupat; Parti capitis anteriori ſuperponitur frons, & cui iuncti ſunt nerui optici, qui oculorum principia dicuntur; optici igitur nerui afficiuntur, quare & oculi, dum phantaſmata ſpeculamur, & intellectioni, & contemplationi incumbimus; Affectionum igitur mentis oculus dare ſignum certum poteſt, non quod ipſe ſit mentis ſubiectum, vel inſtrumentum, ſed quoniam ſpiritus phantaſmatibus ſimpliciter ſeruientes deriuantur in ipſum pro maioti parte, & circa viſus principia exiſtere dicuntur; iure igitur principaliſſimus dicitur locus, qui circa oculos, vel ex eo ipſo etiam, quoniam qualitas ſpirituum, & naturalis conſtitutio, ac temperies humorum, & præcipuè cerebri ex oculo cognoſcitur.

Principalis etiam pars in animali dici poteſt, quæ facit cognoſcere naturam, & inclinationes ſenſitiuæ facultatis; ergo, & principaliſſima erit, quæ facit cognoſcere naturam ſenſus; maxime principalis omnium, quæ à ſenſitiua facultate continetur; hæc autem eſt viſiua facultas, cuius præcipuum, ac proprium inſtrumentum eſt oculus, non eſt ergo mirandum, ſi primas partes tenebit oculus in phyſiognomicis; cum præſertim in ipſo præter colorem, & qualitates tangibiles motus, quies, magnitudo, & figura, poſitio, & numerus appareant, quorum vnum quodque ad iudicandum, & ad præſtāda ſigna aptiſſimum ſolet eſſe.

Poſt oculos ſuccedit frons, nam ipſa eſt motionum animi index, vel ea de cauſa dicta frons, quoniam animi affectus præ ſe ferat, eſt enim, vt ait Plinius, triſtitiæ, ſeueritatis, clementiæ, & hilaritatis ſignificatrix, vel eadem ratione, de qua paulo ſupra, quoniam dum ſpiritibus vtitur anima ad contemplanda phantaſmata, quæ omnium paſſionum, omniumque conceptuum ſunt materia circa quam ipſi ſpiritus variè agitantur, mo-

uentur

uentur igitur ipsi, & mouent partes circaquas, & in quibus sunt, quare principia musculorum frontis mouent; sic igitur aliquando contrahere, aliàs expandere frontem videmus eos, qui multis præmuntur cogitationibus, quique modo magis modo minus tristia voluunt animo consilia, frons enim animum eiusque motus sequitur

„ *Tertia facies est.*

Per faciem autem intelligo genas, os, labia, nasum, & mentum, & quidquid est ab oculis ad mentum vsque, hanc etiam affici, & mutari videmus, in passionibus animæ, pallescunt ora, & genæ timentium, rubescunt eorum, quos alicuius facti pudet; eandem etiam causam assignabimus, quoniam maxima spirituum multitudo ad faciem, & caput continuè fertur, & quodammodo à natura videtur fabricata facies, vt ea discernantur singulares homines inter se; quare & merito in eadem apparent signa diuersarum inclinationum, quæ in singulis particularium animabus solent reperiri, secundum quas animi voluntates diuersas, & diuersas inclinationes non minus animi particularium indiuiduorum inter se distinguuntur, quam per colorum, ac lineamentorum differentias, differant inter se facies hominum.

Tandem totum caput succedit, quoniam hæc omnia continet sub ratione totius, cuius cognitio distincta, est notior natura, quare & nobis posterior, quam sit partium cognitio, in hoc autem præcipua, quæ attenditur est magnitudo, & figura, motus item.

Sunt autem decem ex quibus signa sumuntur, omniaquè in capite, & partibus eius reperiũtur, quæ nobis argumenta suppeditant; color nempe in oculis, facie, & capillis se promẽs, deinde odor, nam pro diuersitate odoris, quam tum os, tum caput exhalat, & pro diuersitate secundum quam varij ad varios odores variam habent relationem, varia etiam de propositi indiuidui ingenio, prædici poterunt, vox varia varias indicat dispositiones eorum, quæ circa cor contingunt, saporum variæ species, quæ peregrinæ aliquando à nostro gustu percipiuntur, interne, & ab humorum qualitatibus emergentes, quid de stomacho, quid etiam de toto naturali habitu sentire possimus, admonent; tactiles qualitates circa caput in occipite nempe, sincipite, genis, fronte non minus quam alibi multa de hominis natura, dispositioneque, tum corporis, tum animi portendunt, magnitudinem, & paruitatem capitis faciei, & oculorum contemplari à physiognomone vidimus, figura, & eiusdem conformatio, si secundum vel præter naturam fuerit, quam plura significat, nec motus, aut quietis certa quædam in capitibus humanis dispositio, & qualitas despicienda est, cum cogitabundos, seueros, caput quietum habere, vanos, iratosque diuerso modo iactare videamus; partium etiam numerus earumdemque auctio, aut diminutio spectandus est, nam qui vnico tantum sunt facti à natura oculo, aut pauciores, aut plures nacti sunt dentes; aut capti auribus, aut surdastri sunt, illi nusquam bene audient apud homines, sicuti qui nullo membro naturali defecerint, atque secundum naturalem dispositionem, & vsum affectum habuerint vnum quodque.

Quis igitur sit principalissimus locus, & quod hic sit circa oculos, frontem, faciem, & caput ex his puto, manifestum satis esse.

„ *Secundus locus qui circa pectus, & humeros.*

Secundum genus signorum assignat Aristoteles pectori, & humeris, nam qui latum pectus habent, aut strictum carnosum, vel non carnosum, pilosum, seu glabrum diuerso modo se habent ad iram, cupiditatẽque, timorem, & audaciam, causa propter quam datus est pectori, & metaphremo siue dorso, secundus locus signorum, hæc est, quoniam cor continẽt, & ambiunt, quales igitur sunt hæ partes, talem cordis esse naturam, & dispositionem putandum est; cor enim principale membrũ est & cuius gratia hęc, quæ circa illud posita sunt

mem-

membra;illi igitur merito conuenientia, & conformia esse debent.

Sed dubitabit aliquis,an ex Aristotelis sentẽtia cor omnium sit primum in homine,etenim esse videtur,si quidem, & hoc primum viuit, & hoc vltimum moritur,amplius omnis caloris, & spirituum fons, & principium est,iure igitur primæ partes illi dandæ, quare, & principalis signorum locus,ac subiectum deberet esse pectus, & humeri,non autem oculi, & caput aut igitur hic non est Aristotelis liber, aut sibi non constat, cum alibi cordi, non autem cerebro dederit primatum. *Dubit.*

An respondebimus verè cor esse omnis vitæ,omnis caloris ac spirituum fontem, originem,& principium,& ab ipso omnia, quæ ad conseruationẽ vitæ sunt atque animalis prouenire;sed operationes quæ ad sensitiuas potentias, & ad cognoscitiuas pertinent exerceri in capite,vbi omnium penè sensuum posita sunt sensiteria; vbi autem operationes exercentur, probabile est, ibi etiam earum operationum principia, & instrumenta, & eorumdem signa esse, iure igitur dictum est circa oculos, & caput esse principalem signorum locum,quoniam ibi cognitricis facultatis,quæ prima ratio est animalis,præcipuæ operationes exercentur,quamuis omnes à corde pendeant, & principium capiant;quoniam autem & in affectibus iræ, & venereorum, & quamplurimum aliarum cupiditatum, vt honoris, & lucri cor alterari sentiur, & mutari,putandum est, operationes appetitricis potẽtiæ circa cor fieri, quare signa quæ demonstrant,huius facultatis dispositiones circa pectus, & humeros bene existent,qui secundus locus signorum dictus est,inclinationes earum quę in corde, & circa cor exercentur operationum dispositiones ac differentias indicans.

,, *Consequenter circa crura, & pedes.*

Tertius locus à quo præcipua nobis suppeditantur discrimina,inclinationum potentiæ motiuæ,positus est in ijs membris,quæ propria motui deseruiunt,vt crura,pedesque, manus, & brachia,quorum igitur lacerti torosi,quorum suræ sursum contractæ sunt,illi fortes robusti,audaces;at si suræ oppositio modo dispositæ sunt,de his oppositum sentiemus,nempe quod sint timidi, & debiles,audacia autem in operatione,operatio in motu posita est.

Vltimus locus respicit eam virtutem,quam vegetatiuam vocant,valde à vitio, & virtute,quæ secundum rationem est,remotam;parum igitur signa,quę circa huius facultatis instrumenta consistunt,de virtutum,ac vitiorum dispositione,indicabunt,plurima autem,& certissima de virtute nutritiua, & generatiua, ergo iure ijs signis,quæ circa ventrem, & pubem apparent,quartus locus assignatus est;per se enim, & primario de vegetatiua facultate indicant,secundario autem, & ex accidenti de his quæ ad alias potẽtias pertinent;quot igitur, & qualis sit locorum distributio vnde petenda sint signa ex his patet.

,, *Omnino autem, vt sic dicam ista loca manifestissima signa præbent, & in quibus prudentiæ plurimæ decor apparet.*

Quinta pars huius documenti in qua vniuersaliter colligit, & monet, qua ratione cognoscere possimus locum principalem signorum physiognomonicæ arti deseruientium, & hunc esse dicit,in quo apparet decor multæ prudentiæ,hoc est in quo effulget recta ratio, recta enim ratio in actiuis prudentia est, & aliquando abutentes hoc nomine dicimus rectam omnem rationem esse prudentiam, & maximè græcum nomen φρονήσιος vsurpantes.

Decorem autem, & lumen rectæ rationis,puto in facie apparere, & præcipuè in hoc consistere, si partes faciei dispositę sint secundum quod natura postulat;hæ autem partes, sunt præsertim frons, & oculi;quos qui rectam vsurpant rationem,etiam componunt laudabiliter,Hoc igitur cum fit dicimus splendorem rectæ rationis in illo ipso apparere,talem autem à Terentio videmus describi in eunucho chæream.

Quæ

Quæ igitur membra, tum vultus, tum totius corporis taliter disposita, & talia sunt, vt in illis appareat animæ rationalis decor, & ingenuitas, & liberalis quædam forma, & recta, ac naturalis, & continua dispositio, aut oppositæ qualitates prædictis illa sunt, quæ dare possunt nobis certissima signa, quibus iudicamus affectiones, & inclinationes hominum ad virtutem, & vitium, cum itaque frons, & oculi sint partes in quibus fulgor, quies, & decor animę rationalis appareat, nec non, & horum opposita, colligendum est, ora, oculosque, ac frontem illa esse loca, vnde certissima signa sumi liceat volenti recte de humanis inclinationibus, ad virtutes, & vitia iudicare, Quod autem in fronte oculisque decor, & splẽdor, & affectus rationalis animę, & opposita appareãt legentibus Actiolini de Romano historiam fiet manifestum; hunc, dicunt, olim in prima iuuenta fuisse placidissimum, & pulchros oculos, ac lętos habuisse, continuis deinde cædibus efferatum cum immanissimus tyrannus euasisset, eius oculos obscuros, toruos, truces, & tristes adeo factos fuisse, vt nemo illum tueri sustineret, videmus etiam sceleratos homines, & latrones, nescio quid turbidi, & turpis in oculis habere; quo facile præter naturam illorum animam affectam esse, & ideo pessimos ac truculentos iudicamus.

Hæc igitur sunt Illustrissime vir, quę supra librum physiognomiæ Aristotelis afferre potui in quibus si quid boni apparuerit vnquam, id Diuinæ gratiæ tribuendum est, si quid mali totum insciti̇æ, atque ignorantiæ meæ dandum; Hoc sane vnum ex animo profiteor, in his me nihil assertum, aut enuntiatum velle, nisi quod catholicæ fidei, concilijsque, & decretis Sanctę Matris Ecclesiæ consonum est, si quid autem aliquomodo illis repugnans reperiretur, id totum reuoco, & annullo, & per incuriam, aut per ignorantiam à me prolatum affirmo, quare omnino tollendum esse censeo atque determino, & sic est finis ad laudem Dei Omnipotentis, & Beatissimæ Virginis Marię nostrę protectricis, & aduocatæ, cuius nomen glorioſum semper laudatum sit per omne æuum.

FINIS.

INDEX NOTABILIVM

INDEX NOTABILIVM,

Quæ in opere continentur.

A

*A*Cerbus, & amarus quis. 154.10.
Acerbus non citò irascitur, neque facilè iram deponit. ibid. 8.
Acerbi signa. 153.26.
Facie remissus. 154.37.
Nigri coloris. ibid. 44.
Macer. 155.13.
Quæ sunt circa faciem abrata ibid. 25.
Facies seù frons rugosa. 156.32.
Non carnosus. 157.33.
Crines recti, & nigri. 158.3.
Actione qui valent, contemplatione minus, & contrà. 531.28.
in Actionibus an meliores sint magni quàm parui, celeriores, an tardiores. 549.19.
Actiones quod melius, vel peius coerceantur, corpori tribuendum. 6.18.
Actiones, & mores nostri, an liberi. 6.28.
Actionibus præstantes contemplationibus inefficaces. 96.30.
Actus certus inest certis passiuis. 3.5.
Adolescentes, liberales, cur. 386.9.
Cum primùm Venerem exercuerint, cur vocem mutent. 394.26.
Ad aliquid quæ sunt, eorum mutato vno mutatur, & aliud. 1.28.
Aegyptij quales. 474.14.
Aer, cum accedat ceu pars materialis ad generationem spirituum, cum feratur in cor, eius temperiem mutat. 473.16.
Affectiones, aliæ animæ, aliæ corporis, aliæ compositi. 19.43.
Affectiones Corporis mutant animam. 1.22.
Affectionũ quæ in homine sunt, aliæ magis materiam aliæ magis formam sequuntur. 223 20.
Affectiones, & passiones corporis, sunt accidentia totius corporis, vel partium quibus melius vel peius obire potest munia, & operationes, quarum natũ est, esse instrumentũ.
Affectiones animæ sunt accidentia, quibus sic, vel aliter, ac determinato quodam modo vtitur corpore, vel corporis partibus, ad certam peragendam operationem. 1.34.
Affectiones animæ tales sunt, qualia sunt corpora, quæ ab anima informantur. 1.21.
Affectus quid. 7.26.
In nostra potestate non est. 7.30.
Affectu carentibus si facies inest similis his, qui eo affectu tenentur, illos illis affectibus propensos esse putandum est. 11.27.
Affectus, & mos, quomodo idem, 242.15.
Albi valdè timidi. 475.17.
Albus nimis color ignauiam, & inefficaciam arguit. ibid. 35.
Albi species plures. 471.37.
Albedo rubori mixta quid indicet. 86.13.
Albedo non est propria ingenij passio. 87.2.
Albus, & roseus color cur ingenium significet. 86.37.
Aldrouandus auium scriptor insignis 88.35.
Amarus celerrimè irascitur, citò placatur. 154 7.
Amarus vir, quis. 161.23.
Rectus corpore. ibid. 30.
Figura bene constitutus. ibid. 45.
Animosus. 162.7.
Subruffus. 163.17.

Humeri, lati, magni, & distantes. 164.36.
Extrema corporis, magna, fortia. 165.5.
Lenis circa pectus, & inguina. 166.17.
Barbatus probè. 169.14.
Nares patulæ. 171.14.
Signa alia ex recentioribus. ibid. 5.
in Amaro cur non crispentur capilli. 170.7.
Amor quid. 192.19.
Amphibologicè loquentes, aliquid mali agitãt 250.46.
Angli audacissimi. 475.24.
Anima humana est quodammodo omnia. 5.24
Quomodo corpore vtatur, & in eo sit. 9.1.
Causa est in triplici genere causæ. 137.39.
Ab anima, & per animam sunt in homine omnia actionum suarum principia. 6.17.
in Anima an fiant mutationes, quarum signa non appareant in corpore. 20.14
Anima an patiatur. 270.20.
Anima, & corpus, sibi inuicem ad esse conferunt. 234.24.
Animæ passiones mutant corpus. 2.20.
Animæ passiones sunt cum corpore, & non animæ, aut corporis solius, sed compositi. 2.43.
Anima, & corpus sibi sunt inuicem causæ plurimarum mutationum. 2.41.
Animæ rationalis conceptus, & cogitationes non licet cui quam cognoscere. 257.44.
Animæ, & corporis nexus maximus. 301.26.
Animam, & corpus simul compati. ibid. 41.
Animal vnumquodque figuram propriam, corpus, & animam propriam habet. 10.5.
Animal perfectum quod. 302.4.
Animalia perfecta cur distincta in marem, & fœminam. 258.31.
Animalia varia in quibus excellant. 272.49.
Animalium cur tanta varietas. 302.32.
Animalis cuiusque anima proprijs moribus affecta est. 10.13.
Animalia astuta plerumque timida. 449.32.
Animosus quis. 133.34.
Apotelesma quid. 312.40.
Apparentia vultus quid. 21.39.
Apparentiæ passionum quæ. 40.17.
Aptitudo, & propensio naturalis quid. 5.27.
Aptiores cur sint alij alijs habitibus, & facultatibus. 5.31.
Ars omnis circa singularia. 4.17.
Circa vniuersalia. 45.7.
Astrologia de futuris contingentibus singularibus certi aliquid promittit. 4.14.
Nil certi diuinare potest. 5.8.
Asinorum qualitates. 467.2.
Propria est indolentia. 243.15.
Audaces plurimi cur parum vident. 68.16.
Audacia quid. 456.38.
Aures paruas qui habent, similes mores habent. 466.23. (466.45
Magnas qui habent, asinis similes sunt. ibid.
Mediocres, laudabiles. ibid. 16.
Paruæ, & subtiles quid significent. 468.4.
Quibus magnæ, illis plerumque collum breuius. ibid. 17.
Viri probi quales. 466.16.

B

Barba cur data homini 505.3.
Barbæ pili cæteris crassiores, & cur. 50.20.
Barbam longam, & fastigiatam qui habent, ingenui sunt. 50 5.4.
Barbatæ fœminæ, vnde. 205.6.
Benignus quis. 134.17.
Benigni signa. 133.16.
Frons ingens. 134.24.
Carnosa. ibid. 38.
Lenis. ibid. 42.
Quæ circa oculos humiliora. 135.5.
Facies somnolentior. ibid. 18.
Non intensè, neque remissè respiciens. ib. 27.
Motus tardus, & remissus. ibid. 47.
Est sanguineæ naturæ, cum subdominio pituitæ. 136.19.
Figura, & more, qui est in facie, non videtur præceps, sed probus. ibid. 34.
Benignum quæ consequantur. 141.3.
Boni viri facies qualis. 138.9.
Bonitas animi duplex. 140.15.
Bononienses musicæ dediti, & litteris, humani, & procliues admodum ad amandum. 473.46.

C

Canum natura, & passiones cognoscuntur ex accidentibus corporis. 3.12.
Canum propria est contumelia. 242.31.
Capilli, qui mediæ fronti imminent, quorum, eleuati

eleuati sunt, & in se ipsos contracti, illi sunt liberales.513.15 (511.2
Capillos valdè crispos, qui habent, timidi sũt.
Capræ temperies.538.20.
Caput paruũ habẽtes, instabiles sunt.158.30. Et furiosi.266.44.
Caput humanum quale, & quantum.460.46. Magnum qui habent, sensati sunt. ibid.38. Paruum qui habent, insensati.462.15. Pineatum, inuerecundi.464.18.
Caro quid sit.35.24. In quibusdã dura, et in alijs flaccida cur.ib.28. Mollis denotat ingeniosum, & instabilẽ.ib.35 Musculosa corporis robur indicat, sed sẽsũ paruũ exactũ, et ineptitudinẽ ad scitẽtias.ib.15
Carne molles an omnes apti mente.36.27
Causæ quales, effectus tales, neccssarias necessarios, contingentes similiter effectus contingentes, producunt.4.7.
Causa eadem oppositos facit effectus.80.7.
Cerebrũ principiũ sensus.462.40. et 464.12.
Ceruicẽ pilosam qui hũt, liberales sũt.503.46
Ceruix, & humeri quorum imbecilles sunt, & inarticulati, molles sunt.381.45.
Cibi an Veneris maior appetitus.369.1.
Cibis varijs varij cur delectentur.368.40.
Ciborum indigentias, & repletiones, alterari sensuum virtutes indicare.364.18.
in Cibis maiorem voluptatem capiunt homines, quàm bruta.368.16.
Cinædus quis in hoc libro dicatur.147.31.
Cinædi, seu impudici, & mollis hominis signa ibid.27.
Cinædos vitia multa quæ comitantur.153.4.
Chyromantia cognitio nullius valoris, non afferens dictorum suorum rationem.427.33
Colli claues quæ.386.24.
Circa Colli claues conclusa quæ sunt, illi insensibiles.389.32.
Circa Colli clauem quæ sunt bene solubilia, sensibilem denotant.386.19.
Colla virginum an graciliora, quàm mulierum & propter quid, 394.17.
Collo pingui praditi, rudes sunt.79.9.
Collum crassum qui habent, fortes sunt secundum animam.390.25. Gracile qui habent imbecilles.392.2.
Crassum qui habent, iracundi.395.22.
Ingens quibus est, non valdè crassum magnanimi sunt.396.22. Longum, & gracile, timidi sunt.398.8. Quibus gracile, & breue, dolosi, & insidiatores.399.4.
Color quid.23.15. & 470.3. Non est in corpore simplici, sed coloris principium.470.8. Est passio corporis compositi.ibid.38.
Color fuscus quid indicet.28.17. Cinericius quid.28.26. Puniceus.28.41. igneus.29.3 flammeus.29.8. roseus.29.12. Mellinus.29.22. linidus.29.41. Pallidus.30.1. Altus.30.20.
Colores in homine tres.23.27. Simplices octo.471.17. Duo in homine.ibid.35. Vnde causentur.470.19. à Quibus humoribus.27.41.
Colores, & corpora quibus adsunt, referentia habitatores talis climatis, ijsdem mores illorum insunt.26.40.
Colores ijdem ab oppositis causis.30.33. Aliquid significant.ibid.46.
Colori minimè omniũ signorũ credendũ.ibi.30
Colori squalidiori in indicando parum fidendum.58.14.
Color cæsius, & fuluus non est idem.56.1.
Color corporis squalidior robur indicat.57.12
Color squalidus quis.ibid.15.
Color albus pituitã dominari significat.31.10 Purpureus subtilem, & floridum sanguinem superare demonstrat.ibid. Albus, & niger quomodo ingeniosum, & rudem significent.112.1.
Colorum differentiæ, & principia.470.19.
Commensuratum corpus, & incommensuratum quodnam sit.550.10. De commensuratione alicuius corporis humani qui vult ferre sentẽtiam, illud debet conferre cum corpore quod sit bene organizatum, non ad formam maris.554.1
Comparatio vbi nõ est, ibi nõ est iudiciũ.43.47
Compatisimul quæ dicantur.229.47.
Contemplatione præstantes, in actionibus non valent, & e contra, & cur.96.30.
Contensa figura quæ.71.20.
Contẽtionũ amator, et eius tẽpamẽtũ.187.23

Contentiosus. 188.40.
Contingens duplex, aptum natum seu ordinatum, & inordinatum. 4.20.
Contingentis apti nati, aliqd determinate potest certi asseri, non tamen necessarij. ibi. 29
Inordinati nihil præsciri potest. ibid. 32
Contrariarum rerum plerumque contrariæ qualitates. 82.29.
Contumelia quid. 242.35.
Contumeliarum amatores, qui. 406.45.
Conuenientia apparens. 245.23.
à Conuenientia apparenti deductus locus aptiss. ad Physiognomiã andum. 244.35.
Cor an primum sensiterium. 366.46.
Corda quorum sunt proportione sui corporis maiora, timidiora sunt. 295.40.
Corpus cui inest tale animal repræsentas, illi natura, & mos aliquis eiusdem animalis anima inest. 10.35.
Corpus certum animam habet. 2.38.
Inclinatum timorem indicat. 66.40.
Demissum qui habent, lamẽtabũdi. 459.35.
Corpus virile tàm est incommensuratum si conferatur cum fœminili, quàm fœminile si cũ virili. 554.23.
à Corpore ad potentias, & ab his ad operationes proceditur. 236.33.
Corporibus circum torquentes se, & fricantes, adulatores sunt.
Corporis vniuersi humani mensura. 550.14.
Et partium. ibid. 30.
Corporis viliris & fœminei non est eadẽ mensura. 554.26.
Costas parum apparentes qui habent, & timidi, & quasi inflati, loquaces & stulta dicentes sunt. 358.27.
Costis robustis præditus, fortis est. 356.38.
Coxas osseas, & neruosas qui habent fortes sunt. 339.8.
Coxas ex osses & carnosas qui habent, molles sunt. 340.38.
Coxæ contractæ roboris signum. 50.30.
Crura parua, & debilia, timoris signa. 69.9.
Articulata, neruosa, & robusta quibus insunt, illi fortes. 33c.45.
Gracilia quibus insunt, & neruosa, luxuriosi sunt. 331.26.
Crudelis, & misericos qũo quis sit 393.41.

D

De articulatum membrum quod. 369.31
Dentium diuisio. 403.13.
Demonstratio duplex pp quid, & quia. 160.3.
ad Dextram qui inclinant ambulantes, molles sunt. 524.21.
Differuut quæ toto genere, inter se comparari verè nequeunt. 6.44.
Differentia omnis in subiecto per se existens alicuius proprij operis principiũ est. 17.12.
Diamarores incolæ qualis. 25.1.
Diasenes quales. ibid. 16.
Dialexandrias ibid. 23.
Diarhodos. ibid. 34.
Diarhomes. ibid. 41.
Diapontu. 26.9.
Diaboristeneos. ibid. 18.
Diariphæos. ibid. 22.
Diadanias ibid. 28.
Discrimen inter potẽtiã, morẽ, et affectũ. 7.24
Dissimulatoris materia et pprietates. 177.30
Diuersa diuersis conueniunt. 303.10.
Dolosi qui. 393.13.
Dominatus multorum non est bonus 362.38.
Donari cupientis signa. 185.9.
Dorsũ ingẽs, & robustũ, fortẽ indicat. 354.4.
strictũ, et imbecille habẽtes, molles sũt 355.4
Gibbosum, quid demonstret. 356.17
Valde pilosum qui habent, inuerecundi sunt
Durum quid. 403.13. (502.36.

E

Equi sones, & equorum domitores, libidinosi, & cur. 350.27.
Equorum natura, & passiones cognoscuntur ex accidentibus corporis. 3.12
Erubescant cur qdã semp, alij nũquã. 484.6.
Europæ populi quales. 26.46.
Exangue omne timidum est. 464.36.
Esse non est communicatum æquè omnibus, sed his clarius, illis obscurius. 327.13.
Ex Epistolæ scriptura licere coniectari mores animi, et qualitates corporis scribẽtis 3.40
Extrema vitiosa 475.32.
Extrema corporis, imbecillia timorem indicant. 68.41.
Male formata timorem arguunt. 70.39.
Extrema quibus bene formata, intima & magis. 338.11.

F

Facici apparentia quid. 11.19.
Humana mensura. 58.24.
Habitus medius decorus est conueniens. 434.21.
Facies acuta robur demonstrat. 58.17.
Decora, quæ. 433.10.
Hilaris, quæ. 232.4.
Oblonga, virilis est. 122.15.
Rotunda, muliebris. ibid.
Muliebris, cur, rotundior. 267.15.
Faciem irati referens, iracundus. 40.29.
Facies longa, & mentum quid indicent. 59.7.
Magna pigritiæ index. 110.1.
Magna, & ossea quorum est, referuntur ad asinos, & ceruos, quare timidi, & rudes sunt. 431.1.
Macilenta cui est, accuratum, ac diligentem prænuntiat. 429.31.
Magna quorum est, & carne non spoliata, segnes sunt. ibid. 3.
Quot modis capiatur. 427.40.
Vt differt à vultu. 428.4.
Non est mutabilis, vt vultus. ibid. 5.
Facies quibus valde parua, illi sunt pusillanimes. 431.11.
Quorum facile mutatur, illi propensi ad timorem, & cur. 72.57. & 44.
Quomodo monstret affectus cordis. 73.10.
Super erubescens cui est, verecundus. 483.24
Turpis, & indecens, triplex est. 435.10.
Cuius contracta, humilis, & despecta, ille illiberalis est. 436.13.
Facies suffusa furfura. 88.11.
Fœmina minus caput habet masculo. 266.40.
Fœmina cuiuscumque generis mansuetior est masculo, & animo molliori, minus fero, minus audax, & robusta; facilius parere assueta, & curari, & minus iracunda. 259.40
Magis malefica, temeraria, illiberalior impotentior masculo. 261.10.
Cur mansuetior. 262.26.
Cur timidior. ibid. 39.
Cur facilius curetur. 263.9.
Cur magis malefica. idib. 15.
Cur temeraria & illiberalis. idib. 28.
Cur impotens. idib. 37.
Fœminæ paruum caput habentes, cæteris peiores. 267.2.
Fœmineum corpus, quale. 266.29.
Cui inest, probabile est eidem mores inesse fœmineos. idib. 34.
Fœminei corporis, & animi qualitates, & passiones. 292.1. 305.26.
Facies parua, & os magnum est. 293.43.
Oculi parui, concaui, albi; 294.5.
Et circum vagantes. idib. 38.
Frons longior versus aures, rotunda magis quàm plana. 295.1.
Collum longum, & gracile valde. ibid. 27.
Pectus paruis costis præditum. 296.6.
Longum dorsum. ibid. 16.
Clunes carnosæ ibid. 31.
Quæ sunt circa ventrẽ, & ilia læuia. ibi. 48.
Color varius. 297.14
Corpus inarticulatum, & incommensuratum. ibid. 35.
Ossa ilium latiora, quã virorũ & cur. 34.41
Fatui qui. 45.25.
Fœminæ cæteris loquaciores, a pubi ad umbilicum lineam pilorum habent; loquacissimæ eosdem crispos, & nigros habent. 34.30.
Figura an significet aliquid circa potentias corporis. 425.14.
Flammei coloris quorum facies est illi propensi sunt ad furorem, & insaniam. 480.48.
Flammeo colore, & rubro præditi, qualis temperamenti sint. 31.30.
Flammeus quibus est color circa pectus; difficilis iræ sunt. 481.33.
Fœtus mulierum capite humano carentes, in hominũ numero non sunt ponendi. 447.18.
à Forma vniuersaliter sunt potẽtiæ in homine a materia magis ad hunc quàm ad illum actum determinatæ. 5.41.
Forma & figura accidentalis quæ. 40.21.
Forma quid, vnde formosus. 136.42.
formæ facici alijs alię placẽt, et displicẽt ib. 48.
Varios producunt effectus, alia amorem, aliæ reuerentiam, aliæ lætitiam generãt. 137.1.
Formam culpantes in animam pulchritudinis causam contumelios. 138.40.
Formã q dat, et consequẽtia formã dat. 147.18
a Forma ad materiam necessaria est illatio, at non è contra. 227.17.

Formosi & venusti, fœminumq; decorem præ se ferentes plerumque mali. 8.30.
Formæ, & virtutes medietates quamuis sint magis, tamẽ ad alterum extremorum semper accedunt. 85.4.
Fortis, & robustus differunt. 60.39
Fortis nõ est semper robustus, & ecõtra. ibi. 41
Fortis signa, & affectiones. 62.37.
Temperamentum. 63.4.
Pili duri. 49.12.
Figura corporis erecta. 50.32.
Ossa & costæ, & extrema corporis fortia, & magna. 51.14.
Venter amplus, & contractus ad se. 52.20.
Humeri ampli, & distantes. 53.8.
Nec valdè colligati, nec omnino dissoluti. ibid. 25.
Collum forte non admodũ carnosum, ibi. 46.
Pectus carnosum, & latum. 54.13.
Coxæ contractæ. ibid. 36.
Suræ deorsum contractæ. 55.16.
Oculus charopus, nec valde expansus, nec omnino clausus. ibid. 40
Color corporis squalidior. 57.11.
Acuta facies, recta, non magna. 58.16.
Nates neq. leues, neq. omnino rugosa. 59.42
Fortis an iracundior debili. 44.10.
Fortitudo magis accedit ad audaciam. 85.6.
Frons magna inertem indicat, parua porcorum, & simiarum mores exprimit. 59.18.
Concaua, curua, orbicularis, tuberosa, mala est. ibid. 40.
Demissa, supplicis animi signum. 460.14.
Nebulosa, quæ sit. 455.36.
Magna, ex recentioribus quid significet. 448 & 449 *per tot.*
Frontem magnam qui sortiti sunt illi tardi. 447.12.
Qui rotundam, insensati. 450.2.
Qui paulo minus rotundiorem, & ad planitiem accedentem, irrationabiliter impudentes. 451.27.
Quadrangulam commensuratam, magnanimi. 453.2.
Exporrectam, blãdi, & adulatores. 454 43.
Nebulosam, audaces. 455.36.
Paruam, indisciplinabiles. 444.43.
Tristem, mœsti. 458.2.
Frontis, naturalis quantitas. 445.2.
Latitudo est tertia pars faciei. 453.18.
Cutis frontis sola inter partes corporis, arbitrio voluntatis mouetur. 445.2.
Medius habitus inter nubilosum, & tranquillum, optimus est. 457.2.
Futurorum an sit præsagium, præsertim singularium contingentium. 4.1.
Futurorum quæ sunt a Deo, ab hominum arbitrio, a casu, vel a fortuna, quæ singularia sunt, nulla est notitia. 5.8.

G

Galeancon quid ex Galeno. 520.30.
Quid ex authore. ibid. 40.
Genæ quibus supererubescunt, amatores vini sunt. 485.37.
Generare sibi simile naturalissimum est, & iucundum. 265.6.
Genua euntis emittentia crepitum, mollem arguunt. 336.29.
Genus vnumquodque habet proprias passiones, quæ de illo per se, & vniuersaliter prædicantur. 17.7.
Germani roboris signa, & animi dotes. 62.1.
Glorioſus, & ostentator quis. 377.9.
Grauis viri nota. 278.41.
Grauitas in moribus, quid. 173.15.
Gressibus lõgis, & celeribus qui incedit aptus est aggredi, & tentare quodlibet, & illud perficere. 517.44.
Gressus breuis, & celeris qui est, promptus ad aggrediendum negotia, sed non perficit ea. 518.27.
Gressus tardus, cogitabundũ denotat. 515.32
Tardissimus, pigrum, & inertem. ibid. 33.
Velox, inconstantem. ibid. 36.
Velocior, timiditatem, & inefficacem arguit operositatem. ibid. 37.
Breuis, et tardus, hominem non perfectiuum significat. 516.44.
Gulæ fonticulus quid significet. 386.33.

H

Habitatores circa 45. gradum, quasi in lance positi sunt. 27.5.

Habitus in noſtra poteſtate ſunt 312.23.
Habitus, & poſſeſſio inſtrumentorum eſt a natura, at vſus a voluntate. 6.4[illegible].
Habituum, alij contemplatiui, alij actiui, alij factiui, 231.10.
Heros qualis. 63.30.
Hebetudo ingenij, eſt naturalis impotentia ſecundum quam homo non facilè poteſt quærere, diſcere, inuenire, aut iudicare quid in rebus ſit verum, aut bonum. 101.6.
Hepar, vide Iecur.
Hominum mores cognoſci poſſe. 5.46.
Homini cui ineſt corpus repræſentans brutum aliquod, illi inerunt eiuſdem bruti paſſiones. 10.20.
Homines an decreſcant, & an filij minores patribus. 539.37.
Homines, & cætera viuentia, promptius ſecundum longitudinem, quàm ſecundum craſſitiem augentur. 70.4.
Homo ex quibus ſit. 301.45.
A quibus, & quomodo mutetur. ibid. 47.
Optime diſpoſitus faciem quadrangularem, potius quàm rotundam habet, & cur. 274.32.
Cur omniuorus. 367.36.
Maiora, & longiora habet inteſtinorum inuolucra, quàm aliud animal, eiuſdem magnitudinis. ibid. 11.
Sociabile, & imitatiuum. ibid. 43.
Natura ſcire deſiderat, quapropter ſenſus diligit. ibid. 38.
Humanarum inclinationum cognitionem dari. 1.10.
Humanum corpus, & materia eſt, et organum animæ humanæ. 6.8.
Humeri ampli, & diſtantes, roboris ſignum. 53.9.
Conuexi, & incurui demiſſum animum indicant, & cur. ibid. 14.
Quibus bene ſoluti ſunt, illi ſunt liberales. 382.13.
Quibus difficulter ſolubiles, conuulſi, illiberales ſunt. 384.42.
Humeris rectis, & tenſis qui inſultant, galeangones. 520.2.
Humeros piloſos qui habent, nunquam in ijſdem perſeuerant. 501.38.
Humeri colligati. 851.26.
Humeri ſoluti male ligati qui ſint. 84.49.
Humeri, & coſtæ bene ſolutæ. 84.34.
Humerus colligatus quis ſit. 82.33.
Humor quem vocat Hippocrates aquam quis 821.29.

I

Iecur calidius cur vitiet ſtomachum. 85.37.
Ignobilitas quid in hoc libro importet. 404.5.
Imaginatio quid. 206.3.
Impudens colore rubeus. 121.7.
Impudentes potius canes, quam homines. 115.36.
Impudentem quæ conſequantur. 125.22.
Impudentis oculi aperti, ſplendidi 115.40.
Palpebræ ſanguineæ. 116.22.
Humeri ſurſum eleuati. ibid. 48.
Figura non recta. 119.45.
Motus præceps. 120.39.
inter Impudentem, & fortem diſcrimen. 118.22.
Inceſſus docet vim, & ſtatum caloris naturalis in corpore. 517.19.
Inclinationum humanarum cognitionem dari. 1.10.
Incommenſurati homines aſtuti ſunt. 550.4.
Indocilis quis. 381.8.
Indoles bona, & mala quid. 31.19.
Inflati cur garruli. 360.15.
Ingenij acumen quid. 540.14.
Ingenium prauum, vel malignum. 345.48.
Ingenij vbi parum eſt, ibi multum fortunæ. 263.31.
Ingenij, & iudicij diſcrimen. 91.6.
Ingenij materialis deſcriptio. 92.18.
Ingenij differentias cæra explicat. 93.49.
Ingeniorum diſcrimina pro locorum differentia. 94.35.
Diuerſitas vnde. 93.4.
Ingenium quale, & quotuplex. 90.20.
Eſt vis, & potentia anima ratiocinatricis, 91.2.
Quid ſit. 74.23.
An magis in actione, aut paſſione conſiſtat, 75.23.

Virtus est naturalis, quare medietas. 37. 19.
Ingenïosi signa. 74. 3.
Caro humidior, & mollior. 75. 33
Non boni habitus. 77. 4.
Non valdè pinguis. 78. 7.
Humeri collum, & facies macra. ibid. 18
Humeri ligati. 82. 25.
Inferiora laxata. 83. 47
Costæ bene solutæ. 84. 34
Dorsum non carnosum. 85. 21
Corpus album, mixto rubore, & purum. 86. 12
Pili nec valde duri, nec valde nigri. 88. 29
Oculus charopus humidus. 89. 29
Signa alia præter Aristotelica. 89. 30.
Ingenioſus omnis an lenis. 35. 45.
Ingenioſi cur partes superiores sint macriores 79. 19.
Ingenioſi cur sint molles carne. 76. 11
Prompti ad varietatem saporum, ac epularum cupiendam. 85. 43.
Immodesti, immansueti. 94. 19.
Memoria non valent, sed reminiscentia. 93. 39
Non irrident alios. 100. 25
Ad risum non sunt propensi. 100. 4
Ingenioſus quomodo calidus, & melancholicus. 79. 43
An habeat calorem debilem. 82. 37
Ingenioſi tenuis substantiæ cerebri. 83. 24.
Ingenioſi, qui minus, & magis sint. 83. 30.
Ingenioſi qualis sit humiditas, & mollities. 84. 14.
Ingenioſi in ætate decrepita facillimè obliuiscuntur, & difficillimè discunt. 84. 16.
Ingenioſi facies secundum naturam qualis sit. 86. 28
Ingenioſi duplex genus. 87. 17.
Ingenioſi oculus qualis. 90. 3.
Ingenij materia qualis. 90. 8.
Ingenium an sit in brutis. 90. 23.
Ingenium sit ne concupiscibilis, aut irascibilis apetitus pars. 90. 34
Ingenium quid à iudicio differat. 91. 6
Ingenium cur non idem in omnibus. 93. 4.
Eiusdem passiones. 93. 23
Ingenij materialis descriptio. 92. 17
Eiusdem formalis. 92. 30.
Ingenioſi cur obliuioſi. 93. 39
Ingenijs discrimen affert regio 94. 35.
Ingenij acris, & subtilis quale sit corpus. 96. 26.
Ingenij propria temperies. 89. 17.
Ingenia fera in locis frigidissimis, in calidissimis sunt superstitiosa. 94. 40.
Ingenia populorum diuersa. 95. 19.
Ingeniosorum pili quales. 88. 30.
de Ingenio quid ex Platone Chalcidius sentiat. 93. 46.
Ingenia quæ carēt retentrice potentia, in principio aptissimè disquirunt, breui confundantur. 91. 38
Insensatus habet collum, & crura carnosa. 101. 35.
Colligata. 104. 13
Cotylas rotundas. ibid. 21
Humeros sursum contractos. ibid. 41.
Frontem magnam circularem, carnosam. 105. 9.
Oculos obtusos somniculosos. 107. 6.
Crura circa talum crassa, carnosa, rotunda ibid. 19
Mandibulas magnas, carnosas. ibid. 39
Lumbos carnosos. 108. 1
Faciem sublongam carnosam. 109. 39.
Insensati seu hebetis signa alia præter Aristotelica. 111. 6
Facies rotunda. 121. 43
Qualia crura. opinio authoris. 018. 32.
Insensibiles qui apud Aristotelem 362. 16
Insidioſi qui. 399. 34
Intellectus passiones corpus non afficiunt, nisi per accidens. 18. 26
Tres operationes sunt, & quæ. 529. 8
Intellectus quid in hoc libro importet. 39. 4.
Intellectus non afficitur nisi per accidens. 229. 37.
Intemperies corporis, est animo iustitia. 9. 36
Intuentur qui molliter, & languidè timidi sunt. 528. 26
Inuerecundi signa. 112. 28
Inuerecundia, & inuerecundus. ibid. 45.
ad Intelligendum prompti, qui sint. 93. 35
Ira est ebullitio sanguinis circa cor. 50. 49.
Iracundi seu amari signa. 161. 6.

Irascuntur alio modo septentrionales ac Meridionales. 95.5.
Iracundus duplex. 44.21.
Irato an sanguis ebulliat circa cor dum irascitur. 167.15.
Iratorum passiones. 168.10.
Iracundia duplex. 395.29.
Iracundus, & timidus quomodo quis possit esse. 393.32.
Iracundi tẽperamentũ, & proprietates. 425.1
Iram exercent septentrionales modo longe diuerso meridionalibus. 95.1.10.
Italorum ingenia cur adeo diuersa. 95.34
Italorum colores nouem. 28.2
Iuditium quid sit. 408.25
Iuditio quidam valent, ingenio minus, & è contra 5.40.19
Iustitia quid. 270.23.
Iuuenes cur non crescant in longum, sed in latum. 70.9
Iuuenis aptus ad discendum quomodo, senex ineptus. 84.18

L

Labia quid. 301.20
Labia mordere impudicitiæ signũ. 306.30. & 151.48
Quibus sunt gracilia, & in extremitatibus lauata, ita vt superius labrum protendatur supra inferius in coniunctione labiorum, magnanimi sunt. 401.6.
Gracilia, dura, & circa dentes caninos supereminentia quibus sunt, illi ignobiles 403.9.
Crassa qui habent, & superius inferiori prominens, fatui. 405.12.
Labrum superius, & gengiuas prominentes, qui habent, amatores contumeliarum, 406.27.
Lati facies, læta est, & tristis obscura est, & tristis. 231.38
Leonini, & masculini corporis qualitates, 273. & 274
Leo maximè masculinam formam sortitus est 272.49
Liberalitas societates iungit. 382.36
Liberalis signa, & proprietates, & qualitates. 185.3.
Liberalitas magis accedit ad prodigalitatem. 85.6
Liberum arbitrium an impediatur à corporis dispositione. 254.10.
Libido quid. 97.32
Lingua quorum longa, & subtilis, eorum ingenium crudeli, & malignum. 93.36
Loca in quibus aer inæqualis, ibi degentes discordes. 24.41.
Loci quinque cognoscendi inclinationes hominum. 19.17.
Singuli singillatim capti insufficientes, simul iuncti aliquid docent. 19.18.
Locus per syllogismum, omnium optimus, ab antiquis non est cognitus. 12.4
Ab opposito signo latuit antiquos. 11.46
Longus homo raro sapiens. 541.12.
Lumbi parui, & imbecilles timoris indices. 70.25.
Lumbi quid. ibid. 32.
Lumbosi amatores ferarum, hoc est venationis. 348.38.
Lupus an canis syluestris. 399.40. & 467.15.
Luscinia, & hyrundines, & aliæ auiculæ, cur ante coitum canant, & cum ouis incubant, tacent. 34.4.
Luxuriosi seu libidinosi signa. 197.8.
Temperamentum. ibid. 30.
Albi coloris. ibid. 43.
Hirsutus. 198.4.
Rectis capillis, crassis, nigris. ibid. 27.
Tempora hirsuta. 199.10.
Oculi pingues & lasciui. ibid. 23.
Et insani. ibid. 40.
signa alia præter Aristotelica quare. 200.10

M

Magnanimitas quid. 397.1.
Magnanimi qualitates ibid. 6.
Magnanimus an tardi motus. 38.2.
Magni nimis penè insensati. 173.44.
Magni valdè sunt, qui longi sunt per quinque pedes, & vncias sex. 541.10.
Mania quid, & maniacus quis. 480.22.
Vt distinguatur a phrenesi. 233.36.
Manus graciles, digiti longi, & subtiles, & debiles

biles, sunt timidi signa. 69. 87.
Manus & digiti longi, & subtiles, in mulieribus laudantur. ibid. 38.
Mansuetudo quid. 172. 17.
Mansueti signa. ibid. 7.
Grauis specie. ibid. 11.
Garnosus, caro humida, & multa. ibid. 28.
Bonæ magnitudinis, & commensuratus. ibid. 41.
Figura curuus. 174. 17.
Cursus capillorum sursum vulsus. 175. 4.
Mas fœmina maior, fortior, melioris habitus secundum omnes virtutes. 40. 32.
Masculus homo naturaliter qualis. 303. 30.
Masculæ animæ, & leoninæ grata est. 286. 26.
Liberalis est. 287. 19.
Magnanimæ, & victoriæ amans. 288. 32.
Insta 290. 1.
Et amans eorum cum quibus versatur. ibi. 41.
Materia simpliciter, formam simpliciter respicit, & materia determinata formam determinatam. 3. 2.
Medicamenta Arabica, & de longinquis regionibus aduecta, non esse applicanda nostris hominibus. 303. 22.
Melancholia duplex, naturalis, & præter naturalis. 83. 5.
Quomodo faciat oppositos effectus, ostenditur exemplo ferri. 80. 25.
Est principium stabilitatis. 115. 16.
Melancholiæ variæ species. 80. 7.
Varij effectus. 81. 2.
Melancholici quidam incalescente melancholia audaciſſimi, & cur. 58. 4.
Melancholici cur aliquando festiui. 145. 49.
Si quid caloris conceperunt, libidinosi. 538. 47.
Melãcholico habitu præditi, iucundi. 145. 25.
Melancholicus est aliquis, vel secundum totum corpus, vel secundum partes. 81. 3.
Membra muliebria singula perfectè elaborata quid indicent. 306. 307. & 308. *per tot.*
Membra operationibus seruientia, alia primaria, & immediata, alia secundaria, & coadiuuantia. 346. 1.
Memor caput habet magnum. 207. 36.
Assabrè factum. 208. 5.
Carnosum. ibid. 27.
Signa alia. ibid. 30.
Memores qui nam sint. 93. 45.
Memoria quid, & quomodo. 206. 45.
Mentis signa. 401. 15.
Metaphrenum magnum qui habent, & bene carnosum, & articulatum, fortes sunt secundum animam. 371. 11.
Imbecille, non carnosum, & inarticulatum qui habent, molles sunt. 372. 20.
Curuum valdè quibus est, humerique ad pectus contracti, mali moris sunt. 373. 31
Eminens qui habent, glorioſi, & inſipientes 376. 2.
Methodus cognoscendi passiones per propria signa. 16. 8.
Misericordia quid. 189. 21.
Ad amorem aditus. 192. 36.
Misericordiæ, & amoris eadem est materia. 190. 22.
Misereri, & simul sapere posse, negabat Agesilaus, & Stoici. 189. 37.
Misericors sapiens est. 194. 26.
Misericordis temperamentum. 190. 15.
Signa. 189. 15.
Pulchri, & albi coloris. 190. 32.
Mares bene sculpta. 191. 28.
Amator mulierum. 192. 6.
Genitor fœminarum. ibid. 38.
Et in amorem propensus. 193. 16.
Et semper memor. ibid. 33.
Ingeniosus, & calidus. 194. 3.
Speciem hominis ad fletum propensi. 191. 41.
Signa alia præter Aristotelica. 194. 29.
Moderatio quid. 128. 35.
Moderati signa. 127. 8.
In motibus tardus, tardè loquens. 129. 1.
Fons tardus, & plena spiritu. ibid. 33.
Et mitis. ibid. 49.
Oculus hilaris. 130. 20.
Non splendidus. ibid. 40.
Niger. 131. 10.
Non clausus, nec valde expansus. ibid. 22.
Conniuens tardè. 132. 21.
Modestia quid. 128. 20.
Mœsti ad timorem propensi, cur. 73. 16.
Molle quid. 403. 14.
Mollities quid. 148. 7.

Mollities carnis non damnanda. 535.12.
Non est causa, sed signum bonæ sensationis 546.5.
Mollis homo quis, & qualis. 147.38.
Temperamentum. 148.12.
Oculi remissi, & confracti. ibid. 22.
Genu flexibile. ibid. 39.
Inclinatio capitis ad dextram. 149.18.
Motus manuum supini, & dissoluti. ibi. 43.
Et ambulationes duplices. 150.10.
Et oculorum circumspectiones dupl. ib. 49.
Alia signa. 151.19.
Mollities, & humiditas simpliciter non abundat in ingenioso, sed quæ. 84.14.
Mollis animus quis. 38.16.
Mores an à temperamento nascantur Disputatio. 209.1.
Scaligeri rationes, & aliorum. ibid. 11.
Solutio. 214.
Mores diuersorum populorum diuersi. 96.20.
Mores eorum qui sub Æquinoctiali habitant 24.23.
Mores varij oriuntur ex varietate climatum 24.17.
Morum in filijs existentium causa sunt, parentes, cibus, & temperamentum. 23.45.
Mos quid sit, & quomodo operationum principium. 7.36.
Mos, & affectus quomodo idem. 242.15.
Mos faciei mobilis, & mœstus, timorem indicat. 72.26.
Motus animi alij in nostra potestate sunt, alij secus. 7.10.
Motus tardus duplex. 38.22. & 43.
Motus celer quid significet. 37.41.
Tardus. ibid. 34.
Celer duplex. 39.23.
Motuum localium varietas. 37.30.
Muliebris forma absoluta quæ. 306.14.
Mulier non est simpliciter viro imperfectior. 555.26.
Minus detegit amorem, quàm vir 265.22.
Blandè loquens, male cogitat. 264.20.
Mulieris an viri sit maior voluptas in Venereis. 265.28.
Facies rotundior cur sit. 267.15.
Mulieres cur amentur. 264.42.
Mulieres an magis ament, quam viri 265.19
Cur imperfectam sortitæ sint rationem. 272.9.
Quarum corpus mollissimum, maximè ingenioſæ, sed instabiles. 36.43.
Inualidum habent ingenium, & cur. 37.3.
Credulæ, & quæ facilè decipiantur. 37.6.
Obstinatæ, superbæ, iracundæ. 37.8.
Turpes cur amentur. 552.36.
Vtrum astutæ, & quomodo. ibid. 38.
ad Muliebria patienda an inclinētur aliqui à natura. 152.30.
Mulieris facies rotundior. 267.14.
Collum gracilius. ibid. 18.
Femora carnosa. 268.13.
Genua flexibilia, & crura gracilia. ibid. 29
Pedes rotundiores. 269.16.
Formā corporis totius mollior. ibid. 37.
Munerum amatores. 184.31.
Mutari materiam introducta noua forma necesse est. 222.23.
Mutatione parua facta in principio, sit deinde in fine maxima. 272.12. & 302.4.

N

Nares patulæ quibus sunt, iracundi sūt. 424.2.
Nasum extremum crassum qui habent, segnes sunt. 408.18.
Extremum à summo crassum qui habent insensibiles sunt. 411.22.
Extremum acutum qui habent, sæuè irascibiles sunt. 413.2.
Nasus irascibilis potentiæ index. 408.14.
Et iudityum. ibid. 18.
Nasus magnus, probitatem morum, ingenium acrem, & iudicium purum denotat. 105 40.
Nasus incuruus à fronte quibus mox deducitur, inuerecundi sunt. 417.24.
Nasum rotundum qui habent, & obtusum magnanimi sunt. 415.9.
Extremum subtilem qui habent, auiculares sunt. 416.11.
Aquilinum, articulatum à fronte qui habent, magnanimi sunt. 419.37.
Concauum qui habent, & quæ ante frontem rotunda, circumferentiam vero superiorem

periorem erectam, luxuriosi sunt. 421.6.
Simum qui habent, luxuriosi. 422.13.
ates acutas, osseas qui habent, fortes sunt. 342.33.
Carnosas, leues, delicatas, & rotundas, qui habent, molles. 343.38.
Quorum exsitatæ, & modica carne praditæ, maligni sunt. 345.38.
Nigræ, & pilosæ, robur arguunt. 60.1.
Natura in ijsdem, vel similibus, semper eodem modo, aut simili operatur. 34.25.
Nisi impediatur. 245.32. & 207.24.
Simpliciter perfectum facere non potest. 139.41.
Rarò largitur duo genera animalibus, quibus se tueantur. 449.38.
Naturalia impediri possunt, si non simpliciter, saltem vt hic, & nunc. 49.36.
secundum Naturam quæ sunt, bona sunt, quæ præter naturam, mala. 447.14.
Necessaria conclusio, per medium non necessarium aut falsum, non potest sciri. 15.13.
Nigra, & alba, æquè calida, & frigida. 57.40.
Nigri species plures. 472.2.
Nigri valdè, timidi. 469.22.
Nigroris causa materialis est aqua, & frigus causa efficiens. 472.2.
dum Ningit, cur vix campanæ audiantur. 132.4.
Noctuæ, & bubones, volantes etiam obscura nocte, diem instantem præuntiant. 249.34.

O

Obesi cur cæteris sui generis natura minus perspicaces. 85.33.
Obliuiosi qui sint magis, & qui minus. 94.8.
Obtutu fixo dum aliqui hærent, & demittunt alteram palpebram, vsque ad medium oculi pupillam, molles sunt, & timidi. 527.43.
Oculi distorti, & hirqui, luxuriosum, & mulierosum significant. 11.38.
Alacres, & cæsii, robur animi, & corporis indicant, si medietatem non excedant. 56.33.
Imbecilles, & nimis conniuentes, timoris indices. 68.6.
Si peruertantur, aut nimis caui sint, exitiosum est. 143.21.
Qui plus iusto prominent, mansuetorum sunt. 444.15.
Parum concaui magnanimorum sunt. 442.42.
Oculus charopus qui sit. 89.30.
Oculi quibus supererubescunt, illi extra se feruntur ob iram. 486.20.
Valdè nigri, timidorum sunt. 487.10.
Non valdè nigri, & declinantes ad flauum colorem, boni animi signa. 488.12.
Glauci quibus sunt, aut albi, illi timidi sũt ibid. 45.
Quibus non sunt glauci; sed charopi boni animi sunt. 490.29.
Vinosimiles secundum colorem quibus sũt, illi sunt stolidi. 491.23.
Ignei quibus sunt, inuerecundi. 492.38.
Discolorati quibus sunt, & turbati, timidi sunt. 493.20.
Quibus parui, fului, lucentes, & subhumidi, luxuriosi sunt. 494.40.
Oculos bene mobiles qui habent, acuti sunt, & rapaces. 525.32.
Naturaliter demissos qui habent, mores fœmineos sortiti sunt. 527.26.
Frequenter qui mouent, & tincturam quãdam veluti immotam habent in albo oculorum, illi sunt intellectiui. 528.40.
Parnos qui habent, pusillanimes sunt. 439.2.
Magnos q habẽt ad boues referũtur. 440.32
Concauos; malefici. 441.2.
Eminentes; fatui. ibid. 26.
Quæ ante Oculos apparẽt vt vesiculæ quibus vehementer cadunt amatores somni. 438.17.
in Oculis passiones, & animi affectus legũntur. 436.37.
ab Oculis quorum dependent vesiculæ amatores vini sunt. ibid. 33.
Oculus charopus, & fuluus. 55.47.
Expansus, & clausus quis. 56.35.
Decoloratus quis. 493.22.
Oculorũ confractiones duo significant. 143.42

Quid sint. 114.5.
Oculorum mediocris status, bonus. 442.21.
Operatio naturalis cùm sit sine impedimento iucunda est. 265.7.
Oppositæ, loca opposita occupant. 337.36.
Oppositæ alia per se, alia per accidens, 457.13.
Oppositorum non semper oppositæ qualitates, 120.12.

P

Pallidi, & cute subfurida, & splendenti, præditi, verè impudentes. 12.36.
Pallidi colore turbati, sunt timidi. 478.2.
Pallidus color timoris index. 67.35.
Pallor duplex, fortium, & timidorum. ibid. 36
Palpebræ quid. 116.23.
Palpebras superiores, qui tardè reducunt timidi sunt. 522.20.
Palpebrizantes, timidi. 526.26.
Panthera quomodo capiat simias. 298.48.
Panthera, & fœminilis animæ qualitates. ibi. 28.
Paruitas in corpore, duplici de causa fit; vel propter debilitatem virtutis agentis, vel propter paucitatem materiæ. 70.27.
Parui valdè sunt, qui trium pedum cum dimidio staturam sortiti sunt. 541.9.
Passiones animæ triplicitèr considerantur, vel vt sunt in energia, & operatione, vel in entelechia, & habitu, vel quatenus dicunt potentiam, & propensionem. 185.43.
Passiones congeneæ, quæ; 312.11.
Pectus pilis nudum, debilitatis signũ est. 500.43.
Pectoris varietates multæ, & quid vnum quodque significet. 370. *per tot.*
Pectus magnum, dearticulatum qui habent, secundum animam fortes. 369.16.
Pectus latum an audaciæ signum 366.34.
Pedes magnos, bene formatos, articulatos, & neruosos, qui habent, fortes sunt. 312.49.
Pedes paruos, strictos, inarticulatos qui habẽt & visu pulchriores, quam rotundiores, molles sunt 316.26.
Pedum digiti quibus curui sunt, illi inuerecundi. 320.38.
Pedum digiti quibus longi sunt, tenues, & coniuncti, timidi sunt. 324.49.
Pedes quorum sudant, & putidi sunt, illi ceruicosi, & impudentes. 337.36.
Pedibus, & cruribus inuersis qui ambulant fœminiles sunt. 522.20.
Perficiant eur quidam impotenter, quod potenter elegerunt. 82.11.
Persarum ingenia quanam sint. 96.10.
Phantasia quid. 206.33.
Physiognomia quid. 1.17. & 3.33. & 21.6.
In ea, qua ratione procedendum. 9.45.
Probabilis est, & eius propositiones contingentes. 69.27.
Est scientia. 160.2.
Se habet ad scientiam naturalem, quemadmodum Perspectiua ad Geometriam. ibid. 8.
Circa quæsit. 301.12.
Ei minus tribuit Aristoteles, quàm recentiores. 475.44.
In ea, quæ enuntiantur, præter temperamenti principia, & sine syllogismo, non sunt attendenda. 468.32.
Eius præcepta accommodanda sunt, ad certa loca, regiones, tempora, sexus, homines; & cur. 45.13.
Eius regulæ nouem. 18.41.
Eam dari. 3.20.
Conijcit ex apparentibus signis in corpore, animæ inclinationes. 3.33.
Physiognomones, antiqui insufficientes. 9 48.
Physiognomus quæ cognoscat, & quomodo. 5 20.
Ei licet quodammodo, de conditione vitæ, & hominis fortuna, & morte aliquid dicere. 6.4.
Non omnes passiones animæ prædicit, 18. 15.
Non cognoscit passiones animæ, quæ sui vestigium in corpus non imprimant. ibid. 22.
Cognoscit inclinationes ad virtutes, & habitus, non habitus acquisitos. ibid. 34.
Aliquid certi dicet, si plura signa conuenerint, & nullum fuerit contrarium. 41. 28.
Ei quærenda est causa signorum physiognomicorum. 159.30.

Eidem opus est maxima exercitatione, & vsu. 244.9.
Et oportet eum experientiam habere faciei, ac formæ illius, in quo tale signum apparet. 247.35.
Sibi proponit tanquam scopos, virtutem, & vitium, hoc est inclinationes humanas ad hæc. 555.29. & 559.9.
Physiognomizandi modum per syllogismum, ante Aristotelem nemo cognouit. 42.1.
Piaculum est, ad Principes, & magnates Turcas, Arabas, Persas, & Mauros, Manibus vacuis accedere. 450.14.
Pigritiæ signa. 428.16.
Pili duri robur arguunt, & cur.
Causa materialis. 10.11.
Efficiens. ibid. 14.
Pili mollities timoris index. 66.29.
Marium crassiores, quàm pili fœminarum, & cur. 50.26.
Pili mollissimi quid indicent. 88.42.
Pili in prima ætate valdè albi pituitam denotant. 88.42.
Pili valdè nigri melancholicum arguunt temperamentum. 88.47.
Pili, molles timidum, duri robustum, & audacem significant. 32.20.
Si euellantur crassiores nascuntur, & cur. 50.22.
Pilorum differentiæ à cute, & calore, & à materia sumuntur. 32.10.
Qualitatem, mores indicare. 33.15.
Pilosi circa ventrem, loquaces, & cur. ibid. 38.
Pilositas an garrulitatis signum. 34.27.
Pilos qui habent, ad frontem iuxta nasum natos, liberales sunt. 514.32.
Pilos capitis erectos qui habent, timidi sunt. 510.10.
Pilosus, & pilosum corpus. 495.40.
Pilosa qui habent, quæ circa pectus, & ventrem sunt, illi nunquam in ijsdem perseuerant. 498.15.
Pilus quid. 32.3.
Planetis hominum diuersitas non est assignanda. 473.42.
Platoredarguitur. 14.19.
Populorum variorum ingenia. 95. & 96.
Portæ opiniones; & dicta considerantur. 99.25. & 105.38. & 98.45. & 127.20. &
Potentia animæ quid. 7.25. 158. & 159.
Potentiæ, & impotentiæ naturales, & habilitates sequuntur materiam. 27.34.
Potentias, & qualitates secundi generis habituum nomine significari. ibid. 38.
Potentia prima nulla sibi ipsam perficit sine agente, & motore. 221.3.
Est à natura, & qui ea carent, eandem nunquam acquirunt. 237.9.
Potentia prima, & secunda, & quid vnaquæque sit. ibid. 14.
Potentiæ animæ certas particulas corporis tanquam propria instrumenta sibi determinant. 234.237.
à Pontijs naturalibus non fit denominatio 221.6.
Potentiæ materiam comitantur. 312.24.
Priuatio per habitum cognoscitur. 113.3.
Propensio quid. 5.27. & 249.5.
Proportionatum hominis corpus secundum naturam, plerumque sortitur animam maximè virentem ratione. 9.5.
non Proportionatum, operationes facit irrationales. ibid. 8.
Pudor, color virtutis. 114.2.
In oculis præcipuè conspicitur. 115.42.
Eius materia. 113.39.
Pueri cur secum ipsi sæpè dissident. 87.37.
Pueri dum pudore afficiuntur, cur manum oculis opponunt. 116.9.
Cur loquaciores sint quàm puberes, quamuis glabri sint. 374.1.
Pulchro corpori, an insit pulchra anima. 7.43.
Pulchri, & dignitatem oris habentes plerumque boni. 8.40.
Pulchri plerumque mali. 139.24.
Insolentes, superbi, petulantes, lasciui, contumelioſi. 140.27.
Aliquando boni, aliquando mali 139.21.
Pulchritudo quid. 140.21. & 383.4.
Virilis, nunquam malam indolem arguit. 468.43.
Res iucunda visu, delectabilis auditu 138.41.

Est maxima perfectio mulierum.305.42.
A forma quomodo differat.203.13.
Pusillanimi signa.181.8.
Paruorum membrorum.ibid.9.
Paruorum articulorum.ibid.37.
Macer.182.1.
Paruorum oculorum.ibid.22.
Paruæ facici.ibid.31.
Pusillanimus an melancholicus.ibid.42.
Pusillanimitatem quæ sequantur.431.26.

Q

QValitates vide affectiones.
in Quanto similari maiori, maior est virtus, in minori minor. 69.16.158.27.& 461.40.

R

*REgulæ plures Physiognomicæ.*18.40.
*Robustus quis.*49.17.
*Robustus, & fortis differunt.*66.39.
*Ex Aristotele quis.*61.32.
An sensatus, & insensatus robusti, sint. 103.8.
*Robusti pectus latũ, & carnosum, & cur.*54.14
*Ossa magna, & dura.*51.15.
*Ad scientias ineptus non dolosus, non rapax, non auarus, crudelis, fidelis.*61.42.
*Robusti, et fortis hominis ratio, in multa terra q̃ multo igni coniũcta est, reponitur.*52.13.
*Robustorum oculi.*55.40.
*Robustũ corpus facilè agit, difficilè patitur.*51.2
*Robustum animal in suo genere figuram habet erectam, & cur.*50.35.
*Robur indicãt extrema corporis magna.*51.46
*Robur secundum corpus, audacia secundum animam sunt passiones hominis, quatenus est masculus.*312.9.
*Robur in sicco positum.*269.47.
*Rubei, acuti sunt.*479.38.
*Rubei valdè astuti.*477.2.
*Rubor in facie animi pudentis signum.*12.30.
*Secundum se nec impudentiæ, nec modestiæ signum.*13.11.
*Duplex, alter puniceus, cum fronte rubra, & lucenti, index imprudentiæ.ibid.*14
*Alter rosas referens, pudoris signum.ibid.*17
*Ruffus nullus bonus.*121.30.
*Rudis, & impriti hominis signum præcipuum in facie apparens, opinio auctoris.*112.17.

S

*SAlubrioribus locis habitantes, ingeniosiores.*98.21.
*Sãguis, & spiritus cũ ferũtur in uarias partes corporis, varias passiones poducũt.*483.24
*Sapientia in siccam animam cadit.*130.44.
*Scapulas in curuas qui habent, dum mouentur, magnanimi sunt.*521.40.
*Scientiæ subalternatæ circa ipsum, quod, sunt, superiores circa ipsum pp, quid.*229.10.
*Scientia est quies.*96.29.
*Senes illiberales; & cur.*386.9.
*Sensus omnis est virtus in corpore,*364.16.
*Sensus, sensibile, & sensatio quid.*206.15.
*à Sensu cognitio nostra trahit originẽ.*248.38
*Siculi quales, quales arabes, ac Syri.*95.40.45
*Signum, & signatum ad aliquid sunt.*103.13
*Signa duo æquè pollentia oppositos effectus indicantia cum apparuerint in aliquo, sustinendus est assensus.*44.42.
*Signa cum certa non fuerint, aut contrarietatem habuerint, non est iudicandum.*44.36.
Signa amore, motu, & figura certiora sũt alijs 41.12.
*Stabilia stabiles, mobilia mobiles passiones indicant.*17 40.
*Signa alicuius passionis quomodo ab alijs distinguantur.*16.39.
*Quæ sunt in hominibus alicuius regionis, in quocumque reperiuntur, illum denotant habentem mores illius regionis.*11.11.
*Alia propria, alia communia.*14.37.
*Communia, & propria sunt ita confusa, vt difficilè cognoscantur.ibid.*41.
*Alia ab externa causa, alia ab interna.*17.30
*Ab externa causa, sunt signa per accidens passionum animæ.ibid.*35.
Ab interna, alia mutabilia, alia secus.ibid. 36.
*Vnde capiantur.*21.28.
Nouem, ibid.
*Eadem reduci posse ad quatuor.*22.9.

Duo equè significantia, oppositas passiones, & eiusdem ordinis, non sunt in eodem subiecto. 46.48.
Signo vni non est credendum. 41.24.
ex Signis contrarijs licet passiones contrarias inferre. 42.8.
ex Signis duobus, cum alterum fuerit magis manifestum, & validius, secundum illud iudicandum est. 44.45.
Signa quæ alijs præstant. 45.22.
Primum signum maximè efficax est, quod proprium est illius moris, quem indicat, & maximè stabile est. ibid. 32.
Secundum signum, est constitutio, & forma pro cuiusque natura inexistens. ibid. 40.
Tertium locum sibi vendicant signa communia, & hæc quænam sint, vide ibid. 43.
Signa omnia Physiognomica reducuntur ad duo principia, tanquam ad vniuersalissimos terminos, nempe ad apparentem conuenientiam, & ad maris, & fœminæ discrimen. 559.33.
Signum quale, tale signatum. 17.43.
Signa eadem quibus insunt, & consequentia signorum ijsdem etiã videntur inesse. 103.10.
Signorum in homine apparentium, alijs magis alijs minus credendum, magis his quæ existunt in locis magis principalibus. 556.46
Signis Physiognomicis credendum.
Sextimo his quæ sunt circa oculos, frontem caput, & faciem. 558.42.
Secundo his q̃ circa pectus, & humeros. 560.42.
Tertio his quæ circa crura, & pedes, 561.23
Quarto his quæ circa ventrem, & pubem sũt ibid. 31.
Simia medium animal inter bipes, & quadrupes terrestre. 346.43.
Simiales mores qui. 466.19.
Similitudo cui inest bouis, eidem, & passiones bouis inerunt. 10.8.
Similia membra brutis, similium operationum sunt signa. 236.16.
Similia quæcumque sunt, in corporibus animalium, illa sunt declaratiua cuiuspiam qualitatis, quæ sit eadem in vtroque animali, ibid. 39.
Simulator, & dissimulator. 176.27.
Somnus quid. 201.12.
Somni Amatoris signa. ibid. 8.
Superiora maiora. ibid. 21.
Tardus incessus. ibid. 48.
Calidi pedes. 202.33.
Caro boni habitus. ibid. 36.
Elegans forma. 203.11.
Hirsutus circa ventrem. ibid. 48.
Somniculosorum tres species. 205.15.
Staturam valdè paruam qui habent, acuto ingenio præditi sunt. 540.30.
Valdè magnam habentes, rudes, & obtusi ad intelligendum. 541.31.
Statura parui, habentes carnes duriores, colorem, aut alia signa arguentia prædominiũ, aut excessum coloris, nihil in actionibus, & contemplationibus valent. 542.16.
Magni, humidas carnes sortiti, aut colores qui propter frigiditatem innascuntur, ingenio, & mente nihil valent, & quæ assumpserint, non perficiunt, 543.12.
Parui humidas carnes sortiti, cum loribus, aut alijs quæ propter frigus insunt homini ingenio bono, & perfectiui sunt. 544.25.
Magni, carnes duras, & calidas qui habent, perfectiui, & sensitiui. 545.42.
Statura media ostendit eos, quibus inest, aptissimos ad cognoscendum, & ad agendum perfectissimos. 548.31.
Staturæ humanæ paruitas, magnitudo, & mediocritas. 539.11.
Stolidus quis. 538.38.
Successani exposit. opin. & dicta considerantur. 57.33. & 59.11. & 67.27. & 68.28. & 71.3. & 112.38. & 131.38. & 159.30. & 176.46. & 183.20.
Superbia ignorantiæ iuncta, omnium malorũ causa. 8.10.
Supercilia qui habent coniuncta, tristes sunt 505.31.
Diuulsa qui habent, ante nasum, & extensa vsque ad tempora, fatui. 506.23.
Supinus quis dicatur, propriè, & metaphoricè 72.20.
Suræ deorsum contractæ, robur indicant, & quæ illæ sint. 55.17.
Suræ contractæ, timoris signa. 67.16.

Tacitur-

T

Taciturnus quis sit. 250.40.
*Taciturnus et impudens, fur est, & illiberalis.ibid.*40.
Talorum amatores iusto breuiorem cubitum habent. 184.11.
Tali carnosi, & inarticulati cui insunt ille mollis est 330.11.
circa Talos quæ sunt, si neruosa, & articulata fuerint, fortem significant 328 20.
Temerarius quis. 72.5.
Temperamentum corporis ad hæc, vel illa inclinat, non cogit 7.17.
Tẽpies corporis, causa vniuersalis est. 223.4.
circa Tempora, & collum quibus venæ sunt distentæ, difficilis iræ sunt 482.17.
Tibiæ quibus sunt nimia carne repletæ, præimpudentia odibiles. 334.41.
Tibiæ quid 496.7.
Tibias pilosas qui habent, Venerei sunt. 495.30.
Timor quid. 325.24.
Timidus quis, & qualis. 66.19.
Timidorum genus triplex. 68.32.
Timidus, & ingeniosus ex ysdem ferè principijs oriuntur. 74.18.
Timidus an habeat membra contracta. 73.23
Timidi signa. 66.5. & 474.31.
*Pili molles.ibid.*26.
*Corpore inclinatus, non erectus.ibid.*39.
Suræ sursum contractæ. 67.12.
*Circa faciem color pallidior.ibid.*35.
Oculi imbecilles, & nimiũ conniuẽtes. 68.5.
*Extrema corporis imbecilla.ibid.*40.
Crura parua. 69.8.
*Manus longæ, & graciles.ibid.*34.
Lumbi parui, & imbecilles. 70.25.
Figura contensa in motibus. 70.49.
Mos qui est in facie mobilis, mœstus. 72.25.
Non temerarius, sed supinus, & stupefactibilis.ibid.
Timiditatem quæ sequantur. 475.9.
Timor mulierum proprius. 292.32.
Timoris ratio in frigidi copia consistit. 69.1. & 71.35.
Tristis duplex. 142.22.
*Rugosa facies.ibid.*47.
Oculi macri, & cur. 143.4.
*Et confracti.ibid.*21.
In figura humilis, & in motibus remissus. 145.3.
*An melancholicus.ibid.*20.
Tristis facies tristis est, & læti læta. 231.38.
Eius facies quæ sit vide. 458.28.
Tristitia quid sit. 142.36. & 458.25.
Ad corpus refertur, mœstitia ad animum. 458.37.
Turpes aliquãdo boni, aliquãdo mali 139.21.
*Plures tamen boni, quàm mali.ibid.*24.
Turpia etiam amantur. 552.31.

V

Varia varijs cur probentur. 96.20.
Venerei qui. 496.11.
Veneri plurimum dantes operam, aut nullos filios habent, aut fœminas. 192.43.
Veneris, an cibi, maior appetitus. 369.1.
Venatio bellica meditatio est. 348.48.
Venatorum qualitates. 349.5.
Venter amplus, & contractus roboris signum. 52.20.
Tumidus quid, & ventriosorũ, qualitates. 353.15.
Ventrem magis compressum habent iuuenes senioribus, sani ægrotis, & viri mulieribus 53.2.
Ventriosi homines plerumque imbelles. 52.28
Nec pulchri, nec diu sani. 53.3.
Ventris prognostica minus uecessitatis habẽt alijs.
Veniriculi frigidioris est, appetere cibũ. 141.7.
circa Ventrem quæ sunt, si pinguia, hoc est pulchra, & magna fuerint, audacem, & fortẽ significant. 351.1.
*Si non pinguia, hoc est nec magna, nec ampla fuerint mollem indicant.ibid.*32.
Vigilia in fœminis quid indicet. 205.3
Virtus omnis naturalis in mediocritate consistit. 57.3. & 111.18. & 222.12.
Virtus duplex, naturalis, & acquisita. 8.46.
Virtus omnis naturalis eadem secundum speciem existens, quo maior est, maiorem etiam suæ materię molem requirit. 54.5.

vna Virtus acquisita cui inest, eidem omnis virtus inest. 64. 41.
Virtutem aliquam naturalem qui habent, à naturali hominis statu recedunt, & cum referunt aliquod animal, in eius naturam degenerasse videntur. 65. 13.
ad Virtutem maximè natus est, cuius anima est æqualiter potestate omnia. ibid. 1.
Virtutib. maximis à natura ornati, plerumq. etiam maximis vitijs inquinati sunt, & cur 64. 1. & 25.
Vitiosæ dispositiones oppositæ possunt esse simul in eodem subiecto, & cur. 393. 32. & 552. 46.
Vocalia valdè animalia, plerumque timida. 326. 6.
Voce admodum graui qui vociferantur, iniurioſi sunt. 531. 33.
Vocem qui habent in principio grauem, in fine acutam, timidi, tristes, & mesti sunt. 533. 10.
Acutam, mollem, & fractam, qui habent molles sunt. 534. 6.
Grauiorem habens animal, eiusdem speciei, audacius est eo quod habet acutam, & cur. 43. 37.
Vocem magnam, grauem, & perplexam qui habent, audaces. 536. 1.
Intensam, & acutam; petulantes, proterui, ac vecordes sunt. 538. 10.
paruam, mollem, & remissam qui habent mansueti. 537. 19.
Volatilia animalia cur gracilia habeant crura. 332. 16.
ob Voluptatem rixari, brutorum est non hominis. 187. 20.
Voraces sunt, qui in quantitate, non in qualitate peccant. 195. 32.
Et sunt hi, quibus id quod ab vmbilico est ad pectus, maius est, quàm illud quod est inde vsque ad collum. ibid. 28.
Voracis signa quæ; ibid. & 196. 6.
Voraces, & eorum qualitates. 361. 44.
Vox significat aliquid. 39. 39.
Multiplex; acuta, grauis, intenta, remissa. ibid. 40.
Acuta, & remissa timidum indicat. 40. 5.
Grauis, & intensa, audacem. ibid. 3.
Omnium signorum maxime dubia est. 46. 30.
An aliquid verè portendat. 42. 29.
Perplexa quid. 536. 9.
Vultus mutabilis est, facies secus. 428. 5.

Z

Zephiri, & subsolani uenti effectus. 119. 23.

FINIS.

Errata	lege
pag.lin.	
2.25. triſtitiæ	triſtitia
9.36. modeſtia	moleſtia
12.11. eodem	eoſdem
13.16. venētib?	verētib. quę
Quę	
17 ſigna?	An ſigna, at
14.11. iudicantia	indicantia
16. 1. eleſtionē	electionem
2. ſignat	ſigna
17.46. igno	ſigno
18.14. reſpōdes	reſpondens
15. habilitātes	habilitates
19.20. primum	primus
20.30. ꝓcedat &	procedat
23.10. acturi	acturus
25.21. magnis	magis
26.31. oſſium	oſſeum
27.37. ſuſcipiēda	ſuſcipiendā
29.34. autem ſunt inſtabiles	autem inſtabiles
49.1. tātum 21. tm̄ 22. locos	
54.45. couæ	coxæ
56.26. vbi	ibi
57.28. ανχμηροτερον	ἀυχμηρὸτερον
61.40. robuſti	robuſti, in his ergo. &c.
65.25. Diomedes	Diomede
29. cōfirbimus	cōfirmabimus
70.13. ſic apparēt	ſic apparet
71.6. cōmēſuratā	cōmēſurata
72.13. laudbilis autem ſecūdum ſe non eſt timidus	Timidus autem ſecundū ſe non eſt laudabilis. &c.
80.22. diuerſæ	diuerſa
24. trigeſimo	trigeſima
92.5. mā, quæ	mā ex qua
9. & vt ex terra	& ex his, vt ex terra
93.30. ingeniū	ingeniū vocāt,
99.11. nam hoc	nam illud
97.34. quoniam	quando
37. ſi hæc	ſi ex hac
38. actionē	actionē exercita
98.6. Thætydis	Thetidis
101.2. hæbetudo	hebetūdo
27. armonice	harmonicæ
35. inabilitas	inhabilitas
105.35. robuſtam	robuſtos
111.43. eſſet	eſſe
45. ſalus	ſolus
46. hæ, bitare	habitare
47. ſcithri	ſcythæ
125.27. tutpelucrū	turpe lucrū
126.32. icollectorū	collectionē
127.14. κόσμως	κόσμος
48. vtramque	vnamque
129.11. impreſſis	impreſſam
137.45. eſſe	habere
142.47. triſtum	triſtium
145.17. hoc eſt inceſſum non	inceſſum
146.40. niſi impreſſio	(niſi im

Errata	lege
pag.lin.	
preſſio *per parentheſim, quā claude poſt vocem* morbi.	
148.9. laborum	laborem
21. abſtinebit	abſterrebitur
150.13. aliæ	alia
41. tinentis	terentis
12. ſit	fit
15. homo illis tpibus	natus hoſem illis temporib. notū
156.38. con	non
17. quem	cum
163.15. animumq.	animæque
42. male	melle
170.6. proprius	propius
46. tpam	temporum
171.3. iucundus	iracundus
45. pictis	dictis
172.31. quod	quid
38. ficcitatem	ficcitate
48. illos	illas
174.32. quia	propter quid
34. illi	illis
177.7. prima	primæ
44. nutriuntur	nutriantur
185.15. dele, & non ſecamus	
17. velequm	vel equum
189.28. & qui magna	qui de magna
192.18. affræmato	effræmato
33. Aenææ	ab Aenea
198.24. ad ventrem	ad venerē
200.39. Simirami	Semiramim
208.13. Formatum	formatam
209. 3. hoc	hanc
210.32. eſt quo	eſt quod
219.9. quæ ab	qui ab
220.37. iracundæ	impotentiæ
221.12. externo	externæ
223.5. ad nullam	ad nullum
226.19. fieri	fieri poſſe vel melius
229.25. propriam	propriam, &
44. corporeo	corpore
237.43. ad ſecūda	ad ſecundū
243.29. ſit	ſic
244.24. percipiat	percipiet
242.22. rati	irati
33. eodem	eadem
35. autem	enim
47. animum	animam
249.39. debemus	debere
254.24. tribuit	tribuunt
255.33. diſpoſitum	diſpoſitus
49. eandem	eadem
258.20. ἐζιν	ἐξιν
261.40. genere	genera
264.8. millius	nullius
39. ſetiant	ſciant
265.40. amaſe	amet
268.30. νονόχροτα	χονόχροτα
271.20. ille	ſola
ibidem, & vt	vt
275.30. rō ꝓprio	rō proportio

Errata	lege
pag.lin.	
287.48. meruit	metuit
301.38. iſta	iſtæ
302.1. Empedodi	empedocli
308.43. non eſſe	non eſſet
310.13. cum illa	cum illæ ſint
1.4. Dei	ad Dei
313;11. tenent	tenet
314.31. glaciulis	glaciali
ibidem. iuicu	furca
3204. eadem	eandem
327.2. fœminum	fœmininum
6. inſenſitium	inſenſitiuum
18. pecoris	peioris
29 magnis	magis
332.33. quarum	quorum
40. hanc	hæc (&c.
335. Ait Sueſſanus	Ariſtotelē,
41. diſpoſitæ	diſpoſita
338.5. Virtuti	Virtutis
540.22. feminis	femoris
38. molle	mollem
28 ſpiritu	ſpiritus
353.5. abundat	abundant
353.28. hominis	homines
354.41. producunt	producunt
356.46. poſitæ	poſitas
49. maſculæ	maſculini
360.24 p̄cordia, illi p̄cordia	illi
25. habeat	habet
362.2. opiparo	opipare
46. nam quæ	nam in hoc q̄
363.27. mitio	initio
364.26. indicat	indicant
43. ſi quad	quod
366.121. frigoris	frigoris, &
15. ſortitatur	ſortiatur
16. ſuggeant	ſuggerat
19. & non	non
369.49. figuram	figura
370.41. ſit	ſic
371.40. non fuiſſe	fuiſſe
373.44. contemplatione	contemplationes
374.1. multo	multum
375.5. mali	malis
14. talem	qualem
379.23. cupiendum	capiendū
37. moret	mores
781.32. obiecti	obiectis
382.42. ſyllogiſmā	ſyllogiſmū
385.17. muſculorum	ſe muſculorum
44. ſubalternare	ſubalternata
394.32. calidus	calidius
395.26. differenti	differentia
403.12. vi	vt
404.14. & illa	& vt illa
407.17. quare	quale dixit
36. quid in eſt	quid
409.12. reprēdū	reprehēdēdū
44. obiectumet	obiectum
maximæ	maxima
410.11. celeries	celeres
30. parti	parte
411.41 cartilaginem	cartilagineum

Errata	lege
pag.lin.	
412.28. videbunt	videbuntur
414.25. hicterra	terræ
415.3. At ſecundum at non ſm̄	
417.20. imprudētes	impudētes
40. cuius	quorum
41. rapiat	capiant
421.47. erunt	erant
422.16. altera	alteram
423.22. ab	ob
42. eſt	eſſe
425.33. aere	aerem
34. qua	quæ
433.23 perpendicularis,	linea perpendicularis
433.30. ab hæc	ab hac
438.10. eacrementitus	excrementitius,
11. conſcius autem	conſcius ibidem putat ſe
putat	
43. moribus	morbis
442.1. arguut	arguit
447.1. & inſtabilitate	& in inſtabilitate
3. in calumniā	in caluariā
34. mendaciam	mendacium
30. & hanc lætitiā	emitetur lætitiam, & hanc imitatur
458.11. Achemide	Achemenide
465.2. figuram	figura
471.44. Illyeis	Illyricis
474.37. loquentur	loquerētur
43. affectus	effectus
477.34. non a	non
481.42. ſtarnum	ſternum
486.10. præcipium	præcipuū
493.24 ſquilantē	ſqualentem
494.28. hanc autē paſſionem	hæc autem paſſio
42. galborum	galborum
498.22. venter	ventriculus
506. 2. propter qui	ꝓp quid
509. 7. hæc	hac
512.26. timore	timorem
514.30. capillos	pilos
529. 9. verum eſt falſum	verum eſt, aut falſum
534.16. autior	acutior
536.16. hos	eos
538.36. incōpoſita	incōpoſitæ
540.24 &	eſt
43. & hoc	ex hoc
541. 2. intelligēdā	intelligēdū
543.35. faciat	faciet
549.13. ſum	ſunt
550.49. numercum	numerum
551. 4. ſubdito	ſubito
554.30. paruī rdtundi	paruos rotundos
555.46. vitia	vitia dicemus
556.19. indiuiduam	indiuiduū
559.28. mūltis	multi
560.35. facti illi	facti
561.20. quamplurimum	quamplurium

Cætera Lectorum iudicio remittuntur.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

Bononiæ, Typis Sebastiani Bonomij. 1621.
Superiorum Permissu.

Impensis Hieronymi Tamburini.

293
Signat.ª Top.ª
Est. 48
Tab. 1
Núm. 16

Gouvernement

A-173
3272